Σὺν τῷ Θεῷ

# VINDICIARUM BIBLICARUM

## PARS III,

Exhibens ſolidam Philologicarum notarum, Theologicarum controverſiarum, atque ἐναντιοφανῶν, in libris Propheticis, & Apocryphis V. T. occurrentium, enodationem,

*adornata à*

M. ANDREA PRÜCKNERO, Coburgo-Francone, Dn Comitis à Caſtello Eccleſiaſte.

*Cum Indicibus Auctorum, Locorum communium, ſeu materiarum, rerum & verborum ſufficientiſſimis.*

---

Annô Epoches Chriſtianæ M. DC. LXIII.





*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Splendore generis, pietate, autoritate, prudentiâ & rerum usu eminentissimis VIRIS*

Dnn. CONSULIBUS, SYNDICIS, ac SENATORIBUS Inclytæ atq; præpotentis Reipublicæ

## FRANCOFURTENSIS,

*Dnn. Patronis suis humilimè colendis, salutem & gratiam à DEO Patre per Christum Iesum in Spiritu Sancto.*



Eminem usquam existimo inveniri, qui cùm legit *Senatûs Romani* gesta, non & illius *prudentiam*, & cum prudentia *fortitudinem*, & cum fortitudine *dexteritatem* frequenter admiretur, dignumq; eum fuisse judicet, cui fasces suos totus terrarum orbis submitteret. Qua enim virtute Senatus ille cives adeò sibi devinxit? *prudentiâ.* Qua virtute hostium vim dissipavit? *fortitudine.* Qua virtute exteros in suam pellexit tutelam? *dexteritate.* Hisce namq; *Heros Iudæorum ille fortissimus*, in 1. Maccab. 8. v. 1. seqq. impensè fretus, superioris illius Senatus patrocinio totum sese mancipare non erubuit. Eam in historiam quoties meditationum alis involo, toties Rempublicam FRANCOFURTENSEM, Romanæ æmulam, mihi imaginor, nec absq; causa mihi imaginor. Illa enim æquè prudenter, ac Romana, fasces gerit, & turbis prudenter sedatis, populi libertatem tuetur, ita ut sicut ista *bellicis* fortasse artibus, sic nostra hæc FRANCOFURTENSIS *domesticis* jure glorietur. Quod si quis nimiâ petulantiâ insolescit, si quis nomen Domini in vanum ducit, si quis civitatis ocium turbat, potestate ingenti, & sacratis legibus armatâ, talem perfrictæ frontis prævaricatorem aut pecuniâ mulctat, aut in vincula conjicit, aut vitâ penitus privat. Atq; adeò tanto æstu vim coërcet, suum cuiq; tribuit, juris æquabilitatem omnes inter cives proportione tuetur. Quin imò verâ *veræ religionis* laude nunquam non extitit, atq; ita extitit, ut hac una Romanam longè superârit. Enim-verò illam ipsam in Schola industrii Præceptores rudi adhuc pueritiæ instillant, instillatam provectioribus uberiùs declarant, in templo sancti Ecclesiastæ declaratam in cordibus solidè confirmant. Quæ etiam causæ sunt, quibus DEUS permotus, ut illam Ipsam Rempublicam è Martis velut faucibus mirabiliter hactenus eripuerit, & adhuc-dum in pace gratiosè conservaverit. Id quod me quoque permovit, ut augusto vestro nomini & omini, Patroni magni, opellam hanc submissè inscriberem, eiq; tantos conciliarem Favitores, ex quorum fulgerissima luce splendorem aliquem mutuare queat. Quantâ igitur possum subjectione, quantâ debeo observantiâ, à Magnif. Nobilit. & Amplit. VV, peto atq; contendo, ut hoc scriptum in benevolentiæ suæ sinum recipere, ac favoris sui radios in illud derivare, haud dedignentur; quo de mihi animitus gratulabor, Vestriq; in Musas meas affectûs certitudinem mihi pollicebor: insuper etiam seriis precibus Magnif. Nobilit. & Amplit. VV. incolumitatem, regimen & salutem DEO commendare, quàm diu vixero, nō desinā. Dabam calendis Mart. Annô 1663.

*Magnif. Ampl. & Excell. VV.*

*submissè colens*


M. ANDREAS PRUCKNERUS.



*Lectori cordato atq; benevolo Salutem!*

Pauca sunt, æquissime Lector, de quibus in ipso operis hujus vestibulo moneri te, operæ precium duxi. Omnium verò primùm scias velim, Vindiciis istis me ad *veram S. S. Bibliorum intelligentiam*, velut manuductione viam monstrare: Si quem proinde *plurium fortè materiarum Theologicarum defectum* deprehendas, ne unius quidem ingenii alâ omnes omnium Sacrarum Musarum cellulas pervolari posse, haud invitus annues. Hac in palæstra prævivi, tu sequere. Metonymiam subjecti pro adjuncto, & vice versa, itemque Synecdochen generis pro specie, & contrà, in notis Philologicis adductas, aliter apud Aristotelis sequaces accipi, si objectes; B. Dn. D. Glassii Philologi alioqui peracuti, in Rami licèt Schola educati, vestigiis me institisse, olfacies. *Styli æquabilitatem* si desideres, aliorum me verbis loqui Theologorum, cum-primis nostratium, maluisse, quàm meis insistere, cogitabis. Non quo *stylo* hæc sint Scripta, sed quo *sensu*, perpendes: Si enim recti sensus, quid refert in re tam ardua, quo velo aut veste, modò non indecorâ, eos texuerim? *Theologos*, quorum operâ usus fui, nôsse si concupiscas, gratâ ipsos allegare lubuit memoriâ, quamvis arroganti sine titulo. Ad laudem enim atque existimationem ingenui probiq; viri inter-esse, meo semper existimavi cum *Heinsio*, subfin. Aristarch. Sacr. ut per quos profecerit, à quibus fuerit adjutus, nemo ignoret. Si *mea hæc stationis* non esse autumes, te sensu tuo abundare, & si velis, sapientem etiam tibi videri, non refragabor. Certè cordi & curæ esse debet omnibus, cujuscunque sint stationis, Ecclesiæ emolumentum; id quod omine haud fallaci ex Vindiciis illis emanaturum olfeci, quum studiosa juventus diversis ex Academiisearum editionem quotidianis penè conviciis hactenus flagitavit, atque etiamnum efflagitat. Si tandem *humanam hanc linguam* aut *calamum* alicubi titubantem persentiscas, ne asperè quæsò nimis luam, cùm nusquam *malitia* sit aut *pertinacia*, sed *humana saltem imbecillitas & Caligo*. Meliora edoctus nemini non cedam cum B. Augustino libr. contr. Epist, Fund, c. 3.

Ita seriò conquiesco: velim tu mecum.



# VINDICIÆ
# PROPHETÆ ESAIÆ.

Cap.1.v.2. *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.*

I.



*Postrophe* est, ad *cælum & terram*, tanquam *testes Iudaicæ prævaricationis* directa, cujus sẽsus est: *Si intelligentiam & rationem haberent cælũ & terra, accusaturi certè essent populi hujus impietatem*; cùm illa, & omnia, quæ iis continentur, eum finem, ad quem sunt condita, solicitè observent, soli autem *homines*, propter quos universa condita sunt, DEo reluctentur. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.2.cap.4.m.4.p.543.

II. *Photiniani* garriunt, *Deum* Gen.1.v.26. *allocutum esse creaturas irrationales*, cùm hoc in loco *ipse alloquatur cælum & terram*.

℞. Negatur id sequi. Nam (1.) Deus apud *Esaiam* alloquitur *cælum & terram*, ad *percellendos hominum ingratissimorum animos*, atq; *ad attentionem excitandos*, ut benè observat *Lutherus* in Comment. h.l. Quid verò hoc ad *historicam creationis descriptionem*, quæ verbis *propriis & perspicuis* constat? (2.) Non vocat Deus *in communionem operis* cælum & terram, uti eos vocat, quos *Gen.1.v.26.* alloquitur; sed *simpliciter* dicit: *Audite cæli & terra, &c. Helvic.* tõ.5. Giess. disp.4.thes.18.p.104. *Gerhard.* in Exeg. loc.3. de SS. Trinit.§.120.p.1046.

III. Argumentum *Papistarum*, pro *licentia per creaturas jurandi*, vide solutum in vindic. *Deut.* 4. v.26.

IV. *Huberus* in Brev. Confutat. Prædest. partical.p.11. statuit, *Deum impios etiam ad vitam æternam prædestinâsse*, quia *Iudæos apostatas in filios receperit & exaltaverit.*

℞. Negatur ideo, quòd *filii Dei nuncupantur Iudæi*, ad illos (*qui in sua impœnitentia perstiterunt*) *electionem* quicquam pertinuisse. Etenim sub complexu *filiorum* Deus *more Prophetico* comprehendit *totum illum populum*, ut ille non in his duntaxat, *qui tùm vivebant*, individuis consideratur; sed in *tota progenie inde ab initio cooptationis Hebræorum in populum Dei.* Quomodo Dominus ad Israëlitas, *etiam Prophetarum* demum tempore viventes, dicere consuevit, *se illos eduxisse ex Ægypto, enutrivisse in deserto, introduxisse in terram Chanaan, cooptâsse præ cunctis gentibus in peculium*, &c. quorum exempla reperiuntur, *Iudic.* 2.v.1. *Ezech.* 23.v.3. & 4. *Amos.* 5.v.25.seq.&c. Et quidem, quòd in *toto populo* concionetur hoc loco Dominus, & de beneficiis *præteritorum etiam temporum*; tenor prophetiæ non dubiè monstrat. Locum igitur hîc habet, *Luthero* teste, *synecdoche*, quòd augusto hoc titulo illos dignetur Deus, ob reliquias *electorum*, de quibus mox v.9. *Hunn.* tom.1. Oper. Latin. p. 879. seq.

Vers.3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe dominorum suorum: Israël non cognovit, populus meus non animadvertit.*

Esaias utitur (1.) *Enallage* partim *temporis* præteriti *cognovit*, pro præsenti, *cognoscit*: partim *numeri* pluralis, *dominorum suorum*, pro singulari, *domini sui*. (2.) *Ellipsi* conjunctionis adversativæ: *At* Israël &c. (3.) *Metonymiâ causa pro effectu*: tum quia *Israelem* ponit pro *populo Israelitico*, tum quia *cognoscere* est *expendere & curare*, nim. quæ Domini sunt, & â Domino ipsi exhibentur beneficia. *Vatabl.* in Annot. ad h.l.p.153. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p.621. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.1.m.3.n.1.p.12.

Vers.4. *Væ genti peccatrici, populo onusto iniquitate, semini maleficiorum, filiis corruptoribus: dereliquerunt Dominum, irasci fecerunt Sanctum Israelis, abalienaverunt se retrorsum.*

I. Est hîc (1.) Ἀνάβασις seu *progressio ab infimis ad summa*: nam *peccatorem esse*, humanum est; *onustum peccatis esse*, fœdum est; gravius utroq; est, *naturâ malitiosum esse*; summus improbitatis gradus est, *alios corrumpere*, atq; *ita malitiæ suæ virus in eos spargere.* (2.) Hebraismus: *semini maleficiorum*, h.e. *proli maleficentissimæ*. (3.) *Metaphora*: אחר enim, *retrorsum*, ad animum relatum, *discessum per infidelitatem à Deo*, quam apostasiam vocant, innuit. *Iun.* in Not. ad h.l.p.621. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.2. cap.7. p.573. Confer tract.1.cap.12.p.385.

II. Ἀντιλογίαν quandam, hoc loco apparentem, vide conciliatam in vindic. *Sap.* 10.v.15.

III. *Manichæi* delirârunt, *esse aliquem creatorem malorum, cujus filii sint semen*; quòd *impios Iudæos Deus vocet filios suos semen pessimum.*

℞. *Augustinus* lib.1. contr. Adversar. Leg. & Prophet. tom.6. col.610. respõdet, nescire Manichæos, ob hoc Judæos dici *semen pessimum*, quoniam *gratia Dei, quâ ejus filii facti fuerant, peccando degeneres extiterunt, eorum filii facti, quorum imitatores esse voluerunt.* Unde illis *Ezech.* 16.v.3. dicitur: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*: quarum gentium sunt impietatem, malitiamq; sectati, ex quibus tamen *carnis originem* non ducebant. Et Christus, *Luc.* 11.v.13. *bonum Deum* vocat *malorum patrem*: mali autem si appellati sunt propter *peccata*, quantò convenientius *semen pessimum* diceretur, quòd nasceretur impia voluntate, & moribus exe-

crabilibus pullularet? *Thummius* in dec. Exerc. Theol. disp. 2. thes. 9. arg. 5. p. 14. seq.

**Vers. 5.** *Super quid percutiemini adhuc, addetis pravitatem? totum caput ægritudini, & totum cor infirmum.*

Verba hæc continent (1.) *Interrogationem*, cum vehementi affectu hominis irati prolatam: *Super quid percutiemini adhuc?* q. d. frustraneæ sunt ulteriores plagæ, cùm pravitate pravitatem cumuletis. (2.) Ellipsin: *Totum caput ægritudini*, scil. *obnoxium sive expositum est*. (3.) *Prosopopœjam*, quà castigationes populi judaici ità enunciantur, ut ipse *populus* gravissimè castigatus, instar *unius hominis ad mortem usq; percussi, & lethaliter vulnerati, ægrotantisq;, insuperq; curatione & medicamentis destituti*, v. 6. introducitur. Explicatio *propriis* verbis v. 7. 8. 9. subjungitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 153. *Glass.* lib. 1. Philol. sacr. tract. 3. par. 1. Sect. 4. m. 2. p. 8. p. 294. & lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 204.

I. *Flacius* statuit, *peccatum esse ipsam hominis substantiam*, cùm verbis substantialibus, *capite & corde*, describatur.

℞. (1.) *Subjecta* sæpè in Sacris ponuntur pro *accidentibus*, & contrà, teste ipso *Flacio* par. 2. Clav. Script. tract. 5. (2.) De *Cordis* igitur & *capitis qualitatibus*, non verò de *ipsorum essentia* sermo est. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. class. 4. p. 638.

**Vers. 6.** *A planta pedis usq; ad verticem non est in eo sanitas*, &c.

I. *Photinians* sentiunt, *veram Ecclesiam in hoc mundo totam posse interire, quoniam Ecclesia judaica tota interierit, tempore Esaiæ, ut qui queratur, à planta pedis usq; ad verticem non esse in ea sanitatem.*

℞. Querela isthæc non *absolutè* est intelligenda, sed *synecdochicè*: quoniam enim *comparatione* aliqua impiorum, *ad pios instituta*, tanta illorum deprehenditur copia, ut vix boni aut fideles ulli appareant; ideo Scriptura *una impiorum notatione* totum populum reprehendit, licet in eo aliqui sint *electi & fideles*, sed *paucissimi*, ut ex v. 9. apparet. *Hutter* in LL. Theol. p. 521.

II. *Tota visibilis Ecclesia à vera fide ad falsam potest deflectere* etiam *in* N. T. quia *Esaias de corrupto Ecclesiæ statu in* V. T. *pathetice conqueritur*, quod *à planta pedis usq; ad verticem in corpore illo non sit sanitas*, &c.

Excipit I. *Bellarminus* l. 3. de Eccles. milit. c. 16. resp. ad 4. Prophetam reprehendere *universum populum*, quasi *nemo ibi sit bonus*; cum tamen *permulti sint boni*.

℞. Adversarius *ignorat elenchum*: nequaquam enim dicimus, *in corrupto Ecclesiæ statu nullos superesse bonos*, sed *ad eam paucitatem illos redigi posse, ut non constituant aliquem visibilem & illustrem cœtum*, sed velut *grana in acervo palearum* lateant. Sic Esaias conqueritur, *eos, qui præcipuum in Ecclesia visibili locum tenēt*, Sacerdotes, Reges, adeoq; universum ferè populum, à verâ religione & pietate descivisse; interim tamen addit, v. 9. *Dominū sibi reliquisse semen.* Atq; hoc sufficit instituto nostro: neq; n. pugnamus, *Ecclesiam penitus deficere*, sed quòd *publicū Ecclesiæ Ministerium degenerare & corrumpi possit*, id quod *Esaiæ querela* apertissimè comprobat.

2. *Pistorius* in Hodeg. p. 97. longissimè distare *Ecclesiam Christi à synagoga* judæorum, quia Deus *illi* sese *absolutè* alligaverit, *huic verò cum conditione*.

℞. (1.) *Æquè splendidas ac insignes promissiones* de Dei præsentia habuit *synagoga Iudæorum*, quàm *Ecclesia* N. T. ut ex *Psal.* 147. v. 20. & *Rom.* 9. v. 4. videre est. (2.) Non potest ullo Scripturæ dicto probari, Deum Ecclesiæ N. T. *absolutè* suam gratiosam præsentiam & gubernationem promisisse; quin imò promissiones Ecclesiæ N. T. non minùs sunt *conditionales*, quàm quæ *synagogæ Iudæorum* fuerunt datæ, ut *Ioh.* 8. v. 31. c. 15. v. 14. 1 *Ioh.* 2. v. 24. *Rom.* 11. v. 19. 23. *Mentzer.* in Antipist. disp. 4. thes. 83. p. 146. 147. seq. *Gerhard.* tom. 5. LL. CC. loc 25. de Eccles. §. 90. p. 735. seq. & §. 111. p. 792. seq.

**Vers. 7.** *Terra vestra desolatio, urbes vestræ succensæ igni, tellurem vestram coram vobis alieni comedentes eam, & desolatio secundùm subversionem alienorum.*

In textu hoc habetur (1.) *Enallage* abstracti, *desolatio*, pro concreto, *valdè desolata*. (2.) *Synecdoche generis* pro *speciei*: nam *terra* pro *regione* est. (3.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: ponitur enim *tellus* pro ejus *fructibus & proventibus*. (4.) *Metaphora*: quia אכל, *comedere* significat *consumere*. (5.) *Pleonasmus*: siquidem τὸ *eam* abundat. (6.) Hebraismus: *secundùm subversionem alienorum*, h. e. *quam alieni inferunt*; ubi nomini, בְּמַהְפֵּכַת, *secundùm subversionem*, genitivus, זָרִים, *alienorum*, additus, *causam efficientem* denotat. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 1. *Vatabl.* in *Annot* ad h. l. p. 154. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 621. *Glass* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 1. p. 102. & tract. 5. can. 28. p. 505.

**Vers. 10.** *Audite verbum Domini, Duces Sodomæ, & auscultate legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.*

*Hebraismus est*; קְצִינֵי סְדֹם, *Duces Sodomæ*, עַם עֲמֹרָה, *populus Gomorrhæ*, h. e. *qui similes estis iis, qui Sodomæ & Gomorrhæ fuerunt*, seu *malitia atq; sceleribus comparandi Sodomitis atq; Gomorrhæis*. v. 9. *Glass.* lib. 3. Philol. tract. 1. can. 30. m. 8. p. 111.

**Vers. 11.** *Quò mihi multitudo victimarum vestrarum*, &c.

*Bellarminus* l. 2. de Effect. Sacram. c. 14 resp. ad 1. negat, *Sacrificia* V. T. *à Deo fuisse instituta ad expiandum peccatum*, quoniam *ea Deus rejecerit etiam in* V. T. tanquam *minus grata*.

℞. *Deus sacrificia in* V. T. *rejecit*, non *absolutè & per se*, sed *secundùm quid & per accidens*, propter *abusum hypocritarum*, qui, cùm offerebant sacrificia, interim dabant operam impietati, v. 15. Cùm enim *ea Deus ipse instituerit*, quomodo *absolutè* eadem repudiaret? *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 21. de Sacram. §. 73. p. 599. & 601. *Chem.* tom. 4. Panstr. l. 3. c. 5. §. 1. & 9. p. 62.

**Vers. 12.** *Cùm veneritis ante conspectum meum, quis requisivit hæc de manibus vestris?*

I. Ἐναντιοφανὲς oritur: Deus enim quærit, *quis requisiverit sacrificia à manibus judæorum?* cum tamen *ipse tot ac tanta de sacrificiis præcepta dederit.*

℞. Deus dedit præcepta de sacrificiis, sed simul ostendit, *qua ratione ea sibi placerent*, nimirum non *ex mente improba & dicis gratiâ oblata*: verùm *ex pio corde profecta, futuri Messiæ meritis intento*. Hæc doctrina apud judæos, quos fata urgebant, sensim elanguit, elanguit igitur, & DEI in Sacrificiis complacentia. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. class. 2. n. 3. p. 637.

II *Cultus*

II. *Cultus electitius DEO non placent*: quia *eos non requisivit Deus à manibus hominum*, ideoq; ei *displicent*.

*Pazmannus* in Hodeg. regerit, *Deum Iudæorum festa & sacrificia non propterea contemtibilia reputare*, quasi *prohibita sive in se*, sed ideò, quòd *externis ceremoniis contenti, internam puritatem non quærebant*.

℞. Neq; nos dicimus, *sacrificia Iudæorum in se fuisse prohibita*, sed quod *ipsum opus tantùm DEO placere putabant absq; vera pœnitentia*: hoc ei displicebat. Et hoc erat cultum præstare electitium, *quem Deus non requirebat à manibus ipsorum*: nusquam enim absq; seria pœnitentia sacrificari voluit, sed optimum in victimis erat cor contritum, & fides in venturum Messiam. *Balduin.* in Phosph. Cathol. l. 6. c. 14. p. 658.

## Vers. 13. *Non addetis offerre munus mendacii, suffimentum abominatio ipsa mihi, mensem & Sabbatum vocare convocationem, non potero iniquitatem & cœtum*

§. 1. *Non addetis offerre*, h. e. *ne ultrà offerte*. §. 2. *Munus mendacii*. i. e. *mendax* seu *vanum*. §. 3. Infinitivus, קְרֹא, *vocare*, accipitur pro secunda persona pluralis futuri, *vocabitis*, h. e. *quæ vocatis* solennitates; ut sit per *appositionem* dictum. §. 4. *Non potero*, scil. *ferre*. §. 5. אָוֶן וַעֲצָרָה, *iniquitatem & cœtum*, pro, *iniquitatem cœtûs*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 145. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 621. *Glass.* lib. 3 Philol. Sacr. tract. 1, can. 42. p. 162.

## Vers. 14. *Novilunia vestra, & solennitates vestras odio habuit anima mea, fuerunt super me oneri, defatigatus sum ferendo.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Enallage temporis* præteriti, *odio habuit*, pro præsenti, *odio habet*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: tum quia DEO tribuitur *anima*, quâ ipsa DEI *essentia & voluntas* intelligitur; tum quia *oneri* seu *defatigationi* DEO aliquid esse dicitur, cùm *illud aversatur & rejicit*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 154. *Iun.* in Not ad eund. loc. p. 621. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 101. & 120.

II. Deus sibi repugnare videtur: dicit enim, *se abominari eum sacrificio, incenso, neomenia & sabbato festivitates Iudæorum, quas ipsemet mandaverat*.

℞. Improbat Deus Judæorum cultus non *per se*, sed *per accidens*, tum quia proficiscebantur ab *impiis impœnitentibus*, tum quia opinione *meriti sine fide in Messiam* sacra peragebant, putantes, ex *opere operato* peccata sua expiari. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. §. 176. p. 340.

III. Argumentum nostratium, contra *bonitatem operum sine fide factorum*. Vide ab exceptione Bellarmini vindicatum in Vindic. *Prov.* 15. v. 8.

## Vers. 15. *Et in extendendo manus vestras, abscondam oculos meos à vobis; etiam quando multiplicabitis orationem, non ego audiens; manus vestræ sanguinibus plenæ sunt.*

I. Iteratur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim dicitur *oculos abscondere* ab aliquo, i. e. *gratiam denegare*. (2.) *Enallage* participii præsentis pro verbo futuri indicativi: *Audiens*, h. e. *audiam*. (3.) *Ellipsis* conjunctionis causalis כִּי: *Quia* manus &c. (4.) *Metonymia*: nam *manus* pro *actionibus*, & *sanguines* pro *cædibus* ponuntur. *Arias.* par. 4. Bibl. p. 1. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 621. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 2. p. 9.

II. Ἀντίφασις apparet: Deus enim *negat se exaudire velle orationem Iudæorum*, ast *promittit exaudtionem, antequam ipsi orent*. Esa. 65. v. 27.

℞. Distinguendum inter preces *impiorum*, & *piorum*. De *illis* loco priori, de *his* loco posteriori sermo est. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. class. 2. ti. 4. p. 637.

III. *Nemo piorum bona cum conscientia proprium corpus ad sanguinem usq; flagellare potest*, quia *Deus reprobat manus sanguine plenas*.

*Gretserus* in Apolog. pro Discipl. p. 242. objicit, Prophetam loqui de illis, *qui ob cædes, rapinas & oppressiones humilium rei*, tendebant tamen *ad Deum manus plenas sanguinum*.

℞. Rectè; Sed quodnam *argumentum* in istis verbis latet? Nonne hoc? *Quemadmodum is, cujus manus innoxio sanguine madent, maximè verò, qui seipsum ad sanguinis effusionem lacerat & laniat, coram Deo impurus est, & horrorem hominibus incutit: sic & eum, cujus actiones abominanda impuritate & injustitia*, hoc est, *tetris variisq; flagitiis contaminatæ sunt, quiq; in iis obstinatè pergit, Deo abominabilem esse*. Utique ergo dictum hoc ad rem facit. *Zeam.* in Carnif. Esavvit. p. 312. seq.

## Vers. 16. *Lavate, purificate vos, amovete malignitatem actionum vestrarum de conspectu oculorum meorum &c.*

I. Redit huc (1.) *Metaphora*: verbo enim *lavare* respicit Propheta ad *cruentatas manus*, quas modò exprobraverat; v. 15. (2.) Ellipsis: *Lavate*, subint. *vos*, q. d. tàm *animo*, quàm *corpore* puros vos mihi sistite. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: *Amovete malignitatem actionum vestrarum de conspectu oculorum meorum*, h. e. *palam & clam benefacite*; cùm omnia penitus introspiciam & cognoscam; ubi *oculi*, DEO tributi, *exactissimam ejus notitiam* designant. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 154. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 154. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 622. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 105.

II. *Bellarminus* l. 2. de Pœnit. c. 6. disputat, *in contritione includi propositum rectè vivendi*, quòd *pœnitentibus injungatur lavari, mundari, auferre malum*, &c.

℞. Testimonium hoc non loquitur de *sola & nuda contritione*, sed de *ipsa nova obedientia*, quam *Bellarminus* l. 1. de Pœnit. c. 20. non *pœnitentiæ*, sed *justitiæ* partem esse scribit. Itaque Propheta describit *fructum veræ & salutaris pœnitentiæ*, non autem *solius ac nudæ contritionis*, quemadmodum disertè Johannes dicit, *Matth.* 3. v. 8. *Facite fructus pœnitentiâ dignos*. *Eckhard.* par. 2. pand. controv. Papist. c. 24. q. 7. obj. 1. p. 293. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 18. de pœnit. §. 82. p. 810. seq.

III. *Bellarminus* l. 6. de Grat. & lib. arbitr. c. 16. arg. 2. contendit, *hominem habere liberum arbitrium in actionibus piis & salutaribus*, quoniam *ad eas homo excitetur, atq; imperentur à Deo*.

℞. (1.) Concedimus, hominem habere *naturalem arbitrii libertatem*, i. e. *voluntatem*: sed negamus

mus, hominem *absq; gratia regenerationis habere vires idoneas ad spiritualia pietatis opera præstanda.* (2.) Cum *præcipit aliquid nobis Deus*, non exprimit, *quid homines per se præstare valeant*; sed admonet nos 1. de *suo in nos jure & debito*, quo illi obstricti tenemur: 2. de *nostra infirmitate & depravatione*, ad quam agnoscendam ita nos adducit: & 3. de *auxilio gratiæ divinæ*, ad quod poscendum hoc modo excitamur. *Eckard.* par. 2 Pand. controv. Papist. c. 20. q. 5. obj. 2. p. 125. *Meisner.* dec. 3. Anth. sacr. disp. 3. thes. 40 p. 135. *Amesf.* tom. 4. Bellarm. Enerv. l. 5. c. 3. thes. 5 p. 84.

Vers. 17. *Quiescite agere perversè, & discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.*

I. Argumentum *Bellarmini*, pro *operum bonorum immunitate a peccatis*, vide solutum in Vindic. *Psal.* 4. v. 5. m. 3.

II. Rationem *Calvini*, pro *studio bonitatis*, *vendicato pro parte pœnitentiæ*, vide protritam in Vindic. *Psal.* 34. v. 15. m. 3.

III. *Etiam in V. T. Singuli pii jubentur animas ponere pro fratribus suis*: quia ii *jubentur judicare pupillo, & defendere viduam*, h. e. *nihil periculi propter eos defendendos intermittere.*

*Smalcius* contr. disp. alter. Franz. de Bon. Oper. fol. 264. regerit, locum istum pertinere ad *Judices & Principes potissimum*, quibus nullum sit metuendum periculum in defendendis viduis, & judicandis pupillis.

℞. Contextus testatur, quòd ad *Principes & populum simul* hæc dirigat Esaias, uti comprimis ex v. 6. videre est. *Omnes* igitur curam & defensionem viduarum suscipere debent, etsi cum odiis & periculis illa defensio fuerit conjuncta. *Franz.* disp. 8. Vindic. thes. 123.

Vers. 18. *Et venite & concertemus nos, dicet Dominus: Si fuerint peccata vestra, ut coccina, quasi nix albescent: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana erunt.*

I. Offert se (1.) *Enallage* partim *temporis* futuri, *dicet*, pro præsenti, *dicit*; partim *numeri* pluralis, *coccina*, pro singulari, *coccinum*. (2.) *Metonymia adjuncti pro subjecto*, qua *peccatis* tribuitur, quod *hominum peccantium* est: neque enim *peccata*, sed *peccatores* albescunt. Vult dicere: Si *vos peccatores* ita rubueritis, dealbabimini instar nivis, &c. (3.) *Metaphora*: nam *albedo* symbolum est *mundationis à peccatis*, sicut *rubedo* fœdæ *contaminationis*. *Illa* respicitur ad *lotionem linteorum*, quæ, si à contaminatione laventur, fiunt iterum albissima & mundissima; *hæc* verò ad *sanguines*, v. 5. quorum, dixerat Esaias, plenas manus esse. (4.) *Ellipsis* nominis adjectivi: *Sicut lana*, sc. *alba & pura*, ut notat *Kimchi* in h. l. Sensus est: *Peccator pœnitens, reatu peccatorum ablato, apud Deum justus habetur*, propter *Christum fide apprehensum*. Psal. 51. v. 9. *Artam.* par. 4. Bibl. p. 1. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 622. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 11. p. 47. lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 54. & cap. 12. p. 359.

II. *Bellarminus* l. 4. de pœnit. c. 8. arg. 1. autumat, *eleemosynas satisfacere posse Deo pro pœna temporali*, eò quòd *Deus his promittat plenam peccatorum remissionem, quasi præmium quoddam, qui in bonis misericordiæ operibus se exercuerint.*

℞. (1.) Illud, *quasi præmium quoddam*, gratis additur textui à Bellarmino. His quidem, *qui opera misericordiæ animô purô & piô exercent in proximum*, promitti remissionem peccatorum, facilis admitto: sed ut *gratuitam compensationem*, non autem ut *mercedem nostra debitam satisfactione*, teste *Christo*, Luc. 17. v. 10. & *Paulo*, Rom. 6. v. 23. Itaq; hinc *opera satisfactoria* concludi non possunt. Non enim omne, *quod aliquam à Deo promissionem habet*, protinus *compensatorium ex condigno*, aut *satisfactorium coram Deo* dici debet. (2.) Propheta describit, *quibus & quo ordine*, non autem *propter quod* Deus velit peccata remittere. (3.) Neque inde *opera indebita eliciuntur*, sed potiùs *reprobantur*. Si enim Deus, v. 14. & 15. *opera externa*, qualia sunt *sacrificia, thymiamata*, &c. alioquin à se præcepta, rejicit, eò quòd *sine fide* facta sint; multò minùs Deum *opera indebita* placabunt, cùm & hæc (eo quòd *verbo mandati & promissionis* destituantur) non *ex fide* proficiscantur. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Papist. c. 25. q. 2 obj. 2. p. 323. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 18. de Pœnit § 130. p. 941. seq. *Thummo.* in dec. Exerc. Theol. disp. 9. p. 84. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Pœnit. c. 2. q. 26. par. 2. obj. 1. p. 375. *Amesf.* tom. 3. Bellarmin. Enerv. l. 5. cap. 4. thes. 26. p. 220.

III. Illis, *quibus Deus remisit peccata*, nulla restat luenda pœna; nam *resipiscentibus promittit perfectam peccati purgationem, ut nulla restet luenda pœna.*

*Bellarminus* lib. 4. de Pœnit. c. 15. resp. ad 3. excipit, Dominum ibi promittere quidem perfectam peccati purgationem, ut nulla restet luenda pœna, non verò *credentibus solùm & resipiscentibus*, sed iis, *qui priùs lavantur & mundantur, & in bonis operibus exercentur.*

℞. (1.) Mirum est Bellarminum potuisse in hac una phrasi invenire *perfectam peccatorum purgationem*, quam aliàs negavit in multis phrasibus ejusdem valoris contineri. (2.) Dum istam purgationem eo titulo distinguit ab altera, quòd sit *perfecta*; remissionem illam, *quæ Christi satisfactione solà nititur*, directè accusat *imperfectionis*. (3.) Palam est ex contextu Esaiæ, non *satisfactionem ullam peccatorum ad istam remissionem requiri*, sed *veram conversionem*, quæ vanorum & stolidorum fructuum oppositione illustratur. *Amesf.* tom. 3. Bellarmin. Enerv. lib. 5. cap. 4. thes. 40. p. 229.

IV. *Papistæ* statuunt, *bona opera justificare*, quia *illis promittatur dealbatio peccatorum.*

℞. Dominus in præcedentibus verbis requisivit *integram pœnitentiam & conversionem*, cujus partes sunt, *contritio & fides*, fructus verò *nova obedientia*, quæ bona includit opera. Atque *his* non promittitur *mundatio à peccatis*, utpote quæ non fit nisi *aspersione sanguinis Christi per fidem*. *Actor.* 15. v. 9. fidem autem postmodùm sua sponte subsequuntur *ea bona opera*, quorum catalogum bene longum ibi texit Propheta. Inde non sequitur, *bona opera justificare*. *Selnecc.* par. 3. Exam. Ordin. p. 346. *Hutter.* in Explic. Concord. p. 383. *Meisn.* dec. 3. Anth. disp. 8. th. 30. & 33.

V. Olim *Manichæi*, & noviter *Flaciani* contenderunt, *peccatum esse ipsam hominis substantiam*, quibus præsens textus favere videtur, quo *peccatum* dicitur *albescere.*

℞. (1.) Etiam *superficies* dicitur *alba vel nigra*, quæ tamen *accidens* est, utpote *quantitas*, non *substantia*. (2.) In illis verbis est *Hypallage*, quâ *peccatis* tribuitur, quod *peccatoris hominis pœnitentis*

est neq;

est: neque enim *peccata*, sed *peccator* albescit. *Glass.* lib. 4. Philol. sacr. tract. 2. observ. 21. p. 738.

VI. *Bellarminus* l. 1. de Baptism. c. 13. arg. 4. disputat, *Baptismum ita in homine delere peccatum, ut nihil amplius sit, quod ad culpam imputari possit;* quoniam *Deus in Baptismo peccata, velut nix & lana sunt, dealbet.*

℞. (1.) Dictum illud propriè non agit de *Baptismo*: hactenus igitur est à quæstione alienum. (2.) *Peccata dicuntur dealbari, velut nix & lana*, ratione *formalis* ac respectu *reatus*, quem Deus à justificatis penitus auferat; similitudine desumtâ ab *homicidio & cruore sanguinis*, qui reatum infert: interim *materiale & vitiosa qualitas* in justificatis manet, *Rom.* 7. v. 14. 1. *Joh.* 1. v. 8. (3.) Verba Prophetæ sunt contra ipsum Adversarium; inquit enim: *Si peccata vestra fuerint, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur;* non autem dicit: *Amplius non aderunt.* Quemadmodum autem *qui colorem rubrum à panno tollit*, non continuò *pannum penitus tollit*: eâdem ratione si Deus *reatum à peccatis* aufert, non statim *peccata penitus tollit.* (4.) Ut verò concedamus, haud aliter istud explicandum, quàm de *inhærente purificatione*; tamen promissio est in futurum, *dealbabuntur, alba erunt.* Atqui hoc tàm verum est, si fiat *paulatim*, quàm si *subitò*: itaq; in *utramvis* partem sumi posset, non præcisè in *alteram*. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 23. de Baptis. §. 137. p. 1063. *Meyfart.* in Anticost. disp. 7. thes. 119. seq. p. 427. seq. *Cham.* tom. 4. Panstr. l. 5. c. 5. §. 17. & 18. p. 119.

## Vers. 19. *Si volueritis, & audieritis, bona terra comedetis.*

I. Est hîc (1.) *Hebraismus*: Si *volueritis & audieritis*, pro, si *volueritis audire*. (2.) *Metaphora*: nam *audire* est *obtemperare*, & *comedere* notat *frui*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 155. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 622. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 34. p. 344.

II. Olim *Julianus* Pelagianus, teste *Historia Magdeburgensi*, Cent. 5. cap. 5. p. 578. ex *Augustino* l. 1. contr. duas Epistol. Pelagian. c. 13. nec ita pridem.

*Bellarminus* l. 5. de Grat. & lib. arbitr. c. 19. arguit, *hominem habere liberum arbitrium*, quia *ipsi promittatur aliquid à DEO sub conditione*, si voluerit.

℞. (1.) Argumentum ignorat elenchum: tum quia sermo fit ad *renatos*, in quibus arbitrium erat liberatum; at, quæstio est de *non-renatis*: tum quia ibi *externa promittuntur bona*, nempe *bona terræ*; nemo autem nostrûm negavit unquam, hominem in *externis moralibus* habere libertatem arbitrii: tum verò, quia in hoc testimonio innuitur non *ipsa in Spiritualibus potestas, & ad futuram gratiam ex propriis viribus præparatio*, sed *libera mediorum usurpatio*, quod est *audire Dei verbum*; id autem in *hominis potestate* est positum. (2.) Negatur id sequi; quia *promissio conditionalis* non statim probat, *in nobis esse naturalem facultatem ea præstandi, quæ Deus vult*; sed docet, *ad quod simus obligati*: at ab *officio* ad *facultatem præstandi* non valet argumentum, ut probè didicit *Lutherus* in lib. de Serv. arbit. p. 153. *Hutter.* in LL. Theol. p. 287. *Gesen.* de Papism. disp. 49. thes. 34. seq. p. 857. & 858. *Meisner.* par. 2. Philos. sobr. sect. 2. c. 2. q. 3. p. 589. *Meyfart.* in Anticost. disp. 5. §. 31. seqq. p. 216. *Scharp.* in Curs. Th. p. 545.

III. *Papistæ* docent, *bona opera ex se esse meritoria*, quòd *illis ipsis retributio præmii corporalis*, nimirum *comestio bonorum terræ*, *à DEO promittatur.*

℞. Committitur Sophisma *vitiosi consequentis*: neque enim præmium hoc promittitur bene operantibus *propter aliquam dignitatem & meritum bonorum operum in se consideratorum*, quæ certè maxima imperfectione hac in vita laborant, & sordibus peccatorum semper sunt polluta. *Esa.* 64. v. 6. sed tantùm ex *gratia Dei*, cui omnia sunt accepta ferenda. *Esa.* 26. v. 12. *Jac.* 1. v. 17. *gratia* autem & *meritum operum* se invicem excludunt, *Rom.* 11. v. 6. *Hutter.* in LL. Theol. p. 486. seq.

## Vers. 20. *Sin verò nolueritis & rebellaveritis, gladiò comedemini, quia os Domini loqutum est.*

I. Occurrit jam (1.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *gladius* pro *bello* capitur, utpote quod *gladiis* utplurimum peragitur. (2.) *Prosopopœja*: quia *comedere* tribuitur *gladio interimenti*. (3.) *Anthropopathia*: siquidem *os*, loquelæ instrumentum, Deoq; tributum, *Dei sententiam* notat. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 2. p. 10. & cap. 9. p. 103. confer cap. 7. p. 107.

II. Argumentum *Papistarum*, pro *libero hominis arbitrio*, vide solutum in Vindic. *Num.* 14. v. 43.

III. *Celsus* apud Origenem, *Scripturam sacram accusavit falsitatis*, *Deo* attribuentem *os & vocem*; cum tamen *ipsi nec os sit, nec vox.*

℞. *Deo* Scriptura *os & vocem* attribuit, non *propriè*, sed *metaphoricè*, atque sic ad captum nostrum sese accommodat: *os* enim significat *Dei decretum*. *Orig.* contr. Cels. p. 322. *Grawer.* Cent. 1. qq. Illustr. Theol. disp. 1. q. 3. thes. 4.

## Vers. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aquâ.*

I. *Metaphora* est: nam *argentum in scoriam versum* significat *doctrinam corruptam*, & *vitam depravatam*; item *vinum aquâ mistum* corruptionem omnium ordinum in populo Israëlitico notat, uti antecedentia & consequentia declarant. LXX. vertunt: Οἱ κάπηλοί σου μίσγουσι τὸν οἶνον ὕδατι: *Caupones tui miscent vinum aquis.* Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 281. & 297.

II. Ex *Philosophiæ principiis* nemo debet judicare de *effatis Theologicis*, ne *mixtum quid ex Theologia & Philosophia* efficiat, de quo hîc Dominus conqueritur.

*Vedelius* in Ration. Theol. l. 3. c. 16. p. 747. seq. excipit 1. locum istum non rejicere *usum principiorum rationis in rebus fidei*, sed deplorare *corruptionem cultus divini & alias impietates.*

℞. Propheta non tantùm *corruptionem cultus divini, per idolomaniam factam*, taxat, sed & *abusum Philosophiæ in Theologia*, quippe *qui* etiam in *illis impietatibus* includitur. Quandoquidem detestandus *Philosophiæ abusus* est, quando ex mente & sententia *principiorum Philosophicorum*, sententiæ Sacræ Scripturæ, de rebus fidei loquentes, in *alienum sensum torquentur*, vel *planè negantur.*

2. Tum demum *vinum aquâ misceri in controversiis Theologicis*, non quando *utimur principiis rationis modo illo nostro*, *qui legitimus est*; sed

quando, *quæ rerum creatarum tantùm sunt, Deo tribuuntur; aut quæ divina sunt, creaturis attribuuntur.*

℞. (1.) Est *insufficiens partium enumeratio*: nam *hunc tertium modum* abutendi principiis Philosophicis in rebus fidei addere debuisset Vedelius, quando principia Philosophica ita applicantur ad res Theologicas, ut *per illa, quæ αὐτολεξεὶ & ῥητῶς in scripturis dicuntur & affirmantur, contradictoriè negentur.*

Qui modus abutendi etiam *Vedelio*, ejusq; asseclis, non infrequens est, v. g. cum negant, *in S. Cœna corpus Christi unà cum pane comedi*, eò quòd *non videatur & palpetur*: item *Christo homini non communicatam esse omnipotentiam*, docent, quia *finitum non sit capax infiniti*, &c. Unde nec modus ille, quo Calviniani ad *res fidei explicandas & probandas*, vel etiam *refutandas* utuntur, non est legitimus. (2.) Concedit *Vedelius*, quòd iste modus applicandi Philosophica ad Theologiam sit vitiosus & damnandus, quando illis id, quod *tantum creaturarum* est, *Deo* tribuimus, & quod *Dei*, creaturis. Certè quando Calviniani per principia Philosophica, ad res fidei applicata, negant, *corpus Christi posse esse præsens in S. Cœna*, tum illud, quod *creaturarum* est, nempe *non posse sistere unum naturale corpus in pluribus simul locis*, tribuunt *Deo*, ac si & ille omnipotentissimus id præstare non possit, qua *creatura* non possint. *Iacob. Martin.* disp. 5. de Princip. fid. §. 17. & 18. p. 121. seq.

Vers. 24. *Heu ego consolabor de hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.*

*Esaias* Salomoni *contradicere* videtur: *ille* enim asserit, *Dominum voluptatem ex hostium suorum vindicta capturum*; *hic* verò negat, *Dominum ullis viventis pernicie delectari*, Sap. 1. v. 13.

℞. Distinguendum est inter peccatores *sanabiles ac pœnitentes*, qui oblatam Dei gratiam amplectuntur, quorum pernicie Dominus non delectatur; & *insanabiles ac obstinatos*, qui oblatam Dei gratiam respuunt, nec ullis rationibus se ad pœnitentiam adduci patiuntur: ex horum pernicie Dominus, *voluntate sua consequente & justitia*, voluptatem capit. *Arcular.* Comm. in Esa. 1. v. 24. p. 38.

Vers. 25. *Et referam manum meam contra te, & repurgabo, ut fornax scorias suas, & auferam omnia plumbea tua.*

Continetur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *manum referre*, DEO tributum, sumitur pro, *pœnas repetere*, q. d. subduxeram ferulas meas (de quibus v. 5. seqq.) sed eas, quin & graviores repetam atque importabo, ut defœceris &c. (2.) *Metaphora*: quia *excrementum argenti*, scoria & plumbum, notat *idololatras*, *impios reprobosque* in populo DEI. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 116. & cap. 11. p. 281.

Vers. 28. *Et fragmentum reproborum & peccatorum pariter, & derelinquentes Dominum comedentur.*

In hoc versu reperitur (1.) *Syllepsis* numeri: singularis enim, *fragmentum*, Hebraicè שבר, pro plurali, *fragmenta*, ponitur. (2.) *Metaphora*: tum quia impii dicuntur *fragmenta*, nim. particulæ & rejectamenta scoriæ, quibus eum impios Propheta comparat; tum quia *comedere* significat *consumere*. Arizm. par. 4. Bibl p. 2. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 281.

Vers. 29. *Quia pudefient propter lucos, quos desideratis, & erubescetis propter hortos, quos elegistis.*

*Enallage* est, quâ verbum tertiæ personæ, יבשו *pudefient*, pro secundæ personæ verbo, תבשו, *pudefietis*, usurpatur. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 50. m. 3. p. 390.

Cap. II. v. 1. *Verbum, quod vidit Esaias, filius Amoz super Iehudam & Ierusalem.*

*Metaphora* est: Esaias enim dicit *se vidisse verbum*, h. e. *visione percepisse*; *visio* autem (Hebraicè חזון, à radice חזה, *vidit*) doctrina est per Prophetam divinitus revelata, & tam certa, ac si coram oculis omnia conspexisset. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 358. *Iun.* in not. ad h. l. p. 623.

Vers. 2. *Et erit, in fine dierum præparatus erit mons domûs Domini in capite montium, & elevabitur super colles, & confluent ad eum omnes gentes.*

I. Esaias utitur (1.) *Pleonasmo*: redundat enim, *Et erit*. (2.) *Metaphorâ*: tum quia *caput* significat *verticem*, tum quia *confluere* notat *aggregationem populorum ad Christum*, qui, cum instar *aquarum sursum tendant*, in excelsum Domini montem, *divina Spiritus Sancti arte & efficacia*, per ipsum Evangelium Christi, convertuntur; sicut *peculiaris artis* est, cum aquæ naturales derivantur sursum. (3.) *Synecdoche generis* pro specie: *Omnes gentes*, i. e. *multæ*. Nam v. 3 subjicitur: *Et ibunt populi multi* &c. Et in loco parallelo. *Mich.* 4. v. 1. *universalitatis* nota omittitur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 266. cap. 11. p. 337. cap. 14. m. 1. p. 435.

II. *Iudæi* negant, *Messiam jamdum venisse*, ut *qui venire debuerit in fine dierum*; id quod nondum contigerit, ne quidē in mundum nato *Jesu Nazareno*: neque enim illum natum in *fine dierum*, cum plurima secula ab ipsius nativitate & morte præterfluxerint.

℞. Per *finem dierum*, quibus nasci debuit Messias, non intelligit Propheta *paucos quosdam annos, finem mundi præcessuros*; sed, interprete Daniele, *quartam illam & ultimam Monarchiam*, quæ nonnisi cum ipso mundi fine desinet, *Dan.* 2. v. 44. Sub auspicio verò illius Monarchiæ natus est *Iesus Nazarenus*, Augusto Cæsare imperante, *Luc.* 2. v. 1. & 7.

Instant *Iudæi*, tempore Messiæ *montem templi Domini elevatum iri super capita montium*, i. e. *Hierosolymam tribus leucis in aerem sublatum iri*, Messia in mundum edito; id quod ad hucusq; tempus nondum evenerit.

℞. (1.) Per *montem domûs Domini* non intelligitur *mons ille Moriyah*, in quo templum Hierosolymitanum fuit extructum; sed notatur *Ecclesia Messiæ*, quæ est ac dicitur *mons*, partim ratione *promissionum Ecclesiæ factarum*, quæ instar *montis* alicujus stant firmæ ac immotæ: partim ratione *præsidii*, quod Ecclesiæ adversus quosvis hostes, ex Messiæ præsentia semper est paratum. Quo sensu David quoq; *Psal.* 125. v. 1. illos, *qui confidunt in Domino*, comparat *monti Sion*, qui in æternum non commovetur. (2.) *Elevatio illa* non est intelligenda *corporaliter*, ratione *situs*, quâ mons templi Hierosoly-

mitani

mitani tribus leucis sursùm sit elevandus, vel quâ Deus montem Thabor & Carmelum in unum aliquem locum sit congesturus, & super verticem ipsorum positurus Hierosolymam cum templo, uti nugantur R. *Iohannan*, & R. *Pinehas* in suo *Thalmud*; sed *spiritualiter*, ratione *dignitatis*, quia, ut habet R. *Salomon* in Expos. h. l. Messias tùm magnificabitur in Hierusalem majori signo & miraculo, quàm in monte *Sinai*, *Carmeli & Thabor*. *Galatin.* l. 4. de Arcan. Cathol. Verit. c. 3. *Hutter.* in LL. Theol. p. 159. seq. ad 1. object.

III. *Bellarminus* l. 3. de Eccles. milit. c. 12. arg. 2. adstruit, *veram Christi Ecclesiam esse visibilem*, quia comparetur *monti*, *supra omnes colles exaltato*, ad quem omnes gentes confluant.

℟. (1.) *Hector Pintus* in Comment. h. l. ait, nomine *montis* significari *ipsum Christum*, super quem Ecclesia ex *Iudæis & Gentibus* sit ædificanda. Ergo in hoc dicto agitur de *Ecclesiæ magnitudine & amplitudine*, *temporibus Messiæ futurâ*. At hinc malè concluditur, *cœtum verè credentium esse per se & suâ naturâ visibilem*, *semperq; in eodem Apostolicæ sinceritatis splendore apparere*. (2.) *Ecclesia comparatur monti edito*, non propter *externam visibilitatem*, sed partim propter *ministerium Apostolorum*, quod miraculis & virtutibus inclarescere, & ubiq; terrarum innotescere debebat, *Marc.* 16. v. ult. partim quia *in altitudine sanctorum dogmatum constituta est*, Hieronym. tom. 4. l. 6. Comm. in c. 20. Ezech. (3.) Licèt *omnes homines Christi Evangelium reciperent*, & ubiq; gentium Ecclesiæ essent frequentissimæ, eæq; *visibiles*, quoad *externum & visibile ministerium*; in ea tamen esset *Ecclesia invisibilis*, quæ ex solis *electis* constaret & verè credentibus. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 1303. *Meisner.* par. 2. Philos. sobr. sect. 1. c. 2. q. 8. p. 300. *Gerhard.* in Confess. Cathol. l. 2. spec. par. 1. p. 1099. arg. 3. *Chem.* tom. 5. Panstr. l. 1. c. 4. §. 5. & 6. p. 61. *Reinecc.* tom. 4. Panopl. p. 51. *Eckard.* par. 1. Pand. controv. Papist. c. 8. de Eccles. q. 4. obj. 3. p. 401.

IV. *Iudæi* rejiciunt *Iesum Nazarenum*, tanquam *falsum Messiam*, cum ad *Messiam*, *congregandæ sint omnes gentes*; ad *Iesum verò Nazarenum* non confluxisse omnes gentes, non *Saracenos*, non *Tartaros*, non *alios multos* populos.

℟. (1.) Hebræum כל accipitur hîc non pro *singulis generum*, sed pro *generibus singulorum*, quòd videlicet tempore Messiæ non tantùm ex *populo Iudaico*, sed ex *omnibus aliis populis ac gentibus* maxima hominum multitudo ad Messiam confluet, quia tunc non ampliùs erit distinctio inter *Iudæos & Græcos*, *Actor.* 10. v. 34. *Gal.* 3. v. 28. (2.) Licet hodiè *Saraceni*, *Tartari*, & *alii populi*, justo Dei judicio, à Christi Ecclesia sint extorres; ipsorum tamen *majores* quàm plurimi Christo nomen dederunt, uti videre est apud *Theodoretum* l. 4. Hist. Eccles. c. 23. Imò inter *Saracenos*, *Tartaros* & alios infideles populos, maxima invenitur *Christianorum* multitudo. *Hutter.* in LL. Theol. p. 859. seq. ad 3. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 37. p. 190. & c. 40. p. 206. seq.

V. *Costerus* par. 2. Conc. p. 538. asseverat, *multitudinem esse notam veræ Ecclesiæ*, quia *gentes omnes ad Messiam fuerint concursuræ*, *ut discerent ex ipso*; inde *concursum multorum* nostræ religioni derogat, vicissim autem *universalem concursum* Romanensi adscribit Ecclesiæ.

℟. (1.) Novimus sanè vaticinium de *concursu gentium ad Christum*; inde vero inferri non potest, *veram esse Ecclesiam*, *ad quam multi*; contra vero *falsam*, *ad quam pauci concurrunt*. Nam de *multis* docet Christus, quod ambulent in *via lata* ad *perditionem*; de *paucis* verò, quòd in via *angusta*, ad *vitam*. *Matth.* 7. v. 13. & 14. Quare *multitudo* non est *vera Ecclesiæ nota*, utpote de qua *cœtus malignantium* certiùs & frequentiùs gloriari queat. (2.) Iactantia de *Papistarum multitudine* & *Evangelicorum paucitate* frustra est. Quandiu enim nos demonstramus, *nostram doctrinam undiquaq; consentire cum doctrina Apostolorum*, tandiu occinimus Papistis proprium axioma: *Vaticinium de numeroso concursu ad Messiam est impletum tempore Apostolorum*. Neque negare potest Jesuita, *numerosum concursum ad Ecclesiam Evangelicam quoq; factum esse*, rejectò Papismô. *Meelführ.* in vindic. Evangel. dec. 2. disp. 6. thes. 2. 7. p. 124. 125. seq.

VI. Argumentum nostratium, quo *Iesum Nazarenum esse Messiam* probant, vide à *Iudæorum exceptione* vindicatum in Vindic. *Zachar.* 2. v. 11.

Vers. 3. *Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, &c. quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.*

I. *Iudæi* pergunt negare, *Iesum Nazarenum esse Messiam*, quòd in *ejus adventu non fuerit auditum*: Venite, ascendamus ad domum Domini; sed: Venite, ascendamus ad domum Mariæ, Petri, &c. cum tamen *in adventu Messiæ populi se invicem essent excitaturi, & dicturi*: Venite, ascendamus ad domum Domini, & ad domum Jacob.

℟. (1.) Puerile est, quòd Judæi magis *sonum* verborum urgent, quàm *sensum*. Neq; enim Propheta *præcisè* notare voluit, *quibus verbis* cives regni Messiæ seipsos ad cultum Dei obeundum invicem essent excitaturi, sed *affectum potius ipsorum* expressit; quòd nimirum *conjunctô studiô & operâ sint se aggregaturi Ecclesiæ Christianæ*, & eam quidem ob causam, quam *immediatè* subjicit Propheta: *Ut discant vias Domini, & ambulent in semitis ejus, quia de Sion proditura sit lex & verbum Domini de Ierusalem.* (2.) Quòd verò *templa Christianorum à divis seu sanctorum nominibus indigitantur*, non fit ad *designandum ipsum cultum*, qui Sanctis illis exhiberi debeat; id quod in *Romanensibus* Christi Ecclesia semper damnavit: sed fit ob finem *merè politicum*, ad distinguenda plura unius orbis *templa* sive sacella; *cultum* interim ipsum *soli atq; uni Deo Iacob* dependentes. *Hutter.* in LL. Theol. p. 859. seq. ad 4.

II. *Bellarminus* l. 4. de Justif. c. 5. arg. 2. probare nititur, *Christum fuisse novum legislatorem*, quoniam *doctrina ejus dicatur lex*.

℟. Vox *legis* hîc non sumitur *strictè & specialiter*, prout *Evangelio opponitur*, ceu *Ioh.* 1. v. 17. sed *latè & generaliter*, pro *doctrina Christi*: תורה enim est à radice ירה, *sparsit, docuit*. Sic ergo *Evangelium* dicitur *lex fidei*, *Rom.* 3. v. 27. id est, *doctrina fidei*, sive *auditus fidei*, Gal. 3. v. 2. *verbum fidei*, Rom. 10. v. 8. Nō autem quæritur, an doctrina Evangelii *thorah* seu *lex* in significatione *lata* dici queat; sed hæc est quæstio, an doctrina Evāgelii sit *lex propriè dicta*, & in *strictâ significatione accepta*? *illud* cōceditur, *hoc*

negatur *Eckhard.* part. 1. Pand. controv. Papist. c. 3. q. 7. obj. 2. p. 188. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 17. de Evangel. §. 66. p. 567.

III. *Messias certò jam dudum venit*: quia *venire debuit, nondum eversâ Zione, nondum destructô templô*; siquidem *ex Zion lex egredi debuit*, &c. hæc autem jam dudum eversa sunt.

*Judæi* excipiunt, divinam hanc promissionem esse *dilatam*, suo autem tempore *impletum iri*.

℞. Exceptio hæc vana est: quia enim *ex Zion lex egredi debuit, & verbum Domini de Jerusalem*: illa autem jam eversa sunt, *promissio differri non potuit*, nisi Deum *mendacij* arguere velimus. Ut taceam, quòd nullam *sufficientem & justam dilationis causam* assignare queant Judæi. *Grawer.* in Exposit. Mich. c. 4. par. 1. doctr. 1. p. 125.

**Vers. 4.** ***Et convertent gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, & non discent ultrà bellum.***

I. *Metonymia* est *adjuncti* pro subjecto: *Convertent gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*, h. e. *pax futura est constantissima*, cujus *signum* omnium certissimum est *conversio armorum in instrumenta rustica atq; œconomica*, quorum usus tempore pacis viget. Quia verò de *pace spirituali*, tempore Messiæ futurâ, loquitur Propheta, igitur simul *allegoria metaphorica* hîc est. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 72.

II. *Judæi* adhuc nolunt credere, *Messiam jamdudum in mundum esse editum*, cum *in diebus ipsius Messiæ tantam fore pacem Propheta prædixerit, ut arma bellica convertenda sint in instrumenta agriculturæ*, putà *gladij in vomeres, & lanceæ in falces*; id quod nondum evenerit.

℞. (1.) Propositum est Spiritui Sancto, hoc loco non pacem *mundanam*, sub regno Messiæ futuram, prædicere; contrarium enim asserit *Daniel*, c. 7. v. 21. & c. 9 v. 26. & R. *Eliezer* in libr. de Sabbat. apertè fatetur, non fore bellorum finem *primo Messiæ adventu*, sed demum *secundô*, quando nimirum veniet in gloria judicaturus mundum: verùm describere pacem *spiritualem civium* in regno Messiæ, atque ostendere, tum *Judæos & Gentes unum in Christo fore populum*, tum *non gladiis & lanceis, sed sola verbi prædicatione* regnum Messiæ esse propagandum. (2.) Interum & hoc verum est, tempore *nati Jesu Nazareni* Augustum Cæsarem *Romæ templum Jani clausisse, & pacem universo orbi restituisse*. Quarè extra dubium esse videtur, in tam diuturna pace multa arma bellica in *ligones, falces, & vomeres* fuisse conversa. Itaq; pax erat *aliquantô spacio*, & hoc satis est, cum particula, עוד, *amplius*, non semper *perpetuitatem* denotet. *Drus.* l. 16. Observat. c. 6. *Morn.* de Verit. relig. Christ. c. 31. p. 509. seq. *Jacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 37. p. 191. & c. 41. p. 209. 210. seq. *Glass.* l. 3. Philol. sacr. tract. 5. can. 13. p. 460. not. un.

III. *Anabaptistæ* Cultrarios damnant, quòd *conficiant gladios & lanceas*; quæ tamen *arma militaria* tempore Messiæ *in falces & vomeres sint convertenda*, neq; *usus ad præliandum sit utendum*.

℞. Deus Magistratum in N. T. *gladio* præcingit, *Rom.* 13. v. 4. ergo opus est cultrariis, qui *gladios* conficiant. Itaq; Propheta *metaphoricè* & per *allegoriam* loquitur de *sublatione odii & dissidii*, quod erat inter *Judæos & Gentes*, populos antehac infensissimos, qui prædicatione Evangelii *in unum corpus coalituri* sint, & *sese mutuis charitatis officiis adjuturi*, quemadmodum id factum esse constat ex 1. *Cor.* 16. v. 1. 2. 3. & 2. *Cor.* 9. v. 1. *Hunn.* tom. 5. Oper. Latin. p. 601. thes. 281. seq. *Winckelm.* tom. 3. Giess. disp. 17. thes. 69. p. 532.

IV. *Ranffius* in Colloq. Franckenthal. act. 14. quæst. 22. p. 503. & cum ipso *Weigelius* improbavit *bellum* in N. T. quoniam *Christiani gladios suos conversuri sint in vomeres, & lanceas suas in falces, adeò ut gens contrà gentem non sit levatura gladium*, &c.

℞. Verba Prophetæ non possunt *absolutè* & κατὰ τὸ ῥητὸν intelligi, aliàs sensus emergeret, in N. T. *nulla prorsus bella usquam gentium fore*; id quod pugnat cum prædictione Christi, *Matth.* 24. v. 6. & 7. *verùm* accipi debent *determinatè*, quòd *modus propagandæ Ecclesiæ in* N. T. *sine cæde & sanguinis profusione* hîc sit prædictus. Opponitur enim in hoc vaticinio *praxis* V. T. in quo *religio Judaica* vi externa ac armis fuit conservata & propagata, idololatricis gentibus excisis, *praxi* N. T. in quo *Evangelium* sine cæde & sanguine in mundo universo sit propagandum. Ex eo verò inferri nequit, *si ob Ecclesiæ propagationem non sunt bella in* N. T. *gerenda*, ideò ob *nullam aliam causam bella licitè posse geri*: quia à remotione *unius causæ* ad *reliquarum omnium* remotionem N. V. C. *Hunn.* tom. 5. Oper. Latin. p. 600. thes. 275. 276. seq. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 27. de Magistr. Polit. §. 387. obj. 5. p. 1161. seq. *Thummi.* in Impiet. Weigel. p. 222. obj. 4.

V. *In* N. T. *Hæretici non sunt gladio ad fidem cogendi*, quia *tùm absq; cæde & sanguine religio Christiana est propaganda*, vi testimonii hujus Prophetici. *Bellarminus* l. 3. de Laic. c. 22. resp. ad 4. arg. regerit I. vaticinium Esaiæ tantùm pertinere ad *tempus adventûs Messiæ*, in quo *generalis, altissima & diuturna pax* in toto orbe sit futura.

℞. Non tantùm de *tempore nativitatis Christi*, sed *in genere de statu Ecclesiæ* N. T. vaticinium hoc loquitur, quòd *religionis propagandæ causâ non sint bella gerenda, nec sanguis fundendus*: nam *in hoc*, ipso *Bellarmino* teste l. 3. de Laic. c. 14. resp. ad 1. obj. *regnum Christi distinguitur à regno Judaico, quod bello & cædibus firmandum & conservandum fuit*. Propheta enim agit de *vocatione gentium ad regnum Christi*, ut ex v. 2. patet. Jam verò *universalis illa gentium vocatio*, non statim cœpit tempore *nativitatis Christi*, sed demum *post exitum Apostolorum in universum mundum*, eademq; vocatio adhuc durat in N. T.

2. Si verum est, *nunquam futura in Ecclesia bella*, *apud Evangelicos non esse Ecclesiam*, ut qui *contra Papistas gravissima bella moverint*.

℞. Injuriam nobis facit Jesuita, ut qui nunquam docuimus, *in Ecclesia nulla prorsus fore bella*. Distinguimus enim inter bella *offensiva, & defensiva*: quorum *illa* religionis *propagandæ* causâ non suscipienda esse; *hæc* verò religionis *defendendæ* gratiâ, ut etiam ob alias causas justas, bonâ conscientiâ geri posse, asseveramus. *Meisner.* par. 3. Philos. sobr. sect. 2. c. 2. q. 6. arg. 1. p. 611. 612. seq. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 27. de Magistr. Polit. §. 318. p. 1048. & 1049.

**Vers. 6.** *Dimisisti populum tuum, domum Iacob, quia pleni sunt præ Oriente,* &c.

In versu hoc habetur (1.) *Enallage temporis* præteriti, *dimisisti*, pro præsenti, *dimittis*. (2.) *Metonymia subjecti* pro adjuncto: *Domum Iacob*, h. e. *populum*, ex familia Jacobi ortam. (3.) Ellipsis: *Quia pleni sunt*, scil. *malis*; & *præ Oriente*, sub *filiis Orientis*, puta *Syris*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 156. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 1. m. 3. p. 700. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 57.

**Vers. 8.** *Repleta est terra populi tui idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.*

*Gregorius de Valentia* l. 2. de Idololatr. c. 2. exinde concludit, *idolum non esse figmentum de Deo vero, sed statuam materialem falsi Dei*; quia *homines dicantur adorare opera manuum suarum, dum idola adorant.*

℞. Distinguendum est inter idolum *externum*, & *internum*. *Externum* est simulacrum seu statua veri vel ficti Dei, ad cultum posita: *internum* verò est conceptus mentis de numine ficto, sive foris exstet, sive non existat. *Statuæ illæ Iudæorum* dicuntur *idola*, non propter *materiam & externam formam*; sic enim *imagines* potiùs sunt appellandæ, repræsentantes suum πρωτότυπον: Verùm respectu *cultus sui*, quo honorantur, h. e. sunt figmenta cordis humani, quod inani superstitione imaginibus illis affingit respectum *numinis*. Dicuntur igitur *opera manuum adorare*, qui falsò persuasi sunt, Deum verum hoc cultu, qui creaturis tribuitur, honorari. *Balduin.* in Comment. 1. Cor. 8. par. 3. q. 1. p. 380. seq.

**Vers. 10.** *Ingredere in rupem, & ascende te in pulvere, propter pavorem Domini, & propter decorem excellentiæ ejus.*

*Sarcasmus* est, quo Propheta exagitat *superbum & præfidentem populum*, consideratione certissimorum Judiciorum DEI, q. d. effuge, si potes, manum DEI horrendam, aut terribilem conspectum ejus: sed non succedet, ut sequentibus verbis porrò ostendit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 87.

**Vers. 11.** *Oculi elationis hominis humiliabitur, & incurvabit se altitudo hominum* &c.

*Enallage* est tum *nominis* substantivi, גַּבְהוּת, *elationis*, pro adjectivo, *elati*; tum *numeri* singularis, שָׁפֵל, *humiliabitur*, pro plurali, *humiliabuntur*: præcedit enim pluralis, עֵינֵי, *oculi*; nisi cum *Junio* in Bibl. h. l. ita reddas: *Oculis elatis homo humiliabitur* Ariæm. par. 4. Bibl. p. 2. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 8. m. 2. p. 30.

**Vers. 13.** *Et contra omnes cedros Libani sublimes & elatas, & contra omnes quercus Basan.*

*Metaphora* est: quia *cedrorum* & *quercuum* mentione, *proceres & magnates regni superbi & elati* notantur. Unde Chaldæus vertit, *Reges populorum fortes & robustos, ac tyrannos Provinciarum.* *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 11. p. 290.

**Vers. 14.** *Et contra omnes montes excelsos, & contra omnes colles elevatos.*

*Metaphora* continuatur: *montes* enim excelsi & *colles* elevati denotant *hostes regni Dei superbos & elatos*, ob potentiam suam, ut ex v. 11. 12. 17. apparet. *Iidem* per *turres altas*, & *muros munitos*. v. 15. intelliguntur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 271.

**Vers. 18.** *Et idola penitus conterentur, sive concidet.*

Controversias, fortè hîc motas, vide in Vindic. *Zachar.* 13. v. 2. m. 1. diremtas.

**Vers. 20.** *In die illa abjiciet homo idola argenti sui, & idola auri sui, quæ fecerunt sibi, ad adorandum, talpis & vespertilionibus.*

Redit huc (1.) *Enallage* nominis substantivi pro adjectivo: *Idola argenti sui*, & *idola auri sui*, h. e. *idola sua argentea*, & *idola sua aurea*. (2.) *Ellipsis*: Quæ quisque fecerunt &c. (3.) *Metaphora*: nam *talpæ & vespertiliones* spiritualiter *cæcos*, & DEI *ignaros* notant, cùm *illæ* in caliginoso loco sub terra vivant, *hæ* verò tempore noctis obscuræ volitent & moveantur, q. d. relinquent conversi ad Christum idola sua, quæ coluerunt, *obstinatè cæcis ac infidelibus*; ipsi verò Domino in cœlesti lumine servient. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 8. m. 2. not. un. p. 38. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 330.

**Vers. 22.** *Desinite vobis ab homine, cujus anima in naso ejus est: nam in quo æstimandus esset ipse?*

I. Est hic (1.) *Pleonasmus*: relativum enim *ejus*, redundat, pro, *in cujus naso est anima*. (2.) Μείωσις *Anima hominis velut in naso est*, tam facilè nimirum efflari illa, & homo emori potest, DEO velnutu solo volente, *Psal.* 146. v. 3. seq. (3.) Interrogatio: *In quo ipse æstimandus esset?* h. e. *quam nihili est ipse, & omnia, quæ ejus sunt?* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 157. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 5. p. 558.

II. *Versio Latina* (*Quia excelsus reputatus ipse est homo*) *hic mendosa est*; nam *Hebraicè*, ut rectè in *Editione Græca* LXX. Interpp. ἐν τινὶ ἐλογίσθη, ad verbum est: *In quo reputatus est ipse?* sive, ut *Arias* exponit in margine h. l. *Quid reputationis est ipse?* Propheta enim dehortabatur à *fiducia collocanda in homine*, hac ratione reddita, *quia nihili esset æstimandus*.

*Andradius* in Orthod. Explic. excipit, *vocem Hebræam esse ambiguam*, quia בַּמֶּה sit, *in quo*; aut בָּמָה *excelsum* significet.

℞. Ambiguitas quidem in iis literis, *seorsim ac per se* consideratis, negari non potest: sed in *hac periodo, hacque Syntaxi*, non video, quomodo locum habeat. Etenim בָּמָה *substantivum est fœmininum*, ideo nunquam significat *excelsum adjectivè*, sed tantùm *locum excelsum*. & quidem non *quemlibet*, sed eum, *in quo sacrificatur*, ut *Numer.* 21. v. 28. 1. *Sam.* 9. v. 13. At inde quis sensus erueretur? *Chamier.* tom. 1. Panstr. l. 14. c. 11. §. 47. p. 255.

**Cap. III. v. 1.** *Nam ecce dominator Dominus exercituum removet à Ierusalem & Iuda baculum & baculum, omnem baculum panis, & omnem baculum aquæ.*

Esaias adhibet (1.) *Enallagen temporis* præsentis,

*removet*, pro futuro, *removebit*, q.d. *auferre paratus est*. (2.) *Hebraismum*: מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה, *baculum & baculam* (prius masculinum est, posterius fœmininum) h.e. *magnum & parvum*, quicquid pertinet ad vitam hominum sustentandam. Chaldæus: סְמַךְ וּסְעַד *firmamentum & fulcimentum*. Lutherus rectissimè: Allerley Vorrath. (3.) *Metaphoram*: nam *baculum panis* & *baculum aquæ* accipit pro *cibo & pota*, quibus vita hominis fulcitur quasi, reficitur & sustentatur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 157. & *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. can. 20. p. 75. lib. 5. tract. 1 cap. 12. p. 397.

Vers. 3. *Principem quinquagenarium, & elevatum facie, & consiliarium, & sapientem artificum, & peritum eloquentiæ.*

Verba hæc continent. (1. *Metonymiam adjuncti* pro subjecto: *Elevatum facie*, h.e. *venerabilem*. (2.) *Hebraismum*: חֲכַם חֲרָשִׁים *sapientem artificum*, h.e. *inter artifices*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 157. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 33. p. 119. m. 2.

Vers. 4. *Et dabo pueros Principes eorum, & facinara dominabuntur in eos.*

Offert se (1.) *Anallaxis* sive *persona mutatio*: nam v. 1. Propheta loquitur de *Jehova*, in *tertia* persona, *amovebit*; at v. 4. ipse *Jehovah* per Prophetam, in *prima* persona, *dabo*. (2.) *Metaphora*: siquidem *pueri* denotant *stolidos*, & *cognitione veritatis destitutos*. (3.) *Metonymia adjuncti pro subjecto*: Et *facinora* seu *ludificationes*, h. e. *facinorosi*, *illusores*, ἐμπαῖκται, ut Græci reddunt. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 4. par. 2. sect. 1. can. 6 p. 323. & lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 52. confer cap. 12. p. 365.

Vers. 12. *Populi mei exactores ejus parvulus, & mulieres dominatæ sunt in eum &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Pleonasmus*: redundat enim relativum, *ejus*. (2.) *Ellipsis* verbi substantivi: *Exactores*, scil. *erunt*. (3.) *Enallage* partim *numeri* singularis, *parvulus*, pro plurali, *parvuli*; partim *temporis* præteriti, *dominatæ sunt*, pro futuro, *dominabuntur*. (4.) *Metaphora*: nam *parvuli* significant *homines judicio carentes*, *mulieres* verò *viros meticulosos & infirmos*, q.d. non magis judicio & consilio valent, quàm *parvuli*; aut cupiditatum suarum potentes sunt, quàm *mulieres*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 158. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 624. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 364.

Vers. 14. *At vos succendistis vineam, rapina pauperis in domibus vestris est.*

Iteratur (1.) *Metaphora*: nam *vinea* designat *Ecclesiam* V. T. (2.) Hebraismus: *Rapina pauperis* h. e. *pauperi erepta & ablata*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 6. p. 108. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 295.

Vers. 16. *Et dixit Dominus; Pro eo, quod filiæ Zionis superbierunt, & ambulaverunt extenso gutture, & fallentes oculis, ambulando & plaudenda iverunt, & in pedibus suis compeditas egerunt.*

Occurrit jam (1.) Hebraismus: *Filia Zionis*, h. e. *Jerusalamitana fœmina*. (2.) *Enallage* tum *temporis* præteriti, *superbierunt*, *ambulaverunt*, *iverunt* & *compeditas egerunt*, pro præsenti, *superbiunt*, *ambulant*, *eunt* & *compeditas agunt*; tum *generis*, quia antecedenti fœminino, בְּנוֹת, *filiæ*, subjungitur pronomen masculinum ־הֶם, in voce, בְּרַגְלֵיהֶם, *in pedibus suis*, ad *masculam quasi ipsarum protervian* indicandam. (3.) Metaphora: *compeditas agunt*, i. e. *leges numerorum, & gressuum modulos observant*, ut in saltationibus cinædi faciunt, quasi compedes semper obtinerent. *Vatabl.* in Annot. ad h. l p. 158. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 624. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract 2. can. 16. p. 204.

Vers. 18. *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, &c.*

I. *Anabaptistæ* Christianis litem movent de *pretiosis vestimentis*, utpote *quæ Deus in filiabus Sionis improbet*.

℞. Deus hic non improbat in filiabus Sionis *usum pretiosi vestitus in se*, sed *abusum immoderatum*, ut ex contextu patet. *Hinckelm.* disp. 12. contr. Anab. cap. 1. error. 3. thes. 2.

II. *Etiam in* V. T. *luxus vestium prohibitus à Deo fuit*: *eum* enim *taxat Propheta in filiabus Sionis*.

Respondit 1. *Osterrodius*, luxum vestium muliebrium non *per se* taxari à Deo, sed propterea, quòd *Dei oblitæ fuissent filiæ Sionis*.

℞. Absonum hoc est: quid enim quæso ibi recitatur, quod non *per se* dignum sit magnis execrationibus, ut *superbia & lascivia gestuum*, &c.

2. *Smalcius* contr. disp. alter Franz. de Bon. Op. fol. 258. *beneficia divina* eo in loco filiabus Sionis exprobrari, inter quæ fuerint *delicata virginum vestes*; eum vero, qui beneficia exprobrat, ea, quæ exprobrat, non taxare, sed tacitè commendare, & commendata esse velle.

℞. Si quis attentè consideraverit hoc tertium Esaiæ caput, is neutiquam asseret, quasi ibi *celebrentur beneficia DEI*, & inter ea *delicata vestes*: quin potiùs manifestè contrarium deprehendet, *luxuriam vestitus* accusari, & *pœnam istius* prædici calvitiem & nuditatem.

3. *Id. ibid.* diversa esse, *delicatas vestes*, & *gestus lascivos*; cùm hujusmodi *lascivia* abesse possit ab ea, quæ *vestibus induta est splendidissimis*.

℞. Fateor, aliud esse *delicatas vestes*, & aliud *gestus lascivos*: sed hoc loco utrumq; conjungi, inde patet, tum quia pro *bonis* malas vestes, tum quia pro *lascivia* necem, & inprimis servitutem Assyriacam, Propheta minatur.

4. *Id. ibid.* Deum minari *ademtionem beneficiorum suorum*, & ita simul ademtionem *vestium delicatarum*; eum autem, qui minatur ademtionem *vestium elegantium* ob peccata, *vestium elegantiam* obœdientiæ præmium asserere.

℞. Hoc quoq; falsum est, quòd *Deus delicatas vestes, tanquam beneficium divinum suum, à filiabus Sionis sit ablaturus*. Nam quorsum sine instituit ipse tam scrupulosam enumerationem *vestium muliebrium*, nisi ut doceret, hanc ipsam varietatem & multitudinem esse *ipsummet luxum*, & ipsammet *superbiam mulierum*? & idcirco minatur magnam perniciem & nuditatem. *Franz.* in A. C. par. 2. disp. 7. thes. 151. & in Vindic. disp. 8. thes 99. & in Schol. Sacrif. Patriarchal. disp. 20. thes. 127. seq.

Vers. 20. *Tiaras & armillas, & murenulas, & domos animæ &c.*

*Hebraismus* est: בָּתֵּי הַנֶּפֶשׁ *& domos animæ*, quæ sunt moni-

*monilia* quædam dependentia à collo inter ubera super pectus, sic dicta, quòd *muniant domum animæ*, i.e. *cor*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 159. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 37. p. 143.

**Vers. 24.** *Et erit pro fascia pectorali cilicium, &c.*

*Mulieres Sionis luxu vestium in Deum peccârunt, quòd sordidas vestes & nuditatem propterea Deus minatur, se immissurum esse.*

*Smalcius* l.c. regerit, Deum non ideò *minari filiabus Sion*, quòd *sordidas vestes & nuditatem eis immissurus sit, quia luxu vestium in Deum peccâsset*, sed quia *tunc*, cùm vestium luxu Dei benignitate abundarent, *Dei oblitæ fuissent*, & *superbia & lascivia sua* in Deum peccâssent.

℞. *Utroq; modo filiæ Sion in Deum peccârunt*; tum *luxu vestium*, dum non institerunt vestigiis *Saræ*, cum reliquis matronis, quarum *ornatus non fuit in nodis capillorum, & circumposito auro*, vel *palliorum amictu*, 1. Petr. 3. v. 4. quorum *ornamentorum varietatem* Propheta scrupulosè commemorat; tùm *superbia atq; lascivia*, ut ex v. 16. luculentè patet, quo ipso *Dei sui oblitæ* fuerunt. *Franz.* disp. 8. vindic. thes. 99. & disp. 20. Schol. Sacrif. thes. 127. seq.

**Vers. 25.** *Viri tui in gladio cadent, & fortitudo tua in prælio.*

Ecce (1.) *Metonymiam causæ pro effectu*: nam *gladius* pro *bello*, aut *vi hostili* accipitur. (2.) *Metaphoram*: siquidem *cadere* significat *interire*. (3.) *Ellipsin* nominis, אִישׁ, *viri*, subaudiendi: *Viri fortitudinis tuæ*, i.e. *viri tui fortes*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 159. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 68. & cap. 12. p. 376.

**Vers. 26.** *Et plangent & lugebunt portæ ejus, & expurgata in terra sedebit.*

In versu hoc habetur (1.) *Enallage* relativi pro antecedente: פְּתָחֶיהָ, *portæ ejus*, h.e. *Zionis* seu *Hierosolymorum urbis*, de qua tacitè cogitabat secum Propheta. (2.) *Prosopopœja*, quâ *populi Iudaici miseria & maxima clades*, in urbe Hierosolymitana futura, innuitur, *metaphorâ* ab usu *lugentium* sumtâ, qui solebant in terra sedere & recumbere, & calamitatem suam deplorare, *Iob.* 1. v. 20. cap. 2. v. 13. &c. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 12. p. 196. & lib. 5. tract. 1. cap. 9 p. 200.

**Cap. IV. Vers. 1.** *Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicendo: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris induemur, tantùm vocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.*

Propheta utitur (1.) *Synecdoche speciei pro genere*: quia numerum certum, *septem*, ponit pro incerto, & pro *multis* (2.) *Hypallage* in phrasi, *vocari nomen alicujus super aliquo*, cum id sit, *aliquem vocari de nomine alterius*, i.e. *cognominari ab alio*. (3.) *Metonymiâ adjuncti* pro *subjecto*. Aufer *opprobrium nostrum*, h.e. fac, *ut liberos suscipiamus ex te*; nam probrosa olim erat ἀτεκνία & *sterilitas*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 159. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p 625. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 21. p. 739. seq. & lib. 5. tract. 1. cap. 15. m. 4. p. 450.

**Vers. 2.** *In die illa erit germen Domini in decus & gloriam, & fructus terræ in excellentiam & ornamentum evasioni Israelis.*

Est hic (1.) *Synecdoche partis* pro toto: *dies* enim pro *tempore* est, ut & v. 1. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *Messias* vocatur *germen* & *fructus terræ*, ob *humanitatis* ortum, sicut *germen* terream habet originem, & terram quasi matrem agnoscit. (3.) *Enallage* nominis substantivi cum præfixo ל, IN, pro adjectivo: לִצְבִי וּלְכָבוֹד, *in decus & gloriam*, h.e. *decorum & gloriosum*. Item, לְגָאוֹן וּלְתִפְאֶרֶת, *in excellentiam & ornamentum*, i.e. *excellens & ornatus* sive *inclytus*, puta terræ fructus. (3.) *Metonymia adjuncti* pro subjecto: *Evasioni Israelis*, h.e. *iis, qui evaserint Israelitis*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 159. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 625. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 9. m. 1. p. 40. lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 168. seq. & cap. 17. m. 3. p. 464.

**Vers. 3.** *Et erit, superstes in Zione, & residuus in Ierusalem, sanctus dicetur ei, omnis scriptus in vita in Ierusalem.*

I. Observa (1.) *Hebraismum*: יֵאָמֵר, *dicetur*, h. e. *erit* vel *existet*. (2.) *Pleonasmum*: τὸ *et* enim abundat (3.) Ἀνθρωποπάθειαν: Deus namq; *pios scribere* dicitur *in vita*, quo *ordinatio* DEI ad vitam æternam ex decreto DEI innuitur, *Actor.* 13. v. 48. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 625. *Glass.* lib. 3. Philol. sacr. tract. 3. can. 16. m. 2. p. 276. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 135. & cap. 13. p. 419. (4.) *Metaphoram*: siquidem *Zion & Ierusalem* significat *Christi Ecclesiam*, cum in ea peculiariter se Deus, revelaverit, & promissiones de Messia subinde redintegrarit.

II. *Anabaptistæ* negant, *in Ecclesia Christi fore impios, cùm in ea residuus omnis sit sanctus.*

℞. Dictum Prophetæ loquitur de *invisibili Ecclesia verè credentium & salvandorum*, quorum sanè *omnis est sanctus*: in Ecclesia enim *visibili* multi alii dantur, *qui non sunt sancti*, sed tamen de doctrina & externa professione consentientes, ut in Ecclesia *Galatica*, Gal. 3. v. 1. *Corinthiaca*, 1. Cor. 11. v. 19. &c. *Hunn.* tom. 5. Oper. Lat. p. 134. thes. 122. seq.

III. *Impœnitentes*, præsertim *qui sunt extra Ecclesiam*, non sunt *ad vitam æternam electi*, quia *tales nō sanctificantur in tempore*: cùm tamen *omnes electi sanctificentur in tempore*, quales sunt *scripti omnes in vita in Hierusalem*.

*Huberus* in Confutat. brev. p. 16. excipit, *scribi in vita* hoc loco esse idem, quod *reliquum adhuc esse in Ierusalem*, quoniam Propheta loquatur de *paucitate Ecclesiæ*, *jam populô Iudaicô attritô & attenuatô multis calamitatibus*, & promittat *superstitibus in Ierusalem nomen sanctum fore, propter germen*, Christum nimirum, qui excitandus sit, & in quo *Ecclesia Iudaica suam adhuc sit adeptura dignitatem florentissimam.*

℞. Hoc ad *externum regimen terrenæ Ierosolymæ* referri non potest: neque enim *ullum tempus* monstrari potest, quando *omnes in ea residui cives fuerint sancti*; sicut quidem de *his residuis* apertè prædicatur. Itaque descriptio est eorum civium Ecclesiæ. qui *simul omnes & inscripti sunt in librum vitæ, & sancti sunt*; quam periphrasin repetit Johannes, & de *cælesti Hierosolyma* exponit, *Apoc.* 3. v. 12. Quare non *corporalia*, sed *spiritualia & æterna* beneficia, regno *Messiæ* (quippe de *cujus tempore* Propheta vaticinatur) congrua, in hoc Esaiæ vaticinio promittūtur, id quòd ex v. 4. cōstat. Interea est & hoc quòd

quòd etsi *maxima pars populi Judaici* vastanda sit, non tantùm *desolatione externa*, verùm etiam *horrenda illa rejectione*, propter spretum Messiam immittendâ: fore tamen *reliquum aliquod sanctum semen*, aliquos electos, qui nobile illud *germen Davidis* amplectantur, *quorum nomina sunt scripta in vita in Jerusalem.* Quapropter manet argumentum nostrum inexpugnabile: *Nulli sunt ad æternam salutem prædestinati, nisi qui & inscripti sunt in vita novæ Jerosolymæ, per germen Domini, Christum, exædificandæ. At in vita novæ Jerosolymæ, per germen Domini, Christum, exædificandæ, scripti sunt soli sancti. E. soli sancti ad æternam salutem sunt prædestinati.* *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 894. & tom. 2. p. 1040. arg. 13.

Vers. 4. *Purgabit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem emundabit de medio ejus, spiritu judicii, & spiritu combustionis.*

I. In *Hebræo* est (1.) Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim *abluere* dicitur *sordes*, cùm *peccata gratiosè remittit*, (2.) *Synecdoche species pro genere*: quia דָּמִים *sanguines*, metonymicè *cædes*, pro *quibusvis gravioribus peccatis* sunt. (3.) *Metaphora*: quia *Zion* & *Jerusalem*, ut *Ecclesiæ Christi* in N. T. Symbolum proponitur. (4.) *Enallage* infinitivi, בָּעֵר, *removere*, pro nomine, *remotionis* sive *sublationis*. Targum: גְּמִיר, *consumtionis*. Jun. in Not. ad h. l. p. 625. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 5. p. 364. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 133. cap. 13. p. 419. Confer cap. 15. m. 3. p. 449.

II. *Bellarminus* l. 1. de Purgat. c. 3. loc. 6. exinde *Purgatorium Papisticum* sufflare allaborat, cui *Feuardentius* l. 11. Theomach. c. 16. suppetias fert, autumans, per *filias Sion & Jerusalem* intelligi *animas piorum in Israële*, per *sordes & sanguinem* peccata, peccatisq; debitas pœnas, à quibus purgentur animæ in Purgatorio, *spiritu judicii & combustionis* indigitato.

℞. (1.) *Suarez* in Thom. tom. 4 disp. 45. sect. 5. agnoscit, ex hoc loco *Purgatorium* demonstrari nō posse, ideoq; *eum se omittere*, palam ait. (2.) Discedit *Bellarminus* à *Versione Vulg.* nam pro *abluerit*, ponit, *purgabit*; pro *laverit*, habet, *emundabit*; pro *spiritu ardoris*, ponit, *combustionis*. (3.) *Sanchez* & *Sanctius* Jesuitæ in Comment. h. l. textum præsentem exponunt de *captivitate Babylonica*. Si autem Propheta de *pœnis captivitatis Babylonicæ* loquitur, quid hoc ad *Purgatorii pœnas*? (4.) Nomine *Sionis & Jerosolymæ* non veniunt *animæ in Purgatorio*, sed N. T. *Ecclesia*, v. 3. quæ cum sit *sancta*, purgatoriis pœnis non indiget. (4.) Per *sanguinem* non intelliguntur *venialia ac levia* quædam peccata, sed *gravia ac mortalia*, juxta usitatam Scripturæ phrasin, *Esa.* 1. v. 15. *Ose.* 4. v. 2. &c. Jam verò ex hypothesi Pontificiorum, *venialia tantùm*, non autem *mortalia* peccata in Purgatorio abluuntur (5.) Sermo est de ablutione à peccatis, quæ fit *lavacrô aquæ* in *hac vita*, *Ephes.* 5. v. 26. seq. non verò de ablutione aliqua â peccatis *post hanc vitam*. (6.) *Ablutio illa*, cujus Propheta meminit, allegatur ut *beneficium* Messiæ, v. 2. At *Purgatorium Papisticum* non *beneficium* est, sed *supplicium* (7.) Recenset Propheta, quid *Dominus per meritum & satisfactionem Messiæ velit efficere*; non quid *tu propriis tuis*, quas jactas, *satisfactionibus sis effecturus*. (8.) Per *spiritum ardoris & judicii*, Hugone Cardinale & Cornelio à Lapide interpretibus in h. l. intelligitur *Spiritus sanctus*. Hunc autem quid rei cum *Purgatorio*, utpote cui non *Spiritus sanctus* præsidet, sed (attestantib. Pontificiorum fabellis) *cacodæmones*, tanquam in eo loco tortores, & animabus additi exactores, qui divexent illas, & nonnunquam exspatiatas ad supplicia subinde retrahant. *Schoppius* in Apolog. contr. Hunn. c. 57. p. 81. n. 169. obvertit 1. Prophetam loqui non de *purgatione*, quæ fit *per aquam*, sed de ea, quæ fit *per spiritum judicij & combustionis*: in *Baptismo* autem nos non purgari *spiritu judicii & combustionis*.

℞. (1.) Propheta nil habet de *spiritu combustionis*, ex qua vocula Schoppius libenter *ustionem ignis purgatorii* eliceret; sed de *spiritu judicii & ardoris*, ut habent *vetus versio & Arias*: quo nihil aliud notatur, quàm *ardentissimus ille zelus Domini*, quo Satanam vincet, & ab ejus potestate Ecclesiam suam liberabit. (2.) In *Baptismo* cum ex filio iræ filius fit gratiæ, magno sanè cum *zelo & ardore Spiritus divini* homo à peccatis purgatur, & è faucibus Diaboli eripitur. Quarè multùm facit hic locus ad *Baptismum*, nihil verò ad *Purgatorium*.

2. *Purgatorium* etiam esse *beneficium*, quatenus *præparat nos ad maturiorem ingressum in regnum cælorum*.

℞. (1.) Tale beneficium Messiæ, quo purget nos *per ignem* â peccatis, vel peccatorum pœnis, tota Scriptura ignorat: sed fecisse ipsum peccatorum purgationem *per seipsum*, hoc Apostolus, *Hebr.* 1. v. 3. testatur. (2.) *Beneficia Messiæ* ita describuntur, ut nullus in iis vel *supplicio* vel *dolori* esse possit, sed purum putum *gaudium & exultatio*. Esa. 9. vers. 3. Rom. 8. v. 15. &c. *Purgatorium* verò, etiamsi (ex hypothesi Papistica) *nos præpararet ad ingressum in regnum cœlorum*; nihilominus tamen *supplicium* est, ejulatûs & doloris plenum: ideoq; non potest esse *beneficium Messiæ*.

3. Quòd ex Purgatorio liberamur, beneficium esse *meriti Christi*, ejusq; *satisfactionis*.

℞. At hoc ipsum non dicam adhuc *dubium* esse, sed *falsissimum* axioma, omni Scripturæ testimonio destitutum: itaq; *probandum* erat, non per egregiam *principii petitionem*, ut *concessum*, in responsione assumendum.

4. Etiamsi *Diabolus* præsidet Purgatorio, tamen purgationem illam fieri in *spiritu judicii & combustionis*, non in *Diabolo*.

℞. Apostata committit fallaciam *phraseos*: nam *Spiritus judicij & ardoris* non est illa *combustio*, quam â flammis Purgatorii fieri fingunt Monachi; sed, ut dixi, *Spiritus sanctus*, qui hominem â potestate Diaboli magno cum zelo & ardore vindicat. Inde sic colligo: *Spiritus sanctus nihil rei habet cum Purgatorio. Spiritus judicii & ardoris est Spiritus Sanctus.* Ergo *Spiritus judicii & ardoris nihil rei habet cum Purgatorio.*

5. *Augustinum* l. 20. de C. D. c. 25. locum hunc de *pœna Purgatorii* exponere, idq; etiam inculcat ex *Bellarmino* Reihingius.

℞. (1.) *Cornelius à Lapide* in Comm. h. l. scribit, Augustinum *anagogicè* hæc ad *Purgatorium* referre: ad *demonstrationem* autem articulorum fidei non *anagogicus*, sed *literalis* sensus requiritur. (2.) *Augustinus* ibi non loquitur de *loco aliquo subterraneo*, in quem deveniant animæ credentium, nævis quibusdam inquinatæ, donec post factam purgationem inde in cœlum transferantur; Sed tantum disserit de purgatione, *ultimo judicij die* instituenda, uti ex inscriptione capitis 25. patet, quæ est de *novissimo judicio*, quo tempore Purgatorium ex sententia Papistarum expirabit. *Hunn.* tom. 1. Op. Latin.

Latin. p. 1542. & seq. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Papist. c. 14. q. 4. obj. 6. p. 626. *Balduin.* in Exam. Apolog. Schopp. p. 504.-507. *Meisner.* in Depulsf. Excub. Reihing. p. 97. *Gisen.* de Papism. disp. 22. thes. 35. seq. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 235. p. 437. 438. seq. *Thumm.* de Purgat. p. 67.-70. *Scharp.* tom. 2. Curs. Theol. p. 2008. obj. 6. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 26. c. 4. §. 23.-32. p. 564. seq.

Vers. 5. *Et creabit Dominus super omne habitaculum montis Zionis, & super convocationes ejus: nubem interdiu, & fumum ac splendorem ignis flammæ noctu &c.*

Occurrit jam (1.) *Metaphora:* nam *mons Zion*, ut *Ecclesia Christi* in N. T. symbolum proponitur. (2.) *Enallage* nominis substantivi, *flammæ*, pro adjectivo, *flammei* seu *flammantis*. (3.) *Allegoria*, quâ *divina Ecclesiæ Christi & credentium protectio* describitur, allusione factâ ad *columnam nubis & ignis*, quo aspectabili signo præsentiam suam populo proficiscenti ex Ægypto DEUS exhibuit, *Exod.* 13. v. 21. *Arsam.* par. 4. Bibl. p. 3. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 13. p. 419. & cap. 20. p. 496.

Vers. 6. *Et tugurium erit umbraculo interdiu ab æstu, & receptui atq; latibulo ab inundatione, & à pluvia.*

*Allegoria* continuatur de *eadem Ecclesiæ Christi protectione*, allusione factâ ad *tegumenta*, quibus totum opus tabernaculi conectum erat, & ab omnibus cœli injuriis assertum. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 20. p. 496.

Cap. V. v. 1. *Cantabo nunc dilecto meo canticum dilecti mei, de vinea ejus: Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei.*

Esaias usurpat (1.) *Enallagen* antecedentis pro relativo: *Dilecti mei*, h. e. *ejus*. (2.) *Metaphoram:* tum quia *vinea* designat *Ecclesiam* V. T. tum quia *cornu* significat *locum eminentiorem & sublimiorem*, qualis est *terra Chanaan*. (3.) *Hebraismum:* בֶּן־שָׁמֶן, *filio olei*, h. e. in *clivo oleoso* seu *pingui*, adeoq; *uberrimo*, LXX. ἐν τόπῳ πίονι. Chaldæus: *In terra pingui.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 160. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 1. p. 131. lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 295. & 308.

V. 4. *Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? quid expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas.*

I. *Bellarminus* l. 5. de Grat. & lib. arb. c. 20. asserit, *hominem habere liberum arbitrium in rebus spiritualibus*, quoniam *ipsi Deus omnia fecerit, quæ facere potuit.*

℞. *Quid ultrà*, non *simpliciter* intelligi debet, sed in *illo genere beneficiorum*, de quo agitur: alioquin aliquid fuit *ultrà*, scil. *velle & perficere*, Phil. 2. v. 13. *Ames.* tom. 4. Bellarm. Enerv. l. 3. c. 2. thes. 3. p. 51. seq.

II. Argumentum nostrum, pro confirmanda *gratia in hominibus non-renatis sufficiente*, vide ab exceptione *Pareana* vindicatum in Vindic. *Matt.* 23. v. 37 m. 2.

III. *Socinus* in Prælect. Theol. c. 11. & ex eo *Smalcius* contr. Franz. fol. 436. negant, *Deum infallibili scientia omnia novisse, antequam fiant;* quia *ipse dicatur expectâsse, ut vinea faceret uvas, & tamen fecerit labruscas.*

℞. *Deus nostram pœnitentiam dicitur expectare*, non *propriè*, ad prænotionem nostræ improbitatis negandum; sed *metaphoricè*, ad misericordem ejus voluntatem & intentionem innuendum. Habetur enim in hoc capite primùm versibus septem prioribus canticum parabolicum de vinea Domini studiosissimè plantata ac culta, & tamen sterili, ideoq; ab illo desertâ, & tandem hostili incursu vastatâ. Deinde peccatorum quorundam catalogus, unà cum adjectis meritæ ultionis minis, ad finem usq; capitis subjicitur. *Franz.* in Vindic. disp. ult. de Caus. peccat. sect. 2. *Stegm.* disp. Antiphot. 13. q. 1. p. 143. & 145.

Vers. 5. *Et nunc scire facio nunc vos, quid ego facio vineæ meæ: removere sepem ejus, & erit ad depastionem: disrumpere maceriem ejus, & erit in conculcationem.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Enallage* partim *temporis* præsentis, *scire facio & facio*, pro futuro, *scire faciam & faciam*; partim *modi* infinitivi, הָסֵר *removere*, & פָּרֹץ, *dirumpere*, pro futuro indicativi, *removebo* & *disrumpam*. (2.) *Pleonasmus:* redundat enim עַתָּה, *nunc*, nisi per *quæso* exponat. (3.) Allegoria: *Removebo sepem ejus*, &c. h. e. *abjiciam studium illum, nudabo præsidiis, exponamq; omnibus injuriis.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 160. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 626. & *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 2. p. 361.

Vers. 7. *Vinea Domini exercituum, domus Israel est; & vir Juda, germen ejus delectabile: & expectavit ipse judicium, & ecce plaga; justitiam, & ecce clamor.*

I. Offert se (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto:* nam *domus Israel* accipitur pro *populo, ex familia Israelis orto.* (2.) *Enallage numeri* singularis pro plurali; siquidem *vir Juda* sumitur *collectivè*, pro *viris Juda*, h. e. *Judæis*, uti & v. 3. (3.) *Paronomasia:* conjungitur enim מִשְׁפָּט, *judicium*, cum מִשְׂפָּח, *plaga:* & צְדָקָה, *justitiam*, cum צְעָקָה, *clamor.* (4.) *Ellipsis* verbi, partim ex membro præcedente repetendi, *Justitiam*, subint. *expectavit*; partim aliunde assumendi, *Ecce clamor*, scil. *adest* vel *profertur.* Jun. in Bibl. h. l. p. 626. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 160. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 171. & tract. 2. cap. 2. p. 523.

II. Nonnulli ex *Reformatis* existimant, *copulam* EST *in propositione aliqua posse sustinere tropum*, ut hoc in loco, *domus Israel est vinea Domini*, i. e *significat vineam Domini.*

℞. (1.) In *Hebræo* non habetur verbum EST, sed *simpliciter* dicitur: *Vinea Domini exercituum domus Israel:* (2.) Etsi verbum EST ibi haberetur, nullus tamen tropus foret in *copula*, sed in *prædicato*, nempe *metaphora* in vocabulo *vinea*. Vide sis in simili *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 20. q. 13. obj. 13. p. 526. & *Meisn.* par. 1. Philos. sobr. sect. 1. c. 5. q. 3. class. 2. obj. 7. p. 223. seq.

III. Argumentum *Socini*, contra *divinam futurorum prænotionem*, vide solutum in Vindic. *Esa.* 5. v. 4. m. 3.

Vers. 8. *Væ qui conjungitis domum domui, & agrum agro copulatis, usq; dum nullus locus supersit, &c.*

*Photiniani* docent, *homini Christiano non licere plus appetere aut habere, quam necessaria vitæ ducendæ ratio flagitet;* quibus favere videntur hæc Prophetæ verba, quæ *illis* comminantur, *qui domum domui, & agrum agro conjungant.*

℞. Emptio plurium opum *per se* non damnatur, sed *injusta illa* πλεονεξία, quæ cupiditati nullum neq; finem neq; modum statuit; id quod ipsa Prophetæ verba satis declarant, cum ait: *Conjungentes ad domum, ut non sit locus reliquus, qui non sit occupatus.* Quo reprehendit *immodicam eorum cupiditatem*, qui locupletandis possessionibus perinde studebant, ac si ipsi soli omnia possidere vellent; non verò *legitimam possessionum amplificationem.* Arculur. in Comment. Esa. 5. p. 78. seq.

Vers. 9. *In auribus meis Dominus exercituum, nisi domus &c.*

Est hic (1.) *Ellipsis* verbi: *Dominus exercituum*, scil. *dixit* (2.) Aposiopesis: *Ne vivam*, nisi domus &c. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 626. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 56. m. 1. p. 402.

Vers. 12. *Cithara & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus considerati.*

I. Ἐναντιοφανὲς oritur: Jesaias enim *improbat citharas, tympana* &c. at David *ea approbat*, Psal. 150. v. 2. seq.

℞. David loquitur de *usu instrumentorum Musicorum*, quibus Deus laudatur; Jesaias autem de *abusu*, addit enim. *Non attendunt opera Domini*, h. e. *minimè curant agere illa pietatis opera, quæ Deus præcepit*, ait Lutherus in schol. ad h. l. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. art. 2. Class. 2. n. 8. p. 637.

II. *Anabaptistæ* negant *licere, lautis cibis uti*; quòd *Deus id in populo suo improbârit*;

℞. Propheta non damnat *usum lautiorum ciborum*, eum enim concedit Salomon, *Eccles.* 2. v. 24. sed *abusum*, ut ex v. 11. patet. *Hinckelm.* disp. 12. contr. Anabapt. cap. 1. error. 3. thes. 3.

Vers. 14. *Idcirco dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum in immensum; & descendet decor ejus, & turba ejus, & strepitus ejus, & lætus in ea.*

Verba hæc continent (1.) *Prosopopœiam*: quâ *insatiabilem inferni conditionem*, per *animæ dilatationem*, & *oris apertionem*, Propheta comparat cum *ingluvie & luxu Judæorum insatiabili*, & eorundem simul pœnam, à divina ira infligendam, prædicit. (2.) *Enallagen* tum abstracti, *decor*, pro concreto, *decorus*, h. e. *nobilis & inclytus*; tum *numeri* singularis, *decorus & lætus*, pro plurali, *decori & læti*; tum relativi, *ejus*, pro antecedente, *Ierusalem, totiusq; regionis Judaicæ*. Vatabl in Annot. ad h. l. p. 161. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 627. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 200.

Vers. 19. *Dicentes: Acceleret, festinare faciat opus suum, ut videamus, & appropinquet & veniat consilium Sancti Israel, & sciemus.*

*Ironia* est *impiorum & impœnitentium* in populo Judaico, qui captivitatem, à Propheta prædictam, non putabant esse venturam; sed ab ipso simulari, *Hieronymo* interprete in Comment. h. l. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 90.

Vers. 22. *Væ, qui potentes estis ad bibendũ vinum, &c.*

*In V. quoq; T. comessationes vitium prohibitum fuit*, quia *Propheta væ minatur potentibus in vino.*

*Smalcius* contr disp. alter. Franz. de bon. oper. fol. 257. respondet 1. illud de *potentibus in vino* non esse ex *lege* desumptum, sed extare in *Propheta*,

℞. Quæcunque ex *Prophetis* adducuntur, tanquam *explicationes, ex fontibus Mosaicis fluentes*, ad ea servanda æquè obligati erant omnes homines, atq; ad *ipsum Mosen*, uti constat ex *Lev.* 16. v. 29. & 31. Itaque in *Deum* injuria est.

2. Ibi *non omnem voluptatem*, quæ in potu consistit, prohiberi, sed tantum *crassum excessum*; cum in Evangelio *minimus excessus* disertissimè prohibeatur.

℞. Non tantùm *crassus*, sed *omnis excessus* in potu hic prohibetur, ut qui in *immodica vini ingurgitatione* consistit.

3. Non *simpliciter* immodicam vini usurpationem à Propheta reprehendi, sed *certo respectu*, quatenus *opus Domini negligatur*; cum in Evangelio *simpliciter* ista omnis prohibeatur.

℞. Propheta ostendit *finem omnium potationum*, quia in *omni potatione* negligitur opus Domini. *Franz.* in Schol. Sacrif. Patriarch. disp. 20. thes. 126. & in Vindic. disp. 8. thes. 98.

Vers. 24. *Propterea sicut comedere stipulam lingua ignis & glumam flamma debilitabit: radix eorum velut ariditas erit, & flos eorum sicut pulvis ascendet: nam spreverunt legem Domini exercituum, & eloquium Sancti Israel contempserunt.*

Redit huc (1.) *Enallage* tum *modi* infinitivi, *comedere*, pro præsenti indicativi, *comedit*; tum temporis futuri, *debilitabit*, pro præsenti, *debilitat*. (2.) Prosopopœja: *lingua* enim tribuitur *igni* ob *similitudinem* quandam partim *figuræ*, est namq; extrema ignis flamma, ad instar *linguæ* projecta; partim *actionis*, quia ut homo *linguâ* cibum apprehendit ac lambit, sic ignis, projectâ flammâ, combustionis materiam, unde & *ignis comedere* dicitur. (3.) *Metaphora*: nam *radicis arefactio* impiorum *interitum*, & *floris ascensio pulveris instar*, prosperitatis annihilationem denotat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 162. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 202. cap. 11. p. 287. & seq. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 4.

Vers. 25. *Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum: & contremuerunt montes, & fuit morticinium eorum sicut stercus in medio platearum, &c.*

In versu hoc habetur (1) Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim dicitur *manum suam extendere*, h. e. *pœnas immittere*. (2.) *Hyperbole*: *Et contremuerunt montes &c.* i. e. *tantis malis Deus populum suum afflixit, ut ipsi montes fuissent sursum deorsum abituri*, si Deus in eos tantam indignationem deonerare voluisset. (3.) *Pleonasmus*: *In medio platearum*, pro, *in plateis*; τῷ *medio* redundante. *Iun.* in Not. ad. h. l. p. 627. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 110. & cap. 19. p. 472.

Vers. 26. *Dominus elevabit signum ad nationes procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet.*

I. Recurrit (1.) Ἀνθρωποπάθεια; quâ DEO *sibilatio* tribuitur, & *hominum in certum locum advocatio divina* innuitur, allusione facta ad *sibilum apiariorum*, qui apes ad flores & pastum *sibilo* educunt & reducunt, ut *Cyrillus* annotat. (2.) *Hebraismus*: מְהֵרָה קַל *festinus, velociter*, h. e. *velocissimè*; ubi duab. dictionibus significatur *maxima celeritas*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 124. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. class. 1. p. 636.

II. *Calvini sectatores* arbitrati sunt, *Deum velle peccatum*, quoniam *accersat gentes, ut populo suo bellum inferant.*

℞. Distinguendum est inter *bellum ipsum*, & *pravum propositum hostium belligerantium*. Bellum *per se* adversus contumacem populum Judaicum non erat impium; sed *perversum propositum ipsorum hostium*, ad cupiditates suas explendas. *Illud* à *Deo* est, ceu justo judice, in pœnam præviorum peccatorum; *hoc* verò à *Diabolo*, hostes ad crudelitatem exercendam instigante. *Reinecc.* in Panopl. tom. 3. p. 118. seq.

CAP. VI. v. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, &c.*

*Vorstius* statuit, *Deum esse corporeum*, quod *ipsi* [illegible]

*suus*

*sinus attribuatur*; dicitur enim *Deus sedisse super solium: sinum* autem non convenire nisi *corpori*.

℟. Deo *sedes* attribuitur, non *propriè*, sed *metaphoricè*, *per similitudinem quandam*, propter *immobilitatem & autoritatem*. Unde *Cyrillus* lib. 12. Thesaur. c. 14. *Quando de Deo sedere dicitur, nihil aliud intelligitur nisi principatus & regia potestas, quam naturaliter super omnes habet creaturas.* Gravver. Cent. 1. qq. illustr. Theol. disp. 1. q. 5. thes. 5. *Gerhard.* in Exeg. loc. 2. de DEO & attrib. divin §. 119 p. 745.

Vers. 2. *Seraphim stabant super illud, sex alæ sex alæ uni: duabus tegebat faciem suam, & duabus tegebat pedes suos, & duabus volabat.*

I. Esaias utitur (1.) *Metaphora*: tum quia *Angelos* vocat שְׂרָפִים, h. e. *flammantes & igneos*, à שָׂרַף, *incendit, cremavit*, idque ob *puritatem*, siquidem in hac ipsa visione *vim purificatricem* unus Seraph exeruit, adhibito externo *carbonis ignis* symbolo, quo labia Prophetæ tetigit, v. 6. seq. tum quia volarre, significat, cito cursu & impetu ferri aut immitti. (2.) Hebraismo: *Sex alæ sex alæ uni*, h. e. *senis alis unusquisq; pollebat*. (3) *Euphemismo*: nam voce רַגְלַיִם, quæ *pedes* significat, pro *omni eo, quod est infra alvum*, usurpat, sub quo *inguen* continetur, quod membrum Seraphim, humanâ formâ apparentes, præ reverentia divini numinis obtexerunt, juxta *Sanctium* in Esa. c. 6. num. 11. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 628. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 3. sect. 8. m. 1. p. 307. lib. 5. tract. 1. cap. 10. pag. 239. & cap. 11. p. 312.

II. *Origenians* docuerunt, *Angelos esse corporeos*, quia *ipsis facies & pedes assignentur*, quæ *membra sunt corporea*.

℟. *Angelis* assignantur *facies & pedes*, non *propriè*, sed κατ᾽ οἰκονομίαν & *dispensativè*: talis enim Angelorum apparitio solùm in *visione Prophetica* facta est, sicut ex v. 1. patet; alioqui sequeretur, *Angelos propriè esse alatos*, quod absurdum. *Gerhard.* tom. 2. LL. CC. loc. 8. de Angel. §. 41. seq. p. 23.

III. *Armeni* asserunt, *cælites non videre ipsam Dei essentiam*, quòd *Seraphim in Dei intuitu tegant facies suas*.

℟. *Seraphim tegunt facies suas*, non quod *divinam essentiam ac majestatem videre non possint*, alioqui cur etiam *velarent pedes*? sed ob *humilitatem, modestiam ac reverentiam*, sicut etiam XXIV. *Seniores* ob eandem causam *coronas suas projiciunt ante thronum Dei*, Apoc. 4. v. 10. *Budovvetz* in Gnom. Apolog. Horolog p. 21. excipit: *Si corā externa cōparitione essentiæ Dei in sua majestate Cherubim, humiliantes sese, facies suas alis contegebant, judicantes vix capaces se esse contēplandæ externæ majestatis Dei; quo quasi dixeris, Cherubinos perfectam habuisse cognitionem videndi Deum in sua interna essentia, aut potuisse eum contemplari? Hoc ergo sic Angelis non datum est, quanto minus hominibus.*

℟. Hoc non juvat Baronem. In tremenda enim hac visione Deus non aliam, quàm *suam divinam majestatem* revelavit, quam Bodovvetz malè vocat *externam* majestatem, & ab *interna* Dei majestate distinguit: quasi verò *duplex in Deo sit majestas*, externa & interna. Unde inverto argumentū: Si *Angelis majestatem suam Deus revelavit*, utiq; falsum est, *non datum esse Angelis, ut Deum, qualis sit, cognoscant*. Hoë tract. Anti-Calvin. p. 67. seq. Gerhard. tom. 9. LL. CC. loc. 34. de vita ætern. §. 141. obj. 3. p. 992.

Vers. 3. *Et clamabant alter ad alterum, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.*

*In uno illo Deo exercituum sunt tres personæ*, quia *trinâ epitheti* SANCTUS *repetitione*, ad *tres cantio illa Angelica dirigitur*.

Excipit 1. *Smalcius* contr. Schopper. de Trinit. p. 13. non sequi, cùm *ternâ illâ epitheti* SANCTUS *repetitione*, non *personarum Trinitas*, sed *constans asseveratio & perfectio Sanctitatis innuatur*.

℟. Apostata malè *disjungit*, quæ optimè *simul stare* possunt. Potest enim trinâ illâ vocis SANCTUS repetitione, *sanctitatis divinæ perfectio* indicari, propterea quòd sit *trina illa*, & sic *perfectissima*, proindeque *trium personarum divinarum* communis. Potest etiam innui de ea *constans asseveratio & prædicatio*: quia *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus* emphaticè, nempe Sanctus *Pater*, Sanctus *Filius*, Joh. 12. v. 41. Sanctus *Spiritus Sanctus*, Actor. 28. vers. 25. unus ille immutabilis Deus. Ad *Deum Patrem* enim acclamationem etiam illam Angelorum dirigi, ne ipse quidem Adversarius negat.

2. *Calvinus* in Comment. h. l. ideirco vocem SANCTUS *ter repetitam* esse, quò *indefessa assiduitas Angelorum* notaretur, ac si dixisset Propheta, *nullum Angelicæ melodiæ finem esse in canendis Dei laudibus*; sicuti *inexhaustam earum materiam nobis suppeditet ejus sanctitas*.

℟. Hoc *Calvini* emblema nullius est momenti. Nam in hac Angelorum acclamatione non fit repetitio *verbi*, sed *nominis* duntaxat. Quando enim unum idemq; verbum, quod *actionem* aliquam significat, repeti solet in Scriptura, non negamus, interdum significari vel *indesinentem & continuam*, vel *vehementem & intensam actionem*: verùm ubi *nominis* alicujus repetitio in sacra Scriptura significet *continuam & indesinentem* vel etiam *vehementem & intensam* actionem, *Calvinus* monstrare nequit. (2) propter etsi maximè largiamur, *Angelos continuò & indesinenter hac acclamatione usi ad Deum*; tamen *hanc fuisse causam ternæ repetitionis vocis* SANCTUS, nulla ratione demonstrari potest: aliàs *totam acclamationem ter repetere* potuissent.

3. *Pareus* in Calvino Orthod. p. 133 regerit, sententiam de *assiduitate celebrationis Dei*, per *ternariam* SANCTI *repetitionem*, notatam, non esse absurdam, quia frequentissimè Scriptura ejusmodi *iteratione vocis, continuationem*, vel *perfectionem*, vel *emphasin & vehementiam* indicare soleat.

℟. (1.) Qualis quæso collectio: *Aliis in locis, quibus de hoc negocio nihil quidquam agitur, repetitio unius vocis significat assiduitatem, vel perfectionem, vel vehementiam, vel emphasin, ergo & hic?* (2.) Eâdem collectione in ipsa hac materia usus est *Smalcius* contr. Schopper. p. 13. ideoque sub ea Photiniani latent. (3.) Taxatur Calvinus ideo potissimum, quod glossam de *continuatione melodiæ Angelicæ* præfert ei interpretationi, cujus τὸ ῥητὸν, ipsomet fatente Adversario, nititur autoritate expositionis Apostolicæ; non verò, quod locum istum contra Arianos allegare noluit. *Hunn.* tom. 2 Oper. Latin. p. 647. 731.-735. *Gravver.* par. 1. Prælect. in A. C. p. 187. seq. *Balduin.* in Colleg. de SS. Trinit. disp. 3. cap. 2. thes. 5. 6. 7. *Iacob. Martin.* l. 2. de trib. Eloh. c. 38. seq. p. 354.-362. *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 16. p. 55. seq. n. 1.

Verſ. 5. *Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir immundus labiorum ego, & in medio populi immundi labiorum ego habito: quia Regem Dominum exercituum viderunt oculi mei.*

I. Occurrit (1.) *Hebraiſmus*: טְמֵא שְׂפָתַיִם, *immundus labiorum*, h.e. *labiis*. (2.) *Pleonaſmus*: בְּתוֹךְ עַם, *in medio populi*, h.e. in *populo*. Glaſſ. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 33. m. 2. p. 121. Confer can. 38. p. 149.

II. *Audaani* docuerunt, *Deum eſſe corporeum*, quòd *viſus ſit à Propheta oculis corporeis*. Hiſtor. Magdeb. Cent. 4. c. 5. p. 374.

℞. *Eſaias Deum vidit oculis ſuis*, non *intuitivè*, ſed *ſymbolicè*: neq; enim *ipſam Dei eſſentiam clarè contemplatus eſt*, aliàs vivere non potuiſſet, *Exod.* 33. v. 20. ſed *more Prophetico* vidit Deum, *ſedentem ſuper ſolium*, &c. v. 1. *Symbolica* autem Dei viſio non arguit ipſius corporeitatem. *Gerhard*. tom. 1. LL. CC. loc. 3. de Natur. Dei. §. 78. p. 265. ſeq.

Verſ. 6. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus carbo, in forcipibus tulerat de altari,*

*Ellipſis* eſt pronominis אֲשֶׁר: *Quem* in forcipibus &c. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 22. m. 1. p. 211.

Verſ. 7. *Et peccatum tuum mundabitur.*

Species quædam ἀντιφάσεως eſt: nam *Ieſaiæ peccatum mundatur, quis verò dicere poteſt, mundus ſum à peccato?* Prov. 20. v. 9.

℞. *Prius* eſt ex imputatione juſtitiæ Chriſti, *poſterius* negat inhærentem propriam Juſtitiam, ex qua poſſit quis coram Deo gloriari. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 2. claſſ. 2. n. 1. p. 646.

Verſ. 8. *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis?*

*Enjedinus* in Explic. locor. V. & N. T. ſuſpicatur, *in loco Gen.* 1. v. 26. *Faciamus hominem* &c. poſſe verbum plurale, *faciamus*, de *uno ſolo* rectè intelligi & dici, tantundemq; eſſe, ac ſi Deus diceret, *faciam*: quia de *eodem & unico ſingulari* permixtim nunc *ſingularis*, nunc *pluralis* uſurpetur numerus, veluti *mittam*, & *nobis*.

℞. (1.) A *poſſe* ad *eſſe* N. V. C. Poſſet quidem id ita fieri, ſi *hypotheſis Adverſarii* eſſet certa & ſatis probata, nempe *Deum itat: unum eſſe, ut nulla omnino in ipſo detur perſonarum pluralitas*. Verùm id adhuc in quæſtione eſt, & nullo verbo in Scriptura aſſeritur. (2.) Maxima eſt diverſitas in dicto *Geneſeos*, & *Eſaiæ*. In *illo* enim ad *unum*, nempe ad *actionem totius Trinitatis*; in *hoc* verò ad *duo* reſpicitur: primùm ad *officium certæ perſonæ* in Deitate, deinde ad *opus omnium perſonarum*. *Ibi* enim de *creando homine* deliberant tres perſonæ divinæ, in qua deliberatione *unus idemq; eſt reſpectus & conditio omnium*: *hîc* verò de *mittendo Propheta* agitur; ubi ſe *peculiare Spiritus ſancti* offert officium, & deinde *totius Trinitatis* indiviſa actio. Verba igitur illa, quibus dicitur, quod Eſaias audiverit vocem Domini dicentis: *Quem mittam?* non dubitamus cum *Lyra* de *Spiritu ſancto* interpretari, idq; non ſine ratione. Nam munus hoc expreſsè in Scripturis adſcribitur *Spiritui Sancto*, Ezech. 11. v. 5. 2. *Petr.* 1. v. 21. quia *is mittere voluit*, & deinde *miſit Eſaiam*. Ergo hîc verbum, *mittam*, non eſt referendum ad *plures Elohim*, ut in Geneſi verbum, *faciamus*; ſed ad *unum Eloah*, Spiritum Sanctum: quocirca ut *illud* in *plurali*, ita *hoc* in *ſingulari* rectè formatur & exprimitur. Poſtea verò addit plurale: *Quis ibit nobis?* (alloquitur enim *totam Trinitatem*) i. e. *Quem vultis, ut eat nobis?* *Iacob. Martin.* l. 1. de trib. Eloh. c. 8. p. 97.-102.

Verſ. 9. *Audite audiendo, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere.*

Qui à *Calvini* ſtant partibus, *duplicem comminiſcuntur vocationē Dei per verbum prædicatum*, quoniam *per vocationem Iudæi auditure ſint verbum, ſed velit Deus, ut non intelligant.*

℞. Committitur fallacia *cauſæ*: quòd enim Judæi, *verbum Evangelii audiendo*, *non tamen idem intellexerunt*, ejus rei cauſa non fuit *duplex vocatio*, quaſi Dei voluntas non fuiſſet, *ſeriò illos vocare*; ſed cauſa fuit in *Iudæorum pertinacia*, Matth. 23. v. 37. *Oſiand.* in Enchir. controv. Calvin. c. 8. q. 2. obj. 5. p. 241. ſeq.

Verſ. 10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus occlude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanet eum.*

I. In Hebræo eſt (1.) *Metaphora*: populi enim Judaici tum *cor pingueſcere* dicitur, dum in malo occaleſcit quaſi & obduratur magis magiſque, ſicut *pinguedo* expers eſt omnis ſenſus, Phyſicis conſentibus; tum *aures aggravari*, quod obdurationem animi, & contumaciam cordis notat; quemadmodum qui tonitru graviſſimè percelluntur, eorum auditus hebetatur: tum *oculi occludi*, quia ſpiritualiter excæcatur populus ille, ſicut *fulgura* oculos valde lædunt. (2.) *Ellipſis* nominis: *Et ſanet*, ſcil. *Iehovah* medicus, h. e. à *reatu & pœna peccati*, ſpiritualis iſtius morbi, *liberet*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 629. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 163. *Glaſſ.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. obſerv. 17. p. 734. m. 2. lib. 5. tract. 1. cap. 11. pag. 315. cap. 12. pag. 340. 341. 353.

II. *Reformati* quidam Deum *peccati cauſam* ſtatuerunt, quòd *ipſe excæcari jubeat corda Iudæorum per Prophetam, ne intelligant*; excæcationem autem maximè eſſe *peccatum*.

℞. Deus Prophetæ mandat, ut *cor populi excæcet*, non *cæcitatem infundendo*, ſed *excæcationem ſignificando* ſive *prænunciando*, quòd *occaſione prædicationis verbi*, quam ipſi tunc injunxit, populus magis ſeipſum ſit excæcaturus, *Matth.* 13. v. 15. Ita *culpa excæcationis* non redundat in *Prophetam Dominum per ſe*, ſed in *Iudæos*, qui peccatis antegreſſis obdurârunt ſibi fontem miſericordiæ Dei, ne det gratiam ſalutariter audiendi verbum Dei, ut hinc illuminentur & ſanentur, *Actor.* 28. v. 27. Adeoque non alio ſenſu tribuitur *excæcatio* concionanti Prophetæ, quàm *per accidens*; eodem ferè modo, quo Apoſtolus, 2. *Cor.* 2. v. 16. *ſe & cæteros concionatores ait eſſe odorem mortis ad mortem in his, qui pereunt.* *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 733 ſeq. *Gerhard.* par. 1. Harm. Evangel. p. 594. ſeq. *Glaſſ.* l. 3. Philol. ſacr. tract. 3. can. 15. p. 267. & can. 22. p. 294.

III. *Iidem* inferunt, *Deum non omnes, quos per verbum vocat, ſalvandi intentione vocare*; quia *Iudæos noluit verbum audire, ut convertantur & ſalventur.*

℞. Verba Prophetæ, *ne audiat & convertatur populus*, non debent *cauſaliter*, ſed *conſecutivè* accipi: deſcribitur enim in his verbis *conſequens excæcationis & obdurationis*, videlicet quòd excæcati ejuſmodi homines nec oculis ſuis videant, nec auribus

ſuis

ribus audiant, nec corde intelligant, proinde etiam nec convertantur, nec sanentur; siquidem *negatio*, quæ primo membro præfixa, juxta idiotismum Hebræum in sequentibus membris semper est repetenda, *Psal.* 143 v. 7. *Prov.* 30. v. 30. *Gerhard.* ibid. p. 598.

Vers. 13. *Et adhuc in ea decima, & revertetur & erit ad depascendum, sicut ulmus, & sicut quercus, quibus in Schallecheth statumen in eis, semen sanctitatis statumen ejus.*

I. Redit huc (1.) *Ellipsis*, tum verbi substantivi, *Et adhuc*, scil. *erit*; tum particulæ comparativæ כֵּן, SIC, in ἀποδόσει: *Sic* semen sanctitatis &c. (2.) *Hebraismus*: וְשָׁבָה וְהָיְתָה לְבָעֵר, *& revertetur & erit ad depascendum*, h. e. *& iterum depascetur*. (3.) *Metaphora*: quia *depasci* est *absumi*, sicut *bos gramen depascit*, *Num.* 24. v. 22. (4.) Pleonasmus: *Quibus in eis*, pro, *in quibus*: ubi *eis* abundat. (5.) *Enallage* substantivi pro adjectivo: *Semen sanctitatis*, h. e. *sanctum*. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 5. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 629. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 163. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 35. p. 346. & lib. 4. tr. 3. observ. 17. p. 860. seq.

II. *Nonnulli* suadent, *Judæos in Republ. à Magistratu Christiano esse tolerandos*, cum ex iis *Deus aliquos relinquere velit, qui ad Christum convertantur & salventur.*

℞. (1.) Non *simpliciter* negamus, *Judæos posse in Republ. Christiana tolerari*: sed *certis quibusdam cum conditionibus*, non autem cum αὐτονομίᾳ *libera*, ne blasphemiæ janua aperiatur. (2.) Vaticinium hoc tempore *Christi & Apostolorum* jamdudum est completum, ideoque ad *nostri temporis* Judæos pertinere nō videtur. *Gerhard.* tom. 6. L. L. CC. loc. 27. de Magistr. Polit. §. 224. p. 893. & §. 225. p. 896.

Cap. VII. v. 1. *Et fuit in diebus Achazi, filii Jotham, filii Uziæ, Regis Jehudæ, ascendit Rezin, Rex Syriæ, & Pekach, filius Remaliæ, Rex Israel, Hierosolymam, ad bellum contra eam &c.*

Propheta utitur (1.) *Synecdoche partis* pro *toto*: nam *diei* pro *temporibus* ponit. (2.) *Enallage* nominis pro infinitivo: לַמִּלְחָמָה, ad *bellum*, h. e. לְהִלָּחֵם, ad *pugnandum* seu *belligerandum*. Jun. in Bibl. h. l. p. 629. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. not. un. p. 368.

Vers. 2. *Et nunciatum est domui David, dicendo: Requievit Syria super Ephraim; & commovit se cor ejus, & cor populi ejus, secundùm movere ligna sylvæ à facie venti.*

§. 1. *Domus David*, h. e. *Regi, proceribusq́; regni*, Metonymia. §. 2. Præpositio עַל, *super*, denotat *comitatum*, & vertēda est CUM: *Requievit Syria* עַל, *cum Ephraim*, i. e. *societatem iniit, & copias suas junxit copiis Ephraim*, ad obsidendam urbem Jerusalem. Chald. *Copulatus est Rex Syriæ* עִם *cum Rege Israelis, ad veniendum contra urbem.* §. 3. Cum *Ephraim*, h. e. *Israelitis*, quorum potentissima & præcipua tribus erat Ephraim, & primus Rex Ephrathæus. *Synecdoche*. §. 4. *Cor* pro *animo* est. §. 5. *A facie venti*, h. e. *flante vento*. Vatabl. in annot. ad h. l. p. 164. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 629. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 6 can. 12. m. 12. p. 552.

Vers. 3. *Cor tuum ne mollescat, ob duas caudas titionum fumigantium istorum &c.*

*Metaphora* est. Nam (1.) *mollities* usurpatur de *corde hominis*, & *consternationem ejus ac timorem* notat. (2.) *Rezin & Pekach* appellantur *caudæ titionum fumigantium*, ob *nocendi impotentiam*, q. d. perinde ut *titiones* sunt, ad *extremitates* usq; (*cauda* enim, animalis pars postrema, *extremitatem* notat) absumti, qui non nisi fumum, ex incendio reliquum, ac citò desiturum, emittunt. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 243. cap. 11. p. 313. cap. 12. p. 362.

Vers. 6. *Ascendemus in Jehudah, & excitabimus eam, & perrumpemus eam ad nos, & regnare faciemus regem in medio ejus, filium Tabeelis.*

En (1.) *Enallagen* futuri indicativi, *ascendemus*, *excitabimus*, &c. pro imperativo, *ascendamus*, *excitemus*, &c. (2.) *Anallaxin* conjunctionis copulativæ & disjunctivæ: וְנַמְלִיךְ, *aut* regnare faciamus, q. d. *aut certè*, si non poterit inter nos conveniri de regno partiendo, communi nomine præficiamus illi Regem. (3.) *Periphrasin certi cujusdam viri* ex primoribus sive Samariæ sive Syriæ, mentione *patris sui* facta, אֵת בֶּן־טָבְאַל, *filium Tabeelis*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 164. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. obser. 7. m. 3. p. 687. & tract. 3. observ. 8. m. 1. p. 787.

Vers. 8. *Caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rezin, & adhuc sexaginta & quinq; anni, & frangetur Ephraim à populo.*

I. Est hic (1.) Metaphora: *Caput Syriæ*, h. e. *urbs præcipua*, metropolis. (2.) *Ellipsis* verbi: *Et adhuc*, scil. *remanent*. (3.) *Hebraismus*: מֵעָם, *à populo*, i. e. *ne sit populus*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 5. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 357.

II. *Prophetæ calculatio hæc annorum 65. non videtur esse justa*, cum *vix viginti anni* intercesserint inter hanc Esaiæ concionem, & excidium regni Israelitici: *illa* enim habita est A. M. 3213. *hoc* verò contigit A. M. 3232.

℞. *Initium illorum annorum* 65. sumendum est non ab eo tempore, *quo concionem hanc habuit Propheta*, alioqui non congrueret numerus; sed ab eo vaticinio, *quod Amos Propheta multis antè annis de interitu regni Israelitici ediderat*, & quod extat, *Amos.* 5. v. 27. ubi inter cætera disertè prædicit Propheta, *Israelem transferendum esse ultra Damascum*. Ad quod vaticinium Propheta noster respexit hoc loco: tot enim anni supputantur à *temporibus Amos* usq; ad *interitum regni Israelitici*, videlicet 65. Quanquam & fieri potuit, ut Propheta noster statim *sub initium muneris sui Prophetici* (quod incidit in tempora *Uziæ* Regis Judæ. *Esa.* 1. v. 1.) ipse nonnulla de *interitu regni Israelitici* vaticinatus sit, ac disertè expresserit numerum annorum, qui superessent usq; ad regni Israelitici vastationem, atq; ita ad *prima illa vaticinia sua*, in supputando annorum numero, hoc loco respexerit. Tot enim numerantur anni inde ab *Uziæ* temporibus, quibus *Esaias* docere cœpit, usq; ad *regni Israelitici* excidium, quòt hoc loco exprimuntur. *Arcular.* in Comm. h. l. p. 104. seq. Vide *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 10. m. 2. p. 449. seq.

Vers. 9. *Nisi credideritis, non intelligetis.*

I. *Costerus* in Enchir. c. 4. existimat, *notitiam Dei requirere fidem*, quoniam *nisi quis credat, non intelligat*.

℞. Consequentia isthæc nulla est: maxima siquidem diversitas est inter hæc duô: *Nisi credideritis, non intelligetis*; &, *si intellexeritis, etiam credetis*. Hic autem saltem dicitur, quòd *ubicunq; est fides, ibi sit etiam notitia*; non verò, quòd *ubicunq; est notitia, ibi etiam sit fides*. Etenim *notitia aliqualis* etiam in *Ethnicos* cadit, quos tamen Jesuita *infideles* vocat. *Meyfart.* in Anticost. disp. 2. thes. 62. 66. seq. p. 84. 87. & 88.

II. *Bellarminus* l. 1. de justif. c. 7. arg. 1. negat, *fidem esse notitiam*, quòd *fides sit gradus & via ad intelligentiam*, non verò *intelligentia*.

℟. (1.) Verba non habentur apud *Prophetam*, ut citãtur à *Bellarmino*; sed *Hebræa* hæc sunt: *Si non credideritis, non permanebitis*; ceu benè habet *vulgata Editio*, à qua Bellarmino per anathema Concilii Tridentini recedere non licet. Imo secundum *Pagnini*, *Vatabli & Ariæ* interpretationem prorsus turbatur connexio Adversarii: *quia, cur non credatis*, (causa hæc assignatur) *id inde fit*, *quia non estis stabiles seu fideles*. (2.) Si vel maximè *lectionem Bellarmini* admittamus, nihil tamen accedit sententiæ illius. Sensus enim non est, *credendo viam parari ad intelligendum ea, quæ proponebantur*; sed potius *credendo ea intelligi*, sicut *Hebr.* 11. v. 3. dicitur, *not fide intelligere, condita esse secula*. Quia verò *credendo intelligimus*, ideo *fides notitiam complectitur*. (3.) Etiamsi amplectamur non solum *lectionem*, sed & *interpretationem Bellarminianam*, quòd *credendo via paretur ad intelligentiam*; nondum tamen sequeretur, *fidem esse ignorantiam*: quia per *intelligentiam* accipienda esset *uberior cognitio causarum & proprietatum in mysteriis*, quæ *simplici fidei obedientiâ* prius credidimus propter *dicentis authoritatem*; hac vero intelligentiâ, fidem sequente, non excluderetur *intelligentia illa*, *quæ præcedit fidem*, vel certè *cum fide individuo nexu conjuncta* est, ea scil. quâ cognoscimus id, quod credendum nobis proponitur solido verbi divini fundamento inniti. (4.) Sensus autem Dei genuinus hic est: *Si non credideritis meæ promissioni, quâ vobis pollicitus sum liberationem à duobus Regibus*, v. 4. & 7. *non confirmabimini*, i. e. *non prosperabimini*, *sed fugitivi & instabiles eritis*. Sciendum igitur omnino est, quod verbum נֶאֱמַן non duntaxat notet, *fidelis & verax fuit*, sed & *firmus, & stabilis & tutus fuit*, ut videre est, 2. *Paral.* 20. v. 20. & *Psal.* 89. v. 38. (5.) Hinc ergo destruitur opinio *Bellarmini*. Nam Rex Achaz & populus ejus debuit isti promissioni divinæ non *incognitæ*, sed *cognitæ* firmiter credere. *Gravver*. par. 4. Prælect. in A. C. p. 49. & 50. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC loc. 19. de justif. §. 68. p. 1132. seq. *Meelführ.* in Vindic. Evangel. dec. 3. disp. 5. thes. 14. seq. p. 127. *Fevverb* fasc. 6. Dissert. Theol. disp 4. thes. 7. p. 188. seq. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 12. c. 6. §. 2. 8. p. 187. seq.

Vers. 11. *Pete tibi signum a cum Domino DEO tuo, profunda petitionem, aut exalta sursum.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Ellipsis* nominis, ex membro præcedente repetendi: *Aut exalta*, sc. *petitionem*. (2.) Hypallage: *Profunda petitionem, aut exalta sursum petitionem*. h. e. *pete ex profundis, aut pete ex rebus altissimis*. Invertuntur *verbum imperativi modi*, & *ejus objectum*. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 21. not. 3. p. 740.

II. Nonnulli putant, *adhuc hodie signa peculiaria à Deo licitè peti posse*, quia *Achaz jussus sit à Deo signum futuræ liberationis petere*.

℟. Id non sequitur: quandoquidem Achaz *speciale petendi à Deo mandatum* habuit; *quali* vero nos hodie destituimur. *Balduin*. in Comm. Zachar. p. 387. & seqq.

Vers. 12. *Et dixit Achaz: Non petam, ne tentem Deum &c.*

Ἐναντιοφανεία est; *Achaz peccat non petendo signum; at Pharisæos objurgat Christus, petentes signum*, Matth. 12. v. 38.

℟. Aliud est, *signum à Deo oblatum accipere*: aliud verò *signum privato ausu petere, & quidem corde incredulo*. *Illud* quia non faciebat Achaz, peccavit: *hoc* quoniam agebant Pharisæi, censuram Christi incurrunt. *Friedlib* in Annot. ad h. l. art. 2. class. 2. n. 2. p. 646.

Vers. 13. *Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo.*

Instant illi, *hypocritas esse, qui signa petere nolunt*; cùm *Achaz, quia signum petere noluit, propterea hypocriseos accusetur*.

℟. Negatur & hoc sequi: Achaz enim ideo *crimen hypocriseos* incurrit, quia *consilio simul ac præcepto Dei temerè refragatur*: monstrent verò Adversarii *tale consilium ac præceptum Dei*. Id. ibid.

Vers. 14. *Ideo dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo prægnans, & pariens filium, & vocabis nomen ejus Immanuel.*

I. In textu hoc habetur (1.) *Enallage temporis* præsentis, *prægnans & pariens*, pro futuro, *impregnabitur & pariet*; ad *rei certitudinem* indicandam. (2.) *Apostrophe*, ad *Messiæ matrē* directa: *Vocabis*, ô virgo, *nomen* &c. (3.) *Hebraismus*: וְקָרָאת, *& vocabis nomen ejus Immanuel*. h. e. *talem re vera esse agnosces & prædicabis*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 165. *Iun.* in not. ad eund. loc. p. 631. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 4. m. 4. p. 541.

II. *Lindanus* nugatus est, *textum Hebræum hic non fluere limpidum*, quippe quem *Iudæi* corruperint in voce עַלְמָה.

℟. Id falsum est, ut docet *Hieronymus* Tradit. in Genes. siquidem nobiscum legunt הָעַלְמָה, licet id de *uxore Esaiæ* intellectum velint. *Iacob Martin*. disp. 12. de Script. Sacr. thes. 152. p. 500.

III. *Messias ex virgine sine virili semine erat nasciturus*, quia *ipse debebat esse filius virginis illibatæ, quem ipse Deus, ut miraculum esset daturus*.

*Iudæi* excipiunt I. in Hebræo haberi vocem אות i. e. *signi*: signum autem non semper significare *miraculum*, quod fiat contra ordinem naturæ; sed tale interdum *signum*, quod aliquem confirmare possit.

℟. Agitur hîc non de *quovis signo*, sed de *signo miraculoso*, uti contextus evidentissimè evincit. Achaz enim jubetur ejusmodi petere signum, non tantùm quod *simpliciter aliquid repræsentet*, aut *in memoriā revocet*; sed quod sit, *evidens & infallibile testimonium promissionis à Deo datæ atq; implendæ*, proindeq; sit *signum miraculosum*. Id quod duplici modo evincitur: (1.) â *fine*, in quem peti jubetur, nempe *quo edito, credat Achaz; non autem edito, non credat*, promissionem â Deo esse, aut impleri posse. (2.) A *subjectis locis*, in quibus edendum promittitur: in *cœlo*, ut quies Solis in pugna Josuæ, flamma cœlitus delapsa ad consumendam victimam Eliæ, &c. vel in *terra*, ut conversio aquæ in sanguinem, resuscitatio alicujus mortui, &c. Quæ sane omnia *miraculosa* sunt signa: ergo & illud, quod Jehovah ultrò offert, nempe *virginem parituram esse filium*, &c. id quod *longè majus est miraculum*.

2. Voce עַלְמָה non propriè *virginem*, sed *juvenculam* significari, sive ea *virgo* sit, sive *maritata*, sive *stuprata*; ut sensus sit: *Ecce juvencula concipiet & pariet*, &c.

℟. Voce עַלְמָה designari *virginem illibatam & intactam*, inde patet: (1.) quòd descendit à radice עָלַם, *occultavit*, teste *Kimchio*; non certè alia de causâ, quàm quia, quæ virgo est, â *consuetudine conjugali occultata est*, domi semper asservata & custodita, 2. *Maccab.* 3. v. 19. (2.) Non potest produci ullus è Scriptura locus, quo demonstrari possit, voce עַלְמָה *aliam* significari, quàm *virginem illibatam*. (3.) In Hebræo voci illi præfigitur articulus ה, quæ

*emphasin*

emphasin notat, nimirum Prophetam loqui de insigni quadam ac preclara virgine; quo in sensu ita usurpatur de Rebecca, priusquam Isaaco desponderetur, Gen. 24. v. 43. & de Mirjam, sorore Mosis, Exod. 2. v. 8. vel de adhuc puellâ, ut ex Chronologia licet conjicere. (4.) Illa הָעַלְמָה intelligitur, quam parere, miraculosum est: at verò adolescentulam sive maritatam sive stupratam parere, miraculi instar esse haud potuit.

3. Hoc signum esse, quòd puella, nondum matura viro, editura sit non femellam, sed masculum.

℞. O frivolum signum: (1.) enim hoccine tantopere commendatum signum sit, dignoscere, an soboles mascula futura sit, an femella; cum id Medici non difficulter conjicere possint? (2.) Neq; signum hoc tantùm in filio nascituro, sed pari ratione in ipsa quoq; Haalma concipiente, â Deo constituitur. (3.) Si eadem Haalmah jam antè ducta fuerat in uxorem, quomodo nondum erat matura viro? & si nondum erat matura viro, quomodo non erat virgo? id quod tamen negant, ajentes, intelligi hîc juvenculam devirginatam.

4. Nihil hîc agi de nativitate Messiæ, sed tantùm Regi Achaz filium Ezechiam promitti, qui ob singularem pietatem & zelum dici debeat Immanuel.

℞. Ezechiæ nativitas non potuit esse miraculi locô. Nam (1.) Ezechias tùm, cum vaticinium hoc ederetur, erat jam dum tredecim annorum adolescẽs. Si enim annos Ezechiæ numeraveris, invenies, ipsum ante regnũ patris Achaz, annos novem natum fuisse: siquidem Achaz pater sedecim regnavit annis, 2. Reg. 16. v. 2. cui successit in regno Ezechias filius, cum annum ætatis ageret vicesimum quintum, 2. Reg. 18. v. 2. Ergo cum pater Achaz regnare cœpisset, Ezechias jam erat puer novem annorum. Atque inde R. Salomon & Abenezra eos repudiant, qui prophetiam hanc de Ezechia, Achazi filio, intelligunt. (2.) Ezechias secundùm consuetum naturæ ordinem conceptus & natus fuit, interveniente virilis seminis commixtione: at Propheta de tali nativitate filii vaticinatur, quæ erat præter naturæ cursum futura, quæq; pro signo certissimo liberationis ab hostibus esse debebat.

5. Prophetam non loqui de matre Messiæ, sed de uxore sua, cui filius promittatur.

℞. Nugæ hæ sunt. Nam (1.) Fœmina, de qua hîc loquitur Propheta, dicitur juvencula: atqui uxor Esaiæ tùm non erat juvencula: siquidem habebat tùm temporis filium, qui posset esse patris collega, Esa. 7. v. 3. (2.) Duorum saltem filiorum Esaiæ meminit Scriptura: Unum, qui Prophetæ jam dum ante hoc vaticinium natus fuerat; alterius verò, Esa. 8. v. 3. fit mẽtio, qui tamen, ipso Deo jubente, non Immanuel, sed aliis nominibus indigitari debuit.

6. Etiamsi concedatur, vocem הָעַלְמָה virginem significare; non tamen sequi, puerum illum, de quo loquitur Esaias, sine virili semine debuisse nasci. Nam & ego, inquit Anonymus tract. 2. de fundam. relig. Christ. de aliqua virgine possem dicere: Ista virgo egregios pariet liberos; nemo tamen tam insanus esset, qui ex illis verbis vellet colligere, me voluisse, virginem illam sine virili semine habituram liberos.

℞. Est maxima diversitas in utroq; similis: quandoquidem (1.) ille modus loquendi, hæc virgo egregios pariet liberos, est vulgaris, ideoq; etiam modo vulgari, & juxta consuetum naturæ ordinem, est intelligẽdus; hic verò, Dominus ipse dabit signum, h. e. miraculum, ecce virgo prægnans, & pariens filium, &c. quia Scripturæ peculiaris est, & miraculum involvit, modo quoq; peculiari & miraculoso, proindeq; non juxta consuetum naturæ ordinem debet intelligi. (2.) Illâ phrasi quilibet intelligit, futurum id aliquando in conjugio; hîc autem conjugium nullo modo subaudiri potest.

7. Demonstrativum ה in voce הָעַלְמָה non emphaticè respicere matrem Messiæ, aliòquin ad aliquid notum, de quo priùs facta fuerit mentio, respexisse, eamq; etiam tempore Esaiæ Judæis jam tùm fuisse notam: at quomodo illi scire potuerunt, matrem Messiæ fore virginem?

℞. (1.) Galatinus l. 7. de Arcan. Cathol. Verit. c. 15. p. 421. è Rabbenu Haccadosch probat, Salomonem quoq; Prov. 30. v. 19. hujus rei, sub nomine עַלְמָה, jam ante mentionem fecisse. Omnino igitur illa demonstratione emphaticè aliquid denotatur, cujus antea facta fuerat mentio. (2.) Illud ה demonstrativum in voce הָעַלְמָה peculiarem δείνωσιν importat in denotanda certa aliqua muliere virgine, unde & particula, ecce, non temerè addita est, & deniq; magnificentia promissionis docet, non de vulgari aliqua re agi, sed de tali, cujus omnium interesset. Sciebant autem Judæi, magnificas promissiones Prophetarum ad regnum Messiæ pertinere. (3.) Promissio de nativitate Messiæ, ejusq; modô, non una vice â Deo revelata fuit in V. T. sed subinde clariùs atq; clariùs. In Paradiso simpliciter mulier designatur, Gen. 3. v. 15. postea Levit. 12. v. 3. innuitur, fore aliquando, ut mulier pariat absq; susceptione seminis virilis; & demum Esaias clarè exprimit vocem הָעַלְמָה

8. Nativitatem Messiæ ex virgine non potuisse esse signum liberationis ab hostibus præsentibus, Achazo datum; cùm illa multis demum seculis pòst eventura esset, Achazo autem signum de præsenti dari debuerit, in rei promissæ confirmationem.

℞. (1.) Datum est signum, non Achazo, sed domui David, v. 13. quæ duratura erat usq; ad nativitatem Messiæ, ex domo David oriundi, Jerem. 33. v. 16. ideoq; â Regibus Syriæ ac Samariæ stirpitus nõ exscindenda, uti quidem illa metuebat stirpis suæ excisionem. (2.) Signum, domui David datum, non erat προγνωστικὸν seu prænunciativum, respectu eventus futuri, cujusmodi fuit vellus, Gideoni signum futuræ victoriæ datum, Judic. 6. v. 36. seqq. sed ἀναμνηστικὸν sive rememorativum, respectu præteriti. quale fuit signum Mosi datum, Exod. 3. v. 12.

9. Messiam Christianorum non vocatum esse Immanuel, sed Jesum, ideoq; de eo hîc non loqui Prophetam.

℞. Non de nomine Messiæ exquisitè, sed de re ipsa in nomine illo contenta, Propheta solicitus est: neque vult asserere, Messiam eo ipso nomine, iisdem literis, syllabis & apicibus vocitandum fuisse; sed talem omnino fore, qualis eo ipso nomine describitur, q. d. verè erit Deus nobiscum, Matth. 1. v. 32. Hutter. in LL. Theol. p. 861.-867. Helvic. tom. 4. Giessens. disput. 14. thes. 13.-34. pag. 348.-359. Reinecc. tom. 2. Panopl. pag. 124. seq. Jacob. Martin. l. 3. de trib. Eloh. p. 231.-249. & 531.-558. Brochm. tom. 1. Syst. Theol. art. de Christ. Servat. c. 1. sect. 2. q. 5. pronunc. 1. p. 842. seq. Dannhaver. in Ide. bon. Interpr. par. 1. sect. 3. art. 13. §. 101. p. 213. seq. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 1. m. 1. p. 168. & lib. 4. tract. 3. observ. 18. p. 876.

III. Becanus l. de Judic. controv. relig. Christ. p. 59. §. 35. causam obscuritatis in Scriptura sacra etiam hanc notat, quod in ea subitò fiat transitus ab historia duorum Regum [quorum alter erat Rasin Rex Syriæ, alter Phacea Rex Israël] ad virginẽ concepturã.

℞. (1.) Falsum est, statim hîc fieri transitum ab hi-

*storia duorum Regum ad virginem concepturam*: nam conceptio & partus B. Virginis *signi* locô proponitur *domui David*, postquam Rex *Achazus*, ex illa ortus, spreto mandato Domini, ex mera hypocrisi nullum omnino petere voluit. *Quæ* verò hinc enascitur *obscuritas*? (2.) Sed etsi fieret *subitaneus ejusmodi transitus à litera ad spiritum*, quid inde? Nam illud de *partu virgineo* explicatur, *Matth.* 1. v. 22. & 23. itaque difficultas illa, si quæ foret, ablata esset per N. T. *Garth.* de Jud. controv. contr. Becan. p. 106. seq. *Chem.* tom. 1. Paustr. l. 15. c. 15 §. 3. & 27. p. 279. seq.

V. *Nonnulli* autumant, *Philosophiam pugnare cum Theologia*, cum *hæc* asserat *Virginem parere*, quod *illa* negat.

℞. *Philosophia* negat, virginem parere, *naturaliter*, i. e. *secundùm ordinarium naturæ cursum*, neq; etiam hoc negavit aut negabit unquam *Theologia*, ut quæ asserit, virginem parere, *supernaturaliter & modo miraculosô*. Quòd enim *partus vim non fecit virginitati matris*, id inde est, quia quòd Maria concepit & peperit, non è *viro*, sed è *Spiritu sancto* peculiari modo concepit & peperit. *Luc.* 1. v. 35. *Cornel. Martin.* in analys. Log. par. c. 4. p... *Brochm.* l. c. p. 843. prononc. 2. *Vedel.* in Ration. Theol. l. 3. c. 2. p. 346. & 371. obj. 2.

VI. *Thummius* in ταπεινώσ. p. 500. seq. sentit, *carnem Filii Dei à primo conceptionis puncto omnibus ubiq; creaturis fuisse præsentem*, quod aliàs non *ubiq; ipse fuisset Immanuel*, i. e. *Deus nobiscum*, sive *Deus in carne nostra habitans*.

℞. Id non sequitur. Nam etsi Filius Dei incarnatus ubique fuerit & adfuerit non *merus & nudus El*, sed *Immanuel*, & nullibi à *sua carne* distans fuerit; non tamen (propter factam κένωσιν. *Phil.* 2. v. 7.) inde firmiter concludi potest, quòd caro *statim & semper omnes impleverit creaturas*, cum repletio illa demum facta sit *post ascensum in cælum*, *Ephes.* 4. v. 10. Itaq; Filius Dei incarnatus est *Immanuel* necessariò & immutabiliter: ast *implet creaturas* non necessariò & immutabiliter, sed *liberè & mutabiliter*. Et *desinet creaturas multas replere*, quippe quas tandem interire sinit; nunquam autem *desinet esse Immanuel*. Fevverb. in Κενωσ. ἐ. sect. 7. c. 19. q. 8. p. 255.

VII. Argumentum *Iconolatrarum*, pro *adoratione imaginis Iesu & Mariæ*, vide confutatum in vindic. *Matth* 1. v. 23.

VIII. *Ebion*, tempore *Iohannis Evangelistæ*, dixit, *Christum ex commixtione Iosephi & Mariæ genitum esse*, quia *Theodotion* & *Aquila* vertissent: *Ecce adolescentula in utero habebit, & pariet filium*.

℞. Vox Hebræa *propriè* significat *virginem illibatam*, ex qua Christus esset nasciturus: quâ ergo veritatis specie dici potest, *ipsum ex commixtione Iosephi & Mariæ genitum esse*, ùtut verterint Hebræam vocem Theodotion & Aquila. *Irenæus* lib. 3. advers. Hæres. cap. 23. *Histor. Magdeb.* Cent. 1. lib. 2. cap. 5. p. 483.

IX. Contradictionem quandam apparentem vide conciliatam in vindic. *Matth.* 1. v. 21. m. 1.

Vers. 15. *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.*

*Thummius* in ταπεινώσ. ἐ. p. 575. soluturus argumentum, mox in vindic. v. 16. m. 2. afferendum, distinguit inter actum *naturæ*, & actum *personæ*, dicitque, Christum, *quâ homo est*, actu quidem *naturali* nescivisse discernere inter bonum & malum in sua infantia; actu verò *personali* ipsum etiam tùm scivisse omnia & singula.

℞. Ista distinctio & applicatio hîc non valet. Nam licet Christo, *quà homo est*, ista ignorantia non competierit, ex *vi actus personalis*, cui etiam gradus aliquis exinanitionis tribui nequit; tamen ea Christo competiit ex *vacuatione actûs secundi, & plenariæ usurpationis communicatæ omniscientiæ*. Sic ergo asserendus est *actus personalis*, ne negetur *facta exinanitio*. Fevverb. in Κενωσ. sect. 6. c. 4. q. 4. p. 156. seq.

Vers. 16. *Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, relinquetur terra, &c.*

I. Olim *Pelagiani*, & hodie *Anabaptistæ*, inficiati sunt, *infantes nasci cum peccato originali*, quoniam *in infantili ætate nesciant reprobare malum, & eligere bonum*.

℞. (1.) Sermo hîc est non de *quovis infante*, sed de *Christo*, ut ex v. 14. & *Matth.* 1. v. 22. seq. patet: à *Christi* autem nativitate ad *cujusvis pueri* ortum sequela non procedit. (2.) Sed etsi textus loqueretur de *quovis puero*, inde tamen *peccatum originale* negari in pueris nequit: cum aliud sit, *nescire* peccatum, idq; reprobare; & aliud, *non habere* peccatum. 1. *Tim.* 1. v. 13. dicit Paulus, *se ignorantem peccâsse*, & tamen fatetur *se maximum peccatorem*. Chemnit. par. 1 L. L. Theol. p. 245. seq.

II. *Christus, ut homo, non statim à primo conceptionis puncto semper & incessanter exeruit majestatem suæ omniscientiæ; quia ipse, ut homo, in infantia sua verè nescivit discernere bonum à malo, & illud præ hoc eligere, & hoc rejicere, nimirum propter voluntariè factam κένωσιν.*

*Thummius* in ταπεινώσ. p. 574. seq. respondet, sequelam non esse firmam, aliàs sequi, *hominem Christum a puncto conceptionis, & in infantia ne suos quidem fideles agnovisse, Ecclesiamq; suam omnisapienter rexisse*; atque hoc modo *eosdem fiduciam suam in actu ignorantem collocâsse, precesq; suas direxisse ad actu ignorantem*.

℞. (1.) Nos non dicimus, quòd *Christus, ut homo, statim a puncto conceptionis, & in infantia suam Ecclesiam omnisapienter rexerit*; tùm enim nondum *exaltatus erat ad regnum gratiæ* (ut & gloriæ) *plenariè administrandum*. (2.) Non omnes fideles eo tempore preces suas *explicitè* direxerunt *ad ipsum conceptum & natum Mariæ Filium*, ceu *jam tum exhibitum Messiam*, quia non omnes *explicitè* sciverunt, quod *ille ipse Mariæ Filius conceptus & natus*, fuerit *exhibitus mundo Messias*, ùt clarè videre est ex *Johann.* 1. v. 31. & *Galat.* 3. v. 23. & tamen *Messiam promissum in typis fiducialiter invocarunt*. Itaque circa *illud tempus*, absurdum, quod Thummius profert, non valuit. *Fevverb.* in Κενωσ. ἐ. sect. 6. cap. 4. q. 1. 2. 3. p. 155. seq.

Vers. 18. *Et erit, in die illa sibilabit Dominus muscæ, quæ in extremitate fluminum Ægypti; & api, quæ in terra Assur.*

Verba hæc exhibent (1.) Ἀνθρωποπάθειαν: Deo enim tribuitur *sibilatio*, quâ hominum, in certum locum, *advocatio divina* innuitur. Sic enim alicubi moris est, ut *homines, canes, aliæq; pecudes*, sibilo advocentur. (2.) *Metaphoram*: nam *Ægypti* dicuntur *muscæ*, ob *imbecillitatem virium*, qualis in insectis illis est; *Assyrii* verò *apes*, ob *lædendi δύναμιν*, qualis in apibus. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 124. & cap. 11. p. 333.

Vers. 19. *Et venient & requiescent omnes ipsi in torrentibus vastitatum, & scopulis petrarum &c.*

Continuat S. Vates *metaphoram*. Quia enim *hostes populi Iudaici* semel *muscas* & *apes* nominavit, igitur translationem servat & in reliquis, ac si omnia

mnia loca infecta illa completura essent. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 333.

Vers. 20. *In die illa radet Dominus novaculâ conductitiâ in transflumen, Rege Assur, caput & pilum pedum, & etiam barbam consumet.*

En (1.) Ἀνθρωποπάθειαν: DEUS enim *radere* dicitur *caput, crinem & barbam*, cum spoliari & vastari terram curat, & homines ex ea disperdit. (2.) *Metaphoram*: nam *Rex Assyriæ* vocatur *novacula*, quia omnia expilavit & exhausit in regno Israelis, & quidem *conductitia*, respectu habito ad *Achazi Regis factum*, qui mercede Assyrium conduxerat ad suppetias ferendas adversus Syros, 2. *Reg.* 16. v. 7. seq. (3.) Ellipsin: *In transflumen*, h. e. *in eo quod est transflumen*, uno verbo, *transfluviali*. (4.) *Synecdochen generis* pro specie: *Euphrates* enim dicitur *flumen* κατ' ἐξοχὴν, ob *magnitudinem*. (5.) Hypallagen: *Caput & pilum pedum*, pro *pilum capitis & pedum*. (6.) *Enallagen* numeri singularis, *pilum*, pro plurali, *pilos*. (7.) *Euphemismum*: siquidem honesto vocabulo, רַגְלַיִם, quod *pedes* significat, *res turpis* significatur, nempe *pubes*. (8.) *Prosopopœiam*, quâ *regnum Israelis* allegoricè cum *corpore humano* comparatur: *Pilos capitis & pedum, & etiam barbam consumet*, h. e. omnia â *summo ad imum* disperdet, nihil relinquet intactum in toto regno. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 5. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 165. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 631. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 3. sect. 8. n. 1. p. 306. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 135. cap. 9. m. 5. p. 204. cap. 12. p. 407. Confer cap. 14. m. 2. p. 441.

Vers. 23. *Et erit, in die illa erit omnis locus, quo fuerit ibi mille vites, in mille argenteis, in veprem & in spinam.*

Iteratur (1.) *Enallage* tum *numeri* singularis, *vitis*, pro plurali, *vites*; tum *nominis* substantivi cum præfixo ל AD vel IN, pro adjectivo: לַשָּׁמִיר וְלַשַּׁיִת, *in veprem & in spinam*, h. e. *vepribus & spinis obsitus, spinosus*. (2.) Ellipsis: *In mille argenteis*, subint. *siclis valentes*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 5. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 165. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 9. m. 1. p. 40.

Cap. IIX. v. 1. *Et dixit Dominus ad me: Tolle tibi volumen grande, & scribe in eo stylô hominis &c.*

*Enallage* est nominis *substantivi* pro *adjectivo*: בְּחֶרֶט אֱנוֹשׁ, *stylô hominis*, h. e. *humano*, q. d. *manifesto*, & verbis humanis, literisq; notis, ut omnes, etiam *viriles* & simplices possent id, quod erat scribendum, intelligere. *Glass.* lib. 1. Phil. Sacr. tract. 3. sect. 2. p. 283.

Vers. 2. *Et testificari faciam mihi testes fideles, Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ.*

I. *Enallage* est temporis futuri, *testificari faciam*, pro præterito, *testificari feci*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 166.

II. Offert se species quædam ἀντιλογίας: hîc enim *Vrias Sacerdos* dicitur *fidelis testis*: cùm tamen *Vriæ perfidia* satis nota sit ex 2. *Reg.* 16. v. 11.

℞. (1.) Tempora sunt distinguenda: Urias enim *primùm* fuit fidelis, *postea* verò descivit â sincera religione. (2.) *Religionis corruptela* ei fidei, *quæ in teste requiritur*, nihil derogat. Nam alioqui ad probitatem & integritatem fidei *in Deum* non spectat Propheta; verùm cum, tunc magna fuerit Uriæ illius apud *populum*, propter Sacerdotii dignitatem, auctoritas, ejus, quamlibet *impii hominis*, testimonio hac in re uti voluit Dominus. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 16 b. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 120. *Iun.* in Schol. Bibl. p. 632. n. 7.

Vers. 3. *Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium: Et dixit Dominus ad me: voca nomen, &c.*

*Iudæi* opinantur, *Esaiam* c. 7. v. 14. non loqui de matre *Messiæ*, sed de *uxore sua*, utpote *ad quam ipse accesserit, quæq; conceperit, & pepererit filium*: itaque *puerum* c. 7. v. 14. *promissum, natum esse dici* c. 8. v. 3. & quidem ex *Prophetissa*, h. e. *uxore Esaiæ*.

℞. (1.) *Hæc historia* planè diversa est ab *historia præcedentis* c. 7. Agit enim hoc in c. 8. Propheta tantùm cum *populo Iudaico*, & non ampliùs cum *Rege Achazo*; annunciando quidem eandem liberationem, verùm non *voce*, sed *scripto*, idque non signo *miraculoso*, sed *symbolo filii sui*, ut prioris signi typi, qui tùm nasci debebat ex *uxore sua*, non certè *juvenculâ*, quia habebat filium *Schear Iaschub* ejus ætatis, ut *collega patris esse possit* in obeunda legatione ad Regem, *Esa.* 7. v. 3. Diversissima etiam horum puerorum sunt *nomina*: Virginis enim, *Esa.* 7. v. 14. vocatur *Immanuel*; Prophetissæ verò *Macher Schalal Chasch*. (2.) Posito, nomine *Prophetissæ* intelligi *Iuvenculam*, & voce *filii* Macher Schalal Chaschi, eundem *Immanuelem*, c. 7. v. 14. id tamen non juvaret Judæos. Ipsis enim probandum esset, *illam Prophetissam* fuisse *uxorem Esaiæ*.

Oggannunt verò I. Prophetam, matre *Schear Iaschubi* mortuâ, *juvenculam* duxisse, è qua susceperit filium, c. 7. v. 14. *Immanuelem*, & c. 8. *Macher Schalal Chaschi* dictum.

℞. Figmentum hoc Judaicum est, quod nullo modo probabitur: eâdem igitur facilitate rejicitur, quâ profertur.

2. *Vtrumq; nomen idem utrobiq; significare*, & propter *eam significationem* ista nomina *puerum* accepisse.

℞. Falsum & hoc est: quandoquidem *Immanuel* significat, *nobiscum Deus*, eratque signum *universale Ecclesiæ*, contra hostes â Deo defendendæ; sed *Macher Schalal Chasch Bar* notat, *propera ad spoliandum, festina ad deprædandum*, eratque signum *particulare*, nimirum *regnum Israeliticum ac Syriacum jam mox ab Assyrio hoste esse spoliandum ac deprædandum*. Jacob. Martin. l. 5. de trib. Eloh. c. 43. p. 247. c. 119. p. 536. 568. 569. 570. seq.

Vers. 6. *Propterea quòd populus iste reprobavit aquas Siloah, euntes leniter, & gaudium cum Rezino & filio Remaliæ.*

I. Esaias utitur (1.) *Ellipsi* nominis: *Populus iste*, scil. *Iudaicus*. (2.) *Metaphorâ*: nam per *fontem Siloah* intelligit *familiam Davidis*, sive *regnum Zionis*, â *Deo institutum*, & *in familia Davidis conservandum*, quod humile & infirmum erat, respectu *regnorum Syriæ & Israelis*, sicut *fons Siloah* leniter, sensim, & cum silentio fluebat. (3.) *Hebraismo*: וּמְשׂוֹשׂ אֶת־רְצִין, *& gaudium cum Rezino*; ubi substantivum regit nomen cum præpositione separata. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 166. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 631. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 1. p. 114. & lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 261. seq.

II. *Humblans* in Epitom. de V. D. controv. 1. c. 10. vult, nomen שִׁילֹה *Gen.* 49. v. 10. esse unum ex *propriis nominibus Messiæ*: nam id rectè haberi hîc scriptum.

℞. (1.) Exinde non probatur, nomen *Schiloah* ut *proprium Messiæ nomen* usurpari: neque enim *sensu literali* hîc de *Messia* agitur, sed de *leni illa fonte Siloa*, Vatablo teste in h. l. (2.) Ex hoc Esaiæ loco ad *corruptionem*. *Gen.* 49. v. 10. probandam argumentari velle, est â baculo ad angulum argumentari: quid enim locus *Esaiæ* commune habet cum illo

Gene-

*Genesews?* Glass. l. 1. Philol. sac. tract. 1. par. 2. sect. 2. n. 6. p. 75.

Vers. 7. *Et ideo ecce Dominus ascendere faciens super eos aquas fluminis multas & fortes, Regem Assur, & omnem gloriam ejus, &c.*

Ecce (1.) *Metaphoram*: quia *aquæ* denotant *populum*, qui hostiliter terram invadit, & in ea grassatur. (2.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: Omnem *gloriam ejus*, h. e. *copias*, de quibus gloriatur infra c. 10. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 632. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 254.

Vers. 8. *Et pervadet Judæam, inundabit & transibit, usq; ad collum pertinget, & erit extensiones alarum ejus plenitudo latitudinis terræ tuæ, ò Immanuel.*

Offert se (1.) *Hebraismus*: שָׁטַף וְעָבַר, *inundabit & transibit*, pro *inundando transgredietur*. (2.) *Metaphora*: tum quia *inundare* aquas *multitudinis hostium irrumpentium* notionem obtinet; tum quia nomine *alarum extensarum* notatur *hostilis & numerosus exercitus Regis Assyrii*, comparati *maximæ volucri*, quæ tam sit vasto corpore & alis amplis ac latis, ut quamvis prædam extensione illa corripiat & occupet. (3.) *Prosopopœia*: Usq; ad *collum* pertinget, i. e. usque ad *Hierosolymam*, in qua *caput regni* erat; ubi *regnum* cum *humano corpore* comparatur. (4.) *Enallage numeri* pluralis, מֻטּוֹת, *extensiones*, pro singulari, *extensio*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 6. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 166. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 632. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 9. m. 5. p. 204. cap. 10. p. 254. 255. 265. cap. 11. p. 331.

Vers. 9. *Consociamini populi, & conterimini, auscultate omnes longinqui terræ, accingimini & conterimini, accingimini & conterimini.*

Est hîc (1.) *Ironia*: Sarcasticè enim provocat Esaias populos, q. d. *agite quidlibet*, confirmate vos fœderibus, armis, auxiliis; id tamen solùm efficietur, quod Immanueli nostro placebit, v. 10. (2.) *Metaphora*: nam *conteri* est *perdi*. (3.) *Epizeuxis*: hæc enim repetitio *sarcasticam apostrophen* arguit, *accingimini & conterimini*. Vatabl. in annot. ad h. l. p. 166. *Glass.* lib. 5. Philol Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 87. Confer tract. 1. cap. 12. p. 380. & tract. 2. cap. 1. m. 1. p. 517.

Vers. 12. *Non dicatis, conjuratio, ad omnia, quæ dicet populus, conjuratio: & timore istius ne timeatis, & ne faciatis expavescere.*

Redit huc (1.) *Enallage temporis* futuri, *dicet*, pro præsenti, *dicit*, seu *dicere solet*. (2.) *Hebraismus*: וְאֶת מוֹרָאוֹ, *& timore istius* (populi) *ne timeatis*, h. e. *timore simili illius populi timoris*. Item: לֹא תַעֲרִיצוּ, & *ne faciatis expavescere*, h. e. *ne expavescendum esse dicatis sive proclametis*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 6. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 167. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 8. p. 112. & tract. 3. can. 13. p. 267.

Vers. 13. *Dominum exercituum illum sanctificabitis, & ipse timor vester, & ipse pavor vester.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Pleonasmus*: luxuriosè enim, energeticè tamen relativum, אֹתוֹ, *illum*, suo substantivo postponitur, q. d. *ipsum, inquam*, sanctificabitis, (2.) *Enallage* indicativi, *sanctificabitis*, pro imperativo, *sanctificate*. (3.) Ellipsis verbi substantivi: *Et ipse*, scil. *sit*. (4.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *timor & pavor* sumuntur pro *timoris & paveris objecto*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 6. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 167. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 25. m. 2. p. 218.

Vers. 14. *Et erit* (Dominus exercituum) *in sanctificationem, & in lapidem percussionis, & in petram offensionis, duabus domibus Israel, in laqueum & in rete habitanti Hierosolymæ.*

I. Occurrit jam (1.) *Ellipsis* pronominis, ex membro antitheto resumendi: *Et erit*, scil. *vobis* (2.) Ἀνθυποφορὰ. *Christus* enim dicitur *lapis percussionis & petra offensionis*, item *laqueus & rete Israelitis atq; Judæis*, quia in ipso multi cadentes offendentur, & irretiti capientur, v. 15. (3.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *domus Israelis* pro *populis ex familia Israelis* ortis, accipiuntur. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 633. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 183. Confer cap. 3. m. 2. p. 37.

II. *Socinus* in Refutat. Bellarm. & Wieck. p. 124. asserit, ea, quæ de *illo uno Deo Esaias* hic prædicat, à *Simeone*, Luc. 2. v. 34. *Paulo*, Rom. 9. v. 32. seq. *Petro*, 1. Petr. 2. v. 8. de ipso *Christo propriè* dici non posse: siquidem multò *ante Christi adventum* impleta fuerint, quoniam ibi prædictio sit de utriusque *domus Israelis captivitate*, quarum *illa* instabat, *altera* pluribus annis post futura erat.

℞. Consequentia planè nulla est, propter præsuppositum falsum, nimirum ea, quæ de *Christo*, tanquam *lapide angulari Ecclesiæ, ejusq; prædicatione in Evangelio* dicuntur, non esse *omnium temporum* V. T. sed tantum Novi, cum Jesus Christus sit *heri*, idē & in *secula*, Hebr. 13. v. 8. & Evãgelii sermo *semper* sit aliis odor vitæ ad vitam, & aliis odor mortis ad mortem, 2. *Cor.* 2. v. 16. ac proinde *utroq; tempore de Christo* vaticinium istud impletum dici potest, qua de re confer *Psal.* 69. v. 26. & *Psal.* 109. v. 8. cum *Actor.* 1. v. 20 *Habac.* 1. v. 3. cum *Actor.* 13. v. 41. & videbis, *idem* & in V. & in N. T. esse completum. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 195. seq.

III. *Anabaptistæ* nugantur, verba Cœnæ, *hoc est Corpus* meum, *tropicè* esse intelligenda; cum & hæc, *Christus est lapis offendiculi*, sint *tropica*.

℞. (1.) Utrobiq; non est *tropica* locutio: nam Christus verè est *lapis offendiculi*, quia maxima Judæorum multitudo se offendit spreta & abjectâ specie Christi crucifixi atq; mortui, &c. *qualem Christum non significavit*, sed *talis verissimè extitit*. (2.) Quòd si *tropus* hîc concederetur, non tamen sequeretur, quia *illa* propositio est figurata, ergo & in Cœna *talis* sit, necesse est. *Hinckelm.* disp. 5. contr. Anab. cap. 1. err. 1. thes. 5.

IV. *Piscator Herbornensis* in lib. de Grat. Dei contr. Hemming. p. 27. & 123. pro *absoluto æternæ reprobationis decreto* urget, Christum hoc fine Judæis à Deo esse positum, *ut in eum impingant*, tanquam in *lapidem offendiculi*; id quod *decretum* cum ipso *eventu* indivulsè sit conjunctum.

℞. Quando Christus dicitur positus lapis scandali, & petra offendiculi, tum non describitur *absolutum aliquod æternæ reprobationis decretum*, cujus vi, *irresistibiliter necessitante*, scandalum illud omninò oriundum sit; sed *justum Dei vindicis judicium*, punientis hominum incredulitatem & malitiam. *Per se* enim, & respectu divinæ voluntatis *antecedentis*, Christus est petra *salutis & rectitudinis*, qua de re vide *Hose.* 13. v. 9. & c. 14. v. 10. *per accidens* autem, & ratione voluntatis *consequentis ultricis*, Petra lapisq; *scandali & offendiculi*, 1 *Thess.* 5. v. 9. & 1. *Petr.* 2. v. 7. seq. *Fewerb.* fasc. 5. Dissert. Theol. disp. 4. thes. 10. & 16. p. 149 & 151.

Vers. 16. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis, &c.*

I. *Metaphora* est: Propheta enim à DEO *ligare* jubetur testimonium, h. e. prophetiam & verbum suum *abscondere*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 380.

II. Sal-

II. *Salmero* tom. 1. proleg. 2. *Scripturam arguit obscuritatis, quòd ipsa sit signata illis, quibus se Deus abscondit, nec eos intelligentiæ lumine perfundit.*

℟. Ex hoc quidem loco verè colligitur, Scripturas esse obscuras iis, *quos Deus non illuminat*: sed id vitium nullum est *Scripturæ*, imò eorum potiùs, *quibus obscura*. Nostra autem quæstio nulla est, utrum *ab omnibus intelligantur Scripturæ*, sed utrum *ita facta sint, ut suo vitio percipi nequeat earum sensus verus & genuinus*. Esaias autem *hoc* non asserit: imò disertè ligari testimonium præcipit, signariq; legem, non *discipulis suis*, sed *in discipulis*. *Illud* si dixisset, tum videri posset asserere *legem universaliter obscuram*: nam si *ipsis discipulis Dei*, multò magis *reliquis hominibus*. Sed *hoc* cum dixit, significavit, esse quasi *thesaurum quendam inter discipulos suos*, sic, ut extra eos ne patescat. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 15. c. 13. §. 12. seq. p. 277.

Vers. 17. *Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.*

*Socinus* in Refut. Bellarm. & Wieck. p. 125. infert, verba *Esa.* 8. v. 14. solùm ad *ea tempora* pertinere, quibus *captivitates domûs Iacob & Iudæ evenerunt*: nam propter *eas Dominum dici abscondisse faciem suam à domo Iacob.*

℟. N. C. Dominus enim *abscondit faciem suam* non tantùm in captivitate Jacobi *ante Christi adventum*, sed & *post eum*, Matth. 23 v. 38. Itaq; v. 14. non tantùm de tempore *ante adventum Christi* agit, sed de *omni tempore militantis Ecclesiæ*, in quo Christus est *signum & ostentum impiis*. Tarnov. de SS. Trinit. p. 196. seq.

Vers. 19. *Et cum dixerint ad vos: Quærite ad Pythones, & ad ariolos, garrientes & pipientes. Nonne populus ad Deum suum quæret? pro vivis & pro mortuis.*

I. Recurrit (1.) *Metaphora*: nam *garritus avium* de *Pythonibus & Ariolis* dicitur, qui in ventre suo, aut imis faucibus ita pipiunt, ut *pulli nondum exclusi suo putamine*: aut si quid voce efferunt, ita illud mussant, ut *Sibylla* ex tripode, *Esa.* 29. v. 4. (2.) *Ellipsis* verbi, ex membro præcedente repetendi: *Pro vivis*, scil. *quæret*. Jun. in Bibl h. l. p. 633. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 332.

II. *Petrus Cluniacensis* lib. 1. Epist. contr. Petrobrus. f. 32. exinde conclusit, *esse animarum Purgatorium post hanc vitam*, quia *Deus sit consulendus pro mortuis*, i. e. *orandus pro salute mortuorum.*

℟. (1.) *Abbas* imposturam passus est à *Latino Interprete*, qui ea expressit, quæ non legit. Fontes Hebraicæ veritatis, *Pagnino* interprete, sic habent: *Num populus à Deo suo requiret? pro vivis à mortuis?* Atque ita etiam est in editione Græca: Οὐκ ἔθνος πρὸς θεὸν αὐτοῦ ἐκζητήσουσι: τί ἐκζητήσουσι περὶ τῶν ζώντων τοὺς νεκρούς; *Nonne gens ad Deum suum requiret? quid requirent de vivis mortuos?* Non potest falsum negari, eâdem phrasi dictum esse, אֶל־הַמֵּתִים, quâ prius dictum, אֶל־אֱלֹהָיו: cur ergo non reddamus, *à mortuis*, itidem ut, *à Deo suo*? Neq; in Hebræo est copulativa particula ET, sed אֶל, quam vocem vetus translatio reddidit A, Arias verò AD, & non PRO. (2.) Abbas etiam fecit imposturam, cùm pro eodem sumi volebat, *consulere Deum pro mortuis*, &, *orare Deum pro salute mortuorum*. Nam certè דָּרַשׁ non ita sonat, sed *inquisitionem ejus rei*, quam quis scire velit. Itaque *inquirere pro mortuis*, de iis diceretur, *qui, quo in statu essent mortui, scire optarent*. Tum autem, quis audivit unquam, *Gentes deprecatas esse idola pro salute mortuorum*? Histor. Magdeb. Cent. 12. c. 5. p. 840. *Gerhard.* tom. 8. L. L. CC. loc. 29. de Mort. §. 244. obj. 6. p. 450. *Thummi.* de Purgat. p. 113. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 26. c. 15. §. 8. -13. p. 588.

III. *Gretserus* in Colloq. Ratisbon. sess. 2. p. 55. negat, *Deum* v. 20. seq. *misisse populum suum tantum ad legem & testimonium scriptum*, cum etiam ipsum miserit ad *vivos*, id est, *Sacerdotes*, à quibus potius veritas inquirenda sit.

℟. (1) Populus hîc ablegatur, non ad *Sacerdotes vivos*, quia illi tunc erant cœci. *Esa.* 56. v. 10. *cœci* autem sunt dimittendi, *Matth.* 15. v. 14. sed ad *Deum vivum*, qui per legem & testimonium loquitur. Falsum itaque est doceri, *veritatem inquirendam à vivis potius Sacerdotibus, quàm à mortuis*; verum *ostenditur potius absurditas eorum*, qui mortuos consulant pro vivis. (2.) Sed etsi concedatur, populum ad *vivos etiam Sacerdotes* ablegari; tamen hos non jussus est audire *præter legem* pronunciantes, sed *juxta legem*, v. 20.

*Tannerus* in Compend. relat. Colloq. Ratisb. p. 9. excipit, per *vivos* non intelligi *Deum viventem*, quoniam aliàs haberemus *plures Deos vivos*, quàm unum.

℟. (1.) Propheta ibi utitur *enallage numeri*, quâ & Moses, *Deut.* 5. v. 26. usus est: *Quæ fuit unquam caro, quæ audivit verba Deorum viventium, Jehova Dei nostri?* Num igitur jam & Moses habuit *plures vivos Deos*, quàm unum, Tannere? (2.) Si vel maximè per *pluralem numerum* Propheta simul notaret *Doctores populi*; κατ᾽ ἐξοχὴν tamen comprehenderetur *ipse Deus*: siquidem negari non potest, inter *omnes vivos* vel inprimis *Deum* cunctis in rebus consuli oportere, v. 19. *Hunn.* in Colloq. Ratisb. sess. 2. p. 55. & tom. 2. Oper. Lat. p. 466. *Libav.* in Analys. Colloq. Ratisb. par. 1. p. 57. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 1. c. 9. §. 4. p. 5.

IV. *Becanus* l. de judic. controv. relig. Christ. p. 139. §. 115. autumat, hoc loco eos tantum reprehendi, *qui irent ad augures & Pythonissas*; hoc autem nihil facere ad *judicem controversiarum*, cum nulla sit sequela: *Non licet consulere augures & Pythonissas, ergo sola Scriptura est judex controversiarum.*

℟. Propheta non tantum docet, *Pythonissas consulendas non esse*, sed econtra quoq; ad *Deum ipsum ejusq; verbum*, legē & testimonium, (quod omittit Becanus) nos remittit, v. 20. Itaque sic potius concludendum est: *In rebus dubiis non sunt consulendi Pythones & Arioli, sed Deus, in verbo suo loquens; ergo in rebus dubiis non Pythones & arioli, sed Deus, in verbo suo loquens, est judex.* Gatth. l. de judic. controv. relig. Christ. contr. Becan. p. 431. seq.

Vers. 20. *Ad legem, & ad testimonium: si non, dicant secundum verbum hoc, cui non est aurora.*

I. Ecce (1.) *Ellipsin* verbi, ex v. 19. repetendi: *Ad legem & ad testimonium*, scil. *quæsitum ennte*; & *si non*, subint. *quæsitum iverint*. (2.) *Ironiam*, quâ cum indignatione permittit contrariū: *Dicant sanè*, quia aliter nolunt, etiam sæpius serioque moniti. (3.) *Pleonasmum*; nam ly *et* redundat. Sensus est: *Dicant, inquam, secundum verbum hoc, cui non est aurora.* (4.) *Metaphora*: per שַׁחַר enim, *auroram*, notatur *gratia DEI*, ex eaque orta *consolatio & pax Spiritus Sancti*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 136.

II. *Verbum DEI scriptum est unica norma in rebus, ad fidem & religionem pertinentibus*: quia *ad illud unicè remittit Dominus populum suum, qui juxta id ipsum pronunciet.*

Obtendunt 1. *Gretserus* in Colloq. Ratisb. sess. 2. p. 53. non sequi, quia Deus miserit quidem populum suum

lum suum ad *legem & testimonium*; sed non ut *unicam ad normam*, cum non dixerit, ad *solam* legem, ad *solum* testimonium.

℞. Quamvis Propheta apicibus literarum non adjecit exclusivam, ad *solam legem*, & ad *solum testimonium* esse recurrendum; tamen annexa *comminatio* vim *exclusiva* evidentissimè continet: *Si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis aurora.* Ergo *semper juxta verbũ hoc dicendum, ne pœna interminata incurratur.* Si enim ille, *qui non consulit legẽ & testimonium, æternis tenebris est adjudicatus*, utiq; è contrario sensu, *qui luce veritatis cœlestis velit illuminari, non nisi legem & testimonium consulat*, necesse est. Quoniam ergo *juxta legem & testimonium*, idem est, quod *juxta normam legis & testimonii*; & verò nulla fuit causa religionis, *in qua non ad legem & testimonium Judæi fuerint allegati*: utique ad *legem & testimonium*, tanquam *unicam ad normam*, eos Deus remisit.

2. *Tannerus* in Compend. relat. Colloq. Ratisb. p. 9. Judæos debuisse facere *juxta legem*, ut tamen etiam potuerint in cultu facere aliquid *extra legem*, cum *extra legem*, &, *juxta legem*, simul stare possint.

℞. Imò verò nulla fuit causa religionis, quæ *extra legem*, & *extra testimonium scriptum* dijudicari debuerit, quia in *omnibus rebus fidei, cultus & religionis* vult Deus attendi *legem & testimonium*, & quidem *tantum*, neque addi quicquam, neque minui, *Deut.* 12. v. 32. Stolidè igitur somniat Tannerus, *extra legem*, & *juxta legem*, stare simul posse.

3. *Id. ibid.* non idem esse, *juxta legem*, & *expressum in lege*; itaque posse decidi *juxta legem*, licèt *non exprimatur in lege*, quod deciditur.

℞. Inaniter hoc objectat Jesuita: decisio enim quamvis non *totidem verbis* exprimitur in lege, tamen in ea sic *extat fundata*, ut ex *ipsamet lege* deduci possit & eriui.

4. *Becanus* l. de judic. controv. relig. Christ. p. 139. §. 114. Judæos remitti partim ad *legem specialem*, Deut. 18. v. 9. contra pythones & ariolos latam; partim ad *testimonium Prophetarum*, qui de *futuris eventibus* prædicere solebant: & Deum velle, ut, si Judæi malint fieri certiores de *futuris eventibus*, non consulant *Pythonissas*, quia hoc in *lege* prohibuerit; sed consulant *Prophetas Domini*, quorum officium sit, de *futuris pronunciare*.

℞. (1.) Adversarius per *legem* malè intelligit *specialem tantùm legem*, Deut. 18. v. 9. contra pythones & ariolos latam. Præterquam enim, quòd vocabulum *legis* absolutè ita positum, & vocabulo *testimonii* conjunctum, *universam legem Dei scriptam* denotat, ut *Psal.* 78. v. 5. *Ierem.* 44. v. 23. *Nehem.* 9. v. 34. nemo est, qui non intelligat, ex uno illo præcepto de non consulendis pythonibus, magis & ariolis, non posse Deum in *omnibus dubiis* requiri, voluntatemque & sententiam ejus cognosci; id quod tamen de *lege & testimonio suo* Deus hoc loco asserit, cui quoque calculum addit *Hieronymus* in Comment. h. l. (2.) Per *testimonium*, Prophetarum de *futuris eventibus prædictiones* malè quoque intelligit Becanus: neque enim vel unicum saltem locum monstrare potest, in quo vox *testimonii*, aut *separatim & absolutè* posita, aut vocabulo *legis* addita, significet testimonium *Prophetarum, futura prædicentium*. (3.) De quibus Propheta *in genere* dicit, non esse consulendos pythones & ariolos, sed Deum in verbo suo scripto; ea *in specie* ad *futuros tantùm eventus* itidem malè accommodat Jesuita. Notum enim est, Ethnicos non tantùm de *futuris eventibus*, sed etiam de *cultu & voluntate Deorum* in casibus dubiis pythones, ariolos & augures consuluisse, uti videre est ex *Deut.* 18. v. 14.

5. Non nemo Papistarum, nos non minùs ad *vivæ vocis traditionem* à Domino revocari, videl. ad *testimonium*, quàm ad *scriptam legem*.

℞. *Testimonii* vocabulo non denotatur ἄγραφος *traditio*, sed ipsa V. T. *scripta doctrina*, interprete ipsa Scriptura, *Exod.* 40. v. 20. *Deut.* 4. v. 44. c. 5. v. 17. & 20.

6. *Gretserus* in Not. ad thes. Hunn. de ineund. Colloq. cum Pontif. exinde sequi, *solam Scripturam veterem, scriptam ante Esaiam*, vel etiam *solam legem Mosaicam esse normam omnium controversiarum*: quid ergo fiet de *Propheticis cæteris libris*? num *ij à normæ excludentur*?

℞. Minimè verò: nam Prophetæ non *conficiebant alias à Mosaica normas*, sed *illam sequebantur*, ejusque capita ac dogmata clariùs pro suo dono quisque interpretabatur. *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin p. 465. seq. *Schröder.* de Judic. controv. relig. Christ c. 15. obj. 1. p. 370. *Rubel.* in Anti-Gretser. par. 3. cap. 3. p. 309. 310. seq. *Gerh.* l. de Judic. controv. relig. contr. Becan. p. 409.-433. *Stegm.* de Judic. controv. relig. membr. 4. p. 277. seq.

III. *Non opus est traditionibus non-scriptis in causa religionis: quia tantùm ad scriptum Dei verbum in omnibus fidei & morum dubiis remittimur à Deo.*

*Pazmannus* in Hodeg. reg. erit 1. si ad *legem tantum*, ab Esaia consignatam respicere debeamus, *delenda esse omnia Evangelistarum & Apostolorum scripta.*

℞. A *doctrina* ad *libros* argumentari, frivolum est. Hoc in loco conjunguntur *lex & testimonium*, hoc est, *doctrina legis & Evangelii*, prout ea in Mose & Prophetis proposita fuit. Aliam *doctrinam* quærere prohibuit Deus, non alios *libros* prohiber, eandem doctrinam complectentes.

2. Si *in specie ad scriptam legem* remitteret Propheta Judæos, unâ eâdemque viâ ad *traditiones* quoque & *Ecclesiam* eos remisisse; cum ipsi aliunde scire non potuerint, qui sint *libri Mosis*, quàm ex *traditionibus Ecclesiæ*.

℞. (1.) *Judæos non habuisse traditiones non-scriptas*, fatetur *Bellarminus* l. 4. de V. D. c. 8. quomodo ergo *libri Mosis ex traditione* saltem ipsis innotescere potuerunt. (2.) Quorsum opus habuerunt *traditione* hoc in genere, cum in *ipsis libris Mosis* legerint, quòd ipse Dei præceptum habuerit, *Exod.* 34. v. 27. *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum filiis Israel pepigi fœdus.* Cui mandato paruit Moses: scripsit enim *legem hanc*, & tradidit eam Sacerdotibus, *Deut.* 31. v. 9. (3.) Quòd *libros Mosis* per traditionem manuum Judæi á majoribus acceperint, non nego: sed aliud sunt *libri*, aliud *lex Dei*, in *libris* descripta. Ad *hanc* remittit Deus populum suum, prout in Mose descripta erat: aut ostendat *Iesuita* nobis *aliam legem Dei*, quam *Moses* non scripsit; qood ad calendas Græcas faciet.

3. Vanam esse consequentiam: *Esaias remisit Judæos ad legem & ad testimonium*, ergo *vanæ sunt traditiones*; cum illi ad *alia* quoque remittantur.

℞. Optima est consequentia: quia in causa religionis *extra legem & testimonium* nihil decernere licet, sub interminatione gravissimæ pœnæ; sed *tantùm juxta scriptum illud verbum*, extra quod sunt traditiones non scriptæ. *Balduin.* in Phosph. Cathol. l. 6. c. 13. p. 654. seq.

Vers. 21.

Vers. 21. *Et pertransibit in illa induratus & esuriens, & erit, &c.*

*Enallage* est tum *numeri* singularis, *pertransibit induratus & esuriens*, pro plurali, *pertransibunt indurati & esurientes*; tum relativi, בָּהּ, *in illa*, pro antecedente, *Iudæa*. Chaldæus habet, בְּאַרְעָא, *in terra*, Lutherus, im Lande. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 167. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 12. p. 396. lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 236.

Cap. IX. v. 2. *Populus, ambulantes in tenebris, viderunt lucem magnam: habitantibus in terra umbræ mortis, lux splenduit super eos.*

I. Esaias adhibet (1.) *Enallagen numeri*: nomini enim collectivo singulari, *populus*, respondet verbum plurale, *viderunt*. (2.) *Metaphoram*: siquidem uti *tenebræ* significat *errores & perversitates doctrinæ cælestis*, ita *lux* notat *ejusdem veritatem atq; eminentiam*. (3.) *Pleonasmũ*: quoniam redundat, *super eos*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 6. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 168. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 233.

II. *Anonymus ille Semijudæus* in tract. de fundam. relig. Christ. membr 2. arguit, *Davidi promissionem regni Israelitici, usq; in seculum possidendi, factam esse*, adque *eam respicere Esaiam*, cum *liberationem à captivitate, & restitutionem regni illius hoc loco Iudæis promittit.*

℞. Esaiam hîc *respexisse ad primam promissionem factam Davidi*, deq; *liberatione ex captivitate Babylonica vaticinari*, falsum est. Nam intexerit prophetiam de *futuro Christi regno*, ad quod lumine *Evangelii* adducēdæ etiam sint *Gentes*, quæ in densissimis *ignorantiæ de Deo* tenebris, & in caliginosissimis *æternæ mortis* umbris hactenus sederunt.

Excipit ille, per *lucem* significari *gaudium magnum*, ob liberationem ab illa captivitate; non verò *Evangelii lumen*.

℞. Hoc omni caret fundamento: Ut enim *per se* dura est & inconveniens hæc metaphora; sic vix, acne vix quidem, aliquod exemplum ex *Scriptura*, vel etiam *aliis autoribus* Adversarius adferet, nempe ubi vocabulum *lucis* per metaphoram sit positu pro *gaudio*. Jacob. Martin. l. 3. de trib. Eloh. c. 85. p. 449.

III. *Meisnerus* par. 1. Philos. sobr. quæst. gener. p. 35. censet, *principia rationis fidem dubiam facere*, cum *ratio tenebris involuta sit*.

Respondet *Vedelius* in Rational. Theol. l. 3. c. 14. p. 722. locum hunc de ratione *corrupta*, & in *infidelibus* existente, loqui, in quibus certè *ratio* non sit *sapientia*, sed *stultitia*, 1. Cor. 3. v. 18. 19. 20. aliam autem esse conditionem rationis *fidelium*, ut qui non ampliùs in *tenebris* sint, sed in *luce*, Ephes. 5. v. 8. perperam igitur *illis* adaptari locum, qui de iis loquatur, *qui in tenebris infideles versantur*. Ita ille.

Vers. 3. *Multiplicâsti gentem, non magnificâsti lætitiam: lætati sunt coram te secundum lætitiam in messe, quemadmodum exultabunt, in dividendo ipsos spolium.*

I. *Hebraismus* est: כְּשִׂמְחַת בַּקָּצִיר, *secundùm lætitiam in messe*, h. e. *messis*, qualis scil. tempore messis abundantis agitari solet; ubi substantivum regit nomen cum præpositione ב connexa. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 1. pag. 113.

II. Propheta sibi contradicere videtur: hîc enim de *Messia* dicit, quòd *non magnificâris lætitiam*, in vocatione Gentium ad Ecclesiam; cùm c. 60. v. 5. de Judæorum Ecclesia referat, quòd *sit mirATURA & dilatatura cor suum, quando venerit fortitudo Gentium.*

℞. (1.) *Arias* in margine Bibliorum hujus loci sentit; לֹא positum esse pro לוֹ, ut sit sensus: *multiplicâsti gentem ipsi*, id est, *ei ipse*, *dum multas gentes associâsti Ecclesiæ, magnificâsti lætitiam in populo Judaico.* (2.) Sed etsi לֹא retineremus, nil tamen scrupulo accederet. Nam *plurimi Iudæorum* tempore Apostolorum inviderunt Ethnicis conversionem; *electi* verò ex illis in ea gavisi sunt. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. §. 170. p. 306.

Vers. 6. *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis; & erit principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater æternitatis, princeps pacis.*

I. In textu hoc habetur (1.) *Metaphora*: phrasis enim *Principatum Salvatoris super humerum ejus esse*, de *toto officii Christi administratione* accipitur; quam solus ipse peregit. (2.) Hebraismus: *Vocabitur nomen ejus admirabilis*, &c. h. e. *Messias verè talis erit, & ab omnibus agnoscetur, qualis nominibus istis describitur.* (3.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *Christus* vocatur *consiliarius*, tum ob *sapientissimum salutis recuperandæ decretum*, quod in Christo Jesu ante tempora secularia dispositum est, 2. *Tim.* 1. v. 9. tum ob *sanctissimum officium*, in voluntatis divinæ ad salutem patefactione, & obedientiâ Patri præstitâ, *Phil.* 2. v. 9. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 18. p. 876. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 148. seq. & cap. 12. p. 343.

II. Ἐναντιοφανὲς quoddam occurrit: hîc enim *Messias*, nomine *pueri & filii* intellectus, *dicitur jam dum natus*; cùm *longe pòst tempore demum fuerit natus*.

℞. Enallage *Hebraica* hîc est: neque enim insolens est Scripturæ, *præteritum* ponere pro *futuro*, idque propter *rei certitudinem*, ut, *puer natus est*, id est, *certè nascetur*. Walther. in Harm. Script. Sacr. §. 39. p. 50.

III. *Bellarminus* l. 1. de Rom. pontif. c. 13. rat. 11 per *claves*, Matth. 16. v. 19. Petro datas, intelligit *summam potestatem in omnem Ecclesiam*, quòd *factus sit principatus Christi super humerum ejus*.

R. Audio *Christi principatum*: sed quorsum? Neque enim de *Christi principatu* nobis quæstio, sed de *principatu Petri*. Itaque, etsi *Principatus* ille *summam Christi autoritatem* significet, tamen non etiam *claves Petri*. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 11. c. 8. §. 3. & 9. p. 203.

III. *Bellarminus* l. 2. de V. D. c. 2. statuit, *fontem Hebræum non ubiq; fluere purum*, quia *in eo habeatur*, יִקְרָא, *vocabit*, cum sit legendum *passivè*, יִקָּרֵא, *vocabitur*.

℞. (1.) Id. *Bellarminus ibid.* §. *His ergo*, &c. docet, *puncta esse addita à Rabinis*. Jam verò remotis punctis legi potest in activo, *vocabit*, & in passivo, *vocabitur*, fatente *Sacrobusco* in Defens. Decret. Trid. par. 2. c. 9. §. *Venio ad decimum*. (2.) *Arias*, quamvis textum hunc *verbotenus ex Hebræo* transferens, non aliter habet, quàm, *vocabitur*. (3.) Suspicio *corruptionis* non putem aliunde esse, quâm à mera *Hebraismi* ignorantia. Nôrunt enim Hebraicè docti, *verba activa tertiæ personæ, nullo expresse regentis nomine, apud Hebræos sæpiùs usurpari impersonaliter*, ut *Gen.* 15. v. 6. *Iob.* 4. v. 19. in ipso *Esaia*. c. 22. v. 8. c. 26. v. 2. & alibi passim. Unde etiam *Chaldæus* & LXX. *Interpp.* passivè verterunt. Atq; hic loquendi modus etiam in N. T. occurrit, ut *Luc* 12. v 20. c. 13. v. 29. *Apoc.* 16. v. 15. &c.

*Hunnius* in Epitom. de Verb. Dei. controv. 1. c. 8. §. 5. excipit, 1. si legamus, *vocabitur*, nullam futuram esse ambiguitatem, ideoque *mutationem aliquam esse factam*

℞. Non sequitur, *si ambiguitas sit aliqua*, ergo *mutationem aliquam esse factam*; nisi tam simus à bona mente alieni, ut nihil in Scripturis concedamus *ambiguum* esse, nisi *mutatum*, nisi *depravatum*. Certè *Galatinus* l. 3. de Arcan. Cathol. Verit. c. 19. prolixè agit de hoc loco contra Judæos, *nullius tamen mutationis in textu factæ meminit*. Aliter itaque probandum est, *mutationem factam esse*, i. e. cum Hebraicè esset, *vocabitur*, suppositum fuisse, *vocabit*. 2. LXX. *Interpretes*, *Paraphrastem Chaldæum*, & *Vulgatam Latinam* legere, *vocabitur*: fuisse igitur antehac puncta verbi *passivi* in illa vocula וְיִקָּרֵא, sed à *Judæis punctatoribus* depravata.

℞. (1.) Hoc nondum probat, *in authentico Hebræo textu pro punctis verbi passivi posita esse puncta activi*; sed hoc tantùm, *idiotismum Hebraicæ linguæ dictos Interpretes ad sui sermonis idioma accommodâsse*, & *sensum verbi*, *non ipsam strictè dictionem attendisse*. Sicut *Iob.* 3. v. 3. quando *Hebræa* veritas habet: *Maledicta sit nox illa*, *quâ* אָמַר, *dixit*, &c. Vulgata ad sensum reddit: *In qua dictum est*. Item, *Mich.* 2. v. 4. *Hebræa* ad verbum sonant: *In die illa* יִשָּׂא, *tollet super vos parabolam*. LXX. Interpretes *idiotismum* illum attendentes, verbum activum *passivè* reddunt: ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ λη φθήσεται ἐφ᾽ ὑμᾶς παραβολή; quomodo & vulgata: *In die illa sumetur super vos parabola*. (2.) Jesuita petit principium: hoc ipsum enim est in controversia, an *ista punctorum falsatio à Iudæis facta sit*. Si namque commodè ex *idiotismo Hebrææ linguæ* locum hic habere potest significatio *passiva*, quænam ratio nos movet, ut ad *factæ depravationis punctorum* confugiamus asylum? *Hunn.* tom. 2. oper. Lat. p. 116. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de S. Script. §. 318. p. 347. seq. & in Confess. Cathol. l. 2. spec. par. 1. p. 91. arg. 3. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 2. 7. 8. 9. 10. p. 217. seq. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. p. 143.-146. obj. 59.

V. *Valentinus*, teste *Tertulliano* lib. de Carn. Christ. docuit, *Angelum & hominem Christum gestasse*, quia *Christus Angelus magni consilij* dicatur.

℞. Ita quidem *Christus* dicitur, sed ab *Interpretibus Græcis*: nam in *fonte Hebræo* simpliciter vocatur, יוֹעֵץ, *consiliarius*. Histor. Magd. Cent. 2. cap. 5. p. 86. *Glass.* in Onomatol. Christ.

VI. *Christus est unus ille & verus Deus Israelis*: quia *est Deus ille fortis*, adeò ut nomen DEI *absolute* positum ipsi tribuatur: soli autem & *vero Deo Israelis* nomen DEI *absolute* positum tribuitur.

Oggannit 1. R. *Salomo*, apud *Galatinum* l. 3. de Arcan. Cathol. Verit. c. 19. nomen, *Deus fortis*, non esse nomen *pueri*, sed *Dei Patris*, hoc sensu: *Et vocavit nomen ejus Deus sanctus & benedictus, qui est Deus fortis, principem pacis*.

℞. *Abenn-Ezra* rectè dicit, omnia ista nomina esse *pueri*: siquidem scopus sermonis arguit, non propositum esse Prophetæ, recensere *Dei Patris* epitheta, sed *parvuli nobis nati & dati* nomina; id quod relativum pronomen affixum indubitanter ostendit, שְׁמוֹ, *nomen ejus*, nempe de quo dixerat, *pueri*. Et si omninò in *Patrem* nomina hæc conferre voluisset, tum postulante sic naturâ constructionis, primò locò posuisset DEI nomen, hoc modo: *Et vocabit Deus Admirabilis, Consiliarius, Fortis, Pater æternitatis, nomen ejus: Princeps pacis.* Quia verò nec particula, *nomen ejus*, trajicitur ad extremum, nec *Dei* nomen præmittitur, sed in *medio* locatur; nonne res ipsa clamat, R. *Salomonis* expositionem contortam esse?

2. *Socinus* in Refutat. Bellarm. & Wieck. p. 378. *divinam illam appellationem* Christo non *ex seipso* competere, sed ex *dono & largitate Dei*, sicque mirum non esse, *ipsum posse dici absolutè Deum*, h. e. *esse Deum per gratiam*, sicut *communicans est Deus per naturam*.

℞. (1.) Christus secundùm *carnem*, divinam appellationem habet ex *dono & largitate Dei Patris*, Phil. 2. v. 9. secundùm *divinam* autem naturam, appellationem divinam habet ex *seipso*, non ex *dono Dei*, Rom. 9. v. 5. Tàm igitur Deus est *per naturam*, quàm Pater. (2.) Falsum est, *duos esse Deos*, unum *naturâ*, alterum *gratiâ*; id quod repugnat Scripturæ, quæ *unum Deum* ita prædicat, Deut. 6. v. 4. ut *extra ipsum non sit alius*, Esa. 46. v. 9. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 126. seq. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 689. 711. seq.

VII. *Gretserus* tom. 1. Defens. Bellarm. l. 2. c. 2. & *Pareus* in Iren. c. 24. art. 14. p. 146. Luthero *Arianismi* scabiem adfricare laborant, propterea quòd hoc loco verba Hebræa, גִּבּוֹר אֵל reddiderit per Krafft/ Held/ ad *Deitatem Christi* labefactandã.

℞. *Lutherus* in Germanica loci hujus versione non labefactavit argumentum pro *adstruenda Christi Deitate*, quia illud אֵל significat *virtutem & potentiam*, uti ipse Lutherus innuit in Postill. Ecclesiast. Jam vero, *qui est ipsa virtus Dei, is etiã est verus Deus*; cùm de *nulla creatura essentiales Dei proprietates in abstracto prædicari possint*. Nihilominus verò rectè etiam per GOtt exprimi, *Lutherus* clarè diducit tom. 8. Jē. Germ. fol. 145. b. Et quia גִּבּוֹר *substantivè* etiam accipitur pro *heroe*, ut *Ose.* 10. v. 14. ideò ipse reddidit per, Held: interim non negavit, etiam verti posse *adjectivè*, starcker/ & ita starcker Gott/ qua de re vide *Luther.* in Explic. ult. c. 9. Esa. p. 232. edit. Witteb. in 8. A. C. 1548. & tom. 8. Jen. Germ. p. 71. ubi retinuit, *Deus fortis*. Balduin. in Phosph. Cathol. l. 3. c. 52. p. 399. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Scriptur. sacr. §. 523. Obj. 4. p. 578. Dispp. Theol. Jenens. par. 1. disp. 9. thes. 14. p. 417. 418. seq. & in Cõfess. Cathol. l. 2. spec. par. 1. p. 501. seq. arg. 4.

VIII. *Filius Dei fuit ab æterno*, quia *est pater æternitatis*; pater autem æternitatis non potest non fuisse ab æterno.

Excipit 1. *Socinus* in Refut. Bellarm. & Wieck. p. 411. Christum ideo sic vocari, quia sit *princeps & autor vitæ æternæ*, quæ *futura* est; non quia *ab æterno*.

℞. (1.) *Utrumque de Christo* verum est, cum nemo vitam æternam dare possit, nisi *qui vivit ipse ab æterno*. (2.) Malè restringitur ad *vitam æternam*, *à Christo sperandam*, quæ ad *existentiam omnium immortalium* spectare videntur; quo ipso *verus Iehovah* esse probatur: *A quo enim omnia immortalia suam habent originem, is verus Iehovah est*.

2. *Catechismus Racoviensis* p. 108. dictum hoc ad *personam Patris* referendum esse, cum *Filius non sit Pater*.

℞. (1.) *Catechesis illa* contradicit *Socino*, qui vocem hanc de *Christo* accipit, atque sic eum nominat *Patrem*. (2.) Evidentia textûs evincit, epitheton esse *ipsius pueri nati & dati nobis*; itemque allegatio Apostolica, 1. *Ioh.* 5. v. 16. (3.) Christus non est *Pater*, h. e. *prima persona divinitatis*; est tamen *pater æternus*, ex quo omnis immortalitas. *Balduin* in Refut. Catech. Racov. p. 236. seq. *Gerhard.* tom. 1. L. L. CC. loc. 5. de Patr. & Fil. §. 43. pag. 463. *Tarnov.* de SS. Trinit. pag. 801. seq.

Vers. 7. *Ad multiplicandum principatum, & ad pacem non finis, super solium David. &c.*

Conspi-

Conspicitur hoc loco (1.) *Cabbala*: quia pro ם clauso in לְםַרְבֵּה, *ad multiplicandum*, legendum est מ apertū; quo ipso Lutherus *horribilem illam clausuram* notari vult, quòd Judæi nunquam intellexerint mirabilem regni Messiæ multiplicationem & administrationem. (2.) *Metonymia signi* pro *signato*: nam *solium Davidis* notat *regiam auctoritatem*. Glass. lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 1. p. 8. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 67.

Vers. 12. *Syri ab Oriente, & Philistæi ab Occidente, & devorabunt toto ore Israelem: in omni hoc non aversus est furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.*

Est hîc (1.) Metaphora: *Devorabunt Israelem totore*, h. e. *ferarum more inhumanissimè ipsum tractabunt, diripient, spoliabunt, consument.* (2.) *Metonymia subjecti* pro adjuncto: *Israelem*, i. e. *Israelis opes* juxta Chaldæum. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim dicitur *manum extendere*, h. e. *pœnas immittere* Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 110. & cap. 11. p. 309.

Vers. 14. *Et exscindet Dominus ex Israele caput & caudam, ramum & juncum die una.*

*Metaphora iteratur*, quâ *caput & cauda, ramus & juncus* à DEO in populo Israelitico exscindi dicuntur, h. e. à *summo ad imum*, à *præstantissimo ad abjectissimum*, translatione ab *animantibus* & *plantis* sumtâ, v. 15. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 634. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 313.

Vers. 18. *Quia succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam comedet, & succendetur in perplexitatibus sylvæ, & elevabuntur elevatio fumi.*

I. Verba hæc continent (1.) *Enallagen numeri* singularis, *veprem* & *spinam*, pro plurali, *vepres* & *spinas*. (2.) *Metaphoram*: quia *spina & vepres* notant *hostes, eosque molestissimos noxiosq́;*. (3.) *Prosopopœiam*: *comedere* enim tribuitur *igni consumenti*. (4.) *Ellipsin similitudinis* כ, SICUT, ex membro præcedente repetendi: *Et elevabuntur* גֵּאוּת (sicut) *elevatio fumi*. Jun. in Bibl. h. l. p. 634. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 31. m. 1. p. 514. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 291.

II. *Bellarminus* l. 2. de Purgat. c. 3. loc. 7. asserit, *Basilium* ex hoc loco probare *Purgatorium*; eò quod *per confessionem peccatum arefieri* dicatur, *ut igne purgatorio post hanc vitam absumi possit*. Putant ergo Pontificii, hîc significari, *ea peccata, pro quibus hac in vita plenè non satisfit, olim per ignem purgatorium exurenda esse.*

℞. Nihil hic de *Purgatorio*. Nam (1.) *Ignis iste* dicitur *quasi ignis*, atque sic *metaphoricus*; qualis non est *ignis Purgatorius*, ut quem *materialem* Jesuvvita fingit. (2.) Propheta loquitur de *populo extremè impio*, quem nullus Papista sanior in *Purgatorium* locat. (3.) Esaias agit de *atrocissimis & mortalibus populi peccatis*: atqui ignis Purgatorius, teste *Bellarmino* l. 2. de Purgat. c. 1. §. ult. non *mortalia peccata*, sed *leves venialium peccatorum maculas* purgat. (4.) Sermo est v. 20. de *mutuo fratrum dissidio*, quorum unus sit devoraturus alterum: num igitur in Purgatorio *mutua est animarum laniena*? (5.) Sacer Vates dicit v. 21. *in hoc toto non esse aversum furorem Dei*: at Pontificii dicunt, *per pœnas Purgatorii Deo satisfieri, ut furor ejus avertatur*. (6.) Agnoscunt hoc ipsum aliqui Scriptores Pontificij, ut *Cornelius à Lapide, Caspar Sanctius, Hector Pintus* in Comment. h. l. qui textum præsentem, non de *pœnis Purgatorij* sed de *judiciis divinis*, ob *peccata mortalia hac in vita erga summè impium populum exercendis*, exponunt. (7.) *Basilius* ignem quidem purgatorium hîc à Propheta intelligi existimat, sed non *post hanc vitam*, ut falsò *Bellarminus* expressit; verùm *in hac vita*, nempe talem, *quem Christus venerit mittere super terram*, Luc. 12. v. 49. *quiq́; depascat omnia terrena*: at Pontificium Purgatorium non *tollit omnia peccata*, nec *super terram*, sed *sub terra ardere* statuitur.

*Schoppius* in Apologet. pro Bellarm. c. 57. p. 81. n. 169. regerit, *unum eundemq; locum, literalem & spiritualem, maximè allegoricum, sensum recipere*: *literalem* igitur sensum esse eum, quem *Evangelici* dicant; *spiritualem* seu *allegoricum* esse *Bellarmini* interpretationem de *Purgatorio*.

℞. Apostata magis magisque se intricat. Monet enim *Augustinus* l. 3. de Doctr. Christ. c. 10. diligenter cavendum esse, *ne, quæ propriis vocabulis expressa sunt, ea ceu allegoricè dicta exponamus*. Unde postmodum *Scholastici* hanc verissimam extruxerunt regulam: *Scriptura allegorica non est argumentativa*. Argumentum igitur Bellarmini ex *allegorica* interpretatione, contra monitum *Augustini*, & contra *Scholasticorum* regulam, extructum, neque *firmiter* neque *probabiliter* quicquam probat de Purgatorio. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 1543. *Eckhard* par. 1. Pand. controv. Papist. c. 14. q. 4. obj. 7. p. 626. *Baldvin.* in Exam. Apolog. Schopp. p. 507. *Giessen.* de Papism. disp. 22. thes. 37. seq. *Gerhard* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 256. p. 439. 440. seq. & in Confess. Cathol. l. 2. spec. par. 2. p. 482. arg. 16. *Thumm.* de Purgat. p. 70. 71. & 72. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Mort. c. 2. q. 2. dub. 2. obj. 2. p. 6043. & 6045. *Chem.* tom. 3. Panstr. l. 26. c. 5. §. 28. -32. p. 568.

Vers. 20. *Et rapiet ad dexteram, & esuriet; & comedet ad sinistram, & non saturabuntur: unusquisque carnem brachii sui comedent.*

Continuatur (1.) *Enallage numeri* pluralis, *saturabuntur* & *comedent*, pro singulari, saturabitur & *comedet*. (2.) *Metaphora*: nam *carnem brachij sui comedere*, est, *propinquos & necessarios suos, à quibus suppetia fieri possent, perdere & consumere*; quod aliàs dicitur, *in propria sævire viscera*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 169. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 343.

Cap. X. v. 5. *O Assur virga iræ meæ, & baculus ipse in manu eorum indignatio mea.*

I. Ἀνθρωποπάθεια est: nam *Rex Assyriorum* dicitur *virga iræ* DEI quia per eum, tanquam virgam, populum Israeliticum castigaturus erat, & iram suam adversus peccata declaraturus, v. 24. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 162.

II. *Calvini* asseclæ docent, voluntatem hominis non *suo motu*, sed à *Dei motu & impulsu ferri*: quoniam *Assur fuerit virga & baculus, quem Deus prolubitu suo moverit & agitarit*; haud secus ac *instrumenta non suo motu feruntur*, sed *ab impulsu principis agentis in solidum dependent*.

℞. *Homines dicuntur instrumenta Dei*, non *propriè*, cum ipsi sint etiam *causæ principales actionum suarum*, ex quo *libera*, & *dominentur animantibus cæteris*, Gen. 9. v. 2. sed *metaphoricè*, quia potest Deus, quando vult, ita flectere eorum animos, quomodo *artifex flectit instrumenta sua*. Itaque metaphorâ isthac innuitur, homines non esse *absolutos actionum suarum dominos*, sed necesse habere eos, *divinæ subservire voluntati*, adeò ut, ubi Deus exerere vult prudentiam, etiam per lenia media, id sint homines in manu Dei, quod est *virga, baculus*, & ejus census alia instrumenta, *in manu artificum*. Explicationem hanc tradit rotundis verbis *Esaias* seqq. vv. 6. 7. 8. *Bellarmin.* l. 4. de Grat. & lib. arbitr. c. 15. resp. ad 1. seqq. *Brochm.* tom. 1.

Syst. Theol. art. de Lib. hom. arbitr. c. 2. q. 12. obj. 3. p. 369. & 371.

III. *Beza* par. 2. Resp. ad Acta Colloq. Mompelg. p. 180. arbitratur, *Deum esse causam peccati*, quia *Assur tyrannus*, qui populum judaicum horrendum in modum afflixerit, vocetur *virga & baculus Dei*.

℞. Distinguendum est inter *ordinationem Dei*, & *pravam tyrannorum intentionem*. Ipsum *bellum in se*, est *ordinatio Dei*, in pœnam populi immorigeri, *Jerem.* 18. v. 7. *prava* autem *tyrannorum in bello intentio* non est à *Deo*, sed ab *ipsis tyrannis*, ùt de *Assure* ipse Deus palam testatur, v. 7. h. c. *Eckhard.* in Fasc. controv. Calvin. c. 10. obj. 6. p. 223.

Vers. 10. *Quemadmodum invenit manus mea regna idoli, & sculptilia eorum præ Jerusalem & Samaria.*

In versu hoc habetur (1.) *Synecdoche* tum *speciei pro genere*, quia *invenire*, est pro *consequi*; tum *partis pro toto*, quoniam *Jerusalem* & *Samaria* pro *urbibus Judah & Israël* ponuntur, quòd essent urbes utriusque regni metropoles. (2.) *Enallage numeri* singularis, *idoli*, pro plurali *idolorum*. (3.) *Ellipsis nominis* partim adjectivi, *Sculptilia eorum*, scil. *pretiosa sunt*; partim substantivi, *Præ sculptilibus Jerusalem & Samariæ*. Jun. in Bibl. h. l. p. 135. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 170. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 15. p. 53.

Vers. 14. *Et invenit velut nidum manus mea potentiam populorum* &c.

Est hic (1.) *Allegoria*, quâ Assyrius Rex thrasonicè omnia sibi arrogat, & hostes comparat cum *aviculis* abjectissimis. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: חַיִל enim, *potentia*, notat *divitias & opes*, in quibus potentia hominum consistit *Jun.* in Not. ad h. l. p. 635. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 54.

Vers. 17. *Et erit lux Israelis in ignem, & Sanctus ejus in flammã, & ardebit, & comedet spinam ejus, & veprem ejus, in die una.*

Redit huc (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim *lux Israelis* dicitur respectu *Israelitarum*, quos illustrat & sanctificat. (2.) *Enallage numeri* singularis, *spinam & veprem*, pro plurali, *spinas & vepres*. (3.) *Metaphora*: milites namque gregarios Propheta vocat *spinas & vepres*, quòd infinitis molestiis afficiant. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 171. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 175. & cap. 11. p. 291.

Vers. 22. *Quia si populus tuus Israel, velut arena maris fuerit, reliquiæ convertetur in eo; consummationem præcisam inundans justitiâ.*

Deprehenditur hoc loco (1.) Ellipsis: *Si populus tuus Israel*, scil. *fuerit numero velut* arena maris &c. (2.) *Metaphora*: nam *consummationem præcisam inundaturus justitiâ* Deus dicitur, h. e. *prorsus effecturus & consummaturus, quod decrevit*, adeò ut nulla vi, consilióve humanó, vel Diabolico astu ac potentiâ, impediri possit, perinde ùt *exundans amnis* sisti non potest. *Jun.* in Bibl. h. l. p. 636. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1 cap. 10. p. 265. seq.

Vers. 23. *Quia consummationem & præcisam Dominus Dominus exercituum faciens in medio universa terra.*

Iteratur (1.) Ellipsis: *Consummationem & quidem præcisam* &c. (2.) *Enallage temporis* præsentis, *faciens*, pro futuro, *facturus est*. (3.) *Pleonasmus*: In *medio universa terra*, h. e. in *universa terra*: ἐπὶ τῆς γῆς, *super terra*, ut *Rom.* 9. v. 28. redditur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 171. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 636. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 149.

Vers. 24. *Ideirco sic dixit Dominus Dominus exercituum: Ne timeas, populus mi, habitator Zionis ab Assur, virgâ percutiet te, & baculum suum levabit super te in via Ægypti.*

Offert se (1.) *Metaphora*: nam *via* pro *modo* sive *ratione* sumitur. (2.) *Allegoria*, quâ ad *baculum Mosis*, quo mare rubrum discissum fuit, alluditur, q. d. Jehovah defendet & liberabit te, sicut olim in egressu Israelitarum ex Ægypto Moses jussus est protendere baculum suum, ad secandum mare, & transitum populo præstandum, Exod. 14. v. 16. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 171. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 20. p. 494.

Vers. 26. *Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Midian, in petra Horeb, & baculum suum super mare, & elevabit eum in via Ægypti.*

Continuatur (1.) *Metaphora*: tum quia *flagellum* significat *damnum & calamitatem*; tum quia *via* pro *ratione* & *modo* sumitur. (2.) *Allegoria*, quâ fit allusio ad *stragem Midianitarum* Judic. 7. v. & *Ægyptiorum*, Exod. 14. v. 16. q. d. momentô illos ita perdet, per noctis unius spatium, ùt Midianitas olim & Ægyptios, &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 172. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 636. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 404. & cap. 20. p. 494.

Vers. 27. *Erit, in die illa removebitur onus ejus ab humero tuo, & jugum ejus à collo tuo, & corrumpetur jugum coram oleo.*

Occurrit (1.) *Metaphora*: nam *jugum* notat *oppressiones* à tyrannis illatas, sicut sub *jugum* colligati boves, ponderosa onera, per varias viarum difficultates trahere coguntur, insuperque flagris, à duris gubernatoribus sævitur. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: quia *oleum* accipitur pro *singulariter uncto*, per quem Chaldæus *Messiam*. R. Salomo *Ezechiam* intelligit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 53. cap. 11. p. 294. seq. & 326.

Vers. 31. *Migraverit Madmenah, habitatores Gebim earum se confirmaverint.*

*Ellipsis* est verbi, ex membro præcedente repetendi: *confirmaverint se*, scil. *ad migrandum*, puta ex *timore* ab hostili exercitu appropinquante. *Glass.* lib. 4. Phil. Sacr. tr. 2. obs. 9. p. 719.

Vers. 34. *Et succidet perplexa sylvæ ferrô, & Libanus per fortem cadet.*

*Metaphora* est: nam *perplexa sylvæ* notant *milites gregarios* Assyrii Regis, *Libanus* verò *proceres fortissimos*, in illo exercitu, per Angelum Domini interfectos. 2. Reg. 19. v. 35. ob *altitudinem arborumq́; proceritatem & copiam*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 273.

Cap. XI. v. 1. *Et egredietur virga de stipite Isai, & surculus de radicibus ejus crescet.*

En (1.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Messias* enim vocatur *virga* & *surculus*, ob *temporalem ipsius nativitatem*, sicut *virga & surculus terream habet originem*; consequenter verò ob *regni ejus viriditatem, felicitatem & perpetuitatem*. (2.) *Metaphoram*: siquidem *stipes* ad *humilem Christi originem secundùm carnẽ*, ex *prosapia Isai ac Davidis* trahendam, transfertur; & *radix Isai* Patriarchas, ex quibus Isai & David ortus est, notare videtur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 168. cap. 11. p. 287. & 291.

V. 2. *Quiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectûs, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum spiritus timoris Domini.*

I. Esaias rursus adhibet (1.) Ἀνθρωποπάθειαν, quâ *Spir. Sãct.* dicit *quiescere super Christo*; hoc verò *de tota Spiritus Sancti, ac donorum ipsius plenitudine* intelligendum: *Christo* secundùm humanitatem

communi-

communicata. *Psal.* 45. v. 8. & Johann. 3. v. 34. cujus visibile symbolum fuit *mansio Spiritus Sancti in specie columbæ super Christo*, Matth. 3. v. 16. (2.) *Metonymiam effecti* pro *causa*: Spiritum Sanctum enim vocat *Spiritum sapientiæ*, *intelligentiæ* &c. quia *talia in Christo eminenter ac superabundanter*, *in credentibus* autem *certa portione & mensura efficit atq; operatur*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 1. p. 23. & cap. 7. p. 152.

II. *Hosius* in Confess. c. 13. urget, *septem esse* N. T. *Sacramenta*, quia *dona Spiritus Sancti sint septem*.

℞. (1.) *Bellarminus* l. 2. de Effect. Sacram. c. 26. fatetur, *hanc non esse demonstrationem*, sed *tantum congruentiam, supposita fide*. Igitur ridiculus est *Hosius*, eo nos stramine petens. Certè enim nobis non est *ex fide* septenarius Sacramentorum numerus, utpote ex Scriptura nondum demonstratus: quomodo ergo queat illustrari? (2.) Hoc in loco non *septem* Spiritus Sancti dona, sed *sex duntaxat* commemorantur. Nam quòd Vetus Interpres post Spiritum *scientiæ* legit *pietatis*, id in *Hebræo* non habetur, sed pro *pietate* illic est *timor Domini*, uti ex *Arias* versione videre est. (3.) Alibi *plura Spiritus Sancti* dona recensentur, ut 1. *Cor.* 12. v. 4.–12. ergòne *plura erunt Sacramenta* N. T. *quàm septem*? nugæ! Quare frivolum est, in *septenario numero* philosophari, & infinita Spiritus Sancti dona in eas redigere angustias. *Arcular.* in comm. h. l. p. 185. *Cham.* tom. 4. Panstr. l. 4. c. 2. §. 2. 10. 11. p. 70.

III. *Bellarminus* l. 4. de Christ. anim. c. 2. arguit, *Christi animam ab ipsa sui creatione ita repletam fuisse scientiâ, ut nihil postea didicerit, quod antea nescivisset*; eò quòd *ab illo statim tempore Spiritus sapientiæ & scientiæ super Christum requieverit*.

℞. (1.) Dona & χαρίσματα illa *habitualia*, quibus anima Christi in sese *formaliter* atque ἐντικῶς perficiebatur, non debent confundi cum *gratia unionis personalis*, & attributis divinis inde communicatis. (2.) *Thomas de Aquino* par. 3. q. 11. art. 1. in corp. docet, *non omnia absolutè, sed tantùm ea, quæ hominum cognoscibilia sunt*, vel per *vim intellectûs*, vel per *revelationem*, Christi animam cognovisse, *Eckhard.* par. 1. Pand. cõtrov. Papist. c. 3. q. 8. obj. unic. p. 193. *Gerhard.* in Confess. Cathol. l. 2. spec. par. 1. p. 409. seq. arg. 3. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Christ. θεανθρ. c. 4. q. 4. obj. 2. p. 737. seq.

IV. *Thummius* in Ταπεινωσιγρ. p. 548. seq. exinde infert, *homini Christo, à primo conceptionis puncto, infinitam sapientiam esse communicatam*; quoniam *super eo requieverit Spiritus sapientiæ & scientiæ*, & quidem *à primo conceptionis puncto*.

℞. *Thummius* non ferit hîc controversiæ statum, quippe qui non est de *divina sapientia hypostatica* κτήσει, sed de *plenaria* χρήσει, (in statu *exinanitionis*) quæ ex *Esa.* 11. v. 2. evinci nequit. *Feuverb.* in Κενωσιγρ. sacr. tract. 6. c. 13. q. 1. p. 211. a.

V. *Christus, quà homo, præditus est infinitâ scientiâ*: nam *super eum requiescit Spiritus scientiæ & sapientiæ*, quem & *sine mensura* accepit, *Johann.* 3. v. 34. *Wendelinus* in Vindic. Theol. exerc. 57. p. 914. respondet 1. de *persona* hîc sermonem esse, non de *natura*.

℞. Wendelinus sibi contradicit: nam. f. 916. concedit, ex hoc Jesaiæ loco probari, *Christo unctio etiam Spiritum sapientiæ & scientiæ secundum humanam naturam competere*, quippe nomine *virgulæ & surculi* indigitatum, v. 1.

2. *Communicationem* aliquam *effectivam* exinde deduci, eam verò *objectivè infinitam* non esse.

℞. Omninò *infinita* est. Nam per *Spiritum illum scientiæ*, notatur *tota opulentia Spiritûs Sancti*, quæ certè *infinita* est; nisi *duplicem uni eidemq; voci in prædicatione simplici atq; infinitè distantem sensum* affingas, *infinitam Spiritûs acquiescentiam* in λόγῳ, *finitam* verò in *carne ejus* statuens. *Feuverb.* tom. 8. Giess. disp. 22. cap. 4. §. 6. 7. 8. p. 810. seq.

Vers. 3. *Et odorari ejus in timore Domini, nec ad visionem* &c.

Verba hæc continent (1.) *Enallagen* infinitivi, *odorari*; pro nomine *odoratus*. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: *odoratus* enim *Messiæ* tribuitur, quo *sacrificium ejus propitiatorium, in obedientia usq; ad mortem crucis Patri præstitum*, intelligitur. (3.) *Synecdochen*: quia nomine *timoris* reliqua etiam *dona Spiritûs*, quæ modò dicta sunt, v. 2. indigitantur; sic enim Hebræi solent ab ultimo per ὕστερον πρότερον incipere. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 636. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tractat. 1. cap. 7. p. 141.

Vers. 4. *Judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro afflictis terræ, & percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *terra* pro *hominibus*, *terra incolis*, sumitur. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: quia *virgâ* Christo tributâ, intelligitur *verbum ipsius*, quod judicabit & damnabit impios, *Johan.* 12. v. 48. (3.) *Synecdoche generis pro specie*: siquidem per רָשָׁע *impium*, κατ' ἐξοχὴν notatur [illegible] *Antichristus* seu *antidens impius*, ut à Gvidone Fabritio in Lexico Syro-Chaldæo vertitur, quod cum loco Pauli. 2. *Thess.* 2. v. 8. convenit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 108.

II. *Thummius* in Ταπεινωσιγρ. p. 548. seq. instat, *Christum hominem, à primo conceptionis puncto*, non solùm infinitam sapientiam *possedisse*, sed & *usurpâsse*: *cum ipse ab eo statim tempore judicaverit in justitia pauperes, & arguerit in æquitate pro afflictis terræ*; id quod sine *plenæ infinitæ sapientiæ exercitio* perfici nequeat.

℞. (1.) Negatur consequentia à *particulari* ad *universalem* divinæ omnisapientiæ χρῆσιν. Nam si Christus, *ut homo*, vel maximè à primo statim conceptionis puncto *omnes homines afflictos* judicâsset, nihilominus tamen non è vestigio inde sequeretur, quòd statim & incessanter *omnia omnino manuum Dei opera omnisapienter rexerit*. (2.) Esaias docet quidem, *Spiritum sapientiæ & scientiæ super Christum, quà est homo, requieturum*: at non docet, quòd *is statim à primo conceptionis puncto, & quidem indesinenter in toto humiliationis statu sit sese plenariè* in eo, qua homo est, & per eum exerturus. Quò respexit Propheta, quando verbo *requiescere* est usus: hoc ipso enim indigitari solet *ipsa Spiritus Sancti possessio*, tametsi is non *indesinenter* in homine, quem inhabitat, operetur, prout videre est, *Num.* 11. v. 24. seq. 2. *Reg.* 2. v. 15. & 1. *Petr.* 4. v. 14. (3.) Spiritus etiam *fortitudinis* dicitur super Christum requieturus: at is *fortitudinem divinam* in Christo, *qua est homo*, in toto *exinanitionis* statu non *plenariè* exercuit; secus ipse non fuisset *infirmus*, nec *eguisset corroboratione Angeli*: cum tamẽ contrariũ constet ex *Hebr.* 4. v. 15. & *Luc.* 22. v. 43. Quidni ergo & *ipsam divinam omniscientiam majestatem*, quæ in Deo indentificatur cum divina *potentia & fortitudine*, in Christo, *quà homo est*, non statim, nec semper *plenariè* exeruerit? (4.) Esaias quidem docet, quòd Christus *pauperes justo sit judicaturus*, & *virga oris sui terram percussurus*, & *spiritu labiorum suorum im-*

*piam interfecturum* vocat nec *ferro*, nec *δ'ιακονιμῷ* addit, quòd ipse, *quò homo*, â *primo statim conceptionis* puncto, & *incessanter* in *toto* exinanitionis statu, id sit effecturus; cum *illius complementum* partim ad *universalem Apostolorum prædicationem in toto orbe*, Joh. 16. v. 8. partim ad *ultimum Christi adventum* differatur, 2. *Theß.* 2. v. 8. *Feuerborn.* in *κενωσιγρ.* sect. 6. c. 15. q. 2. p. 211.

III. *Calvinus* lib. 1. Instit. c. 13. sect. 15. & *Enjedinus* in Explic. locor. V. & N. T. p. 67. negant, *Psal.* 33. v. 6. *Spiritu oris Domini* notari ὑφιστάμενον *Spiritum*, sed *sermonem ore prolatum*, ut hoc in loco, *spiritu labiorum* significari *sermonem*.

℟. Per *spiritum labiorum Christi* non *sermo ore prolatus*, sed *Spiritus Sanctus* intelligitur. Nam (1.) *Spiritus Sanctus* est, qui *mundum arguiturus sit de peccato*, &c. *Joh.* 16. v. 8. (2.) Is notatur Spiritus, *quem paulo ante super Christum, è radicibus Isai prodeuntem*, Vates sacer, *requieturum dixerat*; ille verò non est alius, quàm *Spiritus Sanctus*, Joh. 1. v. 32. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 645. & 728. *Thummius* in Ἀπόδ. SS. Trinit. p. 78. seq.

IV. *Spiritus Sanctus etiam à Filio Dei spiratus procedit*: quia *est spiritus labiorum Christi*; æquè ac est *spiritus oris Patris*, quòd *a Patre spiratus procedit*.

Excipiens 1. Græci, per *spiritum labiorum Christi* posse intelligi *verbum Evangelii*, utpote quod nominetur *virga oris Christi*, quia ex *sancto Christi ore* sit profecturum.

℟. (1.) *Verbum Evangelii* nusquam in Scriptura dicitur *Spiritus Christi*, (Christo enim est *unus duntaxat Spiritus*, Ephes. 4. v. 4.) quamvis dicatur *virga regni ipsius*, Psal. 110. v. 2. (2.) Conjungitur quidem *Spiritus Sanctus cum verbo*, sed tanquam *causa efficiens* cum *instrumentali*: Spiritus Sanctus enim terram ferit *verbo*, & impium conficit *verbo*, *Joh.* 16. v. 8. id quod, verbum præstare nequit, nisi ex adjuncta *Spiritus Sancti* virtute.

2. Sociniani, *Spiritum Sanctum* dici *Spiritum Christi*, quia *Pater donaverit illi eum*.

℟. Verum hoc est: sed *unius inclusio* non est *alterius exclusio*, Hunn. tom. 1. Oper. Latin. p. 127. *Fridlib.* in Annot. ad h. l. art. 2. class. 3. p. 647.

V. *Hæretici* non *ferro*, sed *verbo* sunt interficiendi: quia *Spiritus Sanctus* non *ferro*, sed *verbo* interficit impium.

*Papistæ* oggerunt, ab *inclusiva* ad *exclusivam* N. V. C.; quoniam hæretici possint tum *refutari verbo*, tum *interfici gladio*.

℟. In hoc ipso principium petitur. Nos *verbô*, atque sic *spiritualiter*, hæreticos esse interficiendos, ex Scriptura probamus: Si cum *illo* simul conjungendam esse *corporalem* interfectionem, obtinere velint Adversarii, hoc ipsum ex Scriptura itidem probent; quod cum præstare nequeant, dictum istud meritò *exclusive* intelligimus. *Meisner.* par 3. Philos. sobr. sect. 2. cap. 2. q. 6. argum. 2. p. 613.

Vers. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*, &c.

I. *Hieronymus* in cap. 11. Esa. autumat, *non omnẽ Scripturæ locum admittere sensum literalem*, veluti istum præsentem: siquidem secundum *literam* falsum sit, *habitaturum lupum cum agno*.

℟. N. C. nam in *metaphoris* tunc sensus *literalis* est verus, quando verba sumuntur in significatione *translatitia*; tametsi possiet esse falsus, si sumantur in significatione *propria*. Hîc verò *lupus* & *agnus* non sumuntur *propriè*, pro *vero lupo* vel *agno*; sed *translatitiè*, pro *feroci* & *mansueto*. Ergo hic debet esse sensus literalis: *Quando veniet Christus, tunc feroces pacificè habitabunt cum mansuetis, vel induent mores mansuetorum, & simul vivent in eadem fide & religione Christiana.* Becan. in Theol. Schol. par. 2. tom. 2. tract. 1. cap. 5. q. 4. p. 33. 34. & 35.

II. *Judæi* inficias eunt, *Messiam jamdum venisse*, quoniam *nondum habitaret lupus cum agno, nec pardus cum hædo accubuerit*, &c.

℟. Verba Prophetæ sunt *metaphorica*, quibus significatur, *Gentes*, bestiis ferocissimis comparatas, cum *conversis Judæis* in unum Ecclesiæ corpus coalituras esse; idque agnovit R. *Moses Ægyptius*, qui in suis *Hallacoth*, i. e. *sententiis* super librum Judicum sic ait: *Non ascendat super cor tuum, quòd in diebus Messiæ deficere debeat aliquid de via hujus mundi, vel ut tunc innovari debeat aliquid de operibus sex dierum: sed potius, quòd mundus ire debeat juxta solitam viam suam. Quod igitur apud Esa. c. 11. dictum est: Et habitabit lupus cum ariete, cum reliquis; sensus est, quòd Israel habitaturus sit confidenter cum impiis seculi, qui leonibus & lupis ac pardis comparãtur*, &c. *Cicuratos* autem ac *mansuefactos* vocat pristinæ feritatis nominibus *lupos, pardos* &c. ad glorificandam Christi virtutem, per quam ex talibus commutati sunt in homines mites ac placidos. *Galatin.* l. 5. de Arcan. Cathol. Verit. c. 8. *Arcular.* Comm. in Esa. p. 185. *Jacob. Mart.* l. 3. de trib. Eloh. c. 37. arg. 7. p. 192. seq. & c. 41. ad 7. p. 211. & 212. *Morn.* de Verit. Relig. Christ. p. 511. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 2. p. 8.

Vers. 9. *Non nocebunt, & non occident in universo monte sanctitatis meæ, quia repleta est terra cognitione Dominum, sicut aqua mare operientes.*

I. Occurrit jam (1.) *Metaphora*: *Zion* enim, *mons sanctitatis divina* dictus κατ' ἐξοχὴν, ut *Ecclesia Christi* in N. T. symbolum proponitur. (2.) *Enallage* tum substantivi, *sanctitatis*, pro adjectivo, *sancto*; tum temporis præteriti, *repleta est*, pro futuro, *replebitur*; tũ casus accusativi pro genitivo: אֶת־יְהוָה, *Dominum*, h. e. *Domini*. (3.) Metonymia: *Mare*, i. e. *alveum maris*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 173. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 637. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 41. p. 161. & lib. 5. tract. 1. cap. 13. p. 419.

II. *Hæretici in Ecclesia non sunt interficiendi*: quia *illa debet propagari sine cæde & sanguine* in N. T.

*Bellarminus* l. 3. de Laic. c. 22. arg. 5. respondet, *non docere Prophetam, quòd catholici non occident hæreticos, sed potius contra, quòd hæretici non occident catholicos: loqui enim Prophetam de leonibus, ursis, serpentibus, regulis, aliisq; venenatis bestiis, quibus Diabolum & hæreticos notare* ait.

℟. Per *venenatas illas bestias* non possunt intelligi *hæretici*; horum enim totalis concordia cum Orthodoxis speranda non est, quia oportet hæreses esse in Ecclesia, 1. *Cor.* 11. v. 19. verum *gentiles*, quales sunt ante vocationem & conversionem ad Christi regnum, sensusque est, illos, qui Deo quondam displicuerant, & Ecclesiam *bestiali odio* prosecuti sunt, ad agnitionem Christi per Evangelium adductos, pacificè victuros, & ab effusione sanguinis sibi temperaturos esse. Qui ergo cædem & sanguinem spirant, ii á spiritu & indole N. T. penitus recedunt. *Balduin* tom. 2. Witteberg. disp. 6. thes. 157. seq. p. 480. & 481. *Meisner.* par. 3 Philos. sobr. sect. 2. c. 2. q. 6. arg. 3. p. 613. seq. *Gisen.* de Papism. disp. 19. thes. 32. 33. 34. p. 375.

III. *Anabaptistæ* contendunt, *in* N. T. *Magi-*

*stratui*

*stratui non licere occidere facinorosos*, quòd *in universa Christi Ecclesia nemo sit nociturus alteri, eumque interfecturus.*

℞. *Magistratus* N. T. hoc pacto *jus gladii* non eripitur: non enim hîc de *politico agitur regimine*, in quo Paulus *Magistratui gladium*, adversus maleficos stringendum, concedit. *Rom.* 13. v. 4. sed de *Ecclesiæ moderamine*, in quo Christus dominatur *virgâ oris sui*, Esa. 11. v. 4. quæ est *verbum Dei*, Psal. 110. v. 2. Et *hujus Ecclesiastici moderaminis* respectu dicitur: *Non occident in universo monte sancto meo. Balduin.* ibid. thes. 149. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 27. de Magistr. Polit. §. 304. obj. 2. p. 1025.

IV. *Anabaptistæ* ex eodem fundamento concludunt, *inter Christianos non debere esse bella*, cum *in Ecclesia* N. T. *nemo alterum sit occisurus, sive nociturus.*

℞. Non prohibetur hîc *militia simpliciter*, *sed modus propagandæ Ecclesiæ in* N. T. *sine cæde & sanguine futurus* prædicitur. Ex eo autem inferri nequit, si *ob Ecclesiæ propagationem non sunt bella in* N. T. *gerenda*, ergo *nulla plane ratione licebit bellum gerere*, quia à negatione *speciei* ad negationem *generis* non valet collectio. *Gerhard.* ibid. §. 387. obj. 5. p. 1161. seq.

Vers. 10. *In die illa radix Isse, quæ stat in signum populorum, in ipsam Gentes sperabunt, & erit sepulchrum ejus gloriosum.*

I. In Hebræo est (1.) Ἀνθρωποπάθεια: tum quia *Messias* vocatur *radix Isai*, quòd sit verus ille primogenitus Psal. 89. v. 28. ex *Isai familia ortus*; tum quia idem Messias dicitur *staturus in vexillum populorum*, quo *officium ejus Regium* denotatur, unde Rom. 15. v. 12. ita vertitur: *Qui exurget ad imperandum gentibus* (vexillum enim *dominii* signum est, sicut sub *vexillo Principis agere populus* dicitur) tum quia *Ecclesia* N. T. *quies Domini* nuncupatur, h. e. *locus quietis*, quo tum *gratiosa Christi præsentia & operatio*, tum *lætitia & complacentia* denotatur. (2.) *Enallage* partim tẽporis præsentis, *stat*, pro futuro, *stabit*; partim substantivi, *gloria*, pro adjectivo, *gloriosa*. (3.) *Synthesis*: *Ad eam* (radicem Isai) *gentes* יִדְרֹשׁוּ *requirent*, h. e. *requirendo venient*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 173. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 637. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p. 231. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 132. 161. cap. 8. 169.

II. *Thummius* in Ταπεινωσιγ. p. 550. arguit, *hominem Christum à primo conceptionis momento infinitam suam scientiam usurpasse*, quia *ab illo statim tempore in ipsum gentes speràrint.*

℞. Propheta non docet, quòd *gentes omnes in Christo homine à primo conceptionis tempore suam spem fixerint*: quippe quem gentes, *suo demum tempore solenniter vocatæ*, agnoverunt. Itaque *universalis usurpatio omnisapientiæ* inde non elicitur. *Feuerb.* in Κενωσιγ. lect. 6. cap. 13. q. 2. p. 212.

III. *Bellarminus* l. 2. de Reliq. Sanctor. c. 3. arg. 1. disputat, *reliquias Sanctorum esse adorandas*, cum *sepulchrum Christi sit gloriosum.*

℞. (1.) In *Hebræo* non est *sepulchrum*, sed מְנֻחָתוֹ, quod, *Hieronymo* teste, ab omnibus expressum per *requiem*, ut à Græcis per ἀνάπαυσιν, i. e. *sedem*, in qua aliquis cum delectatione versatur, à radice נוּחַ, *quietè resedit*. Plerique ergo de *Ecclesia* interpretantur, *ex Gentibus collecta*, in qua Christus habitat & requiescit, *Psal.* 132. v. 14. *Rom.* 15. v. 12. & cujus gloria sit ab intra à sponso, *Ps.* 45. v. 10. & 14. (2.) Ut maximè de *sepulchro Christi* intelligatur vaticinium, illud impletum est *eo tempore*, quo Christus in sepulchro isto jacebat, & resurgens in illo victoriæ suæ trophæa relinquebat: tunc enim *sepulchrum ejus* vel maximè fuit gloriosum. Nulla autem est consequentia à *sepulchro Christi* ad *quorumvis aliorum Sanctorum*, quos Papa canonizavit, *reliquias*. (3.) Neque bona est illatio à *gloria* ad *adorationem*: non enim, quæcunque *gloriosa*, ea *adoranda*; siquidem *ipsa Ecclesia dicitur gloriosa*, Psal. 87. v. 3. & *Ephes.* 5. v. 27. *quam tamen adorandam esse*, nemo hactenus dixit. *Eckhard.* par. 1. Pand. cõtrov. Papist. c. 13. q. 5. obj. 1. p. 588. seq. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 112. p. 197. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 20. c. 9. §. 6. 7. 8. p. 411.

Vers. 11. *Et levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Juda colliget à quatuor plagis terræ.*

*Judæi* negant, *promissum Messiam jamdum venisse*, cum *nondum profugi Israel fuerint congregati*, neq; *dispersi Juda collecti à plagis terræ*; id quod tamen *Messias sit facturus.*

℞. Vaticinatur hîc Propheta, non de *externa & corporali collectione Populi Judaici*, ejusdemque restitutione in dignitatem pristinam, *tertia vice futurâ*; siquidem Rabini in *Thalmud.* libr. *fratriarum.* cap. *terra*, fatentur, post secundam ejectionem è terra Chanaan, Judæos *tertia vice* nequaquam in illam reversuros esse: verùm de *spirituali populi Judaici recollectione*, in toto orbe dispersi, *ad societatem Ecclesiæ Christianæ*, Joh. 11. v. 52. *Regnum* enim *Messiæ* non *externum* aut *corporale*, sed *spirituale* futurum erat regnum: ideoque *talis* etiam per Prophetam prædicta est Judæorum recollectio. *Hutter.* in LL. Theol. p. 856. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 31. de extrem. Judic. §. 110. p. 260. seq.

Vers. 14. *Et volabunt in humerum Philistinorum ad mare, pariter prædabuntur filios Orientis, Edom & Moab missio manus eorum, & filii Ammon auditus eorum.*

Ecce (1.) *Metaphoram*: tum quia *humerus* notat *regionem*, translatione ab *avibus* ducta, quæ humerum involant, eique insident; tum quia *auditus* pro *obedientia* accipitur. (2.) *Hebraismum*: *Filios Orientis*, h. e. *Orientales populos*, puta Syros. (3.) *Allegoriam*: loquitur enim Propheta de *regno Christi*, & *spirituali hominum subjugatione ad illius* ὑπακοήν, respiciendo ad *populum Israeliticum*, qui mutuas sibi operas præstabant in debellando hostiles populos, Judic. 1. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 173. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can 36. m. 4. p. 135. lib. 5. tr. 1. cap. 12. p. 342. & cap 20. p. 496.

Vers. 15. *Et anathematizabit Dominus linguam maris Ægypti, & agitabit manum suam super flumen in robore venti sui, & percutiet ipsum in septem rivos, & ambulare faciet in calceamentis.*

Reperitur hîc (1.) *Prosopopœja*: nam *lingua maris Ægypti* est *sinus Nili*, quòd *sinus* præ se ferat figuram *linguæ exertæ*, excurrendo scil. longius in continentem. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim dicitur *agitare manum suam*, i. e. *potentiam suam exerere*. (3.) *Synthesis*: *Percutiet ipsum in septem rivos*, h. e. *percutiendo ipsum dividet in septem rivos*. (4.) *Synecdoche speciei pro genere*: *In septem rivos*, i. e. *multos*: numerus certus pro incerto. (5.) *Ellipsis*: *Ambulare faciet*, scil. *transeuntes*. (6.) *Allegoria*, quâ ad *acta prisca*, Ex. 14. & Josu. 3. alluditur, nihil electo Christi populo obstiturum, quò minùs in libertate Spiritùs tutò ambulent, & ad salutem æternam perveniant. *Arias.* par. 4. Bibl. p. 8. *Vatabl* in Annot. ad h. l. p. 173. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 637. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 9. p. 103. & c. 20. p. 496.

Cap.XII. verſ.3. *Et haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalutis.*

*Metaphora* eſt: nam, *haurire aquas de fontibus ſalutis*, eſt, *vera fide beneficiis Chriſti Salvatoris, in verbo Evangelii oblatis, frui*, Johan.1 v.16. ubi pluralis numerus eſt, מִמַּעַיְנֵי, *de fontibus*, ad *ſummam abundantiam* denotandam. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract.1. cap.10. p.261. & 268.

Cap.XIII. v.1. *Onus Babelis, quod vidit Jeſaias filius Amozi.*

*Metonymia* eſt *ſubjecti* pro adjuncto: *Onus Babelis*, h.e. *prophetia de pœna, quam Deus Babyloniis immittit*, velut *onus* hominum humeris imponitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 174. & *Glaſſ.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.3. m.4. p.47.

Verſ.3. *Ego mandavi ſanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea, & exultantes in gloria*, &c.

Argumentum *Bezæ*, pro *divina peccati cauſatione*, vide ſolutum in Vindic. *Eſa.* 10. v.5. m. 2.

Verſ. 5. *Veniunt è terra longinqua, ab extremitate cœlorum, Dominus & vaſa indignationis ejus, ad corrumpendum omnem terram.*

Jeſaias utitur (1.) *Enallage* temporis præſentis, *veniunt*, pro futuro, *venient*. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *ſubjecto*: phraſin enim, *ab extremitate cœlorum*, deſumſit à *vulgi opinione*, qui judicium oculorum ſequutus, putat, cœlum non eſſe *ſphæricum*, ſed *hemiſphæricũ*, & in extremis terræ finibus deſicere, quibus inniti videtur cœlorum extremitas. *Extremitas* igitur cœli notat *loca terra longinqua*. (3.) *Metaphorâ*: nam *vaſa indignationis divina* vocat *milites*, qui Dei irati mandata exequuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 174. *Glaſſ.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.4. m.4. p.64.

Verſ.6. *Ejulate, quia propinquus dies Domini, ſicut vaſtatio ab Omnipotente veniet.*

Offert ſe (1.) *Metonymia adjuncti* pro *ſubjecto*: nam *infortunia & calamitates* dicuntur *dies Domini*, nimirum juſtè ob malitiam homines punientis. (2.) *Pleonaſmus*: כְּשֹׁד, *ſicut vaſtatio*, h. e. *vaſtatio* ſeu *vaſtitas veniet*: ubi כ *ſicut*, abundare videtur. *Glaſſ.* lib.3. Philol. Sacr. tract.5. can. 28. p. 506. & lib. 5. tract.1. cap.4. m.3. p.59.

Verſ.8. *Vir ad ſocium ſuum ſtupebunt, facies flammarum facies eorum.*

In verſu hoc habetur (1.) Metaphora: *Vir ad ſocium ſuum ſtupebunt*, h. e. *alter alterius ſtupiditatem admirabitur*. (2.) *Enallage* nominis ſubſtantivi pro adjectivo: פְּנֵי לְהָבִים, *facies flammarum*, i.e. *facies inflammatiſſima*, perfuſæ ſcil. rubore & confuſione maximâ. *Jun.* in Not. ad h. l. p.638. *Glaſſ* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can.8. m.2. p.37. Confer lib.5. tract.1. cap.12. p.370.

Verſ.10. *Quoniam ſtellæ cœli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo.*

*Aſtrologi* quidam cenſent, *aſtra eſſe cauſam malorum & calamitatum*, quoniam *Deus everſionem regni Babylonici videatur aſſignare ſignis, quæ in Sole, Luna & Stellis apparuerint*, ex quibus ea certò futura potuerit prænoſci.

℞. (1.) Verba illa non *propriè*, ſed *metaphoricè* accipiuntur, nihilque denotant aliud, quàm *ſummam tùm fore miſeriam & infelicitatem*, quando regnum illud devaſtabitur. Quo etiam metaphorico locutionis genere, per *terræ motum*, Jeſa. 24. v. 18. ſeq. Spiritus Sanctus *malorum atrocitatem* notat. (2.) Etſi verò verba *propriè* ſumerentur, illa tamen ſigna non eſſent *ordinarii curſus*, ſed *extraordinaria & miraculoſa effecta*, quæ in Sole, Luna & ſtellis velit Dominus apparere ad tempus. *Hutter.* in LL. Theol. p. 216. *Reinecc.* tom.3. Panopl. p. 66.b.

Verſ.11. *Et viſitabo ſuper orbem terræ malitiam* &c.

Verba hæc exhibent (1.) *Anthropopathian*: quia *viſitatio*, DEO tributa, *realem iræ & ſupplicii exhibitionem* notat. (2.) *Synecdochen totius* pro *parte*; nam תֵּבֵל, *orbis terræ* pro *magna ejus parte* ponitur, v.1. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p.175. *Glaſſ.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.16. m. 3. pag. 457. Confer cap. 7. p.144.

Verſ.19. *Eritq; Babel ornamentum regnorum, gloria ſuperbia Chaldæorum, ſecundum ſubverſionem DEI Sodomam*, &c.

Adverte (1.) Appoſitionẽ: *Eritq; Babel ornamentum regnorum* &c. h. e. *quæ nunc caput eſt Chaldaicarum gentium, & ſummam claritatem obtinet in toto orbe*, ut ait *Plinius* l. 6. Natur. Hiſtor. c. 26. (2.) *Enallagen* conſtructionis: כְּמַהְפֵּכַת אֱלֹהִים אֶת־סְדֹם, *ſecundum ſubverſionem* DEI *Sodomam*, i.e. *qua ſubvertit Sodomam*. Jun. in Not. ad h. l. p.638. *Glaſſ.* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can.41. p.162.

Cap.XIV. v.1. *Miſerebitur Dominus Jacob, & eliget adhuc de Iſrael*, &c.

*Huberus* docuit, *electionem non eſſe immutabilem*, cum *Deus adhuc eligat de Iſrael*.

℞. (1.) Eſt captio ab homonymia in voce *eliget*: quia ibi non ſignificat *electionem æternam*, ſed *externam in tempore*, quâ eligit Deus in populum ſuum & Eccleſiam; id quod etiam *humanitus* dictum eſt. Cum enim Deus ſuos per Eccleſiæ hoſtes caſtigat, eſt ſpecies *rejectionis*; cùm verò liberat, *electio nova externa* in populum dicitur. (2.) Eſto verò, ſermonem hic eſſe de electione ad *vitam æternam*, verbum, *eliget*, ſumeretur *metonymicè* pro *externis ſignis*, quibus Deus *declarat*, ſe elegiſſe. *Scharp.* tom. 1. Curſus Theol. loc. de Prædeſt. controv. 3. obj.6. p.275.

Verſ.4. *Sumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis*, &c.

*Hieronymus* inficias it: *contra Nabuchodonozor ſermonem eſſe*, & *ſimpliciter hiſtoriæ expoſitionem*, quia *parabola* non dicatur, *quæ nulli alteri παραβάλλεται*, id eſt, *comparatur*.

℞. (1.) Importunè vocem urget, quæ *Græca* eſt, *παραβολὴ, ἀπὸ τοῦ παραβάλλειν*. Atqui *Hebraice* eſt, מָשָׁל, quæ nullam comparationem *origine ſua* includit. Argumentatur ergo non ex *verbis*, multò minùs *mente Prophetæ*; ſed tantùm ex *interpretis uno vocabulo*: quod quàm ſit inane, poteſt infinitis exemplis doceri. (2.) Ne ſic quidem concluditur de *alio* locum interpretandum, quàm de *Rege Babylonio*. Nam παραβολὴ erit etiam, cum Rex ipſe comparabitur *alii cuidam rei*, & adeò, cum quæ ad ejus ſtatum pertinent, tractabuntur ἀλληγορικῶς. Unde Cyrillus: *Componit cum Lucifero Babylonium, eò quòd antecellat cæteris*. Illud, *componit*, eſt Hieronymi παραβάλλεται. Sic *Numer.* 23. v. 7. *Bileam dicitur aſſumpſiſſe parabolam ſuam*, non quòd de populo Iſraelitico loquens, *aliud aliquid* intelligendum inſinuaret; ſed tantùm, quia de eo populo loqueretur *paulo obſcuriùs*. Cham. tom.2. Panſtr. l.9. c. 11. §. 17. p.164.

Verſ.6. *Percutientem populos in excandeſcentia percuſſione ſine averſione* &c.

Jeſaias uſurpat (1.) *Ellipſin* nominis ſubſtantivi: מַכַּת, *percuſſione*, pro, מַכַּת יָד, *percuſſione manûs*.

(2.) *Hebraismum*: מַכַּת בִּלְתִּי סָרָה, *percussione sine aversione*, h.e. *indesinente*, *immotâ*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 1. p. 114. can. 39. m. poster. p. 160. & tract. 5. can. 20. m. 2. p. 481.

Vers. 11. *Deductus est in sepulcrum fastus tuus, strepitus lyrarum tuarum: subter te sternetur vermis, & operientes te lumbricus.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Metaphora*: nam de *Rege Babyloniorum* dicitur, quòd *deducatur in sepulcrum fastus ejus, strepitus lyrarum ejus*, h. e. omni honore sepulturæ carent, justaq; ipsa, quæ ei, ùt potentissimo Regi, solvenda erant, velut sepulta jaceant, neque adhibeantur; id quod ei evenisse, ex *Dan.* 5. non obscurè colligi potest. (2.) *Enallage* partim *temporis* futuri, *sternetur*, pro præsenti, *sternitur*; partim *numeri* singularis, *lumbricus*, pro plurali, *lumbrici*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 177. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 396.

Vers. 12. *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, fili auroræ? &c.*

I. Occurrit jam (1.) *Ironia*: Propheta enim *sarcasticè* alloquitur Regem Babyloniorum. (2.) *Allegoria*, nomine *cœli* summam figurans *dignitatem*, quâ, velut *cœlesti luce*, Rex ille exciderit. (3.) *Metaphora*: nam idem Rex *Lucifer* dicitur, quòd instar *Luciferi* (stellæ prægrandis atque perlucidæ) præ aliis Regibus illustris & præpotens fuerit. (4.) *Hebraismus*: בֶּן־שָׁחַר, *filius auroræ*, h.e. ὁ πρωΐ ἀνατέλλων, *manè oriens*, sic dictus, quòd *soleat auroram comitari*, quomodo *pulli hærentes lateribus matrum* apud Hebræos nominantur, *Genes.* 18. v. 7. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 177. *Iun.* in Not. ad eund. loc p. 639. *Glass.* lib. 3. Philol. Sac. tract. 1. can. 36. m. 6. p. 157. & lib. 5 tract. 1. cap. 10. p. 228.

II. *Becanus* l. de judic. controv. p. 59. §. 35. inter alia *scripturam quoque esse ideò obscuram* pronunciat, quòd subitò fiat transitus à *litera* ad *spiritum*. h.e. à *Rege Babylonis* ad *Luciferum*.

℞. Non est verum, transitum fieri â *Rege Babylonis* ad *Luciferum*: siquidem ea, quæ de *Lucifero* dicuntur ἀλληγορικῶς ad *ipsum Regem Babylonicum*, summumque ejus fastum, secundùm continuationem *literæ*, sine ulla inconvenientia accommodari possunt. *Gerh.* l. de judic. controv. relig. Christ. contr. Becan. p. 106. & 108. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 15 c. 15. §. 3. & 27. p. 279. seq.

III. *Bellarminus* l. 1. de Rom. Pontif. c. 9. rat. 2. argutatur, *Diabolum falsissè honore Monarchico*, quoniam comparetur *Lucifero*, id est, *stellarum maxima & pulcherrima*, saltem quoad *apparentiam*, & *vulgi opinionem*, ad quam se Scripturæ accommodare soleant.

℞. (1.) Locus iste non de *Lucifero aliquo*, qui *Angelici ordinis Monarcha* fuerit; sed de *Rege Babylonis* agit, ùt ex v. 4. patet, ubi sequentis sarcasmi (cujus v. 12. particula) propositio. *Hic* verò *Lucifer* appellatur, quia potentissimus Monarcha fuit, atque inter homines, veluti *Lucifer* inter astra, emicuit. Inde Glossa Interlinearis: *Nabuchodonosor aliis Regibus gloriosior, ùt lucifer stellis splendidior.* Quis igitur ferat Sophistam, à *Rege Babylonis*, ad *statum Angelorum*, argumentantem? (2.) Fateor, Veterum nonnullos interpretatos esse de *Diabolo*: sed *allegoricè*. Unde Glossa Ordinaria: *Allegoria, Lucifer, qui manè oriebaris; Diabolus, in exordio mundi creatus, vel inter Angelos gloriosus.* Allegoricum igitur argumentum. Et quidem *allegoria non necessaria*: nam *literalis sensus* de *Rege Babylonio* nihil habet absurdi. *Tarnov.* in Exerc. Bibl. p. 77. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Pontif. Rom. c. 5. sect. 1. obj. 2. p. 799. & 801. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 9. c. 11. §. 12. & 16. p. 163. seq.

Vers. 13. *Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium, & sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.*

I. Putant aliqui, *Angelos extra cœlum productos esse*, quia *Lucifer ambierit in cœlum conscendere, & super astra Dei solium suum exaltare*; hinc enim colligunt, *Luciferum ante peccatum non fuisse in cœlo.*

℞. (1.) *Luciferum esse Regem Assyriæ*, contextus v. 15. 22. evincit, ut qui de *Diabolo*, in initio mundi ante lapsum hominum ex cœlis detruso, non potest explicari. (2.) *Becanus* in Theol. Schol. par. 1. tract. 3. cap. 1. q. 1. n. 5. p. 276. b. ait, locũ nõ cõvincere, quia per *cœlum* ibi non intelligatur *cœlum corporeum*, sed *cœlum SS. Trinitatis*, in quod Lucifer adscendere voluerit, quando desideravit similis esse Deo, v. 14.

II. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. p. 64. probare nititur, *Antichristum ex tribu Dan esse nasciturum*, quòd *sessurus sit in monte testamenti, in lateribus aquilonis.*

℞. (1.) *Apostata* repugnat *Bellarmino*, qui l. 1. de Rom. Pontif. c. 9. rat. 2. nomine *Luciferi* intelligit *Diabolum*: ergóne *Diabolus erit Antichristus ille magnus*, in Scripturis prædictus? (2.) Vox ista apud Prophetam nostrum non est *Antichristi*, sed *Regis Babylonij*, cujus stupenda gloriatio illo versiculo exprobratur, quâ populum Dei, urbem Hierosolymam, & ipsum templum, (quod ad *Aquilonem* situm est, *Psal.* 48. v. 3.) sibi subjicere conabatur. (3.) Quanquam non negem, idipsum *allegoricè* intelligi posse de *Antichristo*, cujus *typus fuit Nabuchodonosor*; non verò *propriè* ibi igitur de *Antichristo*: ast Theologia *allegorica* non est argumentativa. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 209. seq. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 2. thes. 10. & 12. p. 123. seq. *Cham.* tom. 2. Panstrat. l. 17. c. 9. §. 11. & 13. p. 373.

Vers. 15. *Verùm ad infernum detraheris, in profundum laci, i. e. foveæ.*

*Bellarminus* l. 4. de Christ. anim. c. 10. arg 1. vult, *infernum esse locum subterraneum*, cum *is opponatur cœlo*, tanquam *locus infimus supremo.*

℞. (1.) Ex *oppositione illa* haud necessario sequitur, *infernum esse locum subterraneum*: quia *cœlum & infernus* opponi possunt, tanquam *diversissimæ conditionis habitacula*; non verò, ut *loca situ ac positu differentia*. (2.) Propheta hîc loci agit de *Nebucadnezare*, qui veluti non cogitavit, *motu locali adscendere in cœlum*, sed *consiliis ac machinationibus superbiis altiùs scandere voluit*, quàm Deo placuit; ita *in infernum detrusus est*, non *locali in centrum terræ descensu*, *sed abjectissima sorte & conditione*, dum videlicet extra cœtum humanum ejectus, feris atq; brutis animantibus associatur, *Dan.* 4. v. 31. seq. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Papist. c. 15. q. unic. obj. 3. p. 643. *Brochm.* tom. 2 Syst. Theol. art. de Infern. c. 2. q. 2. obj. 3. p. 7038. & 7040.

Vers. 17. *Vinctos suos non solvebat domum.*

*Synthesis* est: לֹא פָתַח בָּיְתָה, *non solvebat domum*, h. e. *non solvebat ut reverterentur*, seu *ut reverterentur domum*. Jun. in Bibl. h. l. p. 639. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p. 231.

Vers. 21. *Nec hæreditent terram, & impleant faciem orbis civitatibus.*

*Pleonasmus* est: *impleant faciem orbis*, h. e. *orbem*; ubi.

ubi ly *faciem* abundat. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 146.

Vers. 29. *Ne læteris Philistæa tota tu, quod confracta sit virga percutientis te: quia de radice serpentis prodibit vipera, & fructus ejus cerastes volans.*

*Metaphora* est: nam per *radicem serpentis*, stirps *Vsiæ* Regis intelligitur, qui Philistæos graviter afflixit, 2. Paral. 26. v. 6. per *viperam* vero *Rex Ezechias*, qui adhuc graviùs eos afflicturus, & ferè immedicabilibus malis affecturus erat, 2. Reg. 18. v. 8. Inter duos hosce regnavit *Achaz*, per cujus ignaviã (DEO impietatem puniente) audaciùs se Philistæi gerebant, & Judæam sine impedimento involabant ac depopulabantur, 2. Paral. 28. v. 28. Non verò hoc ampliùs processurum, sed exturbandos eos iterum esse, & gravi strage afficiendos, hic Propheta denunciat. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 329. seq.

Vers. 30. *Et pascentur primogeniti tenuium, & pauperes in fiducia accubabunt; & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiet.*

In textu hoc reperitur (1.) *Hebraismus*: בְּכֹרֵי דַלִּים, *primogeniti tenuium*, h. e. *tenuissimi Iudæi, & summè attenuati, attritique calamitatibus.* (2.) *Metaphora*: nam *radix* pro *re fundamento* ponitur (3.) *Ellipsis* nominis: *Interficiet*, scil. *Hiskias*, Jun. in Not. ad h. l. p. 640. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 17. p. 60. m. 1. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 287.

Vers. 31. *Ejula porta, clama civitas, liquefacta Philistæa tota tu: nam ab Aquilone fumus venit, &c.*

En (1.) *Metonymiam subjecti pro adjuncto*: nam *porta* pro *civibus*, in portis ad jus audiendum convenientibus; & *civitas* pro *ejus incolis* ponitur. (2.) *Metaphora*: tum quia *liquescere*, est, *animô frangi*, tum quia *fumus* notat *plagam repentinam*, sicut vementi celeriter fumo resisti nequit, & incẽdii indicium est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 178. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. pag. 41. & cap. 10. p. 244.

Cap. XV. v. 5. *Cor meum clamabit ad Moab, vectes ejus usque ad Zoarem vitula triennis &c.*

Verba hæc continent (1.) *Prosopopœiam*, quâ *strenuus Moabita* introducitur, populares suos profugientes confirmare & revocare tentans. (2.) *Metaphoram*: tum quia *vectes* notant *munitiones limitaneas*, sicut vectibus januæ confirmantur; tum quia *Moabita clamantes* vitulæ triennis similitudinem referunt; nam certum est, *vitulam triennem*, insuetam jugo, minimè effœtam, ac proinde ferociorem, graviores boatus & valentiores edere, *Iun.* in Not. ad h. l. p. 641. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 324. seq & cap. 12. p. 392.

Vers. 7. *Idcirco residuum, fecerit, & repositum eorum, in vallem Arabum exportabunt ea.*

Occurrit 1. *Ellipsis* relativi pronominis: *Idcirco residuum*, עָשָׂה *fecerit*, pro אֲשֶׁר עָשָׂה *quod fecerit*, juxta R. *Kimchi.* (2.) *Pleonasmus*: redundat enim pronomen EA. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 179. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 22. m. 1. p. 211.

Vers. 9. *Quia aquæ Dimonis repleta sunt sanguine: nam ponam super Dimonem additamenta, evasoris Moab leonem &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Paronomasia*: Aquæ דִּימוֹן, *Dimonis* (rivi illius sangvinei. 2. Reg. 3. v. 16.-23.) repletæ sunt דָם *sangvine*. Sensus est: Quemadmodum temporibus Josaphati *rivus ille*, qui à via Edomææ influere tùm primùm cœpit in agrũ Moabitarum, ipsorum sangvine auctus est; ita quoque deinceps facturus sum, & eò amplius. (2.) *Enallage* numeri singularis, *evasoris* & *leonem*, pro plurali, *evasoribus* & *leones*. (3.) *Synecdoche speciei pro genere*: nam *leones* pro *feris animantibus quibuslibet* ponuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 179. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 641. *Glass.* lib 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 22. p. 85. & lib. 5. tract. 2. cap. 2. p. 525.

Cap. XVI. v. 1. *Mittite agnum dominatori terræ de petra deserti, ad montem filiæ Zionis.*

*Ironia* est, quâ pervicaciam & obstinationem exprobrat Moabitis Propheta, quòd non resipuerint; propterea frustra missuros DEO oblationes & sacrificia, nomine *agni* indigitata, in *Ierusalem*, ubi mons Zionis situs erat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 179. Vide *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 164.

Vers. 3. *Abscondе fugientes, & vagos ne prodas: habitabunt apud te profugi mei, Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris.*

*Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. c. 12. nugatur, *tempore Antichristi Ecclesiam veram in desertum esse fugituram*, quoniam *Deus præcipiat Moabitis, ut abscondant fugientes Antichristum, neque vagos prodant*, cùm *profugi in desertis Moabitarum* habitaverint, ubi se propter *vastatorem*, h. e. *Antichristum*, se occultârint.

R. Sermo hic est de *populo judaico*, non de *Antichristo*. Manifestum enim est ex toto isto capite, Esaiam contra *Moabitas* stylum stringere, iisque pœnas divinitùs destinatas prædicere: imprimis autem *exilium & devastationem terræ suæ*. Nam cũ antehac *Moabitæ* plus satis *Iudæos* risui & despectui habuissent: Jam Dominus vicissim ridet eos, & *ironicè* ipsis svadet, ut recipiant & abscondant exulantes *Iudæos*; exprobrans hoc pacto ipsorum inhumanitatem, quòd *consangvineorum suorum Iudæorum* hactenus nullam curam habuerint, nec hospitiò eos exceperint, sed hosti prodiderint: nunc autem rem eò rediisse, ut licèt fugientes recipere, & ab hoste defendere velint, id tamen facere non possint: ipsos enim *patriâ extorres*, omnibusque destitutos auxiliis, non habere, ubi consistant; sublatos verò esse è medio hostes & deprædatores *Iudæorum*, ipsosque Judæos in integrum restitutum iri, quorum felicitatem ipsi non sine invidia sint visuri. *Balduin.* Exam. 2. Witteb. disp. 2. c. 6. thes. 105. 106. 107. p. 208. seq.

Vers. 5. *Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super eum in veritate, in tabernaculo David judicans, & quærens judicium, & velociter reddens, quod justum est.*

*Schoppius* ibid. instat, nomine *Vastatoris* necessario intelligendum venire *Antichristum*, utpote *post quem statim secuturum prædicetur judicium.*

R. Vaticinatur hoc loco Propheta, non de *novissimo judicio*, sed de *regno gratiæ Christi in hoc seculo*. Nam (1.) hoc solium sibi præparavit Christus *in misericordia*; in novissimo autem judicio non ampliùs erit *misericordiæ* locus, sicut in *Ecclesia jam militante* ejus locus est. (2.) Hoc solium sibi Christus præparavit in *domo David*, quæ in hoc mundo *contempta* erat; solium autem *extremi judicij* erit solium *gloriæ*, Esa. 63. v. 15. Matth. 25. v. 31. (3.) Christus, juxta Hebræum codicem, dicitur *accelerare justitiam suam*, cujus rationes ipse non differt in *ultimum usque judicium*, sed qui non credit in eum, jam judicatus est, *Ioh.* 3. v. 18. & in foro *justificationis* non *multis ambagibus*, utitur, sed *in momento* absolvit peccatorem credentem, *Matth.* 9.

v. 2. &

v. 2. & Luc. 18. v. 14. *Baldwin.* l. c. thes. 106. 108. 109. p. 209. seq.

Vers. 6. *Audivimus superbiam Moab, quod superbus sit valdè, sed nec sic quidem robur ejus.*

*Flacius* par. 1. Clav. Script. p. 1133. sentit, adverbium כֵּן, *sic*: apud Hebræos esse *rei diminutivum*, idque in *negativo* sermone, atque idem significare ac, *ne tantillum*; ut hîc: *Nec sic quidem robur ejus*, h. e. *ne tantillum.*

℞. In *Hebræo* verba ita habent: *Non ita mendacia ejus*, scil. erunt, nimirum uti fastus ejus, & superbia ejus, & excandescentia ejus præ se ferunt; quæ voces in hoc versu præcedunt. Sensus est: *Conatus ejus præsumtuosi fient irriti, inanes & mendaces*: vel, utcunque turgeat, nihilominus planè de *mendace jactatione sua* decidet; quæ *Junio* ac *Tremelio* nota est. *Pagninus* hîc כֵּן *nominaliter* accipit: *Non sunt recta verba ejus*; secutus R. *David Kimchi*, qui explicat: *Non sunt recta mendacia ejus*, q. d. verba ejus, quæ loquitur in superbia sua, non consistent nunc, dum obvenerit ei malum. *Glass.* libr. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 29. p. 511. seq.

Vers. 8. *Arva Chesbonis languidum est, vitis Sibmah.* &c.

Offert se (1.) *Enallage* numeri: *Arva Chesbonis*, h. e. *quodvis arvum*. In Hebræo simul *generis* est discrepantia: fœminino enim plurali, שַׁדְמוֹת, *arva*, respondet singulare masculinum verbum אֻמְלַל, *languet*. (3.) *Synecdoche speciei*: nomine enim *vitis* comprehenduntur *omnia facultatum & possessionum genera*, quia *vitibus* maximè præstabat Moabitica regio. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 642. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 13. p. 51.

Vers. 9. *Super æstatem tuam, & super messem tuam celeusma cecidit.*

§. 1. *Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: nam קַיִץ, *æstas*, pro *æstivis fructibus*; & קָצִיר, *messis*, pro *frugibus*, quæ tempore messis colliguntur, ponitur. §. 2. *Celeusma* significat *jubilum militum*, exhortantium sese mutuò in expugnatione urbis. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 180. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 61. seq.

Cap. XVII. v. 3. *Sicut gloria filiorum Israel erunt*, &c.

*Ironia* est: *gloria* enim pro *ignominia* accipitur, *Hieronymo* interprete, in Comment. h. l. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5 p. 84.

Vers. 5. *Et erit, sicut colligere messem segetem*, &c.

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: nam קָצִיר, *messis*, significat *messorem*, nisi subintelligas vocem אִישׁ: *Virum messis*. Jun. in Bibl. h. l. p. 643. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 39. m. 1. p. 154. & lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 62.

Cap. XIIX. v. 1. *Væ terræ, umbra alarum, quæ trans flumina Æthiopiæ.*

*Metaphora* est: per *alas* enim *umbratiles* intelliguntur *vela navium*, quæ extremæ earum partes sunt, & in formam *alarum* expanduntur, & celerrimi motus,* super aquas maris, instrumenta sunt, à ventis cum inflantur, quæque navigantibus umbram faciunt. *Junius* in Not. ad h. l. p. 643. per *alas* simpliciter *oras terræ* intelligit, ut *terra umbrosa oris* sit, cujus oræ montibus maximis & opacissimis circumclusæ sunt, quales undique ad mare rubrum esse, testatur Strabo lib. ult. Geograph. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 311. seq.

Vers. 2. *Mittens per mare legatos, & in vasis junci super faciem aquarum: Ite nuncii leves ad gentem distractam & depilatam, ad populum terribilem ex ipso, & ultrà; gentem lineæ lineæ & conculcationis, cujus diripuerunt flumina terram ejus.*

I. Propheta utitur (1.) *Synecdoche*: In *vasis junci*, h. e. in *naviculis*, ex junco contextis. (2.) *Metaphorâ*: tum quia *facies* notat *superficiem*, tum quia *gens depilata* est gens *exhaustus suo milite*; tum quia *flumina* significant *hostiles exercitus*, qui instar *fluminum validorum*, quibus resisti non potest, terram directuri erant. (3.) *Hebraismo*: Gentem *lineæ lineæ*, h. e. *omnibus delineantem*, metaphorâ tracta ab *architectis*, qui ordinem unum post ordinem alterum collocare solent. (4.) *Pleonasmô*: redundat enim pronomen, *ejus*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 182. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 643. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 258.

* II. *Marianus Victorius* Annotat. in Hieronym. Epistol. 145. *fontem Hebræum esse corruptum* clamitat, quia, quod *Hebraicè* dicitur, בִּכְלֵי־גֹמֶא. LXX. *Interpp.* legunt בִּכְלֵי־גֹמֶא, hoc est, ἐπιστολὰς βιβλίνας, *epistolas biblinas. Ex qua re*, inquit, *considerari potest, quanti facienda sit LXX. interpretatio.*

℞. An quia nihili facienda *Hieronymi* interpretatio? Nam *hæc* habet, *in vasis papyri*. Sed בִּכְלֵי quid significat? *Biblinásne*, an *Epistolas*? Nam si *Epistolas*, quâ analogiâ? quo usu? Sin autem *Biblinas*, ergo גֹּמֶא significabit *Epistolas*: sed rursus, quâ analogiâ? quo usu? Tum autem syntaxis cogeret exponi, non *biblinas epistolas*, sed *biblos epistolarum*. Cæterùm nihil dubito haud aliter lectum à LXX. *illis Interpp.* ac nos habemus hodie, sed putâsse, vasa illa *biblina* (id est, *instrumenta*, ad morem Hebræorum) fuisse *epistolas*: nam & *Hieronymus* in annot. h. l. *in vasis papyri*, id est, *epistolis, sive navibus*. Cham. tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 100. seq. p. 222.

Cap. XIX. v. 1. *Onus Ægypti. Ecce Dominus equitans super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & movebunt se simulachra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti liquefiet in medio ejus.*

Ecce (1.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: nam *onus* pro *vaticinio de pœna divina* capitur. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: *equitatio* enim, DEO tributa, innuit *celeritatem in exequendo sua judicia*. (3.) *Metaphoram*: quia *cordis liquefactio* notat *animi consternationem*. Jun in Not. ad h. l. p. 644. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. pag. 144. & cap. 10. pag. 249. Confer cap. 3. m. 4. pag. 47. & cap. 10. p. 264.

Vers. 4. *Et concludam Ægyptum in manu dominorum durorum, & Rex fortis dominabitur eis, dicit Deus.*

*Photiniani* sentiunt, nomen אֱלֹהִים *significatione esse singulare*, quòd vox אֲדֹנִים *uni supposito* attribuatur, nempe *Regi forti*, *Nebucadnezari.*

℞. (1.) Quæstio est de nomine אֱלֹהִים, *Deo vero* attributo; sed affertur nomen אֲדֹנִים, de *Nabuchodnosore* usurpatum. (2.) Propheta addit epitheton, non plurale, *durorum*; sed singulare, *duri*: contrà verò, *Deut.* 5. v. 26. *Josu.* 24. v. 19. *Psal.* 58. v. 12. voci אֱלֹהִים additur epitheton numeri *pluralis*. Jam demonstretur ex universa Scriptura ejusmodi modus loquendi, qui unum noter suppositum, sive *rem simpliciter unam*. (3.) Dominium, Nabuchodonosori à Deo concessum, exprimitur per plurale *dominorum*; durities verò & tyrannis, à *propria persona* dependens, per *durum* singulare: ut ita ipsa constructio, & epitheti attributio discrimen quoque faciat, ostendatque, non tam *dignita*-

tis

*tis* ergò, quàm *vicariatûs* causâ, pluralem numerum *Adonim* uni alicui Regi attribui. *Jacob. Marti.* l. 1. de trib. Eloh. c. 3. p. 29. & c. 6. p. 74.

Vers. 9. *Et erubescent operantes lina pectinata, & texentes foramina.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: nam *foramina* pro *foraminosis operibus* ponuntur; uti sunt *aulæa reticulata*. Chaldæus: מְצָדִין, *retia*. Ariæmontanus: *perforata retia*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 53.

Vers. 11. *Veruntamen stulti Principes Zoanis, sapientes, consiliarii Pharaonis, consilium infatuatum est, quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientum ego, filius Regum antiquitatis?*

In textu hoc habetur (1.) *Ellipsis* tum nominis, *Sapientes*, scil. *Pharaonis*; tum pronominis, *Quorum* consilium &c. (2.) Hebraismus: *Quomodo dicetis Pharaoni*, h. e. *cur occasionem præbetis, & adulatione vestra efficitis*, ut talia de se cogitet, & gloriabundus proferat Pharao. Loquitur autem de *Pharaone Sethone*, qui tùm temporis in Ægypto regnabat, Sacerdote Vulcani, virô stolido, ut refert Herodotus in Euterpe: quo mortuo, omnia, prout à Propheta in hoc capite denunciata extant, evenerunt. (3.) *Enallage* substantivi, *antiquitatis*, pro adjectivo, *antiquissimorum*. Ariæm. part. 4. Bibl. p. 12. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 645. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 10. p. 254. & lib. 4. tract. 2. observ. 12. p. 725.

Vers. 14. *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni, &c.*

*Beza* par. 2. Resp. ad Act. Colloq. Mompelg. p. 180. arguit, *Deum esse causam peccati*, cum *miscuerit spiritum vertiginis in mentes Principum Ægyptiorum*, qui postmodum errare fecerunt Ægyptum.

℞. Mixtio spiritus vertiginosi *Deo* assignatur, non respectu *malitiæ*, sed respectu *Iustitiæ*: describitur namque *pœna Dei*, ingratis contemtoribus inflicta; eaque posita fuit, tum in *gratiæ illuminatricis subtractione*, tum in *spiritus vertiginis permissione*. Eckhard. in Fasc. controv. Calvin. c. 10. q. 2. obj. 7. pag. 223. *Reinecc.* tom. 3. Panopl. c. 13. pag. 119. ad 4.

Vers. 16. *In die illa erit Ægyptus, sicut mulieres, &c.*

*Pareus* in Calvino Orthodoxo suspicatur, *fœminam* in loco, *Ierem.* 31. v. 22. *fœmina circumdabit virum*, idem esse, quod *sicut fœmina*: non secus ac *Ægyptus* dicatur esse *sicut mulieres*.

℞. Est dispar utriusque loci ratio: nam in loco *Esaiæ*, apposita particula similitudinis, (SICUT) ostendit, non *mulieres ipsasmet* notari, sed *Ægyptios mulieribus similes*; at in loco Jeremiæ, econverso dictio *fœmina* citra notam similitudinis ponitur *absolutè*. Hunn. tom. 2. Oper. Lat. p. 786.

Vers. 18. *In die illa erunt quinq; civitates in terra Ægypti, loquentes labiô Chanaanis, &c.*

Reperitur hoc loco (1.) *Synecdoche* tum *partis* pro *toto*, In *die illa*, h. e. *tempore* illo; tum *speciei* pro *genere*: ponuntur enim *quinq;* pro *multis* civitatibus, usque celebrioribus, ut sit numerus certus pro incerto; & *Ægypti* pro *omnibus gentilibus*, & unà *Assyriis*, v. 23. 24. 25. (2.) *Metonymia causæ* pro effectu: *Labiô Chanaanis*, h. e. *sermone Chananæorum*, puta *idiomate Hebræo*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 184. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 645. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 2. p. 9. & cap. 15. m. 2 p. 448.

Vers. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus, & erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti.*

I. *Onias*, filius Oniæ pij, è patria profugus, statim post mortem Judæ Maccabæi, (quæ incidit in A. M. 3813.) ex indultu *Ptolomæi Philometoris*, templum aliquod, etiam ad similitudinem templi Hierosolymitani, in Ægypto, ad castrū *Bubastis*, in regione *Heliopolitana*, extruxit; eò quòd prædixerit Esaias, *fore altare ipsi Domino in medio Ægypto*, teste *Iosepho* l. 13. Antiq. Jud. c. 4. 6. & 7.

R. Scopus Prophetæ est, *singulare aliquod Dei beneficium in Ægypto commendare*, nimirum *Ægyptios tempore Messiæ exhibiti eundem cultum divinum cum vera Ecclesia esse habituros*: at *extructio altaris*, ab Onia facta, adeò non fuit *Dei beneficium*, ut potius fuerit *grande peccatum*, & pessima ἐθελοθρησκεία, ante dirutam maceriem lege divinâ prohibita, *Deut.* 12. v. 5. Hanc sententiam etiam tunc veram esse, judicavit Rex *Ptolomæus*, quia solicitanti *Oniæ* indulgentiam pro novo templo, intra Ægyptum ædificando, respondit: *Permittemus tibi hoc, quatenus potest salva legis observatione fieri, ne videamur per hoc peccare in Dominum.* Franz. in Schol. Sacrif. disp. 7. thes. 95. seqq. *Dannhavv.* in Ide. Bon. Interp. par. 2. sect. 1. art. 6. §. 27. p. 268. *Glass.* præfat. in lib. 5. Philol. Sacr. lit. C. 3. b.

II. *Pazmannus* in Hodeg. arguit, in N. T. *debere esse sacrificia externa & visibilia*, quia in N. T. *debeant esse altaria*; *altare* verò non alium in finem extrui, quàm *sacrificii* ergò.

℞. (1) Quando Propheta dicit, *futurum altare Domini in media Ægypto*, non *externum aliquod & materiale* intelligit altare, sed *cultum divinū*, qui in isto quoque regno, tempore N. T. sit floriturus, quique non in *corporalium*, sed in *spiritualium* sacrificiorum oblatione sit constitutus. (2.) Ab *altari* ad *sacrificium* argumentari, est à baculo ad angulum concludere: potest enim esse *altare* etiam absque *sacrificio*, ceu *Iosu.* 24. v. 23. & Johannes, *Apoc.* 6. v. 9. in *cœlo* vidit altare, neque tamen ibi adhuc sacrificatur. *Baldvin.* in Phosphor. Cathol. l. 11. c. 14. p. 1069 *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Papist. c. 31. q. 10. obj. 12. p. 641. seq.

III. *Bellarminus* l. 1. de Miss. c. 9. arg. 3. existimat, v. 21. Esaiam non loqui de *spiritualibus sacrificiis*, cùm v. 19. mentio fiat *altaris Domini, in loco visibili constituti*; ad sacrificia autem *spiritualia* nullum *altare visibile* necessarium esse.

℞. Propheta non dicit, *altare illud fore visibile*; sed *phrasi sui seculi* describit *cultum* N. T. in Ægypto quoque exercendum. Ac subest antithesis: cum hactenus non nisi *Hierosolymis in templo* sacrificia facere licuerit in unico altari, passim in Ægypto sacrificandū esse, i. e. beneficia Christi voce *Evangelii* prædicanda, de ejus *passione, morte*, &c. *Arcular.* Comm. in Esa. p. 267. seq. *Cham.* tom. 5. Panstr. supplem. c. 10. §. 19. p. 42.

IV. *Synodus Nicæna* II. decrevit, *imagines adorari*, quoniam *altare & titulus Domini in Ægypto futura sint in signum & in testimonium Domino*, &c.

℞. Quæ de *altari & titulo* Propheta dicit, sunt intelligenda *Evangelicè* de *doctrina Evangelii*, per Ægyptum longè lateque disseminandâ; quæ doctrina est *illustre testimonium* clementiæ divinæ erga genus humanum, *Rom.* 5. v. 8. Quid verò hoc ad *imaginum adorationem*? Histor. Magdæb. Cent. 8. cap. 9. p. 648. obj. 29. *Arcular.* l. c.

Vers.

Verſ. 20. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos.*

*Oſtorrodus* Inſtit. c. 12. negat, *Chriſtum eſſe verum Deum*, quia *à vero Deo excitetur Salvator Ægyptiis.*

℞. Verus Deus, *eſſentialiter* acceptus, in Salvatorem non excitatur; ſed tamen verus Deus *perſonaliter* ſumtus excitari potuit, & excitatus eſt in Salvatorem, nempe *Filius Dei*, idque ſecundùm *οἰκονομίαν & voluntariam Dei diſpoſitionem*. Ab *οἰκονομίᾳ* autem illa ad conditionem naturæ non datur conſequentia. Jacob. ad Port. in Defenſ. Orthodox. contr. Oſtorrod. p. 92. ſeq.

Verſ. 21. *Ægyptii colent Dominum in hoſtiis, & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent.*

I. *Bellarminus* l. 1. de Miſſ. c. 9. arg. 3. locum hunc urget pro *ſacrificio Miſſæ*, quòd *Ægyptii dicantur Dominum in N. T. culturi in hoſtiis.*

℞. Nomine *hoſtiarum* Propheta non intelligit *externa*, ſed *ſpiritualia* ſacrificia: alludit nimirum ad *cultum externum* tùm temporis uſitatum, ut ſignificet cultum *ſpiritualem* Gentium converſarum; alioqui non ampliùs Sacrificuli offerant *panem & vinum*, ſed *vitulos*, & quidem *cruentò modò*. Nam David *vitulos* à Chriſtianis ſuper altare Domini impoſitutos prædixit, *Pſal.* 51. v. 21. *Hutter.* in Refut. Bellarm. de Miſſ. p. 186. 187. 188. *Scharp.* tom. 2. Curſ. Theol. art. de S. Cœo. p. 1421. obj. 6.

II. *Bellarminus* l. 2. de Monach. c. 16. arg. 1. ſtatuit, *implere votum, eſſe actum religionis*, ſive fiat de re *præcepta*, ſive *nō præceptâ*; cùm *vovere* ſit actus *religionis*: vota enim *munera ſunt, quibus Deus colitur.*

℞. Non concluditur quæſtio: cum enim quæratur, utrum id, *quod fit ex voto*, putà *comedere pomum*, ſit *verè & propriè* cultus Dei; tum verò concluditur, *ipſam voti redditionē eſſe actum religionis.* Atqui, quemadmodum *vovere* aliud eſt, ab eo, *quod vovetur*, ſic & *votum reddere*. Etenim & *vovere & reddere*, actus ſunt *religionis eliciti*, ut vocant, quia *per ſe & propriè* ſunt religionis; at actus, *qui voventur*, non niſi *imperati*: quod patet ex ipſis Bellarmini verbis, qui *voti eſſe* dicit, *ordinare ad cultum Dei ea, quæ non ſunt ordinata.* At hæc non poſſunt pertinere ad cultum Dei *propriè*, ſed tantùm *per accidens*; multò minùs *ſpeciem conſtituere cultûs divini*. Cham. tom. 3. Panſtr. l. 20. c. 5. §. 9. ſeq. p. 373.

Cap. XX. v. 1. *In anno venire Thartan in Aſdod, in mittendo eum Sargon, Rex Aſſur*, &c.

§. 1. In anno *venire*. h. e. in anno *adventûs*, ſeu *quo venit* Thartan. §. 2. *In mittere ipſum*, i. e. *poſt mittere ipſum*, ſeu *poſtquam miſiſſet eum*. Glaſſ. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 3. p. 115. & tract. 6. can. 6. m. 6. p. 534.

Verſ. 2. *In tempore illo loquutus eſt Dominus per manum Ieſaiæ, filii Amoz, dicendo: Vade, & ſolves cilicium tuum deſuper lumbis tuis, & calceamentum tuum ſolves deſuper pede tuo: & fecit ſic eundo nudus & diſcalceatus.*

I. En (1.) *Pleonaſmum*: Per *manum Ieſaiæ*, h. e. per *Ieſaiam*: voce *manûs abundante*. (2.) *Enallagen* indicativi, *ſolves*, pro imperativo, *ſolve*. (3.) *Synecdochen totius* pro parte: *nudus* pro *partiali nuditate* accipitur. *Ariam* par. 4. Bibl. p. 12. ſeq. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 646. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 16. m. 2. p. 456.

II. Eſaias videtur *verecundiæ limites tranſiliiſſe*, nudus & diſcalceatus incedens: apparet enim abſurdum, & à *verecundia* alienum, *publicè nudum incedere, & eas corporis partes, quas natura tectas volunt, nudare.*

℞. (1.) Nudus quidem Propheta dicitur inceſſiſſe, ob id tamen neceſſe non fuit, ipſum *omnes corporis partes* nudâſſe, eas præſertim, *quæ ſalvo pudore detegi nequeunt*: ſed ſatis fuit, *veſte honeſtiori depoſita, & ſordida atque vili aſſumpta, incedere*, quomodo *adoleſcens ille*, Marc. 14. v. 52. relicta veſte oblongiori nudus aufugit; vel *nudatus aliquot membris*, ad eum modum incedere, quo ſolent eſſe compoſiti, *qui in captivitatem rapiuntur*, ut rei cum ſigno conveniat. (2.) Sed etſi *Propheta in totum nudus inceſſiſſet*, non tamen id turpe aut obſcœnum judicandum eſſet, cum id factum fuiſſet *juſſu Dei*. Arcular. Comm. in Eſa. p. 270. ſeq. *Iun.* in Schol. Bibl. p. 646. n. 5. *Gravver.* in Expoſit. Mich. c. 1. par. 4. p. 66. *Glaſſ.* lib. 2. Philol. Sacr. par. 1. tract. 2. Sect. 4. art. 3. p. 453.

Verſ. 5. *Et confringentur & erubeſcent ab Æthiopia fiduciâ eorum* &c.

*Metonymia* eſt *adjuncti* pro *ſubjecto*: Ab Æthiopia מִבַּטָּם, *fiduciâ eorum*, h. e. ἐφ' οἷς ἦσαν πεποιθότες, *in quibus* (Æthiopibus) *fuerant confiſi*, ut Græci Interpretes reddunt. Sic v. 6. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 5. p. 65.

Cap. XXI. v. 1. *Onus deſerti maris: Ut turbines in Auſtro* &c.

Propheta utitur (1.) *Metonymiâ ſubjecti* pro adjuncto: *onus* enim pro *prophetia de onere* ſeu *pœna divina* ponit. Sequitur v. 2. *Viſio dura nunciata eſt mihi.* (2.) *ὑπαινίξει*: ſiquidem *Babyloniam* periphraſticè dicit *deſertum maris*, quo præſignificat, *deſolandum ipſum omnimodè fore*. Glaſſ. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. obſerv. 8. p. 788. lib. 5. tract. 1. cap. 3. m. 4. p. 47. & cap. 22. p. 513.

Verſ. 2. *Aſcende Elam, obſide Madai, omnem gemitum iſtius ceſſare faciam.*

Offert. ſe (1.) *Synecdoche partis* pro *toto*: nam *Elam* Perſidis pars, pro *Perſia* ponitur. (2.) *Enallage* relativi pro antecedente: *Gemitum iſtius*, h. e. *Babylonis*, contra quam onerosa prophetia inſtituitur. *Iunius* in Not. ad h. l. p. 647. affixum pronomen ad *Eccleſiam* refert, q. d. Jehovah: Non poſſum ampliùs ferre hoſtis improbitatem, & Eccleſiæ querimonias; tempus eſt, hanc liberandi, & iſtum perdendi. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 186. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 6. p. 109. & tract. 2. can. 12. p. 196.

Verſ. 3. *Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore, tormina*, &c.

*Proſopopœia* eſt, quia Propheta induit *perſonā Regis Babylonii*, cujus anxietatem & terrorē, per quādā *μίμησιν* perinde deſcribit atq; exprimit, ac ſi res ipſa tunc gereretur: hujus rei complementum deſcribitur *Dan.* 5. v. 6. 9. 10. 30. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 186. *Glaſſ.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 2. c. 4. p. 550. ſeq.

Verſ. 5. *Inſtrue menſam, ſpeculetur ſpeculator, comede, bibe: ſurgite Principes, ungite ſcutum.*

Occurrit (1.) *Ironia*: Sarcaſticè enim *Babyloniorum ſecuritas* taxatur tempore obſidionis; quippe qui inter convivandum oppreſſi ſunt, ut ex *Daniel.* 5. conſtat. (2.) *Apoſtrophe*, ad *Cyrum, Medorumque & Perſarum Principes* directa, ut ſurgant &c. (3.) Synecdoche: *Ungite ſcutum*, i. e. *arma veſtra comparate ad irruptionē*. Jun. in Not. ad h. l. p. 647. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 87.

Verſ. 7. *Et attendit attentione, multa attentione.*

*Hebraiſmus* eſt: *Attendit attentione, multa attētione* h. e. *attētè, attentiſſimè*; ubi duplicatio *emphaſin* intēdit. Sic loquuntur Hebræi, quū *diligentiſſimā & attentiſſimam attentionem* ſignificant, aut quid aliud ſummâ curâ factum, verbo ſuum verbale conjungētes etiā repetitum. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 187. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 1. m. 1. p. 429.

Vers. 8. *Et clamavit leo super specula: Domine, ego consistam*, &c.

*Ellipsis* est כ comparativæ particulæ: *Et clamavit leo*, i.e. *ut leo*. Sermo est de *speculatore*, v. 6. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 31. m. 1. p. 514.

Vers. 10. *Tritura mea, & filius areæ meæ, quæ audivi*, &c.

In versu hoc habetur (1.) *Metaphora*: Propheta enim alloquitur *populum* DEI, in Babylonia graviter *afflictum, & quasi in area trituratum, percussum atque conculcatum*; siquidem *trituratio*, quæ *percussione & conculcatione* fit, *afflictiones & calamitates* notat. (2.) Hebraismus: *Filius areæ meæ*, h. e. *frumentum, in area mea trituratum, ventilatum & expositum*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 5. p. 136. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 303.

Vers. 11. *Onus Dumah: Ad me clamat de Seir: Custos, quid de nocte, custos quid de nocte?*

Iteratur (1.) *Metonymia subjecti* pro adjuncto: *Onus*, h. e. *prophetia onerosa*. (2.) *Paronomasia*: Propheta enim אדום, *Edumæam*, artificiosâ ὑπαλλάξει vocat דּוּמָה, *silentem* (à דום, *siluit*) quo prænunciavit tacitè, eam, quæ *clamata* fuerit insolentissimè, irruente judicio Dei, *silentem* fore. (3.) Ellipsis: *Ad me clamat*, subint. *quispiam*. (4.) Metaphora: *Custos*, i. e. *Propheta*, qui gloriatur se excubare pro salute populi, judiciaque Dei explorare; *quid de nocte*, h. e. de *calamitatibus*, quas alij toties cantârunt nobis eventuras esse? *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 187. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 647. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 4. m. 1. p. 766. & lib. 5. tract. 1. cap. 22. p. 512.

Vers. 12. *Dixit custos: Venit manè, & etiam nox: si quæretis, quærite, revertimini, venite.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Metaphora*: nam *manè* de *prosperitate*, & *nox* de *calamitate* accipitur, q. d. ad Edumæam: *Excussô jugo Israelitarum è collo tuo* (ut dicitur *Gen.* 27. v. 42.) *libertate, copiâ bonorum, ac prosperitate usus est: sed altera tibi instat ab Assyrio calamitas, quâ velut tenebris noctis obscuraberis.* (2.) *Ellipsis* verbi, ex membro præcedente repetendi: *Et etiam nox*, subaud. *venit*. (3.) Ἀσύνδετον: *Quærite, revertimini, venite*; quæ hortatio fraterna ad Edomæos emphasin habet. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 647. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 234. seq.

Cap. XXII. v. 1. *Onus vallis visionis: Quid tibi nunc, quòd adscendisti omnis in in tecta?*

Jesaias adhibet (1.) *Metonymiam subjecti* pro adjuncto: *Onus*, i. e. *prophetia onerosa*. (2.) *Metaphoram*: Jerusalem enim vocat *vallem*, quòd *victa & destructa*, demittenda esset in vallem; & quidem *visionis*, propter *prophetias*, quæ ibi multiplicabantur. (3.) *Ellipsin* verbi: *Quid tibi nunc*, scil. *accidit*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 187. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 276.

Vers. 6. *Et Elam tulit pharetram in curru hominis equitum, & Kir denudavit clypeum.*

En (1.) Synecdochen: *Elam*, h. e. *Persa*, ut suprà c. 21. v. 2. (2.) *Enallagen temporis* præteriti, *tulit* & *denudavit*, pro futuro, *feret* & *denudabit*. (3.) *Ellipsin* conjunctionis copulativæ: *Hominis & equitum*. (4.) *Metonymiam*: per *Kir* enim intelligitur *Medus*, 2. Reg. 16. v. 9. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 188. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 648. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 17. p. 861. seq.

Vers. 7. *Et erit, electio vallium tuarum repleta sunt curru, & equites ponendo posuerunt versus portam.*

Redit huc (1.) *Enallage* partim *nominis* substantivi, *electio vallium tuarum*, pro adjectivo, *electæ valles tuæ*, Pagnino versore; partim *temporis* præteriti, *repleta sunt* & *posuerunt*, pro futuro, *replebuntur* & *ponent*; partim *numeri* singularis, *curru* & *portam*, pro plurali, *curribus* & *portas*. (2.) Hebraismus: *Ponendo ponent*, h. e. *continenter ponent*. (3.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Ponent*, subint. *castra*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 188. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 648. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 8. m. 1. p. 10.

Vers. 8. *Et retexit velum Jehudah, & respexisti in die illa ad arma domûs sylvæ.*

Iteratur (1.) *Enallage temporis* præteriti, *retexit* & *respexisti*, pro futuro, *reteget* & *respiciet*. (2.) *Metaphora*: nam מָסָךְ, *velum*, notat *præmunitiones & propugnacula*, quibus Judæa quasi velô operiebatur. (3.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Et reteget*, scil. *hostis*, h. e. civitates illas præsidiarias, & loca limitanea invadet atque expugnabit. (4.) *Synecdoche partis* pro *toto*; In *die illa*, i. e. *tempore illo*. (5.) Metonymia: *Domus sylvæ*, h. e. *armamentarium Regis*, ubi ex sylvis missilia omnia, tormenta, & machinæ omnes bellicæ comparantur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 188. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 648. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 412.

Vers. 14. *Et revelavit se Dominus exercituum in auribus meis: Si expietur ista iniquitas vobis, donec moriamini, dixit Dominus Dominus exercituum.*

Videre hîc est (1.) Hebraismum: *In auribus meis*, h. e. *me audiente*. (2.) Aposiopesin: *Ne vivam*, si expietur &c. (3.) Metaphoram: *mors* enim de *morte æterna* intelligitur, quam Chaldæus *mortem secundam* appellat, & R. Kimchi, *mortem animæ in seculo venturo*. Communiter: *Donec moriamini*, h. e. *nunquam in æternum expiabitur*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 188. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 649. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 12. m. 2. p. 456.

Vers. 15. *Ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam, præpositum templi* &c.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 12. autumat, *Eliacim*, cujus fit mẽtio v. 20. *summum Pontificem Judæorum fuisse*, quòd *talis fuerit Sobna*, utpote *templi Præpositus*, cui postmodum successerit ille *Eliacim*.

℞. Sobna Hebraicè dicitur *thesaurarius*, & *esse super domum*, Aria interprete; ubi per *domum* intelligitur non *templum*, sed *domus regia*, teste *Abben-Ezra*: & per *thesaurarium*, Kimchio in Radicibus adstipulatore, *præfectus ærario*; non verò *summus Sacerdos*. Itaque malè *Latinus* Interpres vertit, *habitantem in tabernaculo*, & *præpositum templi*: neque enim unquam Scriptura appellat, aut templum *absolutè domum*, aut summum Sacerdotem *præfectum domus*, vel etiam *præfectum templi*. Quantò autem meliùs LXX. qui reddiderunt τὸν ταμίαν, *promum condum*. Chã. tõ. 1. Panstr. l. 5. c. 8. §. 14. & 16. p. 58. a.

Vers. 17. *Ecce Dominus contegit te integumento viri, & amicit te amiciendo.*

Verba hæc exhibent (1.) Metaphoram: *Integumento viri contegit te*, h. e. *in fastigium dignitatis amplissimum evehit te*; erat enim Sobna secundus à Rege. Ut ergo *dignitas* ab *insignibus vestimentis* cognoscitur, ita in Scriptura designatur *vestimentorum* appellatione, ut *Genes.* 41. v. 42. seqq. (2.) *Enallagen status absoluti pro constructo*: טַלְטֵלָה, *integumento*, pro טַלְטֵלַת, à טוּל, *abjecit*, Nehem. 3. v. 15. unde geminata prima litera radicali, טִלְטֵל, & nomen cognatum, טַלְטֵלָה, *contectio, integumentum*. (3.) *Epizeuxin*, Hebræis frequentatam: *Amicit te amiciendo*, i. e. *bellè* sive *splendidè*. Jun. in Not. ad h. l. p. 649. *Glass.* lib. 2. Philol. Sacr. tract. ult. p. 524. & lib. 3. tract. 3. can. 32. p. 335. seq.

Vers.

Vers. 18. *Volutando volutabit te volutatione, sicut pilam ad terram amplam manibus, ibi morieris, & ibi currus gloriæ tuæ, ô ignominia domûs domini tui.*

I. Invenitur hoc loco (1.) Hebraismus: *Volutando volutabit te volutatione*, h. e *egregiè* volutabit te, procul arcebit & divexabit te. (2.) *Metaph.* nã *terræ* tributa vox ידים *manuũ*, significat *certa loca* seu *spacia*. (3.) *Ellipsis* verbi: *Currus gloriæ tuæ*, subint. *desinent*. (4.) *Metonymia*: Sobna enim dicitur *ignominia domûs domini sui*, quia omne genus ignominiæ familiæ Regiæ inussit. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 189. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 649. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 3. can. 32. m. 1. p. 337.

II. Commínatio hæc non videtur in *Sobna* fuisse adimpleta, cùm anno 14. Ezechiæ Regis *ipse in publico adhuc fuerit officio*, neque uspiam constet, eundem in exilium esse ejectum, *Esa.* 36. v. 3.

℞. Duo comminatur Propheta *Sobnæ*: unum est *dejectio à superiori dignitatis gradu*, quæ jam Ezechiæ tempore contigerat; siquidem ex *præfectura domus regiæ* ad *scribarum* ordinem Sobna relegatus erat: alterum verò *exilium*, quod, quin ipse passus fuerit, nullum est dubium, etiamsi historiis ea de re destituamur. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 295. seq. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 649.

Vers. 21. *In die illa vocabo servum meum Eliacim, filium Helciæ, & induam illum tunicâ tuâ, & cingulô tuô confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manus ejus, & erit quasi pater habitantibus Jerusalem, & domus Juda.*

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 12. suspicatur, *historiam Judithæ incidisse in tempora Manassæ Regis Judæ*, quia *Eliachim*, summus ille Sacerdos, *Judith.* 4. v. 5. fuerit *Eliacim*, qui in locum *Sobnæ*, impuri Pontificis, fuerit exaltatus, eo ipso depositò.

℞. (1.) *Pontifex* apud Juditham non appellatur *Eliachim*, sed *Joachim*, Aria interprete. (2.) *Eliacimi* summi *Pontificis* fabula est. Nam depositio Sobnæ, ab Esaia prædicta, non erat à *Pontificatu summo*, sed à *præfectura domus regiæ*, quæ nihil pertinet ad rem nostram. (2.) Si Sobnæ Pontifici summo substitutus est Eliacim, ergo *Sobna fuit in ordine Pontificum*, & quidem *ante Eliacim*. Ubi id autem? qoo autore? qua in enumeratione? *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 7. §. 14. 16. 57. 62. p. 58. & 61.

Vers. 22. *Et dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat.*

I. In textu hoc proponitur (1.) *Metaphorâ*: siquidẽ *clavis*, quâ janua aperitur, *autoritatem & potestatem gubernationis atque expeditionum* significat. Solent enim œconomo claves domûs dari, ut res utiles promere & condere possit, prout opus est. (2.) *Metonymia adjuncti pro subjecto*: nam *aperire & claudere, nemine resistente*, est, *plenam ac liberam administrationis potestatem habere*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 70. & cap. 12. p. 392.

II. *Bellarminus* l. 1. de Rom. Pontif. cap. 13. rat. 1. per *claves, Petro datas*, Matth. 16. v. 19. intelligi putat *summam potestatem in omnem Ecclesiam*, eò quòd nomine *clavis*, Eliachimo super humerum ejus datæ, intelligatur *principatus Ecclesiasticus*. Et addit, hoc ideo dici, qooniam *claves*, quibus *principatus* designatur, *super humerum poni* solerent.

℞. Jesuita fœdè peccat. Nam (1.) *Clavis domus Davidis* non notat *principatum Ecclesiasticum*, quippe quem *Sobna* nunquam habuit, ideoque ab eo nõ potuit auferri, & *Eliachimo* tradi; sed *principatũ politicũ* in domo Davidis; siquidem v. 15. Sobna vocatur *thesaurarius*, i. e. *dispensator thesauri*, ut ex LXX. Interpp. cõstat; & *qui super domũ*, ceu vertit *Arias*, h. e. *regni procurator*, juxta *Josephum* l. 10. Antiq. Judaic. c. 1. (2.) Nomine *domûs David* nõ significatur *ipsum templum*, siquidem *hoc à Salomone*, non à *Davide* fuit extructum: verùm *aula regia*, cui primùm *Sobna*, postmodum *Eliachimus* præfuit, v. 21. Quarè, si *habere claves domus David*, significat, *præfectũ esse aulæ Davidicæ familiæ*, ejus autem officij non est *summa autoritas*: profectò non est necesse, *clavium* nomine *summam autoritatem*, multò minùs *Monarchicam*, significare. Minister enim Regis non est *Monarcha*, & potestas œconomi non est *absoluta*, sed *restricta*. (3.) Locus Esaiæ non est parallelus loco *Matth.* 16. cùm ibi claves *politicæ*, hîc *Ecclesiasticæ* innuantur. Jam verò non est eadem ratio clavium *Ecclesiasticarum*, quæ est clavium *politicarum*: illæ enim in *monstrando*, hæ in *dominando* sitæ sunt, *Luc.* 22. v. 25. & 26. *Meisner.* par. 2. Philos. sobr. sect. 1. c. 1. q. 3. p. 37. seq. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Papist. c. 5. q. 3. inst. 1. p. 251. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 11. c. 8. §. 3. & 7. p. 203. & tom. 5. l. 4. c. 13. §. 11. & 13. p. 175. seq.

III. *Maldonatus* in c. 16. Matth. vult, *potestatem Romani Pontificis ad reservandos*, quos vocant, *casus*, inde efficacissimè probari: quoniam *ei data sint claves*, i. e. *suprema secundùm Christum in Ecclesia potestas, ut claudat, & nemo aperiat; aperiat etiam, ut nemo claudat*, h. e. ut *quæ solverit, nemo ligare; quæ ligaverit, nemo solvere possit*.

℞. Nihil hic est de *Pontifice Romano*, sed de *Eliachimo*, quem *Ribera* in c. 3. Apoc. dicit fuisse figurã *Christi*, ut *qui solus habet clavem Davidis*, Apoc. 3. v. 7. Sed quid hoc ad *potestatem Romani Pontificis in reservandis casibus*? Gerhard. l. 2. spec. Confess. Cathol. par. 1. p. 567. seq.

IV. Argumentum *Cotoni*, pro *limbo Patrum*, vide solutum in Vindic. *Apoc.* 3. v. 7. m. 5.

Vers. 23. *Et figam illum clavum in loco stabili, & erit solio gloriæ, domus patris sui.*

Recurrit (1.) *Metaphora*: nam *clavus* significat *virum, rebus in Republica gerendis commodum, utilemque*; unde à Chaldæo, אֲמַרְכָּל מְהֵימַן, *gubernator fidelis*, & à LXX. ἄρχων, *Princeps* vertitur. (2.) Synecdoche: *Solio*, i. e. *Regi*. (3.) Ellipsis conjunctionis copulativæ: *Et domus patris sui*. (4.) *Metonymia*: quia *domus* pro *familia* est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 189. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 649. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 390.

Cap. XXIII. v. 1. *Onus Tyri: Ejulate naves Oceani, quòd vastatus est à domo, ab introeundo: de terra Chittæorum revelatum*, &c.

Est hîc (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: nã *onus* pro *prophetia onerosa* est, & *naves* ponuntur pro *navicularis & mercatoribus*, qui navibus vehi solent, & ex navigationibus quæstum faciunt. (2.) *Hebraismus*: מבית, מבוא, *à domo, ab introeundo*, h. e. *nulla superstes domus, nullus introitus*. Jun. in Not. ad h. l. p. 649. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 4. p. 656. & lib. 5. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 39.

Vers. 2. *Tacete, qui habitatis in insulas negotiatio Sidonis*, &c.

*Anabaptistæ* nolunt concedere, *contractus & negociationes esse licitas, cum fuerint causa interitûs in Tyro & Sidone*.

℞. Negociatio in Tyro & Sidone non fuit *per se* causa interitus, sed *per accidens*, quando Tyrii & Sidonii negociationibus ad *superbiam, luxum & libidines* abusi sunt, v. 9. *Chemnit.* par. 2. LL. Theol. p. 167. & 169.

Vers. 3. *Et in aquis multis semen Sichoris, & messis fluminis proventus ejus, & fuit negotiatio gentiū.*

§. 1. *Semen Sichoris*, h. e. *linum Ægypti*, quæ *synecdochicè* à termino suo appellatur, *Josu.* 13. v. 3. §. 2. *Messis*, i. e. *triticum*, quo abundat *Ægyptus*, irrigata rivis, è Nilo ductis. §. 3. *Flumen* metonymicè pro *regione accola*, quam illud perfluit, ponitur, *Iun.* in Not. ad h. l. p. 650. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 2. p. 56.

Vers. 8. *Quis consuluit hoc super Tyrum coronatricem? cujus negociatores ejus Principes, & mercatores ejus honorati terra.*

Jesaias adhibet (1.) *Metaphoram*: Tyrum enim vocat הַמַּעֲטִירָה, *coronatricem*, quia non tantùm *ipsa regina* erat in cunctis gentibus existimata, fulgens quippe & excellens opibus, auroque & gemmis & serico ac purpurâ nitens; sed etiam *gentibus quodammodo Reges*, & mercatores suos opibus coronabat, ut sequentia verba explicant. (2.) *Hebraismū*: נִכְבַּדֵּי אָרֶץ, *honorati terræ*, h. e. *honoratissimi in terra.* (3.) *Pleonasmum*: nam ly *ejus* abundat. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 14. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 650. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 3. p. 58. & lib. 5. tractat. 1. cap. 12. p. 402.

Vers. 10. *Transi terram tuam, tanquam rivum, filia Oceani: non cingulum ultra.*

Ecce (1.) *Apostrophen* ad mercatores exteros, quâ illustratur gravitas mali Tyriis eventuri. (2.) *Hebraismum*: בַּת־תַּרְשִׁישׁ, *filia Oceani*, h. e. *navis*. (3.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*, *navis* enim sumitur pro *iis*, *qui navibus vehuntur*, & ex navigationibus quæstum faciunt. (4.) *Ellipsin* conjunctionis causalis, & verbi substantivi: *Quia* non *est* cingulum ultrà. (5.) *Metaphoram*: Non est *cingulum ultrà*, h. e. *nulla sunt ampliùs vires Tyro*, quibus seipsam confortet. *Hiob.* 12. v. 21. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 14. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 650. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 5. p. 136. & lib. 5. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 39.

Vers. 11. *Dominus mandavit adversus Chanaan, ut conterat fortes ejus.*

Instant Anabaptistæ *mercatores à Propheta vocari Chanaan*, sumptâ appellatione à *populo impio*, quem terra evomuit; ideoque *mercaturam Deo displicere.*

℞. *Mercator dicitur Chanaan*, non quòd *mercatura per se opus esset impii populi Chananæi*, sed *synecdochicè*, quia *incolæ terræ Chanaan*, ob maris vicinitatem, mercaturæ dediti fuerunt. *Chemnit.* ibid. *Buxtorff.* in Lexic. Hebr. p. 363.

Vers. 12. *Et dixit: Non addes ultrà exultare, ô oppressa, virgo filia Zidonis, Chittim surge, transi, etiam ibi non requies erit tibi.*

I. Occurrit (1.) Hebraismus: *Non addes exultare*, h. e. *posthac non exultabis.* (2.) *Prosopopœia*: quia nomē *virginis & filiæ* conjunctim tribuitur *Zidonis urbi*. Quanquam *Junius* in Not. ad h. l. p. 650. periphrasin *Tyri* esse mavult, à Zidoniis quippe conditæ, cum à Rege Ascaloniorum essent expugnati, ut est apud Justinum. (3.) *Ellipsis* præpositionis אֶל: *Ad Chittim.* (4.) *Synchysis*, quia ordo inversus est: *Ad Chittim surge, transi*, pro, *surge & transi ad Chittim*, seu ad *Chittæos*, qui *Cilices* sunt, unde profectus Alexander Macedo, irrupit in Orientalem tractum. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 190. & *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract 5. can. 13. p. 459. lib. 4. tract. 2. observ. 23. p 745 lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 207.

II. Propheta sibi *contradicere* videtur: hîc enim negat, *Tyrum ulteriùs gloriatum ire*; at v. 15. seqq. id affirmat fore post 70. annos.

℞. Adverbio עוֹד, *ampliùs*, hîc non *omne futurum* excluditur, sed *longum tempus* indicatur, videlicet 70. anni, post quorum effluxum Tyrus prædicitur reversura ad *exultationem*, h. e. negociationem suam. Negatur igitur *continuatio pristinæ exultationis*, sed ad tempus. *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 13. p. 459.

Vers. 16. *Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita, benefac modulando, multiplica canticum, ut memoreris.*

Propheta utitur (1.) *Apostrophe*, quâ futurum prænunciat formâ imperandi: *Sume citharam, circui civitatem* &c. h. e. *sumes citharam, circuibis civitatem*, &c. (2.) *Prosopopœia*: nam *Tyrum restauratam*, post 70. annorum deportationem & vastationem, *meretricis* specie introducit, quæ aliquandiu (ob morbum tetrum, vel alia de causâ) repudiata & neglecta, postea, ubi reconvaluit, ad ingenium redit & lenociniis, suavique cantu, quos potest, ad se pellicit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 206. & tract. 2. cap. 4. m. 4. p. 542.

Vers. 17. *Et erit à fine septuaginta annorum visitabit Dominus Tyrum, & revertetur ad quæstum suum, & fornicabitur cum universis regnis terræ super facie telluris.*

I. Offert se (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *visitatio*, DEO tributa, *realem beneficii exhibitionem* notat. (2.) *Metaphora*: quia *studia mercaturæ* comparantur *artibus meretriciis.* (3.) *Synecdoche*: Cum *universis regnis terræ*, h. e. cū *vicinis*, quos negociationum suarum illecebris, Tyrus paulatim ad se sit revocatura. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 191. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 206.

II. *Anabaptistæ* urgent, *studia mercaturæ artibus comparari meretriciis*, ideoque *esse illicita.*

℞. Non ad hoc facit Propheta comparationem, ut *commercia necessaria & utilia damnet*; sed ut *vehementem cupiditatem*, & *illicitas artes arguat*, *quibus Tyrii negociatores utebantur*. Glass. l. c.

Cap. XXIV. v. 4. *Luxit, defluxit terra, infirmata est, cecidit orbis, infirmati sunt celsitudo populi terræ.*

Propheta usurpat (1.) *Prosopopœiam*: de *terra* enim lugēte & *infirmata*, h. e. *desolata & devastata*, loquitur, ut de *homine ægroto & lugente.* (2.) *Enallagen* substantivi pro adjectivo: *Celsitudo populi terræ*, i. e. *celsissimi populorum terræ*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 191. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 651. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap 9 p. 200.

Vers. 11. *Clamor super vino in plateis, advesperavit omnis lætitia, migravit gaudium terræ.*

I. Est hîc (1.) *Ellipsis* verbi substantivi: *Clamor*, scil. *erit*. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *advesperavit* & *migravit*, pro futuro, *advesperascet* & *migrabit.* (3.) Metaphora: *Advesperascet omnis lætitia*, h. e. *complebitur* seu *cessabit*, ut Chaldæus reddit, Sol vesperi occidens relinquit *tenebras noctis*: sic gaudium cessans relinquit *calamitates & luctum.* Ariæm. par. 4. Bibl. p. 15. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 191. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 651. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 237.

II. *Pazmannus* in Hodeg. *Evangelicos facit autores contentionis de vino Eucharistico*, cùm Propheta prædixerit, *clamores aliquando exstituros in Ecclesia pro vino.*

℞. Jesuita manifestum committit dolum, dum quæ de *defectu vini*, *in devastatione terræ*, in qua vineæ non ampliùs dabunt fructus suos, à Propheta dicuntur, ipse ad *cœnam Domini* torquet, quasi Propheta prædixerit, quomodo *aliquando in Ecclesia lites sint futuræ pro vino in SS. Eucharistia.* Negamus autem ex *nostra* parte litem moveri de *vino Eucharistico*: neq; enim pro *vino tantùm* contēdim⁹,

neque

neque contentionis hujus autores sumus; sed cum Romanenses in Concilio Constantiensi, contra verba institutionis Christi, *Laicis alteram speciem Sacramenti denegarent*, rectè atq; ordine factum est, ut Orthodoxi non tantùm pro *vino*, sed imprimis pro *sanguine Christi*, qui pro nobis in remissionem peccatorum effusus est, & in S. Cæna distribuitur, pugnarent. Nemo enim patienter fert, sibi illud eripi, in quo omne momentum consolationis suæ consistere novit. *Balduin*. in Phosph. Cathol. l. 11. c. 8. p. 1022. seq.

Vers. 16. *Ab ala terræ psalmos audivimus, gloriam justo, & dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi: væ mihi, prævaricantes prævaricati sunt, & prævaricatione prævaricantes prævaricati sunt.*

I. En. (1.) *Metaphoram*: quia *ala terræ*, ejus *extremitatem, & loca remotiora* notat. (2.) Synecdochen: *Psalmos*, i. e. *beneficia Dei*, quæ psalmorum sunt argumenta, & prædicationis illorum. (3.) *Hebraismũ*: Prævaricatione *prævaricantes prævaricati sunt*, h. e. *perfidissimè agunt*. Jun. in Not. ad h. l. p. 651. seq. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 311.

*Bellarminus* l. 1. de Sacram. c. 7. probare vult, nomen *Sacramenti* in Scripturis extare: vocem enim רָזִי, quæ hoc loco habetur, significare *rem secretam*, id est, *Sacramentum*.

℞. Imò nomen illud in Esaia ambiguum est, an significet *rem secretam*; & propius verisimili, ut nõ significet *secretum*, sed *maciem*, à רָזָה, *emaciavit*: neque Aben-Ezra recedit ab etymologia Hebraica, cui & textus favere videtur. Nam Propheta lamentatur ac deplorat suam sortem; unde statim: *Væ mihi*. Notum autem ex aliis omnibus locis, quæcunq; sunt ejus originis voces Hebrææ, *maciem* significare oppositam *pinguedini*, ut *Esa.* 17. v. 4. *Ezechiel.* 34. v. 20. *Numer.* 13. v. 21. ab ea prima significatione progressum ad metaphoricam, *Sophon.* 2. v. 11. Itaq; sensus est: *Macies est mihi*; id est, *mœrore contabesco*. Cham. tom. 4. Panstr. l. 1. c. 3. §. 13.-17. p. 3 & 4.

Vers. 18. *Et erit, fugiens à voce formidinis, cadet in foveam, &c. quia cataractæ de excelso aperientur, & concutientur fundamenta terræ.*

Offert se (1.) *Ellipsis* τοῦ כ, *sicut*: *Et erit*, ut *fugiens* &c. (2.) *Pleonasmus*: *A voce formidinis*, h. e. *à formidine*, τῇ *voce* redundante. (3.) *Allegoria*, quâ alluditur ad *diluvium universale*, Gen. 7. v. 11. & ex eo descriptio *pœnarum divinarum* sumitur: *Cataractæ de excelso aperientur* &c. q. d. communis erit cæli & terræ cõspiratio ad efficienda judicia DEI. Posteriora verba ex *Psalm.* 18. v. 8. desumta sunt. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 192. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 652. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 152. & lib. 5. tract. 1. cap. 20. p. 494.

Vers. 20. *Movendo movebit se terra, sicut ebrius &c. & corruet, & non addet surgere.*

§. 1. *Movendo movebit se*, h. e. *omnino movebit se*. §. 2. *Terra* metonymicè sumitur pro *hominibus terræ incolis*. §. 3. *Non addet surgere*, i. e. *non amplius surget*. Jun. in Not. ad h. l. p. 652. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2 p. 41.

Vers. 21. *Et erit in die illo, visitabit Dominus super exercitum excelsi in excelso, & super Reges terræ super terra.*

In versu hoc habetur (1.) *Synecdoche partis* pro toto: nam *dies* pro *tempore* est. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: *Visitabit Dominus*, h. e. *animadvertet & puniet*. (3.) Hebraismus: *Exercitum excelsi in excelso*, &c. h. e. *summos & infimos, Reges & subditos*. Jun. in Not. ad h. l. p. 652. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr tract. 1. cap. 12. p. 395.

Vers. 22. *Et colligentur collecti, vincti in foveam, & occludentur in carcere, & à multitudine dierum visitabuntur.*

I. Verba hæc continent (1.) *Enallagen* tum substantivi, *collectio*, pro adjectivo, *collecti*; tum numeri singularis, *vincti*, pro plurali, *vinctorũ*. (2.) *Ellipsin* præpositionis: *Instar* vinctorum. (3.) *Metaphoram*: hæc enim *occlusio in carcere* denotat *quasvis DEI pœnas*, translatione sumta à *foro hujus mũdi*. (4.) *Hebraismum*: וּמֵרֹב יָמִים יִפָּקֵדוּ, *& a multitudine dierũ visitabuntur*, h. e. *etiam post multos dies*, seu *longo intervallo*, imò *nunquam ampliùs*, *nõ extollent se adversus Deum, neque existent inimici ejus*. Hæc enim verbi פקד in Niphal significatio est, ut *desiderari* seu *deesse* significet, 1. *Sam.* 20. v. 18. c. 25. v. 18. 2. *Sã.* 2. v. 30. *Jerem.* 23. v. 4. &c. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 652. *Vatabl.* in Annot. ad eũd. loc. p. 193. *Glass* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. obs. 7. m. 1 p. 687. & lib. 5. tract. 1. c. 12. p. 395.

II. *Origenes* l. 1. περὶ ἀρχῶν c. 6. censuit, *damnatos ex inferno tandem liberandos esse*, quoniam *in carcere infernali ita claudantur, ut post multos dies Deus velit eos visitare*.

℞. (1.) Potest hoc referri ad statum damnatorũ, nõ *post extremũ judiciũ*, sed *in die extremi judicii*, quo *anima, apud inferos velut carcere detenta*, rursus autẽ *cum corporibus unita*, unà cum corporibus simul cruciabuntur in inferno. (2.) Visitabit Deus damnatos, non visitatione *gratiæ*, ut quæ in altero seculo locum non habet; sed visitatione *iræ*, quia ad *æternos cruciatus eos destinabit ac dimittet*, Matth. 25. v. 41. (3.) Etsi verò hoc referretur ad statum damnatorũ *post extremum judicium*; inde tamen *perpetuitas infernalium suppliciorum* non infringeretur. Nam *post multos dies visitari*, esset idem, quod *semper visitari*, quia Scriptura nominibus *temporum* describit *æternitatem* per quandam συγκατάβασιν. Sic ergo per *visitationẽ post multos dies* intelligitur *æterna in supplicio permansio*, ut sit sensus: *Quantacunq; duratio post extremum judicium intelligatur effluxisse, adhuc manebit damnatorum supplicium*. Thom. de Aquin. par. 3. q. 52. art. 6. ad 1. *Gerhard.* tom 9. LL. CC. loc. 33. de Infern. §. 65. obj. 2. p. 648. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Infern. c. 2. q. 3. obj. 2. p. 7042. *Glass.* lib. 4. Philol Sacr. tract. 1. observ. 7. p. 687.

Vers. 23. *Et erubescet Luna, & pudefiet Sol, quia regnavit Dominus exercituum in monte Zionis, & in Jerusalem, & coram senibus suis gloriâ.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Prosopopœia*, quæ *gratiæ divinæ lucem in Ecclesia* intuit: *Erubescet Luna, & pudefiet Sol*, &c. q. d. *nulla planè gloria Lunæ Solisve erit, si cum gloria regnantis in Ecclesia Dei comparetur*. (2.) *Enallage* temporis præteriti, *regnavit*, pro futuro, *regnabit*, exposito כִּי, *quia*, per *quum*. (3.) *Metaphora*: nam *mons Zion* & *Jerusalem*, ut *Ecclesia Christi in N. T. symbolum* proponitur. (4.) *Hebraismus*: כָּבוֹד, *gloria*, h. e. *gloriosè*. Jun. in Not. ad h. l. p. 652. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 100. Confer cap. 13. p. 419.

Cap. XXV. v. 6. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguet: vinum bibent, lætitiam bibent, unguento ungentur, &c.*

I. *Cotonus* contendit, vocem *Missæ* esse *naturâ Hebraã*, quia *convivium* illud *Messia* Hebraicè dicatur: מִשְׁתֶּה, & cùm ה in fine quiescit, manifestum sit, parum putim remanere vocabulum *Missa*.

℞. Quis pudor, à מִשְׁתֶּה *Missam* deducere? Neque enim *sonus* idem, nec *sensus*. *Sonum* abjudicant aures, & Grammatica analogia discernit: longum namque discrimen inter שׁ, & ס, quod est in voce מִסָּה. *Sensum* esse diversum, inde constat, quia *Missam* omnes Papistæ negant significare

Sacramentum Cœnæ, quatenus est *communio*, sed quatenus est *sacrificium*: at משתה nullo modo significat *sacrificium*, sed *communionem* potiùs. *Chem.* tom. 4. Panstr. l. 6. cap. 2. §. 4. 5. 22. 23. p. 147. seq.

II. *Judæi* recentiores *vitæ æternæ gaudia in cibo, potu*, &c. collocant, quòd *illa comparetur convivio pingui*, ubi *vinum* defæcatum, *pinguia* medullata, &c. sint apportanda.

℞. (1.) Sermo hîc est, non de convivio aliquo *corporali*, sed *spirituali*: siquidem Propheta rem *spiritualem* allegoricè figurat re *corporali*, sicut *beneficia* N. T. describere solet verbis, ex *cultu & consuetudine* V. T. desumtis. (2.) Illud convivium, hoc loco promissum, Deus *misso Messiâ* præstitit, qui voce *Evangelii* omnes populos, tàm Gentes, quàm Judæos, ad idipsum invitavit, in quo seipsum nobis cibum apponit fruendum, *Joh.* 6. v. 51. Atque hujus convivii *inchoatio* fit in *hac vita*, consummatio verò reservatur in *alteram*. Arcular. Comm. in Esa. p. 327. *Jun.* in Schol. Bibl. p. 652. n. 11. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 34. de vit. ætern. §. 156. pag. 1013. seq.

III. *Cyrillus Hierosolymitanus* in Catechesi. vult, *in Ecclesia* N. T. *omnes gentes Chrismate ungi*: in illo enim Messiæ convivio omnes populos *unguento esse ungendos*.

℞. (1.) Esaias in *sua lingua* sententiam illam, quam profert *Cyrillus*, non habet, sed ita, *Aria* interprete, inquit: *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium fæcum, pinguium medullatorum, fæcium colatarum*. Ubi planè nihil dicit Propheta de *unctione Gentibus tradenda*: sed *Græci* saltem Interpretes *illius* mentionem faciunt. (2.) Textus ipse explicat, quòd hæc sint *allegorica*, & quomodo intelligenda sit *illa allegoria*, ostendit v. 7. & 8. Quâ igitur ratione ex *allegorica sententia* probari potest *externa delibutio materialis Chrismatis?* (3.) Si *corporaliter* sententia illa intelligenda esset, eâdem ratione sequeretur etiã, *fæcibus* (forsan ut in supercalibus) *& pinguedine medullarum lintendos esse baptizatos*. Chemnit. in Exam. Concil. Trident. par. 2. tract. de Confirm. p. 256.

IV. *Hubertus* in Brev. Confutat. p. 9. ad dictum, *Matth.* 25. v. 34. excipit, non solis illis, *qui in novissimo die a dextris Christi statuentur*, regnum Dei paratum esse, cùm *omnibus populis Deus convivium pingue facturus dicatur*.

℞. Equidem regnum Dei *omnibus populis* esse à Deo paratum, nemo refragatur; atque huc pertinet istud dictum de *convivio omnibus populis instructô*: inde tamen nõ conficitur, *omnes populos ad vitam æternam electos esse*. Omnibus enim populis regnum Dei paratum est *in tempore*, ratione *universalis vocationis*, sub regno *Messiæ* exhibiti, complendæ: solis autem fidelibus regnum Dei paratum est *ab æterno*, ratione *prædestinationis*, quia Deus præscivit, eos in fide esse perstituros, *Rom.* 8. v. 29. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 898. seq.

V. Propheta sibi contradicere videtur: nam in eodem hoc textu asserit, *Dominum esse facturum convivium fæcium*; statim tamen addit, *vinum defæcatum esse apportandum*.

℞. *Ellipsis* hîc est: *convivium fæcium*, h. e. *vini fæcium*, i. e. *vini defæcati*; id quod genus locutionis explicant sequentia, *vinum defæcatum*. Arias vocabulum *fæcium* in margine reddit, *defæcatorum*, κατ' ἀντίφρασιν, quasi *minimè fæculentorum*. Quidam *metaphoram* statuunt: *Convivium fæcium*, h. e. *vini suavis & odoriferi*, quod insidet suis fæcibus; tale enim & saporem & odorem suum probè retinet, ut ex *Jerem.* 48. v. 11. patet. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 327. *Jun.* in Schol. Bibl. ad h. l. p. 652. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 39. m. 6. p. 159. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 298.

Vers. 7. *Et absorbebit in monte hoc faciem involucri involucri super omnes populos* &c.

Jesaias utitur (1.) Ἀνθρωποπάθειᾳ; *Dominum* enim dicit *absorbere*, h. e. *perdere*. (2.) Pleonasmô: *Faciem involucri*, i. e. *involucrum*, nisi *faciem* metaphoricè sumat pro *specie*. (3.) Hebraismô: *Involucrum involucrum*, h. e. *plurima involucra*, vel *omne involucrum* seu *vinculum*, videl. Satanæ, inferni, mortis, peccati, &c. vincula, quæ in gloriosa illa ex morte resuscitatione destruentur, v. 8. & 1. *Cor.* 15. v. 53. *Arias.* par. 4. Bibl. p. 15. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 652. & *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. can. 5. m. 2. p. 19.

Vers. 10. *Quia requiescet manus Domini in monte isto, & triturabitur Moab sub eo, sicut trituratur paleam in fimo.*

Iteratur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Requiescet manus Domini* h. e. *cessabit plaga* seu *percussio*. (2.) *Metaphora*: siquidem *trituratio*, quæ *percussione & conculcatione* fit, *pœnas & calamitates* denotat. (3.) *Synecdoche speciei* pro genere: *Moab*, i. e. *contumax quisque & perversus hostis Dei atque Ecclesiæ*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 15. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 652. Vid. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tractat. 1. cap. 7. p. 110. & cap. 11. p. 303.

Cap. XXVI. v. 1. *In die illo cantabitur canticum hoc in terra Iehuda: Urbs fortitudinis nobis, salutem disponet muris & præmunitioni.*

Versus hic continet (1.). *Synecdochen partis* pro *toto*: nam *dies* pro *tempore* accipitur. (2.) *Metaphoram*: In *terra Iehuda*, h. e. in *Ecclesia* N. T. quæ olim ea regione figurata erat. (3.) *Enallagen*: Urbs *fortitudinis*, i. e. *fortissima*. (4.) *Ellipsin* nominis: *Salutẽ disponet*, scil. *Deus*, muris & præmunitioni, h. e. munit præsentiâ & præsidiô suô. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 194. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 653. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 1. m. 1. p. 698.

Vers. 9. *Animâ meâ desideravi te in nocte, etiam spiritu meo in medio mei diluculabo ad te: nam quando judicia tua in terra, justitiam didicerunt habitatores orbis.*

I. Est hic (1.) *Enallage* temporis præteriti, *desideravi* & *didicerunt*, pro præsenti, *desidero* & futuro, *discent*. (2.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: quia *spiritus* pro *novo homine*, & *viribus spiritualibus* accipitur. (3.) *Pleonasmus*: In *medio mei*, h. e. in *me*. (4.) *Ellipsis* verbi: *In terra*, scil. *extant*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 194. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 653. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. pag. 5.

II. *Weigelianomanistæ* probare allaborant, *animam & spiritum, in homine esse duas distinctas partes*, quòd Propheta *eas ita distinguat*, ut dicat, se *animâ suâ* Deum noctu desiderâsse, & *spiritu suo* ipsum manè quæsivisse.

℞. Propheta *emphatica* locutione desiderium illud, quo pios teneri dixerat, cognoscendi & commemorandi beneficia Christi, amplificat, dum se dies noctesque de his cogitare, & *incredibili* desiderio tam nocte, quàm interdiu, idque *seriò & studiosè* (quod per *spiritum & intima cordis* notat) illa expectare ait. Inde verò non elicitur, *animam & spiritum* in homine duas esse distinctas partes.

Thumm.

*Thumm.* in Brev. Consid. 3. qq. controvers. p. 118. object. 5.

Vers. 10. *Et non videbit gloriam Domini impius, &c.*

Propheta sibi repugnare videtur: hîc enim negat, *impium visurum esse gloriam Dei*; cum tamen c. 40. v. 5. affirmet, *omnem carnem pariter visuram esse gloriam Dei.*

℞. (1.) In loco priori *gloria Dei* accipitur pro *ejus majestate atque sublimitate*, in miraculis edendis conspicuâ, v. 11. in posteriori autem pro *humana Christi natura*, divinâ gloriâ coruscante. (2.) In illo *visio* notatur *practica*, non *videbit* impius, h. e. non *considerabit* celsitudinem Jehovæ; in hoc verò *speculativa*, nimirum omnis caro *cognoscet*, gloriam Dei in assumta humanitate apparuisse. *Iun.* in Schol. Bibl. p. 653. *Meyfart.* par. 1. Melet. Theol. p. 565. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 307. seq.

Vers. 12. *Omnia enim opera nostra operatus es nobis, &c.*

*Deus cum causis secundis ad quâlibet earum actionem eliciendam actu concurrit*: quia *omnia opera hominis operatur.*

Respondêt quidam, *interdum uni rei alterius actionem attribui, ut causæ, quæ effectum produxit, operationē ipsius effectus, propterea quòd illa huic formam rationemque agendi contulerit.*

℞. Ita sanè res habet: Sed enim *Deo* non solùm ob id ascribenda sunt *effecta causarum secundarum*; verùm quia *ipse eorum productionem necessariò attingit.* Notanter enim dicit Propheta, *ipsum Deum operatum esse omnia opera nostra*; quo ipso *Deo* acceptum fert *omne sui suorumque effectum.* Colleg. Conimbr. in l. 2. Arist. de Physic. Auscult. c. 7. q. 12. art. 3. ad 2.

Vers. 14. *Mortui non vivent, gigantes non resurgent: propterea visitâsti, & dissipâsti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.*

I. Occurrit (1.) *Allegoria*, quâ ad *Pharaonis cum toto exercitu plenariam internecionem* alluditur, q. d. domini isti & tyranni, v. 13. non ampliùs impedient nos, quia celebremus te; tandemque planè ab ira tua consumentur, sicut olim Ægyptii in mari rubro, Exod. 14 v. 13. & 31. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: Deus enim dicitur impios *visitare*, dum suppliciô eos afficit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 20. p. 494.

II. Ἄθεοι negant *universalem mortuorum resurrectionem*, quoniam *mortui non sint victuri, neque gigantes resurrecturi.*

℞. Propheta non *simpliciter* negat, mortuos esse victuros, aut gigantes resurrecturos, sed *secundùm quid*, nempe *ad vitam æternam*, quam vitæ resurrectionem v. 19. κατ᾽ ἐξοχὴν vocat *resurrectionem*: ut sit sensus: Tyranni ac persecutores Ecclesiæ non resurgent ad *vitam æternam*, excitabuntur quidem in die novissimo, verùm ad *æternos & nunquam finiendos cruciatus*, 2. *Maccab.* 7. v. 14. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 30. de Resurr. mort. §. 38. p. 1080. obj. 6. *Meyfart.* par. 1. Melet. Theol p. 88. seq.

III. *Impiorum resurrectio est pœna*: quia *casui similior est, quàm resurrectioni*, unde & *impij dicuntur non resurgere.*

*Henricus Boethius* in Brev. Pericop. de Impior. resurr. p. 22. excipit, *dubium esse omnino, an Propheta loquatur de resurrectione impiorum, & si loquatur de ea, impios non resurgere, neque ad vitam, neque ad mortem.*

℞. Dicitur hoc sine omni fundamento. Nam quemadmodum v. 19. extra dubium Propheta loquitur de *resurrectione mortuorum*, ita & v. 14. Fit enim oppositio *piorum*, de quibus dicitur, quòd sint victuri & resurrecturi; & *impiorum*, de quibus idipsum negatur: non quòd *nulla prorsus sit subsecutura impiorum resurrectio*, sed quia *exitiosa*, & propterea *perpetuo casui similior.* Ideo v. 18. Esaias dicit de impiis: *Non cademus, sed cadent habitatores terræ*, id est, *impij.* Balduin. Comment. in 1. Cor. 15. par. 2. q. 2. p. 842. & seq.

Vers. 18. *A timore tuo concepimus & peperimus spiritum salutis.*

*Bellarminus* l. 1. de justif. c. 13. dispos. 2. asserit, *timorem Dei justificare*, eò quòd *pariat spiritum salutis.*

℞. (1.) Neque in *Hebræa veritate*, neque in *Latina Vulgata* (quam Concilium Tridentinum sub anathematis fulmine avthenticam pronunciavit) ulla sit mentio *timoris.* In versione LXX. Interpp. additur quidem, διὰ τὸν φόβον σου κύριε: sed hæc verba ad *præcedentem* v. 17. pertinent, & manifestissimè ab hoc versu 18. distinguuntur. (2.) Per *spiritum* hoc loco non intelligitur *motus animi*, sed *ventus*, prout verterunt *Pagninus* & *Vatablus.* (3.) Vox *salutis*, Aria reste, non refertur in *Hebræo* ad vocem *spiritûs*, sed ad *verba sequentia*, hoc modo: *Peperimus spiritum, salutem non fecimus in terra.* En tibi, *salutem non fecimus*, & tamen *spiritum salutis peperimus.* (4.) Non autem disserit Propheta de *justificatione & salute* hominis, sed de *duro onere*, quô populus Judaicus urgebatur, sumptâ *metaphorâ à partu* eorum, qui in ventre tormina ventorum, inter se colluctantia, sentiunt. Itaque sensus est querelæ Propheticæ, quòd licèt maximè angatur Ecclesia Judaica, & de auxilio secum cogitet: frustra tamen laboret, & nil nisi *ventum pariat*, id est, *Vatablô* interprete, *non verum fœtum, sed rem similem vento.* Eckhard par. 2. Pand. controv. Papist. c. 26. q. 8. class. 2. obj. 3. p. 394. seq. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de Justif. §. 168. class. 4. p. 1454. seq. *Meisner.* dec. 3. Anthr. sacr. disp. 8. thes. 2. & 4. p. 412. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de justif. c. 2. q. 11. obj. 3. p. 530. & 533. a. *Scharp.* tō. 1. Curs. Theol. pag. 890. obj. 9. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 22. c. 9. §. 11. seq. p 470.

Vers. 19. *Vivent mortui tui, cadaver meum resurgent: expergiscimini & cantate habitatores pulveris; quia ros olerum ros tuus, & terra gigantes projiciet:*

Offert se (1.) *Ellipsis* adverbij כ: *Sicut* cadaver meum, &c. (2.) *Metaphora*: nam *gratiosa DEI potentia*, & *potentissima ejus gratia*, quam resuscitando credentes ad vitam æternam exeret, *ros* vocatur, & *rori*, super olera seu herbas decidēti, comparatur, q. d. ut ros cœlestis herbas, ardore Solis velut emortuas recreat & erigit: ita virtus tuâ, ô Deus, mortuos tuos eriget & vivificabit. *Olera* Chaldæus, ut pluralem numerum, ab אור, *lux*, interpretatur, ut *ros lucis* sit ea, quæ *lucem beatitudinis æternæ confert.* Ariæm. par. 4. Bibl. p. 16. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 195. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 254.

Vers. 20. *Vade popule mi, ingredere in cubicula tua, & claude januam tuam super te, abscende velut paululùm, momentum, donec transeat ira.*

Iteratur (1.) *Metaphora*: nam *cubicula populi DEI* sunt *mortis temporalis κοιμητήρια*, ex quibus in die extremo gloriosa fiet reductio. (2.) *Allegoria*, quia respicit Propheta ad *formam liberationis ex Ægypto*, quâ interdixerat Deus, ne exiret ullus è porta domûs suæ, qui nocte processurus erat ad

percutiendum *Ægyptum*, *Exod.* 12. v. 22. (3.) Ellipsis: *Ad* momentum, & donec transeat ira *tyrannorum*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 16. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 195. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 654. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 395.

Vers. 21. *Ecce Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.*

I. *Antropomorphitæ* somniârunt, *Deum esse corporeum*, cum ipsi assignetur *locus*, *è quo egressurus sit*: locum autem esse *proprium accidens corporis*.

℞. *Locus* Deo tribuitur, non *propriè*, sed *metaphoricè*, per quandam *similitudinem*, propter certam aliquam *actionem*, *in homine factam*, quæ est *visitatio peccatoris in ira*. Itaque *egressu Domini de loco*, non *localis aliqua motio*, sed *punitionis effectum* notatur, propterea quòd causa efficiens *similitudinariè* egredi dicitur in effectum, quando ipsum producit, ut eruditè *Lyra* monet. *Grawer.* par. 1. Præl. in A. C. p. 100. seq. resp. ad 2. & in Expos. Mich. 1. par. 2. p. 54. *Gerhard.* in Exeg. loc. 2. de N. D. §. 119. pag. 745.

II. *Thummius* in ταπεινωσιγραφίᾳ. p. 289. n. 7. arguit, *Deum nudâ suâ adessentiâ* sive *propinquitate impios terrere*, quia dicatur *egredi de loco suo*, *ut visitet ipsos impios*.

℞. Negatur id sequi. Verba namque citata de *adventu Christi ad Iudicium glorioso* loquuntur, qui utique non in *nuda propinquitate* vel *adessentia*, sed in *immissione & inflictione reali justissimorum suppliciorum* consistit: *Inimici enim Dei tunc dabunt pœnas*, inquit *B. Lutherus* sup. l. c. tom. 3. Jen. Lat. fol. 334. *Theol. Saxon.* in Apol. pro Decis. contr. Wirttemb. sect. 3. cap. 4. obj. 14. p. 492.

Cap. XXVII. v. 1. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leviathan serpentem vectis, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari.*

Propheta utitur (1.) Ἀνθρωποπαθείᾳ: *gladius* enim DEO *visitanti* tributus, *iræ & vindictæ, realiter exercitæ*, symbolum est. (2.) *Ellipsi* כ similitudinis: *Instar* vectis. (3.) *Metaphorâ*: nam per *Leviathan* sive *balænam* serpentem oblongum & tortuosum, intelligit *omnem sublimitatem*, *quæ adversus Deum se extollit*, 2. *Cor.* 10. v. 5. figuratur enim hac allegoria *regnum Diabolicum*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 16. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 634. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tractat. 1. cap. 7. pag. 144. & 154. cap. 11. pag. 335.

Vers. 4. *Excandescentia non mihi, quis dabit mihi spinam, veprem, in bellum progrediar in ea, succendam eam pariter.*

In versu hoc habetur (1.) Hebraismus: *Quis dabit mihi spinam?* h. e. *utinam essem similis spinæ*, quæ aculeos habet &c. (2.) *Enallage numeri* singularis, *spinam, veprem*, pro plurali, *spinas, vepres*. (3.) *Ellipsis* conjunctionis copulativæ: *Spinas & vepres*. (4.) *Metaphora*: nam *spina & vepres* significant *malos noxiosque homines*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 196. *Iun* in Not. ad eund. loc. pag. 654. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 291.

Vers. 9. *Super hoc dimittetur iniquitas domus Iacob, & iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.*

I. *Papistæ* contendunt, *crucis perpessionem mereri peccatorum dimissionem*, quod *super tribulationem Iudæorum dimittenda sit iniquitas*, &c.

℞. Propheta hîc ostendit, non *causam*, ob quam auferantur peccata populi: talis enim est *solus Dei Filius*, Esa. 43. v. 25. & c. 53. v. 4. sed *Dei pædagogiam*, quomodo calamitatum adminiculô, ceu *virgâ*, ipse suos corrigat, & ad meliorem frugem perducat, ut agnitis peccatis doleant, & sic contriti ad Messiam vera fide confugiant. Et hic fructus tribulationibus non inest, *per se*, ut nec *semper* ad illas sequitur, aliâs quicunq; tandem affligerentur, consequerentur liberationem à peccatis, quod in *impiis*, quantumvis afflictione pressis, non evenire res ipsa clamat. Sed nec *immediatè* fructus iste ex tribulationum sensu enascitur, sed Dominus velut *per ambages & distinctos gradus* eò suos deducit. *Hunn.* tom. 1. Oper. Latin. p. 645. *Hutter.* in Explic. libr. Concord. art. 3. cap. 3. antithes. 3. observ. 10. p. 393.

II. Argumentum *Papistarum*, pro *omnimoda peccati in justificato homine absentia*, vide solutum in Vindic. *Exod.* 34. v. 7.

Cap. XXIIX. v. 1. *Væ coronæ fastûs, ebriis Ephraim, & flori decidenti ornamento gloriæ ejus, quæ super caput vallis pinguedinum*, &c.

Jesaias adhibet (1.) *Metaphoram*: tum quia regnum *Israelis* vocat *coronam fastûs*, h. e. *regnum superbissimum*, Hose. 5. v. 5. c. 7. v. 10. tum quia nomen *floris* (quia facile decutitur & flaccet) igitur pro *fluxo, fragili & caduco* ponit: tum quia *caput* sumit pro *superioritate imperii*. (2.) *Hebraismum*: Vallis *pinguedinum*, i. e. vallis *pinguissima*. Vatabl. in annot. ad h. l. p. 197. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 655. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 288. & cap. 12. p. 402.

Vers. 2. *Ecce robustus & fortis Domino*, &c.

*Rabini* censent, nomen, DEI, hîc poni ἐπιτατικῶς; cùm *robustus & fortis Domino*, idem sit ac, *robustissimus & fortissimus*.

℞. Rex Assyriorum *Salmanasser* dicitur *robustus & fortis Domino*, quia *Deus* illum erat in Israelitas contumaces immissurus, ex justa ira & vindicta. *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 17. p. 63. & 66.

Vers. 7. *Sacerdos & Propheta erraverunt in sicera, absorpti sunt à vino, &c.*

Ecce (1.) *Enallagen temporis* præteriti, *erravêrũt & absorpti sunt*, pro præsenti, *errant & absorbentur*. (2.) Metaphoram. *Absorbentur*. h. e. *omnimodo perduntur & corrumpuntur*. Jun. in Bibl. h. l. pag. 655. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 310.

Vers. 9. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? depulsi à lacte, avulsi ab uberibus.*

Reperitur hoc loco (1.) *Metonymia adjuncti pro subjecto*: Intelligere faciet שְׁמוּעָה, *auditum*, h. e. *doctrinam* seu *verbum*. (2.) Hebraismus: *Depulsi a lacte, avulsi ab uberibus*, q. d. *depulsi lactis, avulsi uberum*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 1. pag. 114. & lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 5. p. 65.

Vers. 10. *Quia præceptum præcepto, præceptum præcepto; linea lineæ, linea lineæ; pauculum hic, pauculum illic.*

Verba hæc exhibent (1.) Epizeuxin: *Præceptum præcepto* &c. quâ continua populi DEI per Prophetas *informatio* innuitur. (2.) *Metaphoram*, ab *institutionis pædagogicæ modo* ad *populũ DEI contumacem* deductam, de qua 2. Paral. 36. v. 13. Solent enim *pueris* præcepta subinde dari & inculcari, & manus ad scribendum ritè lineas duci, & parum parvo, parvo pusillum superaddi, ut doctrinæ & eruditionis tandem thesaurus inde colligatur. (3.) *Ellipsin* verbi: *Pauculum illic*, scil. *additum fuit*.

Jun.

Jun. in Not. ad h. l. p. 655. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. pag. 372. & tract. 2. cap. 1. m. 1. p. 518.

Vers. 11. *In subsannatione labiorum, & in lingua altera loquetur Dominus ad populum,* &c.

*Hunnius* in Epitom. de V. D. c. 8. garrit, *Judæos Scripturam sacram corrupisse*, quòd hic *permutârint vicinas literas*, Zain & Gimel, legentes בַּלְעֲגֵי, pro בלעזי: hoc enim sonare *barbaros*, illud *subsannatores*.

℞. Nulla hoc loco est corruptio. Nam בַּלְעֲגֵי שָׂפָה id ipsum est, quod LXX. Interpp. verterunt, διὰ φαυλισμὸν χειλέων. *Arias* enim vertit, *propter irrisionem labiorum*, quod ipsum est *propriè*, quod significatur per לַעַג, *subsannatio, irrisio.* Psal. 79. v. 4. Et *Chaldæus Paraphrastes* consentit: *In mutatione loquelæ, & in lingua subsannationis.* Chã. tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 82. seq. p. 221. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. post obj. 82. m. 2. p. 173.

Vers. 12. *Quos dixit ad eos: Hæc requies, requiem præstate lasso, & hæc requies, & noluerunt audire.*

In versu hoc habetur (1.) Pleonasmus *Quos ad eos*, i. e. *ad quos*, redundante τῷ *eos*. (2.) *Metonymia effecti pro causa*: Hæc est *requies*, h. e. *causa requiei*, seu *via & modus* ad requiem perveniendi. (3.) *Metaphora*: nam *audire* est *obsequi*. Ariæm par. 4. Bibl. p. 17. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 27.

Vers. 15. *Nam dixistis. Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus provisorem, flagellum inundans cum transierit, non veniet nobis: quia posuimus mendacium refugium nostrum, & in falsitate abscondimus nos.*

Offert se (1.) Hyperbole: *Percussimus fœdus cum morte* &c. Thrasonicè enim gloriantur Epicuræi, se ab omni malo fore securissimos. (2.) *Enallage concreti* pro *abstracto*: Fecimus חֹזֶה, *provisorem*, pro, חָזוּת, *provisione*, uti explicatio extat v. 18. (3.) *Metaphora*: tum quia *flagellum inundans* notat *malum repente invadens* DEI, puta *multitudinem hostium irrumpentium*, ut *torrentes* solent irrumpere: tum quia *ponere aliquid refugium suum*, est, *adversus mala sagacissimè se prospicere*, velut objectis aggeribus, quemadmodum *moles & obices* opponuntur aquis irrumpentibus. (4.) *Prosopopœia*: neque enim *ipsi falsi Prophetæ* spem & refugium suum appellârunt *mendacium & falsitatem*, sed Propheta ita appellat κατ' ἀλήθειαν. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 655. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 2. p. 3. lib. 5. tract. 1. cap. 10. pag. 265. & tract. 2. cap. 4. m. 5. p. 547.

Vers. 16. *Idcirco sic dixit Dominus Dominus: Ecce ego fundans in Zione lapidem, lapidem probationis, anguli, pretii, in fũdamento fundatum: qui crediti, non festinabit.*

I. Est hic (1.) *Metaphora*: nam *Zion* ut *Ecclesiæ Christi* in N. T. symbolum proponitur. (2.) 'Αρθεωνοάθεια: *Christus* enim *lapis anguli* dicitur, quia firmamentum est totius Ecclesiæ, in Christo coagmentatæ, Ephes. 2. v. 20. seq. (3.) *Enallage* substantivi, *probationis, anguli, pretii*, pro adjectivo, *probatum, angularem, pretiosum*. (4.) *Metonymia effecti* pro *causa*: Non *festinabit*, h. e. non *confundetur*, Rom. 9 v. 33. & 1. Petr. 2. v. 6. *Confusionis effectus* sive *consequens* est *festinatio*, seu *subductio festina ex oculis hominum*: vicissim autem hæc *festinatio & confusio* significat *calamitates & pœnas*. Jun. in Not. ad h. l. p. 656. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 30. cap. 8. p. 183. cap. 13. p. 419.

II. *Bellarminus* in Præfat. controv. de Rom. Pontif. disputat, *Petrum, ipsiusque successorem, Pontificem Romanum, esse secundarium Ecclesiæ Christianæ fundamentum*; quoniam *ipse sit lapis, in fundamento Sionis fundatus*: Quid est enim *in fundamento fundari*, nisi *fundamentum secundarium post fundamentum primarium*, quod est *Christus*.

℞. (1.) Vulgata Versio, quæ reddidit, *in fundamento fundatum*, non rectè se habet; siquidem *Hebraicè* est, *fundamentum fundamenti*, in qua repetitione mira est *epitasis*, quâ significatur *firmissimum fundamentum*, quod vi nulla convelli aut labefactari possit, ut bene interpretatur *Sanctius* in h. l. Illud autem fundamentum est *solus Christus*, fatentibus quibusdam Papistis, *Leone Castrio* in comm. Esa. 28. & *Pererio* lib. 2. comment. in Daniel. p. 104. Et ipse *Bellarminus* hoc loco asserit, hæc verba in *Christum præcipuè* convenire. Jam verò si illa verba in *Christum præcipuè* conveniunt, certè non agunt de lapide, *in fundamento fundatô*; sed de lapide, *qui ipsum fundamentum est*; aliàs inepte in *Christum* quadrarent. (2.) Sed demus, vulgatam Versionem hic rectè se habere, quæ est quæso hæc consequentia: *Loquitur Propheta de lapide, in fundamento fundatô*; ergo *datur fundamentum secundarium*? Inversô potius modô procedendum erat: *Hic lapis est fundatus in fundamento*, ergo *non est fundamentum*. Ratio est, quia *fundamentum non fundatur*, sed *alia in fundamento fundãtur*; uti *mensura non mensuratur*, sed *alia juxta illam diriguntur*. Gerhard. in Confess. Cathol. l. 2. spec. par. 1. p. 668. seq. arg. 1.

Vers. 17. *Et ponam judicium ad lineam, & justitiam ad perpendiculum, & subvertet grando refugium mendacii, & latibulum aquæ inundabunt.*

*Metaphora* est. Nam (1.) *linea & perpendiculum*, justitiæ atque judicio DEI tributa, *ejus veritatem & certitudinem* denotant. (2.) *Grando* ultionis divinæ notionem habet, q. d. *ultio ventura* refugium vestrum, quo frustra nitimini, subvertet, perinde ac si *grando & aquarum inundatio* tugurio- lum, in campo situm, subvertant & disjiciant. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 251. & cap. 12. p. 407. seq.

Vers. 19. *A tempore transire ipsum, capiet vos: quia in manè in manè transibit, in die, & in nocte, & erit tantùm terror intelligere auditum.*

Redit huc (1.) *Enallage infinitivi* pro *nomine*: A tempore *transire* ipsum, q. d. à tempore *transitus* ipsius, seu, quo tempore transiverit ipse. (2.) Hebraismus: *In manè in manè*, h. e. *quolibet* sive *singulo manè*. (3.) *Synchysis*: Erit *tantùm pavor intelligere auditum*, pro, *erit pavor, tantùm intelligere auditum*. Loquitur Propheta de *gravitate mali* seu *pœnæ*. (4.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam שְׁמוּעָה, *auditus*, pro *rumore* vel *fama* est. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 17. *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 656. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 24. m. 1. p. 747. & lib. 5 tract. 1. cap. 4. m. 5. p. 65.

Vers. 20. *Nam brevius erit stratum, quam ut protendat se, & operimentum angustum, cum colliget se.*

Videlis (1.) *Allegoriam*, quâ *pœnas divinas*, quas nulla ratione effugere possint peccatores, innuit Propheta, ductâ *metaphorâ* ab iis, qui præ metu nocturno, sub integumento lecti, colligendo se, i. e. corpus in arctum contrahendo, se occulunt, atque tutos se satis esse arbitrantur. (2.) *Ellipsin* participii. *Cum colliget se*, scil. *cubans*. Jun. in Bibl. h. l. p. 656.

p. 656. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 20. p. 489. seq.

Vers. 28. *Panis comminuetur, quia non in perpetuum triturando triturabit illum, & conteret rotam plaustri ejus* &c.

Iteratur (1.) *Metonymia effecti* pro causa: *Panis*, h. e. *triticum*, ex quo panis conficitur. Opponitur hoc reliquis seminum speciebus, *nigella* & *cymino*, de quibus v. 27. Chaldæus pro *pane* habet עִיבּוּרָא, *annona*, *frumentum*. (3.) Hebraismus: *Triturando triturabit*, h. e. *perget triturare*. (2). *Enallage temporis* futuri, *comminuet*, pro præsenti, *comminuit*. (4) *Ellipsis* particulæ negativæ, ex membro præcedente repetendæ: *Et non conteret* &c. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 17. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 199. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 656. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 30.

Cap. XXIX. v. 1. *Væ Arieli Arieli, urbi, castra metatus est David, adjicite annum ad annum, festa excidant.*

Propheta utitur (1.) *Metaphorâ*: nam *Ierusalem* vocat *Arielem*, h. e. *leonem Dei*, quia per Deum *fortis* erat, nunc autem appellari debet *leo Dei*, contra quem DEUS pugnaturus est. (2.) Epizeuxi: *Arieli Arieli*; ubi geminatio nominis *emphasin insignem* habet, & *dolorosam animi compassionem* denotat. (3.) *Ellipsi* pronominis אֲשֶׁר: *Urbi*, quâ *castrametatus est David*, q. d. urbi militiæ Davidis. (4.) *Metonymiâ adjuncti* pro *subjecto*: חַגִּים *festa excidant*, h. e. *sacrificia festorum mactent* vel *jugulent*; loquitur de *ultimo urbis Hierosolymitanæ excidio*, per Romanos illatô, cujus tempus tacitè innuit, puta *festum Paschatis*. (5.) Ironiâ: *Adjicite annum ad annum, agnos jugulent*; quibus verbis ridet Judæos: *Agite, pergite fortiter sacrificantes; fiet, ut una cum sacrificiis vestris pereatis.* (6.) Hebraismô: *Adjicite Annum ad Annum* &c. i. e. *Esto, singulis annis mactetis agnos, & festa celebretis*; neque tamen imminens malum evadetis. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 31. p. 115. m. 2. lib. 4. tract. 3. observ. 13. m. 2. p. 830. lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 3. pag. 60. cap. 5 pag 84 cap. 11. pag. 322.

Vers. 10. *Miscuit super vos spiritum soporis, & obstruxit oculos vestros, Prophetas & capita vestra videntes obtexit.*

I. In textu hoc conspicitur (1.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *spiritus* pro *affectu* seu *motu animi*, eoque *malo*, accipitur. (2.) *Metaphora*: tum quia *sopore* innuitur *induratio in malum*, & *traditio in reprobum sensum*, ex justissimo Dei judicio facta; tum quia *capita* notant *Principes*. (3.) *Ellipsis* nominis, ex membro præcedente repetendi: *Prophetarum & Principum vestrorum videntium oculos obtexit.* Jun. in Bibl. h. l. p. 657. *Glass* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p 8. & cap. 12. p. 361.

II. Argumentum *Calvinistarum* pro *divina peccati causalitate* vide solutum, in Vindic. *Rom.* 11. vers. 8.

Vers. 11. *Et erit vobis visio omnium (Prophetarum) sicut verba libri signati*, &c.

I. *Rathmannus* in Not. ad 11. quæst. p. 15. seq. opinatur, *duo distincta esse verba Dei, essentialiter differentia*, internum videlicet & externum; cùm *hoc* habeant Judæi, non *illud*.

℞. *Iudæi* habuerunt, & etiamnum habent, *idem verbum Dei*, quod *regenerati & verè fideles* habent, eandem videlicet *sententiam de Deo*, ipsius esse, voluntate, operibus, remissione peccatorum, & vita æterna, literis ac characteribus externis consignatam, quam & nos habemus. Quòd verò hoc verbum, hoc est, eadem hæc de Deo sententia, literis consignata, quam non minùs, quoad *sensum* seu *substantiam dogmatum*, atque nos, *significativè* habent, apud ipsos nón fit *internum*, sicut apud nos, in causa est, non alicujus *verbi interni*, essentialiter ab illo, quod habent, differentis absentia; sed *ipsorum pertinax malitia*, quâ operationi Spiritus Sancti obsistunt, quò minùs per has ipsas sacras literas & voces, veri verbi divini *significativè* contentivas, idem numero, quod *externè* habent, verbum Dei, Spiritus Sanctus etiam *internè* ipsorum indere queat animo. *Thumm.* in Brev. consider. 3. qq. controv. p. 57. seq.

II. *Bellarminus* l. 3. de Verb. divin. interp. c. 2. resp. ad arg. 9. docet, *Scripturam sacram* V. T. *esse obscuram*, quoniam dicatur *liber signatus* tam *scienti literas*, quàm *nescienti*.

℞. Nihil ad rem. Nam (1.) Esaias non *verba Scripturæ*, sed *visiones Propheticas*, librum signatum nominat. Non autem negamus, *visiones*, ut & *prophetias*, antequam impleantur, obscuriores esse: sed hoc extra oleas præsentis quæstionis vagatur. (2.) Sermo est de *Iudæis reprobis*, qui Christum erant repudiaturi: atque illis sanè vaticinia Prophetarum fore clausa, instar *libri signati*, prædixit Propheta. At argumentum non est à *Iudæis reprobis* N. T. ad *fideles* V. T. legitimum; cum verum sit, *illos* non intelligere, *hos* verò intellexisse, alioquin unde ipsis salus obtingere potuisset? Nostra autem controversia est de usu Scripturæ in *Ecclesia fidelium*. (3.) Esaias causam *libelli clausi* indicat, v. 10. quòd *justô suô Iudiciô Deus Iudæorum obstipaverit oculos*. Quod cum ita est, ergo obscuritas illa non est *innata Scripturæ*, aut *interna*; sed potiùs *externa*, ac *per accidens*. Hunn. tom. 2. Oper. Lat. p. 227. *Balduin.* in Phosph. Cathol. l. 7. c. 4. p. 690. seq. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 419 p. 453. & 454. *Cham.* tom. 1. Panst. l. 15. c. 13. §. 8. 9. 10. p. 276. seq.

Vers. 13. *Et dixit Dominus: Propterea quòd appropinquavit populus iste in ore suo, & in labiis suis honoraverunt me, & cor ejus elongavit se à me, & fuit reverentia eorum me præcepto hominum edocta.*

I. Offert se (1.) *Enallage temporis* præteriti, *appropinquavit*, *honoraverunt*, *elongavit*, & *fuit*, pro præsenti, *appropinquat*, *honorant*, *elongat* & *est*, Matth. 15. v. 8. (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *cor* pro *affectibus & cogitationibus* ponitur, quarum sedes cor est. (3.) *Hebraismus*; וַתְּהִי יִרְאָתָם אֹתִי, *reverentia eorum me*, pro, *erga me*, Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 200. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 41. p. 162. & lib. 5. tract. 1. cap. 3. m. 1. p. 33.

II. Controversias, huc pertinentes, vide diremtas in Vindic. *Matth.* 15. v. 8. & 9.

Vers. 17. *Nonne adhuc parum pusillum, & convertetur Libanon in Carmel, & Carmel in sylvam reputabitur?*

En (1.) Hebraismum: *Nonne adhuc parum pusillum?* h. e. *intra brevissimum tempus.* (2.) Metaphoram: *Libanon convertetur in Carmel, & Carmel in sylvam reputabitur*, i. e. *omnia in regno Christi erunt culta, fertilia & benedicta.* Quanquam alii *propriè* accipiunt de *vastatione Libani & Carmeli*, per *Assyrios* facta, sensu eo: *Libanus* succidetur, eritque cedris suis spoliatus, haud dissimilis campo; & *Carmelus*, nunc apprimè cultus ac fertilis sic erit incultus ac neglectus, ut innascentibus

illi-

illi passim fruticibus & dumetis, sylvæ faciem acquirat. Sic voluit exprimere Propheta *futura vastationis gravitatem*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 201. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. pag. 273. seq.

Vers. 19. *Et addent mites in Domino lætitiam, & mendici hominum in Sancto Israelis gaudebunt.*

*Hebraismus* est: *Addent lætitiam*, h. e. *magis magisque lætabuntur*; & *mendici hominum*, i. e. *mendici inter homines*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 201. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 33. m. 2. p. 119.

Vers. 22. *Propterea sic dixit Dominus ad Domum Iacobi, qui redemit Abrahamum: Non tùm pudefiet Iacob, & non tunc facies albescet.*

Occurrit jam (1.) *Metonymia* tum *subjecti*, domum Jacobi, pro adjuncto, *populum ex familia Iacobi ortum*; tum *adjuncti* pro *subjecto*: nam *faciem alicui albescere*, est, *ipsum erubescere & metuere*; hujus enim signum est *pallor faciei*, cum sanguis ad cor refugit à partibus exterioribus, ob metum & pudorem. (2.) *Synchysis*: Sic dixit Dominus *ad domum Iacobi, qui redemit Abrahamum*; pro, *Sic dixit Dominus, qui redemit Abrahamum, ad domum Iacobi.* (3.) *Metaphora*: Non tùm pudefiet *Iacob*, i. e. Ecclesia, quæ hactenus abundavit filiis degeneribus, ac propterea probris affecta est atque deformata. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 658. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. pag. 70.

Vers. 23. *Et sanctificabunt Sanctum Iacobi, & Deum Israelis formidabilem facient.*

*Hebraismus* est: יַעֲרִיצוּ *formidabilem facient*, h. e. *formidabilem* seu *expavescendum prædicabunt*. Targum: *Dicent fortem*. R. Kimchi: *Dabunt ipsi in laude sua robur*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 15. p. 267.

Cap. XXX. v. 6. *Onus jumentorum australium, in terra oppressionis & angustia, leo & tygris* &c.

Jesaias usurpat (1.) *Metonymiā subjecti*, onus, pro adjuncto, *prophetia de onere*. (2.) *Periphrasin Ægypti*, κατ' ὑπαρχήν vocans terram צָרָה, *angustia*, quòd non auxilium speratum, sed angustiam tantùm & oppressionem, DEI Judiciò, Judæis allatura erat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 202. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 22 p. 513.

Vers. 10. *Qui dixerunt videntibus, non videbitis; & prudentibus, non providebitis nobis recta: loquimini nobis blanda, videte illusiones.*

Verba hæc continent (1.) *Enallagen* indicativi, *videbitis* & *providebitis*, pro imperativo, *videte* & *providete*. (2.) *Prosopopœiam*: neque enim *infideles illi* in populo Judaico, sed ipse *Spiritus Sanctus* illusiones vocat, quas illi expetebant, *visiones*; siquidem tales revera erant. Expetebant sibi Prophetias edi de pace, instar pseudoprophetarum: Spiritus autem DEI per Prophetam appellat hoc *illusiones*. Jun. in Bibl. h. l. p. 659. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 4. p. 548.

Vers. 11. *Recedite de via, declinate de semita, cessare facite à facie nostra Sanctum Israelis.*

Offert se (1.) *Metaphora*: nam via κατ' ἐξοχὴν notat *doctrinam cælestem*. (2.) *Hebraismus*: תַּשְׁבִּיתוּ *cessare facite à facie nostra Sanctum Israelis*, h. e. *nolite posthac verba facere nobis de Sancto Israelis*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 203. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 15. not un. p. 275.

Vers. 13. *Propterea erit vobis iniquitas ista, sicut ruptura cadentis, disquisita in muro excelso, cujus repentè momentò veniet fractura ejus.*

Reperitur hoc loco (1.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Sicut ruptura* נֹפֵל *cadentis*, scil. *muri*. (2.) *Hebraismus*: פִּתְאֹם לְפֶתַע, *repentè momentò*, h. e. *maximè subitò & repentè*. (3.) *Pleonasmus*: nam ly *ejus* abundat. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 19. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 12. p. 49. & tract. 5. can. 2. m. 2. p. 433.

Vers. 15. *Si quiescatis, salvi eritis: in silentio & spe erit fortitudo vestra.*

*Casistæ* quidam dissuadent *Evangelicis contra Papistarum injurias se defendere*, cum *in quiete & spe ipsorum posita sit salus ac fortitudo.*

R. Propheta Judæis non disfvadet defensionem legitimam contra hostium suorum injurias, sed *fœdus saltem* cum impiis & idololatricis Ægyptiis adversus Regem Assyriæ, docetque, Judæos, si ab impio illo consilio quiescant, & verâ fiduciâ ac spe in Dei protectionem recumbant, hostibus suis superiores fore. Ejusmodi *syncretismus* adhuc hodie *Orthodoxis* interdictus est, quibus salus in quiete à Deo petenda. *Fabric.* in qq. Milit. q. 23. p. 308. & 313.

Vers. 16. *Super equum fugiemus, ideo fugietis; & super levi vehemur*, &c.

Redit huc (1.) *Enallage numeri* singularis, *equum* & *levi*, pro plurali, *equos* & *levibus*. (2.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Super levibus*, scil. *equis* vel *jumentis*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 203. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 12. p. 49.

Vers. 17. *Millenarius unus à facie increpationis unius, à facie increpationis quinque fugietis, donec remaneatis sicut cippus super capite* &c.

Iteratur (2.) *Synecdoche speciei*, pro genere: nam *mille* pro *permultis*, & *quinque* pro *paucis* ponuntur. (2.) *Pleonasmus*: *A facie increpationis*, h. e. *ab increpatione*, nomine *faciei* redundante. (3.) *Ellipsis* nominis, ex voce analoga eruendi: *Fugietis*, scil. *omnes vos*; ubi *mille & omnes*, voces analogæ sunt. (4.) *Metaphora*: quia ראש *caput*, verticem sive *cacumen montis* significat. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 659. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 203. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 7. p. 715.

Vers. 26. *Et erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die ligare Dominum fracturam populi sui & percussuram plagæ ejus sanaverit.*

I. Videre est (1.) Hyperbolen: *Erit lux Lunæ, sicut lux Solis* &c. h. e. *omnia erunt illustrissima & gloriosissima in restitutione populi DEI*, ita ut tempore illo *Luna* & *Sol*, veluti populo liberato congratulantia, *solitô sint hilariora & illustriora futura*. (2.) *Hebraismum*: In *die ligare*, h. e. *ligationis*, seu *quâ ligaverit Dominus* &c. (3.) *Metaphoram*: Deo enim, velut *Chirurgo*, tribuitur *fractura ligatio*, & *plaga sanatio*, i. e. *auxilii præstatio*. Ariam. par. 4. Bibl. p. 19. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 659. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. pag. 225. & cap. 12. p. 353.

II. *Reformati* quidam sentiunt, *corpora cælestia in extremo die non esse destruenda*, quia *lux Lunæ tunc futura sit, sicut lux Solis, & lux Solis septuplo major, sicut lux septem dierum.*

R. (1.) Propheta loquitur, non de *extremo die*, in quo Sol & Luna in meliorem statum sint immutanda; siquidem cœlestis Hierosolyma non indigebit *luce Solis & Lunæ*, Esa. 60. v. 19. Apoc. 21. v. 23. verùm de *felicissimo rerum statu*, quem *post Assyriorum deletionem* populus Israeliticus Dei beneficiô

ciò sit persensurus. Nam velut frequens est Scripturæ *luctuosum rerũ statum* describere per *Solis & Lunæ obscurationem*, Esa. 13. v. 19. Jerem. 4. v. 23. ita novum non est in codice sacro, adhibere *augmentum splendoris Solis & Lunæ*, ad designandum *feliciorem rerum statum*, Esther. 8. v. 16. & c. 11. v. 8. (2.) Sed etsi *allegoricè* vaticinium hoc ad *extremi Judicii* tempora accommodaretur; inde tamen nil rediret ad Adversarios: nam tunc μεταφορικῶς verbis *hujus seculi* res *futuri seculi* describi, quilibet animadvertit. Neque ignotum est, *septenarium* esse numerum *perfectionis*: nihil ergo aliud, quàm *perfecta beatorum gloria* significaretur. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 32. de Consumm. secul. §. 50. p. 414. seq. *Brochm.* tõ. 2. System. Theol. art. de Secul. consumm. c. 2. q. 3. obj. 3. p. 7004. seq.

Vers. 27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravitas oneris, labia ejus repleta sunt irâ, & lingua ejus tanquam ignis comedens.*

Ecce (1.) *Metonymiam adjuncti* pro subjecto: *Nomen Domini*, h. e. *majestas Dei nominatissima.* (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: Deo enim humano more, & per *prosopographiam* quandam, quasi *bellatori*, vehementer in hostes commoto, tribuuntur *labia frementia*, & *lingua instar ignis flammea.* (3.) *Prosopopœiam*: nam *igni consumenti* adscribitur *comedere.* Jun. in Not. ad h. l. p. 659. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 7. pag. 75. & cap. 7. p. 108.

Vers. 28. *Et spiritus ejus velut torrens inundans, usque ad collum dimidiabit, ad agitandum gentes in cribro vanitatis, & frænum errare faciens in maxillis populorum.*

Continuatur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: DEO enim *irato* tribuitur tum *spiritus*, i. e. *flatus oris concitatus*, & omnia subvertens, perinde ac si *torrens* quidam rapidissimus ex ore illius prorumpat: tum *agitatio per cribrum*, cum *impios disjicit & disperdit*, ut non ampliùs compareant; Sicut *inanis pulvis* facilimè eventilatur, ut de magno etiam cumulo nihil reliquum maneat: tùm *frænatio maxillarum humanarum*, quando *furorem hominum inhibet*, & contumeliosè tractat. (2.) *Enallage temporis* futuri, *dimidiabit*, pro præsenti, *dimidiat.* (3.) Prosopopœia: *Usque ad collum dimidiat*, h. e. *penè usque ad internecionem perdit*, sicuti cum quispiam est *in aqua usque ad collum*, propinquus est submersioni, & ita accidit, cum Assyriorum castra Angelus Domini percussit. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 204. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 108. seq. 133. cap. 9. m. 5. p. 204.

Vers. 32. *Et erit omnis transitus virgæ fundationis, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis, & in citharis, & in bellis agitationis pugnabit cum ea.*

Reperitur hoc loco (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *virga*, DEO tributa, notat *vindicem ejus iram* adversus Regem Assyriæ. (2.) *Hebraismus*: Virgæ *fundationis*, h. e. *fundatissima*, die ganz durchdringet / und wohl trifft. (3.) Allegoria: *Cum tympanis & citharis*, i. e. *lætissima erunt & exhilarabuntur omnia*, ob liberationem DEI. Nimirum ad *usum Veterum* alluditur, quo post victoriam tripudia publica cum tympanis & citharis instituebantur, cujus exempla *Exod.* 15. v. 20. 1. *Sam.* 18. v. 5. *Psal.* 68. v. 26. habentur. (4.) *Hypallage*: In *bellis agitationis*, h. e. in *agitatione bellorum.* (5.) *Enallage* relativi, pro antecedente: בָּהּ cum *ea*, nempe *Babylone.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 205. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 660. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 163. & cap. 20. p. 495.

Vers. 33. *Quia præparata est ab heri Thopheth, etiam ipsa Regi constituta est, profundavit, dilatavit, pyra ejus ignis & ligna multùm, flatus Domini sicut torrens sulphuris ardebit in ea.*

I. In textu hoc deprehenditur (1.) *Allegoria*: comparatur enim *infernus* cum *Thopheth*, loco amplo in valle Hinnomi, *Jerem.* 19. v. 6. adhibitis rebus, quæ hic dicuntur, ad *incendiũ & conflagrationem illorum infantium*, qui in valle illa comburebantur. (2.) *Ellipsis* nominis substantivi, ex v. 32. repetendi: *Dilatavit*, scil. *Dominus.* (3.) Ἀνθρωποπάθεια: nam DEO נְשָׁמָה *flatus*, tribuitur, quo *divina ira & vindicta* significatur. Ut sulphur ignis nutrimentum insigne est: sic infinita & incessabilis DEI ira erit æternum inferni quasi nutrimentum. Sicut quamdiu ventus ex folle sufflat in ignem, ipse ardet: ita flatus Domini (ira ipsius) perpetuo in torrente sulphuris infernali, efficax erit ad damnatorum cruciatus, in animabus & corporibus. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 20. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 660. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 18. m. 3. p. 879. & lib. 5. tract. 1. cap. 8. p. 182.

II. *Judæi* putant, *Gehennam secundâ creationis die esse à Deo conditam*, quoniam *ipsa Gehenna ab heri fuerit præparata pro Rege Assyriæ.*

R. *Ab heri* synecdochicè ponitur pro *jam dudum*, sive *jam antè*, ut *Gen.* 32. v. 8. Inde verò non sequitur, *gehennam secundo creationis die esse à Deo conditam.* Rung. Comm. in Genes. p. 35. Jun. in Schol. Bibl. ad h. l. p. 660. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 5. m. 1. p. 437.

Cap. XXXI. v. 3. *Et Ægyptii homines, & non Deus, & equi eorum caro, & non spiritus, & Dominus extendet manum suam, & corruet* &c.

Propheta utitur (1.) *Metaphorâ*: nam *carnem* pro *refragili ac debili* accipit, sicut *ipsa fragilis est, & corruptioni obnoxia.* (2.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deum* enim dicit *manum extendere*, h. e. *pœnas immittere.* Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 110. & cap. 11. p. 316.

Vers. 5. *Sicut aves volãtes, sic proteget Dominus exercituum super Jerusalem, protegendo, & liberando, transiliendo & servando.*

Offert se (1.) *Ellipsis* vocis, ex voce analoga eruendæ: *Sicut aves volantes*, scil. *protegunt nidum suum.* (2.) *Pleonasmus*: nam τὸ SUPER redundat. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: verbum enim, פָּסוֹחַ, *transilire*, de *divina populi Judaici liberatione* ex captivitate Babylonica usurpatur. (4.) *Allegoria*: hisce enim verbis, *transiliendo & servando*, ad *miraculosam populi Israelitici ex servitute Ægyptiaca liberationem* respicitur & alluditur, q. d. nocte una dejicietur regnum Babyloniorum, ad liberationem populi, *Dan.* 5. v. 30. sicut olim in Ægypto factum erat, *Exod.* 12. v. 29. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 20. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 660. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 7. p. 715. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 144.

Vers. 6. *Revertimini ad quem profundaverunt apostasiam filii Israelis.*

Verba hæc exhibent (1.) Hypallagen: *Revertimini*, לַאֲשֶׁר הֶעְמִיקוּ סָרָה, *ad quem profundaverunt*, h. e. *ad eum, à quo profundârunt.* (2.) *Enallagen temporis* præteriti, *profundaverunt*, pro præsenti *profundant.* (3.) *Metaphoram*, quâ verbum הֶעְמִיק, *profundandi*, de *peccatorum* (quibus in profundum inferni pervenitur) *multitudine* usurpatur: *A quo profundant*, h. e. *profundè* seu *ma-*

*xima apostasia recedunt*. Chaldæus: *Multiplicaverunt peccare*, Junius: *Quem summâ apostasiâ provocant*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 205. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 21. not. 3. p. 740. & lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 278.

Cap. XXXII. v. 3. *Et non connivebunt oculi videntium, sed aures audientium auscultabunt.*

Jesaias adhibet (1.) *Ellipsin* contrariorum; integra sententia est: *Neque connivebunt oculi, neque obsurdescent aures, sed videbunt oculi, & aures audient* &c. (2.) *Metaphoram*: nam *spiritualem mentis illuminationem, & cordis renovationem*, notione *oculorum* exprimit. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 661. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 13. m. 2. p. 727. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 340.

Vers. 9. *Mulieres tranquillæ, surgite, audite vocem meam; filiæ confidentes auscultate eloquio meo.*

*Prosopopœia* est, quâ de *toto populo* seu *civitate*, ut de *fœmina*, Propheta loquitur, intelligit autem *civitates Judææ*, diffluentes luxu, & in ocio securæ: & *majores* quidem *mulieres* vocat, *minores* verò cum *pagis & vicis*, filias. Has omnes ad resipiscentiam vocat, ut judicia DEI severissima antevertant. Chaldæus eodem modo vertit: *Civitates magnæ, quæ habitatis securæ, surgite, audite vocem meam: urbes munitæ, quæ habitatis in confidentia, auscultate sermoni meo.* Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. m. 5. p. 205.

Vers. 11. *Pavete tranquillæ, tremere confidentes, exuere, denudare, accingere super lumbos.*

Iteratur (1.) *Prosopopœia*: nam *pavor, tremor, exuitio, denudatio, cinctura super lumbos* (fugæ & deportationis causâ) *civitatibus* tribuitur, quæ instar *mulierum* v. 9. proponuntur. (2.) *Enallage* infinitivi pro imperativo: רְגָזָה *tremere*, פְּשֹׁטָה *exuere*, עֹרָה, *denudare*: חֲגוֹרָה *accingere* (cum paragoge literæ ה) pro, *tremite, exuite, denudamini, accingite*. Etsi sunt, qui formam *imperativi fœmininam* (de *fœminis* enim sermo est) in his agnoscunt per *syncopen* literæ נ, pro, רְגָזְנָה, *tremite*, פְּשֹׁטְנָה, *exuite*, עֹרֶנָה, *nudamini*, (ut habeat formam ab עור, cum aliàs עָרָה *nudari* sit) חֲגֹרְנָה, *accingite*. Glass. lib. 2. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 3. p. 362. & lib. 5. tract. 1. cap. 9. m. 5. p. 205.

Vers. 13. *Super tellurem populi mei spina sentes ascendet, istio super omnes domos gaudii, civitatem exultantem.*

§. 1. קוֹץ שָׁמִיר, *spina sentis*, h. e. *plurima sentis*. §. 2. Vocula כִּי notat *adustionem*, idemque est nomen, quod כְּוִיָּה, à radice כוה, *adussit*. §. 3. *Domos gaudii* vocat Propheta, *in quibus omnia plena erant gaudio*. §. 4. *Et civitatem exultantem*, scil. *ascendet*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 20. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 207. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. p. 116. & tract. 7. canon. 18. not. un. p. 618.

Vers. 15. *Donec effundatur super nos spiritus ex alto, & erit desertum in Charmel, & Charmel in sylvam reputabitur.*

In versu hoc habetur (1.) Ἀνθρωποπάθεια DEUS enim dicitur *effundere*, h. e. *largiter concedere, & copiosè communicare*. (2.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *Spiritus* pro *donis gratiæ*, credentibus à Spiritu Sancto collatis, ponitur. (3.) *Metaphora*: siquidem *Carmel* (utpote locus ferax & frugifer) *vera Ecclesia*, & *sylva* contrà *gentilitatis* notionem habet. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 661. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 268. & 273.

Vers. 17. *Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ requiescere & securitas usque in seculum.*

*Enallage* est *infinitivi* pro *nomine*: הַשְׁקֵט *requiescere*, h. e. *requies*. Sequitur statim nomen: וָבֶטַח, *& securitas*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 20. *Glass* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 5 p. 364.

Vers. 19. *Et grandinabit in descensu sylvæ, & depressione deprimetur civitas.*

Redit huc (1.) *Metaphora*: nam *grando* notionem habet *pœnarum* DEI *gravissimarum*. (2.) *Synecdoche partis* pro *toto*: quia *totum mundum* per *sylvam & civitatem*, h. e. *incultos & habitabiles locos* exprimit Propheta, q. d. quamvis totus mundus inhorrescat malis, ab his omnibus tamen immunes conservabuntur pii, *Psal.* 46. v. 2. seqq. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 251.

Vers. 20. *Beati, qui seminatis super omnes aquas, mittentes pedem bovis & asini.*

*Iudæi* in Thalmud. libr. *Succah*. cap. *Habelil bannischa*, fingunt *duos diversos Messias*: unum, *filium Davidis*; alterum, *filium Iosephi*. Illum quidem indigitari per *pedem asini*, hunc verò per *pedem bovis*; at per vocabulum (*mittentes*) Eliam, ante Messiæ adventum mittendum,

℞. Violenta planè & malitiosa committitur textûs depravatio. Nam (1.) nihil hîc habetur de *Elia mittendo*: habetur quidem in plurali, *mittentes*; sed ita non exprimitur *unum Elia individuum*. (2.) Undénam probabitur, per *pedem bovis* notari *Iosephi*, & per *pedem asini*, *Davidis filium*? (3.) Propheta verbis *metaphoricis* felicitatem N. T. describit, institutâ *hujus* consideratione & collatione ad V. T. In *Veteri*, & quidem *Deut*. 22. v. 10. prohibitum erat Judæis, ut in arando simul uterentur & *bove* & *asino*. Ad hanc legem alludens Esaias, verbis *figuratis* ostendit, eam fore libertatem Ecclesiæ N. T. ut non in *solo bove*, sed in *bove & asino* sit arandum, hoc est, ut *Lyranus* explicat, *indifferenter & sine omni acceptatione personarum* docendos esse fortes & debiles, literatos & simplices. *Hutter.* in LL. Theol. p. 854. 855. seq.

Cap. XXXIII. v. 6. *Et erit firmitas temporum tuorum, fortitudo salutum, sapientia & scientia, timor Domini ipse thesaurus ejus.*

Propheta utitur (1.) *Metonymiâ adjuncti* pro subjecto: *Firmitas temporum tuorum*, h. e. *omnimoda felicitatis tuæ*. (2.) *Hebraismo*: חֹסֶן יְשׁוּעוֹת, *fortitudo salutum*, i. e. *omnis salutis*. (3.) *Enallage formæ constructa* pro *absoluta*: חָכְמַת וָדָעַת, *sapientia & scientia*, pro, חָכְמָה. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 208. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 662. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 40. m. 2. p. 161.

Vers. 8. *Irritavit pactum, projecit civitates, non reputavit homines.*

Esaias Salomoni repugnare videtur: *ille* enim pronunciat, *Deum irritasse pactum suum*, cum Judæis initum; *hic* verò negat, *Deum irritare pactum suum*, sed *illud servare*, 1. Reg. 8. v. 23.

℞. (1.) Sermo ibi est non de *Deo*, sed de *Sennacheribo*, qui acceptâ pecuniâ pactum, cum Ezechia sancitum, violavit. 2. *Reg*. 18. v. 17. (2.) Sed etsi de *Deo* ibi sermo esset, non tamen id aliquid incommodi haberet. Ibi enim Deus non perhibetur *suô ipsius vitiô* suum pactum facere irritum, sed *populo videtur* id irritatum. *Tremell.* in schol. Bibl. ad h. l. p. 18. *Arcular.* comm. in Esa. pag. 427. *Fevverb.* fasc. 2. dissert. Theol. disp. 6. thes. 13. p. 213.

Vers. 9. *Luxit, infirmata est terra, pudore affectus est Libanon, excisus est, fuit Saron sicut desertum, & excussa est Basan & Charmel.*

*Prosopopœia* est: nã de *terra lebunda desolata & devastata*, ut de *homine ægroto & lugente* loquitur Propheta, & speciatim meminit *Libanon*, *Saron* &

*Basan* & *Carmel*, quibus omnis illa terra quasi finibus suis terminatur. *Libanus* enim ad Septentrionem, *Saron* ad Occidentem, *Basan*, ad Orientem, *Carmel* ad Meridiem spectat. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 200. & cap. 10. p. 273. seq.

Vers. 12. *Et erunt populi combustiones calcis, spinæ excisæ, in igni comburentur.*

Occurrit (1.) *Metonymia materiati* pro *materia*: Combustiones *calcis*, h. e. *lapidum*, ex quibus excoctis calx conficitur. (2.) *Metaphora*: impii enim conferuntur *combustionibus calcis*, & *spinis excisis*, æstu nim. iræ Dei conflagrantes & pereuntes. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 208. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. ult p. 31. & cap. 11. p. 291.

Vers. 15. *Qui obturat aurem suam, ne audiat sanguines*, &c.

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: nam vox דָּמִים *sanguines*, pro *hominibus*, *cædes perpetrandæ*, seu *cujusvis sceleris committendi*, *cupidis* usurpatur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 4. p. 48.

Vers. 16. *Ipse in altis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ejus datus est, & aquæ ejus certa.*

Offert se (1.) *Metaphora*: nam *in altis habitare*, dicitur, pro *securum ab hostibus esse*, & *patrocinio Jehova vera fide frui. &c.* (2.) *Enallage temporis* præteriti, *datus est*, pro futuro, *dabitur*. (3.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: quia *aqua* pani additus, pro *omnibus ad vitam necessariis* (inter quæ præcipuum sunt *cibus* & *potus*) accipitur. (4.) *Ellipsis* verbi substantivi: *Certa*, scil. *erunt*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 208. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 663. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 385. & cap. 15. m. 3. p. 449.

Vers. 19. *Populum roboratum non videbis, populum profundorum labio ab audiendo, irrisum linguâ absque intelligentia.*

In textu hoc videre est (1.) *Metaphoram*: Non *videbis*, hoc est nullo pacto *experieris*. (2.) *Metonymiam causæ* pro *effectu*: Populum *profundorum labio ab audiendo*, i. e. *obscure loquentem*, ut *non percipias*, quemadmodum Pagninus vertit; ubi *labium* pro *sermone* sumitur. (3.) *Enallagen participij passivi* pro *nomine adjectivo*: נִלְעַג לָשׁוֹן *irrisum linguâ*, h. e. *ridiculum* linguâ, *barbarum*. Jun. in Not. ad h. l. p. 663. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 4. can. 2. m. 2. p. 410. & lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. 2. p. 9.

Vers. 21. *Quia si ibi fortis Dominus, locus fluviorum, riuorum latorũ manibus, non ibit per eum classis remis, & navis magna non pervadet eum.*

Verba hæc continent (1.) *Metaphoram*: tum quia יָדַיִם *manus*, pro *certis spacijs* ponuntur; tum quia *classis remis*, & *navis magna* notat *omnem vim Ecclesiæ DEI adversariam*. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: nam *Dominus*, Ecclesiam protegens, instar *fluviorum rivorumque amplorum spacijs*, proponitur, quæ classem illam hostilem hautquaquam admittunt. (3.) *Hebraismus*: אֳנִי שַׁיִט, *classis* seu *navis remi*, vel potiùs *remorum*, h. e. *remis impulsa*; remi enim instrumenta sunt nautica. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 1. p. 105. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 395.

Vers. 22. *Dominus Rex noster, Dominus legislator noster, Dominus judex noster: ipse salvabit nos.*

I. *Pontifex Romanus non potest leges ferre, cultum Dei concernentes*: quia *unicus est Ecclesiæ legislator*, *Deus*, non verò *Pontifex Romanus*.

*Bellarminus* l. 4. de Rom. Pontif. c. 17. resp. ad 3. arg. respondet, Esaiam loqui de legislatore *primario*, qui *sua* propria *auctoritate* potest leges ferre, & talem esse *solum Deum*; Pontificem verò esse legislatorem *secundarium*, qui possit Christi auctoritate leges condere.

℟. (1.) Distinctio valeret, si *judicem duntaxat unum* legeremus: nam manifestum est, judices alios *summos* esse, alios *subalternos*. Sed nos eundem *judicem* legimus, & *Regem* & *legislatorem*. Est autem absurdum, *Regem* distingvere in *primarium*, & *secundarium*: quia omnis Rex *summus* est; at nullus *secundarius summus*. Cum ergo nos loquamur de eo *judice*, qui non tantùm *judex* est, sed etiam *Rex*; eo ipso constat, agi de *summo judice*. (2.) Legislator *propriè* is dicitur, qui ipse & profert, & sancit leges; cujusmodi legislatores fuere apud Lacedæmonios *Lycurgus*, apud Romanos *Numa*. Atqui hactenus nunquam auditus fuit talis *legislator*, qui fuerit *secundarius*, neque ullum dabitur ullius Reipublicæ exemplum. Qui ergo Pontifex Romanus fuerit legislator *secundarius*? Cham. tô. 3. Panstr. l. 15. c. 14. §. 1. 5. 6. 7. 10. p. 267.

II. *Bellarminus* l. 4. de justif. c. 5. arg. 1. disputat, *Christum tulisse novas leges*, quoniam dicatur *legifer noster*.

℟. Jesuita ignorat elenchum: nos enim ultrò damus, Christum, tanquam *verum Deum*, unà cum Patre & Spiritu Sancto, *legem moralem* in monte Sinai olim dedisse; sed hæc est quæstio, an Christus, ut *Mediator*, idq; in mundum venerit, ut *novas leges* promulgaret? quod negamus. Itaque Christus dicitur *legifer* noster, *priore*, non *posteriori* modo. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Papist. c. 3. q. 7. obj. 2. p. 188. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 17. de Evangel. §. 66. p. 566. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Evang. c. 2. q. 1. m. 3. obj. 2. p. 240. & 242.

Vers. 23. *Laxati sunt funes tui, non roborabunt rectè malum suum, non expanderunt velum: tunc divisa est præda spolii multi, claudi diripuerunt prædam.*

S. Vates continuat (1.) *Enallagen temporis* præteriti, *laxati sunt*, *expanderunt*, *divisa est*, *diripuerunt*, pro futuro, *laxabuntur*, *expandent*, *dividetur*, *diripient*. (2.) *Metaphoram*, quâ comparat exercitum, qui perit, *navi & nautis*, qui patiuntur naufragium. Quando enim desperant de salute sua, deserunt funes, quibus malus firmatur, & velum expanditur. (3.) Pleonasmum: *Præda spolii* h. e. *spolium*. (4.) *Synecdochen speciei* pro genere: *Claudi*, i. e. *tenuissimi quique*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 209. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 663. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. not. un. p. 118.

Cap. XXXIV. v. 4. *Et contabescent omnis exercitus cælorum, & complicabuntur, tanquam liber cæli, & omnis exercitus eorum decidet, sicut decidit folium de vite, & sicut deciduus ex ficu.*

I. Usurpatur hoc loco (1.) *Metaphora*: nam *stellæ in cælis* dicuntur *exercitus*, qui *contabescat*, i. e. *pereat*. (2.) Synchysis: *Complicabuntur tanquam liber cæli*, pro, *cæli complicabuntur tanquam liber*. (3.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Et sicut deciduus*, scil. *grossulus* aut *fructus*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 209. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 12. p. 49. & lib. 4. tract. 2. obser. 26. p. 750.

II. *In die novissimo omnis cælorum exercitus substantialiter interibit*: quia *contabescet*, *instar libri complicabitur*, & *decidet sicut folium de vite & ficu decidit*.

*Papistæ* obvertunt, *cælos esse complicandos, sicut librum*; *librum* verò involutum non *penitus interire*.

℟. (1.) Quando liber *convolvitur*, nullus ejus ad lectionem manet usus: sic cæli *in hac vita* sunt

libri

liber τῆς θεογνωσίας, *annunciant enim gloriam Dei*, Psal. 19. v. 2. sed in *fine seculi* hic liber convolvetur ac complicabitur, quia electi, utpote *intuitivâ Dei notitiâ* fruentes, nullo ampliùs *externo divinæ cognitionis adminiculo* indigebunt. (2.) Neque verò solùm asserit Propheta, *cœlos esse instar libri complicandos*; sed & esse *defluxuros, sicut folium de vinea & ficu defluit*. Quemadmodum autem folium, quando decidit, non secundùm *qualitates saltem alteratur*, sed *mox totum corrumpitur*: ita & cœlos, quoniam ad modum *foliorum cadentium* defluere dicuntur, κατ' οὐσίαν perituros esse, rectè concluditur, non verò ad *statum perfectiorem elevari*; veluti folium, decidens ab arbore, in statum *meliorem* haud mutatur. *Meisner*. par. 1. Philos. sobr. sect. 3. c. 3. q. 5. arg. 3. pag. 795. seq. *Gerhard*. tom. 9. LL. Theol. loc. 32. de Consumm. secul. §. 41. seq. p. 392. & 394.

Vers. 5. *Inebriatus est gladius meus in cælis, ecce super Edom descendet, & super populum anathematis mei ad judicium.*

In versu hoc reperitur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *gladius* DEO tributus, *iræ & vindictæ divinæ* symbolum est. (2.) Metaphora: *Inebriari* enim dicitur *gladius*, i. e. *rubere & circumfluere sanguine* v. 6. ut *Jerem*. 46. v. 9. (3). *Metonymia causæ* pro *effectu*: quia *Edom* pro *Edomæis* est. (4.) *Hebraismus*: עַם חֶרְמִי, *populum anathematis mei*, h. e. *quem devovi internecioni*. Jun. in Not. ad h. l. p. 664. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. n. 7. p. 110. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 155. & cap. 9. p. 196.

Vers. 6. *Gladius Domini repletus est sanguine, impinguatus est ex adipe, è sanguine agnorum & hircorum, ex adipe renum arietum: quia sacrificium Domini in Bozra, & cædes magna in terra Edom.*

Propheta perstat in *Metaphora* sua, & comparat (1.) *gladium Dei*, (h. e. *iram & ultionem divinam*) *cultro mactatorio*, qui adipe occisorum jumentorum, *impinguari* solet. (2.) *Proceres* in populo *hircis & arietibus*. (3.) *Cædem futuram* sacrificio, *quo plenaria deletio* innuitur, sicut olim in sacrificiis *sanguis & adeps*, quorum consumendorum mentio additur, comburi Domino solebant, *Levit*. 3. v. 16. & 17. Glass. lib. 5. Philol. Sac. tract. 1. cap. 11. p. 315. & cap. 13. p. 429.

Vers. 11. *Et extendet super eam lineam inanitatis, & lapides vacuitatis.*

Est hic (1.) *Ellipsis* nominis: *Et extendet*, subint. *Deus*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *Deus super regionem Edom extendere lineam inanitatis, & lapides vacuitatis* dicitur, cum *illam per hostes desolari curat*; Metaphorâ ab *architectis* desumtâ, qui in ædificando, *lineis & lapidibus* utuntur, cujus contrarium de DEO dicitur, dum non ædificat, sed destruit. (3.) *Metonymia materiæ* pro materiato; *lapis* enim pro *lapide perpendiculi pondere, in filo pendente* sumitur. (4.) *Allegoria*; quâ ad *primam terræ vastitatem*, Genes. 1. v. 2. alluditur, dum de *ejus desolatione, per hostes efficiendâ*, sermo est. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 210. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 20. cap. 7. p. 135. cap. 20. p. 495.

Cap XXXV. v 4. *Deus ipse veniet, et salvabit vos*, &c.

De *quo* hîc loquitur Esaias, *is est unus ille Deus Israelis*: quia *absolutè vocatur Deus ipse*, metaphoricos autem & *falsos* Deos Prophetæ nunquam sic *absolutè* vocant *ipsos Deos*. Itaque Christus, quia Esaias de eo loquitur, est ille Deus. *Socinus* in refutat. argum. Bellarm. & Wieck. p. 169.-172. respondet 1. non sequi, ibi sermonem esse de *uno illo Deo Israelis, qui jam tum erat*: quia illa Prophetæ verba ita possint intelligi, ut, quando de *re futura* manifestè loquitur, quicquid in illis dicitur, in *futurum* respiciat, ceu in *Christum*, Deum Israelis futurum.

R. Probatio consequentiæ negatur, ut quæ repugnat naturæ & veritati Dei revelatæ per Prophetam, *Esa*. 42. v. 8. c. 44. v. 6. c. 48. v. 11. & alibi. Itaque quicunque *absolutè Deus* à Propheta dicitur, *jam tum fuit*, quando sic *absolutè Deus* dicebatur.

2. In probatione consequentiæ nihil ad rem dici, nisi *pro concesso* sumatur, præter illum unum Deum Israelis, *nullum esse Deum*, nisi *falsum* aut *metaphoricum*, quod negatur.

R. *Pro concesso sumere* vulgò est *petere principium*, sive *controversum sumere tanquam non controversum*; idem etiam intelligi potest pro eo, quod est *sumere tanquam immotis firmisque argumentis evictum*, ideoque *jure* concedendum, licèt de *facto*, ob pertinaciam adversarii τῶν θεῶν φυλάττοντος, non concedatur. De *illo* negamus, de *hoc* concedimus, præter illum unum Deum Israelis, *nullum esse Deum*, nisi *falsum* aut *metaphoricum*, idque antea probatum dedimus.

3. Istam Esaiæ prophetiam debere etiam ad tempora *liberationis ex captivitate Babylonica referri*, ac proinde non necesse esse, *eam ad Christi tempora referri*.

R. Historia ipsa ostendit contrarium, ex qua patet, *nulla talia extitisse miracula*, in *captivitate illa* solvenda, qualia *Esaias* fore prædixit, & qualia *Christi* tempore extiterunt.

4. Miracula illa *allegoricè* esse intelligenda, non *propriè*, ad quodcunq; tandẽ tempus illa pertineãt.

R. Unde probabit Socinus, miracula illa, v. 5. seq. non *propriè* esse accipienda, nec ad *Messiæ temporis* pertinere? Certè, nullius *prophetiæ alius debet fingi in prædictione sensus*, quàm *eventus* ipse ostendit. At *eventus* ostendit, *in solo Christo complendam fuisse*, ideoque de *solo Christo fuit prophetiæ sensus in prædictione*.

5. *Deum ipsum* dici *venturum*, non in *propria persona*, ita enim locô moveri posset; sed vel ratione *singularis favoris*, vel *alium*, Christus, ejus locô.

R. (1.) *Deus ipse venire* dicitur, non in *sola Deitate* consideratus, sed in *carne manifestatus*, 1. *Tim*. 3. vers. 16. (2.) Adversarius petit principium, dum *omnem Dei adventum de favore accipit*; quòd non permittit Scriptura. (3.) Non *alius Dei locô*, sed *ipse Deus* dicitur venire, videlicet in *carne assumpta*, Johann. 1. v. 14. Tarnov. de SS. Trinit. p. 164.-274.

Vers. 6. *Erumperunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine.*

Verba hæc continent (1.) *Enallagen temporis* præteriti, *eruperunt*; pro futuro, *erumpent*. (2.) *Metaphoram*, quâ *beneficia regni Christi*, *turbinque tum suavitas tum abundantia* describitur: nam *aquæ & torrentes in aridis & desertis regionibus* opportunè & utiliter abundant. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 211. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 258.

Vers. 8. *Erit ibi via sancta, non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.*

*Pazmanus* in Hodeg. exinde concludit, *Ecclesiam nobis cognoscibilem esse debere, cum via salutis cognosci possit*; siquidem extra Ecclesiam non sit salus.

℞. Vaticinium hoc est de *claritate Ecclesiæ Christianæ*, quæ per doctrinam Evangelii futura erat in mundo; ubi semper est via recta ad cognoscendam veritatem. Non autem sequitur, quòd *fides electorum semper omnibus sit conspicua*; de qua tamen re quæstio est. *Balduin.* in Phosph. Cathol. contr. Pazman. l. 8. c. 7. p. 777. seq.

Vers. 10. *Et redempti Domini revertentur, & venient Zionem cum cantu, & lætitia seculi super caput eorum, gaudium & lætitiam &c.*

I. Ecce (1.) Metaphoram: *Zion* enim *Ecclesiam in cælis triumphantem* notat. (2.) *Synecdochen partis pro toto*: Super *caput eorum*, h. e. super *ipsis personis* &c. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 13. p. 120. & cap. 17. m. 1. p. 461.

II. *Socinus* contr. Bellarm. & Wieck. p. 171. putat, prophetiam illam *Esai.* 6. v. 4. 5. 6. ad tempora *liberationis ex captivitate Babylonica*, tanquam *redemptionis, nobis per Christum partæ, typum* referendam esse; quoniam hîc disertè *redemptorum*, id est, *ex captivitate liberatorum*, & *eorum in Sion reditûs*, fiat mentio.

℞. (1.) Consequentia vitiosa est; partim quia à *genere non distributo ad certam speciem* procedit *affirmativè*, hoc modo. *Redemptorum ibi fit mentio*, ergo *ex captivitate Babylonica redemptorum* ibi fit mentio: partim quia ex *modificatis* propria facit, ita colligendo: *Reditus liberatorum in Sion fit mentio*, ergo *in Sionem corporalis reditûs* fit mentio; cum de *spirituali reditu* ibi agit Propheta. (2.) Prophetia hæc non potest ad tempora *liberationis ex captivitate Babylonica* referri; siquidem *tunc* ea, quæ Propheta *statim & immediatè* subdit, non fuerunt impleta: *Lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium & lætitiam apprehendent, & fugient mæror & gemitus*. Tarnov. de SS. Trinit. p. 272.

Cap. XXXVI. v. 3. *Egressus est ad Rabsacem Eliacim, filius Helciæ, qui erat super domum, &c.*

I. *Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: Qui *erat super domum*, h. e. *aulæ magister*. LXX. οἰκονόμος, *domûs*, i. e. *facultatum Regiarum Præfectus ac Dispensator*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 37.

II. Argumentum Bellarmini, *Eliachim apud Judith.* cap. 4. v. 5. *sacerdotium* stabiliturі, vide solutum in Vindic. 2. *Reg.* 18. v. 18.

III. Notas Philologicas vers. 6. 13. 16. vide assignatas in Vindic. 2. Reg. 18. v. 21. 28. 31.

Cap. XXXVII. v. 4. *Si fortè audiat Dominus Deus tuus sermones Rabsacis, &c. quos audivit Dominus Deus tuus.*

Hiskias sibi contradicere videtur: subdubitat enim, *num fortè Dominus audiat sermones Rabsacæ*; & tamen statim immediatè subjicit, *Dominum audivisse eos.*

℞. *Audiendi* vox hoc unico versiculo usurpatur bifariam: aliud namque est *simpliciter audire*, quæ dicuntur; & huc pertinet *posterius*; aliud verò *exaudire*, h. e. per ea, quæ dicuntur, ad faciendum aliquid, permoveri. Atque huc pertinet *prius*: sperat enim Rex fore, ut Deus clementer exaudiat, opemque ferat popello suo, & hostis os maledicum retundat. *Walther.* in Harm. Scipt. Sacr. p. 308.

Vers. 7. *Ecce ego do in eo spiritum, & audiet auditum, & revertetur in terram suam, & faciam cadere eum in gladio in terra sua.*

Conspicitur hoc loco (1.) *Enallage temporis præsentis, do*, pro futuro, *dabo* (2.) *Metonymia* tum *causa* pro *effectu*, quia *spiritus* pro *affectu* seu *motu animi*, eoque malo, sumitur; tum *adjuncti* pro *subjecto*, quoniam *auditus* pro *rumore* est. (3.) *Metaphora*: nam *cadere* significat *interire*. (4.) *Hebraismus*: Cadere *faciam*, h. e. *permittam* cadere ipsum &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 214. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 8.

Vers. 12. *Subverterunt patres mei filios Eden, qui erant in Thalassar.*

*Paradisus in Mesopotamia fuit, vel non procul ab ea abfuit*, quia *Eden*, ubi Paradisus plantatus fuit, vel *pars Mesopotamiæ*, vel *ei valde vicina fuit*, uti non obscurè ex hoc loco liquet.

*Cajetanus* negerit, non posse intelligi per *Eden*, cujus meminit Esaias, *Paradisum*, è quo ejecti fuerunt primi parentes; idque quòd *Eden*, de quo agit Esaias, fuerit regio, *ab hominibus culta & habitata.*

℞. Nihil ad rem: nam Eden *ante diluvium* quidem non habitatum, sed mortalibus inaccessum fuit; at *Paradisò per diluvium vastatò & destructò*, ab hominibus demum coli & habitari cœpit. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Prim. homin. c. 3. q. 1. arg. 1. p. 321. a.

Vers. 16. *Tu es Elohim solus Regnum omnium terræ, &c.*

Rationem *Enjedini*, pro voce *Elohim*, de *omnium creatore* prædicatâ, & *singulariter* sumenda, vide protritam in Vindic. 2. Reg. 19. v. 15.

Vers. 18. *Verum, Domine, vastaverunt Reges Assyriæ omnes terras illas, & terram illarum.*

I. *Antanaclasis* est: הָאֲרָצוֹת וְאֶת־אַרְצָם, *terras illas, & terram illarum.* Priori membro *terra* vox *regionum incolas* metonymicè significat; posteriori ipsam *terram* seu *regionem illorum.* Unde 2. Reg. 19. v. 17. in eadem historia ita verba ea exprimuntur: אֶת־הַגּוֹיִם, *gentes, & terram ipsarum.* Jun. in Not. ad h. l. p. 666. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 3. p. 529.

II. Notas Philologicas vers. 22. & 24. vide assignatas in Vindic. 2. *Reg.* 19. v. 21. & 23.

Vers. 25. *Ego fodi & bibi aquas, & siccabo in planta pedum meorum omnes rivos munitionis.*

I. *Ellipsis* est nominis adjectivi: *Et bibi* מַיִם *aquas*, scil. זָרִים *alienas*; quæ vox 2. Reg. 19. v. 24. completur. Sensus est: *Fodiendo venam aquarum perquirere soleo, in loco, in quo est maxima penuria aquarum, invenio aquas, & bibo cum exercitu meo aquas externas ac peregrinas, aut eaque sub terra latentes.* Cætera Philologica hujus loci vide annotata in Vindic. 2. *Reg.* 19. v. 24. *Glass.* lib. 3. Philol. Sac. tract. 1. can. 11. p. 48.

II. Philologicas vers. 28. & 29. annotationes vide enodatas in Vindic. 2. *Reg.* 19. v. 27. & 28.

Cap. XXXIIX. v. 1. *Hæc dicit Dominus: dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives*

Philologica, unà cum controversiis, circa locum hûc agitatis, vide in Vindic. 2. *Reg.* 20. v. 1. assignata.

Vers. 3. *Memento Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis, fecerim.*

I. Argumentum *Costeri*, pro *bonorum operum in hac vita perfectione*, vide solutum in Vindic. 2. *Reg.* 20. v. 3. m. 1.

II. *Bellarminus* l. 4. de Justif. c. 11. arg. 3. contendit, *legem Dei à renatis absolutè posse servare*, quoniam *Ezechias* fateatur, *se in veritate, & in corde perfecto ambulâsse coram Deo.*

℞. Commemorat Ezechias coram Deo, non quidem *omnimodā vitæ suæ integritatē*, secundùm *universam Dei legē*; quis enim glorietur, se mundū habere cor? ait *Glossa Interlinearis* in h. l. sed *sinceritatem suam in Ecclesiæ reformatione, & idololatriæ*

abolitio-

*abolitione. In hoc enim unius Dei cultu* (teste *Cornelio à Lapide* in Comm. h. l.) *insignis & perfectus fuit, in aliis tamen nonnullis deliquit, quæ luget.* v. 15. At si in nonnullis deliquit, legem Dei *absolutè* non servavit. *Gerhard.* in Confess. Cathol. l. 2. spec. par. 3. p. 919. seq.

III. *Bellarminus* l. 2. de Justif. c. 12. resp. ad 2. argum. statuit, *bona opera licitè à quopiam renato coram Deo posse prædicari*, quòd *Ezechias in oratione bona sua opera sincero corde coram Domino prædicârit.*

℞. Ezechias precatur Deum, ut *suam pietatem remuneretur*, non quidem ex *proprio debito*, sed ex *gratia Dei, compensationem promittentis.* Itaque hoc non dixit ad *jactantiam*, sed magis ad *gratiarum actionem*, recognoscent, quòd hoc processisset *à bonitate divina*, ut sic gratus de præcedentibus, ulteriorem *gratiam* impetraret, ait *Lyranus* in h. l. *Rosnec.* tom. 4. Panopl. cap. 15. pag. 175. a. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de Justif. §. 211. p. 1380. seq.

IV. *Bellarminus* l. 5. de Justif. c. 7. propos. 2. arbitratur, *in bonorum operum meritis fiduciam collocari licitè posse*, cum Ezechias *apud Deum meminerit bonorum suorum operum, eaque coram ipso exposuerit*,

℞. (1.) Agitur hîc tantùm de *beneficio corporali*, nempe *liberatione ex præsenti morbo, & periculo mortis.* Jam verò non negatur, quòd Deus in *hujusmodi bonis* respiciat etiam vitæ innocentiam, studium pietatis & bonorum operum, secundùm illud *Psalm.* 41. v. 2. & 4. At exinde minimè sequitur, *licitè posse hominem gloriari de justitia operum & propriis meritis.* (2.) Hiskias, morbo gravi ad mortem usquè gravatus, *bona conscientia Iudicium* non opposuit *judicio Dei*, sed *gravissimam tentationem*, quòd *videretur cum sua pietate à Deo abjectus esse*, qui morte adeò inopina eum ex hac vita esset evocaturus, v. 5. atque hinc futurum, ut hostes repentinam ejus mortem *sacrilegii* pœnam falsò interpretentur, quia abstulisset de medio idolorum aras, sicut jam antè *Rabsaces* ipsum eo nomine *impietatis* accusaverat, *Esa.* 36. v. 7. Ergo *gloriam nominis divini* Ezechias in precibus suis urget, non autē *fiduciam in merita sua* collocat. *Hutter.* in LL. Theol. p. 966. seq. obj. 4. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Bon. Oper. c. 2. q. 9. subquæst. 5. obj. 2. p. 647. seq. a.

Vers. 5. *Audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos.*

Argumentum *Papistarum*, pro *expiatione pœnæ & reatûs per opera laboriosa.* vide solutum in Vindic. 2. *Reg.* 20. v. 5.

Vers. 8. *Reversus est Sol decem lineis per gradus, quos descenderat.*

Nonnulli opinantur, *Philosophiam pugnare cum Theologia*, quòd *illa* doceat, *Solem semper progredi*; *hæc* verò dicat, tempore Ezechiæ *Solem retrogressum esse.*

℞. Nulla utrobiq; est pugna: Philosophia enim loquitur tantùm de eo, quod Soli competit *secundùm naturam*; Theologia autem loquitur de eo, quod Soli evenit *præter naturam.* Quando ergo Sol progreditur, Deus agit potentiâ *ordinatâ*: at quando Sol recessit, Deus egit potentiâ *absolutâ.* Stahl. disp. Metaphys. 5. thes. 15.

Vers. 12. *Habitare meum transfertur, & migrat à me sicut tentorium pastoris, præcidi ut textor vitam meam, à peniculis &c.*

Occurrit (1.) *Enallage* infinitivi pro nomine דּוֹרִי *habitare meum*, h. e. *habitatio mea.* Intelligit Ezechias *vitam hanc*, q. d. vita mihi adimitur. (2.) *Ellipsis* hominis, ex voce analoga eruendi: *Præcidi ut textor*, scil. *stamen*, vitam meam. Chaldæus: *Præcisi sunt* (dies mei) *ut tela textorum. Textor* & *stamen* voces analogæ sunt. (3.) *Allegoria*: nam à *textoribus* ducitur & continuatur metaphora: *A peniculis resecabit me*, q. d. quemadmodum textor eò usque perducit telam, donec sit tempus staminis præcidendi, quod involutum est jugo: Sic ego pertexui vitam meam, & jam advenit tempus, quo Deus à peniculis suis dissecturus est vitam meam, i. e. finem illius effecturus. Sunt enim *peniculi* extrema telæ stamina, quæ textor circumvolvit jugo, nec potest cum reliqua tela propter brevitatem staminis reliqui percurrere, ac propterea ab ea solet resecare. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 667. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 5. pag. 364. lib. 4. tract. 2. observ. 7. p. 715. lib. 5. tract. 1. cap. 20. p. 490.

Vers. 13. *sicut leo contrivit omnia ossa mea*, &c.

Nonnulli suspicantur, vocem כָּאֲרִי, *Psal.* 22. v. 17. vertendam esse, *sicut leo*, cùm & eadem vox hîc legatur, &, *sicut leo*, vertatur.

℞. N. C. alia enim est significatio in *Esaia*, alia in *Psalmo*: illic sine dubio notat, *sicut leo*; hic verò; *foderūt*, ut ex *Psalmi scopo*, loco parallelo, *Zach.* 12. v. 10. nota *Masoretica* ad *Num.* 24. v. 9. & *Chaldæa*, LXX. ac *Vulgata* Versionibus constat. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. circa object. 48. p. 130. & l. 2. par. 2. sect. 1. p. 500.

Vers. 14. *Ut grus hirundo, sic garriam, gemam ut columba, exhausti erant oculi mei in sublime, Domine, oppressio mihi, pertexe me.*

Redit huc (1.) Ellipsis: *Ut grus aut hirundo*, &, *Oppressio mihi*, scil. *fit.* (2) *Enallage temporis* futuri, *garriam* & *gemam*, pro præterito imperfecto, *garriebam* & *gemebam.* (3.) Synthesis: *Exhausti erant oculi mei* spectantes *in sublime.* (4.) *Allegoria*, quâ *Metaphora de textore* continuatur: עָרְבֵנִי, *pertexe me*, h. e. *effice, ut justum vitæ spacium percurram.* Verbum, ערב ex nomine conjugato עֵרֶב desumitur, quo *subtegmen* sive *trama* significatur, quæ stamini ex transverso intexitur & immiscetur, *Levit.* 13. v. 52. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 667. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 217. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 20. p. 490.

Vers. 16. *Domine, per hæc vivunt, & in omnibus his vita spiritûs mei, & sanabis me, & vivificare me.*

§. 1. יְחְיוּ *vivunt*, h. e. *vivitur*, man lebet / impersonale. §. 2. וְהַחֲיֵנִי, & *vivificare me*, i. e. *vivificas* seu *vivum conservas me.* Jun. in Not. ad h. l. p. 664. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 23. m. 1. p. 303. & can. 44. m. 1. p. 360.

Vers. 17. *Ecce in pace amaritudo mihi amaritudo, & tu amavisti animam meam ex fovea absorptionis, quia projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.*

I. En. (1.) *Synecdochen speciei pro genere*: nam *pax* beneficiorum cœlestium, merito Christi partorum, plenitudinem significat. (2.) *Metaphoram*: quia *amaritudo amaritudo* notat *intensissimam tristitiam & calamitatem.* (3.) *Synthesin*: חָשַׁקְתָּ, *amavisti*, h. e. *propensus erga me amore eduxisti.* (4.) *Hyperbolen*: *Ex fovea absorptionis*, i. e. ex *morte præsentissima, & sepulcro*, in quo corpora consumuntur. (5.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Deus* enim *projicere post tergum suum peccata* dicitur, cùm *ea condonat*, & *pœnas eorum*

*aufert.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 218. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 667. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p. 231. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 135. cap. 12. p. 361. cap. 15. m. 3. p. 449.

II. *Deus resipiscentium & credentium peccata ad judicium non vocat & punit,* quia *illa post tergum suum projicit.*

*Bellarminus* l. 4. de Pœnitent. c. 15. resp. ad 2. argum. respondet, *istam formulam loquendi* hoc tantùm significare, Deum ita resipiscentes respicere, quod attinet ad *reatum culpæ & pœnæ æternæ, ac si nunquam peccâssent*; licèt ob eorum utilitatē, aliisq; justissimis de causis, aut *eosdem ipse temporaliter castiget, aut ut ipsi se castigent, velit.*

R. Hoc est, formula illa significat tantùm *partialem, non totalem* remissionem; id quod nemo ex phrasi illa colliget, nisi qui præjudicio fascinatus, animum suum adversus veritatis lucem planè obstinavit. Certè si credentium peccata Deus in judicium suum vocat & examinat, *post tergum non projicit.* Ames. tom. 3. Bellarm. Enerv. l. 5. c. 4. thes. 39. p. 229.

Vers. 18. *Non sepulcrum confitebitur tibi, mors laudabit te; non sperabunt descendentes in foveam in veritate tua.*

In textu hoc habetur (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncta*: nam *sepulcrum* & *mors* ponuntur pro *sepultis* & *mortuis*, ut qui describuntur *descendentes in foveam.* Confer *Psal.* 6. v. 6 *Psal.* 115. v. 17. &c. (2.) *Ellipsis* voculæ negativæ לֹא NON, ex membro præcedente repetendæ: לֹא מָוֶת, *non mors laudabit* &c. *Arias* par. 4. Bibl. p. 25. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 40.

Vers. 21. *Et dixit Jesaias; Sumant massam ficuum, & contundant super vulnus, & vivet.*

I. Propheta adhibet (1.) *Enallagen* verbi activi pro impersonali: יִשְׂאוּ *sumant*, וְיִמְרְחוּ, *& contundant*, h. e. *sumatur* & *contundatur.* (2.) Synthesin: *Contundant super vulnus*, h. e. *contusam applicent* seu *appingant ulceri.* (3.) *Hebraismum*: וְיֶחִי, *& vivet*, i. e. *reconvalescet.* Jun. in Not. ad h. l. pag. 667. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p. 231.

II. Propheta sibi non constare videtur: hîc enim jubet cataplasmari super vulnus Ezechiæ, ut *sanetur*: & tamen jam antè v. 9. pronunciaverat ipsum *sanatum.*

R. Hoc de medicamine, Ezechiæ ægrotanti adhibitô, à Propheta recitatur per ὑστέρωσιν: idipsum enim antegressum erat *miraculi divini exhibitionem,* uti & *oden Eucharisticam sanati jam Regis,* in hoc capite exaratam, 2. *Reg.* 20. v. 7. & 8. *Glass.* l. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 29. p. 755.

II. *Papistæ* suspicantur, *versum hunc cum præcedentibus non cohærere*, quòd *in eo contineatur id, quod ante illam Ezechiæ sanitatem contigit.*

R. (1.) Jam dictum est, Prophetam versum hunc apposuisse per ὕστερον πρότερον, quo breviter exprimeret id, quod fusiùs dictum erat in libro *Regum.* Bene igitur *Vatablus* vocem וַיֹּאמֶר, in hoc versu occurrentem, vertit, *dixerat autem*, ut ita ὑστερολογία illa magis conspici possit. (2.) Sed & *connexio* dari potest cum præcedentibus commoda. Dixerat Ezechias in ode sua Eucharistica, v. 16. *Fecisti, ut revalescerem, & vivificâsti me*; & v. 20. *Jehovah ad servandum me*, scil. præstò mihi fuit. Voluit igitur Propheta breviter versu hoc 21. attexere, *quo media & remedio à Deo Rex sanatus fuerit.* Glass. lib. 1. Philol. Sacr. tract. 3. sect. 7. pag. 302. & 304.

Vers. 22. *Et dixit Ezechias: Quodnam erit signum, me adscensurum esse in domum Domini.*

*Papistæ* instant, *neque hunc versum cum præcedentibus cohærere*, cum *is pariter contineat, quod ante illam sanationem contigit.*

R. Eadem hic occurrit ὑστερολογία, quæ in versu præcedente; unde *Vatablus* rectè etiam verbum וַיֹּאמֶר reddidit in plusquāperfecto, *& dixerat.* Itaque connexio cum v. 16. & 20. similiter dari potest accommodata, nempe versum hunc 22. ideo addi, ut gloriosa promissionis divinæ, Regi Ezechiæ factæ, completio redderetur illustrior. Decantaverat Deo Rex post sanitatem receptam, Psalmum Eucharisticum, idque in templo, ut probabile redditur ex v. 20. ideo addit Propheta versum 22. Q. D. dubitabat quidem Ezechias de promissione divina sanitatis recuperandæ, ideoq; signum sive σφραγῖδα ejus flagitabat: at ex carmine prædicto certitudo & complementum ejus promissionis satis perspicuum. *Glass.* ll. cc.

Cap. XXXIX. v. 5. *Ecce dies veniunt, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & thesauros, &c.*

I. *Pazmannus* in Hodeg. vult, *aliquem propter violationem traditionis non-scriptæ à Deo fuisse punitum,* nempe *Ezechiam*, quòd *omnes apothecas supellectilis suæ ostendisset gentibus.*

R. Ex proposito hic fallit Jesuita: nam in facto Ezechiæ nihil audis de *traditione*, quâ fortè prohibitum fuerit *ostendere divitias*, cum & *regina Saba* vidit Salomonis domum, & cibos & habitacula servorum, & ordines ministrantium, & reliquum aulæ splendorem, id quod tamen *ipsi vitio* non vertitur; sed quia in illo facto concurrebat *fiducia in creaturas*, ideo puniebatur tanquam *peccans contra primum legis Mosaicæ præceptum.* Balduin. in Phosph. Cathol. l. 6. c. 14. p. 662. seq.

II. Notas Philologicas hujus loci vide assignatas in Vindic. 2. *Reg.* 20. v. 17. m. 1.

Cap. XL. v. 2. *Loquimini ad cor Jerusalem, & clamate ad eam, quòd expleta est militia ejus, quia placata est iniquitas ejus, nam suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.*

I. Jesaias usurpat (1.) *Synecdochen* tum *generis pro specie*, quia *loqui ad cor alicujus*, est, *consolari, & loqui, quæ grata sunt*; tum *speciei pro genere*, quoniam *duplicia* ponit pro *multis*, ac eo, *quod plus satis est.* Numerus *finitus* pro *infinito.* (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: nam *manum Domini* accipit pro *Dei potentia*, exerente se in gratiosa beneficiorum spiritualium elargitione. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 219. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 14. m. 4. p. 446. & cap. 15. m. 4. p. 450.

II. *Anonymus ille Semijudæus* tract. 2. de fundam. relig. Christ. negat, agi hoc loco de *Messiæ temporibus*, cum promittatur ibi *liberatio à captivitate Babylonica.*

R. (1.) *Propriè* hîc nō agitur de *liberatione è captivitate Babylonica*, sed de *beneficiis Christi, in Ecclesiā conferēdis*: nā Propheta loquitur de *remissione iniquitatis & peccati*, id quod *insigne Christi beneficium est.* (2.) Optimè simul stare possunt hæc, promitti *liberationē è captivitate Babylonica* in Propheta Esaia, & simul agi in eodem de *Messia, & ejus officio.* Quandoquidem firmissima ratio hæc est: Quia sceptrum de Juda auferri non potest, donec veniat Siloh; fieri nequit, ut per captivitatem Babylonicam regnum Judaicum deleatur, id quod tamen Hebræi metuebant. Mandatur itaque Esaiæ à Jehova;

hova, ut soletur Ecclesiam, nempe non posse everti eum populum, à quo venturus esset Christus, nec falsas esse promissiones Propheticas de Mediatore. *Jacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 102. p. 590. & c. 104. p. 599. 600. seq.

Vers. 3. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domino, rectas facito in solitudine semitas Dei nostri.*

I. *Maldonatus* Comment. in Matth. probare vult, *desertum*, in quo Johannes prædicâsse fertur, fuisse locum *prorsus solum & inculum*; siquidem Evangelista alludat ad hunc *Esaiæ* locum, *Matth.* 3. v. 1. Propheta autem prædicet *reditum Israelis ex Babylonica captivitate*, alludens ad *exitum ex Ægypto, per inviam solitudinem.*

℟. (1.) Describi *reditum ex Babylonica captivitate*, à quo potuit Maldonatus haurire? Aliter enim *Cyrillus*, aliter *Procopius*, aliter *Hieronymus*; qui de *Christi adventu ἀμέσως* interpretantur. Imò *Lyranus* eos reprehendit, qui de *reditu Babylonico* textum hunc exponunt. (2.) *Desertum* intelligi *iter exeuntium ex Babylone per inviam solitudinem*, Maldonatus non habet ab ullo, quod sciam, antore, nec id res ipsa permittit. Nam Johannes in *deserto* erat cum prædicaret, & eò allusum voluit Evangelista. Sic autem *hoc desertum* non potest esse *iter, per quod reditum est à captivitate*, ac proinde nec *locus inviæ solitudinis*. Nam quorsum *clamare in loco*, ubi nemo mortalium auditurus esset? Nisi fortè *Franciscum* illum typicum designatum velit, qui *avibus & feris* profitebatur concionari. Itaque *Lyranus desertum* interpretatur *Judæam*, dictam *desertam*, Esa. 25. v. 2. *Chemn.* tom. 3. Panst. l. 20. c. 22. §. 44. seq. p. 410.

II. *Is, cui Johannes Baptista viam paravit, est unus ille Deus Israelis*: nam *soli Deo Israelis Baptista viam paravit.*

Obvertit 1. *Calvinus* in Comm. h. l. Esaiam per *vocem clamantem in deserto* intelligere *Prophetas*, præcipientes *Cyro, Persis & Medis*, ut purgent vias in *reditu populi ex captivitate Babylonica.*

℟. Glossa hæc Calvini contorta est: nam Bb. *Evangelista*, Matth. 3. v. 3 Marc. 1. vers. 3. Luc. 3. vers. 4. Johan. 1. vers. 23. collatis in unum suffragiis decernunt, hanc prophetiam pertinere ad *initium* N. T. hoc est, ad *ministerium Johannis Baptistæ*; neque in his quidem verbis (*vox clamantis*, &c.) ullum alium Doctorem intelligendum esse, quàm *Johannem Baptistam*, Messiæ præcursorem. Et certum est, Prophetam in toto hoc capite ne unâ quidem syllabâ meminisse *eductionis è captivitate Babylonica*; sed in solidum vaticinari de *beneficiis per Christum exhibendis*, ut ex v. 2. constat, idque verbis expressis fatetur *Junius* in Not. ad h. l. p. 668.

2. *Pareus* in Calvin. Orthod. agi hîc primò de *liberatione per Cyrum ex captivitate Babylonis*, tanquam de *typo*; dehinc de *spirituali redemptione per Christum*, tanquam de *typi veritate.*

℟. Non nego, *reductionem ex Babylone* suô locô esse *typum liberationis è captivitate peccati & Satanæ*. quòd autem Spiritus Sanctus in istis verbis, de *voce clamãte in deserto*, &c. ad hunc typum respiciat, Paræo probandum erat. Neque enim in *sede oraculi*, ubi illud proditum est, neque in *Evangelistarum libris*, in quibus explicatum extat, ulla ullius mentio fit *typi*, aut etiam ut dictum, *captivitatis Babylonicæ*, (nisi quatenus per consequentiam antea dictam solvi *illam* oportuisse concluditur) ideoque non debebant *illa* admisceri.

3. *Socinus* in Refutat. argum. Bellarm. & Wieck. p. 126. seq. nõ necesse esse, ut *Johannes uni tantùm viam paraverit*, aut saltem inter *omnes* non constare, sic factum fuisse.

℟. (1.) Utique necesse est, ut Johannes *uni tantùm Domino*, non *pluribus*, viam paraverit, quia *unus est Dominus duntaxat*, Ephes. 4. v. 5. cui Johannes viam parare debuit. (2.) Licèt autem inter *omnes* non constet, sic factum esse, id tamen rei veritati nihil adimit: cùm multa sint, quæ verè facta sunt, & tamen sic facta esse, inter paucos constet: satis est, si de hoc, quod in dubium vocatur, inter *omnes θεοδιδάκτους*, aut certè *horum præcipuos*, constet. Neque enim est *directè* fidei articulus, sed *consequenter*; alioquin inter capita fidei & doctrinæ Christianæ esset relatum.

4. Id. ibid. malè inde colligi, *unum & eundem esse Dominum, cui Johannes præiens viam paraverit, cum eo, cui alios præeuntes jusserit clamans, ut pararent viam Domino*: maximè si vel *unius via non impediat viam alterius*, vel *una & eadem sit utriusque via*, qualis certè est illius *unius Dei Israelis*, & *Christi* via.

℟. (1.) Adversarius malè comminiscitur *duos Dominos*, cum *eundem*, quem Esaias *Dominum* appellat, Matthæus dicat esse *Christum*, *eumque solum*. (2.) Figmentum quoque de *pluribus præcursoribus* validè protrivit ipse *Baptista*, Johan. 1. v. 23. ubi *singulariter sibi & soli hoc competere* ait, quod est apud *Esaiam* c. 40. v. 3. nempe, ut *sit ipse vox clamantis, parate viam Domini*; non autem, ut *jubeat ullum eo modo præcursorem esse Domini, quo ipse erat*, secundùm patris *Zachariæ* de ipso vaticinium, *Luc.* 1. v. 76. *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin. p. 918-927. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 197.-201.

III. *Costerus* in Enchir. c. 6. p. 257. arguit, *homines justificandos posse facere opera justificationem antecedentia*, quòd *jubeantur parare viam Domino.*

℟. (1.) Baptista illis verbis non *mandat homines justificandos ad opera conversionem præparantia*, sed per Apostrophen *commendat magnificentiã adventûs Filij Dei in carnem*, similitudine desumptâ à *majestatico Regum ingressu*. (2.) Jubet idem præco *parare viam Domino*, non *κατὰ θέσιν* & *positivè*, sed *κατ' ἄρσιν* & per *remotionem obstaculorum*; sicut v. 4. docet, ubi de *emendatione vitæ* sermo est. (3.) Ut maximè concesserimus, *esse quædam opera, ad justificationem præparatoria*; annùm illa statim erunt, *quæ Pontificii nominant*? minimè id valet: siquidem à *non-distributo* ad *distributum* N. V. C. (4.) Etiamsi *justificandi de operibus præparatoriis hic monerentur*, non tamen sequeretur, quòd *in ipsorum viribus essent posita*: à *præcepto* enim ad *posse* sequela non procedit. *Meyfart.* in Anticost. tom. 2. disp. 10. thes. 15. 19. 20. pag. 621. 624. seq.

Vers. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.*

*Judæi recentiores* strenuè inficiantur, *Messiam jamdudum esse exhibitum*, cùm ea, quæ dicuntur de *deprimendis montibus*, & *explendis vallibus*, &c. hauddum sint in eventum deducta & adimpleta.

℟. Prophetæ verba non *propriè* de *montibus & vallibus naturalibus*, sed *metaphoricè* de *hominibus* accipienda sunt. Per *valles* enim *animi dejecti*, & *sensu peccatorum perturbati* intelliguntur, quos elevari, id est, *erigi & confirmari dulcissimis Evangelii promissionibus* oportet. Per *montes* verò & *colles*, homines designantur *tumidi*, *fiduciaque operum suorum inflati*, quales *Jesu Nazareni* temporibus fuerunt *Scribæ & Pharisæi*: qui quidem concioni-

bus *legis* deprimendi erant & humiliandi, atque hoc pacto ad amplectendam Christi gratiam præparandi. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 921. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 510. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 271.

Vers. 5. *Et revelabitur gloria Domini, & videbunt omnis caro pariter quod os Domini locutum est.*

I. Offert se (1.) *Enallage* numeri: *Videbunt caro*, i. e. *videbit*. (2.) *Synecdoche par*tis pro toto: *caro* enim pro *homine* est. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *os*, loquelæ instrumentum, DEO tribuitur, quo *ipse Deus volens* intelligitur. *Artam.* par. 4. Bibl. p. 25. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 107. & cap. 17. m. 1. p. 460.

II. *Salmeron* garriit, *fontes Hebræos esse corruptos*, quoniam *iidem* non habeant, *salutare Dei*, uti quidem habent LXX. *Interpretes*, nempe τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ; sed pro, *salutare Dei*, additum sit adverbium, quod *pariter* significat.

℞. (1.) Quid ergo fiet *Editioni Latinæ*, quæ itidem non habet additum, *salutare Dei*, sed habet adverbium, illud *pariter*; sic enim legit: *Videbit omnis caro pariter*. Unque igitur *ipsa* quoque corrupta fuerit. (2.) Nihil ibi deest, quia & *Chaldæus* conformem textui Hebræo translationem exhibet. (3.) Codex *Hebræus* non est mensurandus ad Editionem *Græcam*, sed *hæc* ad *illum*: Codex enim *Hebræus* fons est, non *editio illa Græca*. Gerhard. in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. p. 98. b. *Walther.* in harm. Script. p. 309. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 84. seq. p. 222.

Vers. 6. *Omnis caro fœnum, & omnis benignitas ejus tanquam flos agri*

I. Verba hæc exhibent (1.) *Synecdochen partis pro toto*: nam *caro* pro *toto homine* est. (2.) *Ellipsin* particulæ comparativæ כ ex membro sequenti repetendæ: *Omnis caro* tanquam *fœnum*. Artam. par. 4. Bibl. p. 25. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 17. m. 1. p. 460.

II. *Flacius* statuit, *peccatum originale esse ipsam hominis substantiam*, quia *sit caro*.

℞. Propheta non dicit, *pravitatem in carne hærentem, propter quam rea est, esse substantiam*; sed deplorat *hominis corruptibilitatem*; per *carnem* enim *synecdochicè*, ut diximus, totum hominem intelligit. *Heshus.* in Epist. ad Flac. l. B. 2. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 511.

III. *Ostorrodius* Instit. c. 38. deliravit, *Christum post glorificationem non habere carnem*, quod *omnis caro fœnum cadens*.

℞. Nomine *carnis* non intelligitur humana natura, qualis fuit in statu *integritatis* & *creationis splendore*, veluti *Christi caro*, omni labe expers; sed quatenus *peccatô inquinata & corrupta* est, propter quod vanitati, corruptioni & morti obnoxia, *Rom.* 5. v. 12. quo respectu *humana Christi natura* non est *caro*, neque de ea hic Propheta loquitur. *Iacob ad Port.* in Defens. Orthod. contra Instit. Ostorrod. p. 528. 530. seq.

IV. *Photiniani* negant, *homines resurrecturos esse cum corporibus carneis*, cùm *corpora carnea non sint immortalia*, sed *caduca instar floris & fœni*.

℞. Non *quævis caro humana* morti obnoxia est, testibus *Iobo*, c. 19. v. 26. *Salomone* Sap. 2. v. 23. *Paulo*, 1. Cor. 15. v. 53. sed sola illa caro exposita est morti, quæ *peccato infecta* est, *Rom.* 6. v. 23. & de *qua* loquitur Esaias. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Resurr. c. 2. q. 6. obj. 8. p. 6092. & 6094.

Vers. 8. *Verbum Dei nostri manet in æternum.*

I. *Judæi* volunt, *cultum Leviticum non esse abrogatum*, quoniam *habeat verbum Dei, quod manet in æternum*.

℞. Per inversionem. Abrogari debuit cultus Leviticus, quia habuit verbum Dei, de duratione ad *certum tempus*, Jerem. 31. v. 32. Hebr. 8. v. 8. ipsum autem verbum nihilominus manet firmum, quia ejus præscriptum de duratione istius Levitici cultus non extendit se ulteriùs, quàm ad *illud tempus*. Tarnov. Comment. in Johann. c. 4. par. 1. q. 29. p. 400.

II. *Papistæ* ex eodem fundamento colligunt, quòd *necesse sit, semper in Ecclesia esse publicum ministerium integrum & incorruptum*, cum aliàs *veritas verbi divini non maneat in æternum*.

℞. (1.) Sic verò etiam tempore *Achazi* collabi veritatem verbi divini fuisset necesse, cum *nullum esset in orbe terrarum ministerium purum publicum*: hoc absurdum cùm sit, sequitur, Papisticum argumentum esse non minùs ἄτοπον. (2.) *Veritas verbi divini* non est super *Ecclesiæ doctores* fundata, sed *hi* potiùs super illam. Itaque Deus, qui veritatem verbi sui collabi non sinit, etiam quando *doctores ordinarii* à verbi divini tramite deflectunt, sanctum sibi semen servat, quod *veritatem & textum Scripturæ* simplici corde amplectitur, glossis perversis, & traditionibus hominum longè valere jussis. Et excitat sibi nunquam non Deus aliquos, *qui puriorem doctrinam*, invito Diabolô, & ipsius organis, inferorumque portis, è tenebris eruant; adeò ut lapides citius locuturi sint, quàm veritatem verbi sui *prorsus* intercidere sinat Dominus. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 1322.

Vers. 10. *Ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo.*

*Bellarminus* l. 5. de Justif. c. 2. contendit, *vitam æternam reddi meritis operum*, eò quod *illa sit merces, quam Christus venturus suis sit daturus*.

℞. (1.) Mercedem *gratiæ* non negamus esse vitam æternam, sed mercedem esse *meritis*, non concedimus. Hoc verò in loco intelligi mercedem *gratiæ*, ex v. 11. patet, ubi *gratuita recensentur beneficia*, quæ Christus dabit suis. (2. Sermo hic est, non de *secundo Christi adventu*, sed *primo*, teste *Sanctio* in Comm. h. l. n. 56. Sensus est, admoneri Sionem, ut excipiat *jam venientem Salvatorem*, locupletem & ditatum amplissimis donis, quæ *Evangelii* sui sectatoribus impertiat. Atqui concedunt ipsimet Pontificii, dona, quæ Christus in *primo adventu* secum attulit, non cadere sub meritum. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 3. p. 873. seq. argum. 2. *Gisen.* de Papism. disp. 63. thes. 38. p. 1076.

Vers. 11. *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnellos, & in sinu suo portabit, fœtas ducet.*

Occurrit (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Messias* enim comparatur *pastori*, qui aliquando *agnellos imbecilles* anteriùs in sinu molliter gestare solet, sicut *oves grandiores* in cervice aut tergo. Denotatur autem phrasi illa, *in sinu suo portare agnellos*, summa *Messiæ* φιλανθρωπία, humanitas & lenitas erga miseros peccatores, sensu iræ DEI conterritos, ac fide imbecilles. (2. *Ellipsis* conjunctionis copulativæ ו, ET, ex membro præcedenti repetendæ: *Et fœtas ducet*. Artam. par. 4. Bibl. p. 26. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 115.

Vers. 12. *Quis mensus est pugillô suô aquas, & cœlos spithamâ direxit, & continuit tricentali pulverem*

*rem terræ, & ponderavit staterâ montes, & colles bilancibus?*

'Ανθρωποπάθεια est: his enim verbis *Iehovah* denotat, quàm *facile* sibi sit, res omnes & creare, & creatas sustentare atque dirigere potentissimè; nim. quemadmodum res minimas his exiguis modis & instrumentis homines suâ tractant; ita DEO tam *facilè*, imò multò faciliùs est, totam rerum universitatem arbitratu suo regere & sustentare, sicut facilè his modis appendunt homines, quæ volunt. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 113. & 135.

Vers. 13. *Quis direxit Spiritum Domini, & vir consilii ejus scire faciet eum?*

I. Reperitur hoc loco (1.) *Ellipsis* pronominis, ex membro præcedente repetendi: וְאִישׁ, *& vir*, pro, וּמִי אִישׁ, *& quis vir* &c. (2.) *Hebraismus*: אִישׁ עֲצָתוֹ, *vir consilii ejus*, h. e. *consiliarius ejus*. (3.) *Enallage* temporis futuri, *scire faciet*, pro præterito, *scire fecit*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 26. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 220. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 8. p. 717.

II. *Papistæ* credunt, *neminem fidelium posse esse certum de gratia Dei & remissione peccatorum*, quia *ignorent voluntatem Dei erga se*: Quis enim consiliarius ejus fuit?

℞. Nemo quidem pius novit voluntatem Dei *absconditam* erga se, in causa *regiminis*, siquidem suos *mirabiliter* ducit Dominus, *Psal.* 4. v. 4. quilibet tamen pius novit voluntatem Dei *revelatam* erga se, in causa *salutis*; quandoquidem ex *Evangelio* scit, *se esse filium Dei*, Rom. 8. v. 16. *Selnecc.* par. 3. Exam. Ordinand. p. 318. seq.

III. *Calvinistæ* statuunt *in Deo voluntatem quandam adhuc arcanam de mysterio salutis nostræ*, quoniam *nemo fuerit consiliarius DEI*.

℞. (1.) Hoc dictum non loquitur de voluntate Dei, quoad *salutem hominum*, sed duntaxat de *admirandis consiliis in gubernando mundo, & regendâ Ecclesia*: ipsi verò concedimus, in *hac* voluntatem Dei esse *arcanam*; in *illa* verò *revelatam*. (2.) Si vel maximè probaretur (quod tamen in æternum non probabitur) *esse quandam de salute hominum voluntatem Dei absconditam*; tamen hoc imprimis demonstrandum restaret, quòd sit voluntati revelatæ *contraria*, & *è diametro quasi opposita*, uti fingunt Adversarii. *Meisner.* dec. 2. Anthrop. Sacr. disp. 2. q. 1. thes. 22. p. 56.

Vers. 17. *Omnes gentes sicut nihil coram Deo, pro nihilo & inani reputata sunt ei.*

*Philosophi* quidam arbitrantur, *ens dici æquivocè de Deo & creatura*, cum *omnes gentes sint sicut nihil coram Deo, ac pro nihilo & inani reputentur ei.*

℞. *Illud ex hoc* non sequitur: hisce enim non significatur, quòd *creaturæ non sint verè ac propriè entia*, sed quòd *infinitè distent à Deo*, & quasi nihil sint, si cum *Deo* comparentur. *Praser.* par. gener. Canon. Metaphys. sect. 2. can. 12. p. 69.

Vers. 18. *Cui assimilabitis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?*

*Ursinus* in Catech. Explic. p. 719. asserit, *nullam Dei imaginem*, licèt non colatur, *sine peccato vel pingi vel sculpi posse*; quòd *ipse Deus nulli assimilari, nec ulla imago eidem poni queat.*

℞. Dictum Prophetæ huc non pertinet: de istiusmodi enim *assimilatione* loquitur, *quam homo ex proprio ingenio comminiscitur*, & *quâ ipsam Dei essentiam exprimere conatur*; sed quid hoc ad *imagines nostras historicas*, non ipsam *Dei essentiam*, sed *eam saltem, quâ Deus suis sese manifestare voluit, delineantes*? *Balduin.* de Casib. Consc. l. 2. cap. 2. cas. 2. p. 85. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 11. q. 4. obj. 2. p. 278. *Thumm.* in Scultet. Iconoclast. p. 47. & 51.

Vers. 22. *Deus expandit cœlos, sicut tabernaculum ad inhabitandum.*

*Patres* quidam noluerunt concedere, *cœlum esse sphericâ sive rotundâ figura præditum*, quoniam *idipsum sit expansum, sicut tabernaculum ad inhabitandum.*

℞. Verbis his non designatur *figura cœli*, sed *facilitas creandi illud*, sumtâ similitudine *tabernaculi*. Quàm enim *facilè* homini est tabernaculum expandere, ut sub eo degat: tam *facilè* Deo fuit Cœlum creare, ut sub eo, ceu tabernaculo, homines in terris habitent. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 518. *Ruv.* in l. 2. Arist. de Cœl. & mund. c. 5. q. 1. p. 172. & 174.

Vers. 25. *Cui assimilâstis me & adæquastis, dicit Sanctus?*

*Caro Christi*, quoad potentiam divinam, *non est æqualis Deo*: quia *Spiritus Sanctus* hoc in loco *simpliciter negat, aliquam creaturam esse Deo æqualem*. *Thummius in ταπεινωσιγρ.* p. 640. respondet, agi ibidem de *idolis & Deastris gentilium*, quale quid non sit *Christi caro*.

℞. Fateor, agi hoc loco de *idolis & Deastris gentilium*, sed *non tantùm*: Propheta enim altiùs assurgit, & disertè docet, *nullam creaturam, quæcunque etiam sit, esse suo Creatori æqualem*. Quamobrem etsi ibidem non *ῥητῶς* sit sermo de *carne Christi*, tamen illud fundamentum, quod Spiritus Sanctus illo in loco urget, etiam *carni Christi* (quam Damascenus *creaturam* vocat) accommodari potest. *Fevverborn.* in Σκιαγρ. Theol. dissert. 4. thes. 15. p. 71. & in Κενωσιγρ. sacr. sect. 3. cap. 4. quæst. 5. p. 20. seq.

Vers. 27. *Quare dices Iacob, & loquêris Israel? Abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo judicium meum transibit.*

Redit huc (1.) *Enallage* temporis futuri, *dices, loquêris, abscondes*, pro præsenti, *dicis & loqueris*, & pro præterito, *transivit*. (2.) 'Ανθρωποπάθεια: *Abscondita est via mea à Domino*, h. e. *odio habemur & negligimur à Deo, nec is curat res nostras*; ubi DEO tribuunt Israelitæ *ignorantiam*, i. e. *displicentiam, odium & aversationem*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 26. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 221. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 122.

Cap. XLI. v. 1. *Silete ad me insulæ, & nationes innovent, &c.*

Hæc DEI verba exhibent (1.) Synthesin: *Silete ad me*, h. e. *silentes accedite ad me*. (2.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: nam *insulæ* sunt pro *insularum incolis*, & ita pro *gentilibus*, qui in mari mediterraneo omnes insulas tenebant. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 669. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 37.

Vers. 2. *Quis excitavit ab Oriente? justitia vocabit eum ad pedem suum, dabit coram ipso gentes, & Reges dominari faciet, dabit, ut pulverem, gladium ejus, ut stipulam propulsam arcum ejus.*

Ecce (1.) *Enallagen* tum substantivi, צֶדֶק, *justitia*, pro adverbio, *justissimè*; tum futuri, *vocabit, dabit, dominari faciet*, pro præterito, *vocavit, dedit, dominari fecit*; tum relativi, *eum*, pro antecedente, *Abrahamum*, cujus vocatio ad rectè ambulandum extat, *Genes.* 17. v. 1. (2.) *Ellipsis* partim præpositionis ב, וּמְלָכִים, *& Reges*, pro, וּבִמְלָכִים, & in

*in Reges*; partim præfixi ל, חַרְבּוֹ, *gladium ejus*, & קַשְׁתּוֹ, *arcum ejus*, pro, לְחַרְבּוֹ *gladio ejus*, & לְקַשְׁתּוֹ, *arcus ejus*. Chaldæus supplet vocem קֳדָם, *coram gladio ejus, coram arcu ejus*. Respectus habetur ad victoriam Abrahæ contra exteros quosdam Reges & gentes, Dei vocatione & virtute obtentam, de qua *Genes.* 14. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 221. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 1. m. 1. p. 429. & lib. 4. tract. 1. observ. 5. not. 2. m. 1. p. 675.

Vers. 4. *Quis operatus est & fecit? vocat generationes a capite? Ego Dominus, primus & novissimus ego ipse.*

I. In versu hoc habetur (1.) *Ellipsis* pronominis, ex membro præcedente repetendi: *Quis vocat.* (2.) *Metaphora*? nam *caput* significat *initium*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 221. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 8. p. 717.

II. *Verus Israelis Deus*, de quô hîc sermo, *æternus Deus est*: quia *ipse est primus & novissimus*; ex quo etiam constat, *eundem esse omnium rerum principium & finem.*

*Socinus* in Refutat. argum. Bellarm. & Wieck. p. 145. obtendit. *Deum sibi se primum & novissimum vocare*, non *simpliciter*, sed *secundùm quid*. quia ipse solus sibi *formaverit & elegerit populum Israelis*, multisque beneficiis affecerit ac tutatus fuerit, & deinceps *perpetuò curaturus ac conservaturus sit.*

℟. Deus vocatur *primus & novissimus*, non respectu *populi Israelitici tantùm*, sed respectu *omnium rerum*, quippe quarum ratione *Deus* est & dicitur, *seque idolis opponit*, certè ratione *sua essentia*, quæ est *ipsius solius*, nullius autem ex idolis. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 223. 225. 232.

Vers. 8. *Et tu Israel serve mi Iacob, quem elegi, &c.*

*Anonymus* quidam Semijudæus tract. de fundam. relig. Christ. m. 2. arbitratur, nomine *servi Dei*, Esa. 52. v. 13. intelligi *populum Iudaicum*, cùm hoc loco omnine *servus Dei* intelligatur *populus Judaicus.*

℟. (1.) Nulla est consequentia; alioqui sic quoque liceret colligere: *Esa.* 20. v. 3. nomen *servi Dei* tribuitur ipsi *Esaiæ*, ergo etiam, *Esa.* 52. v. 13. (2.) Locus *Esa.* 41. v. 8. nō est similis loco *Esa.* 52. v. 13. propter diversitatem utrobique phrasium: *illic* enim Deus loquitur *determinatè*, nempe dicit, *Israel servus meus*; hic verò *absolutè* inquit, *servus meus*, nimirum *servus meus* κατ' ἐξοχὴν, qui nullus est alius, quàm *Messias*, fatentibus *Iudæis in* Thalmud. libr. *Sanhedrim*, cap. Helec. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 104. p. 617. seq.

Vers. 11. *Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnant contra te: erunt, quasi non sint, & peribunt viri litis tuæ.*

I. *Hebraismus* est: אַנְשֵׁי רִיבֶךָ, *viri litis tuæ*, h.e. *qui contra te litigant*, seu *viri tibi adversarii*, **die Leute / so mit dir haddern**; ubi nomen *litis* activè accipitur, & pronomen nomini *posteriori* affigitur, cum pertineat ad nomen *prius*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 8. m. 2. p. 38. & can. 34. m. 3. p. 125. seq.

II. *Laurentius Nicolai* Jesuita locum hunc pro *stabilitate Ecclesiæ Romanæ* urget, quòd *omnes ipsius hostes sint confundendi & perituri.*

℟. Verba illa consolationem complectuntur pro *populo Hebræorum*, cujus hostes non solùm ignominiâ afficiendos, sed etiam funditus perituros, Deus promittit. Talis certè consolatio *veram Dei Ecclesiam*, non *falsam*, qualis *Papistica* est, attinet. *Samson.* par. 1. Antijesuit. p. 92. & 96.

Vers. 15. *Ecce posui te in tribulam dentatam novam, dominum rostrorum, triturabis montes & comminues, & colles sicut glumam pones.*

Iteratur (1.) *Ellipsis* כ similitudinis, ex membro sequenti repetendæ: *Posui te* tanquam *in tribulam*. (2.) *Hebraismus*: בַּעַל פִּיפִיּוֹת, *dominum rostrorum*, h.e. *habentem rostra*. (3.) Metaphora: *Triturabis montes* &c. i. e. *hostes quamvis elatissimos & potentissimos perdet*, utcunque *vermiculus* esse videaris. *Arsam.* par. 4. Bibl. p. 27. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 670. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 35. m. 1. p. 127. & lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 271. seq.

Vers. 18. *Aperiam in excelsis flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagnum aquarum, & terram siccitatis in exitus aquarum.*

*Metaphora* est quâ, *flumina, fontes* &c. *Largissimam verbi divini prædicationem*, in regno Christi fusam, indicant, & *gentes* nomine *deserti* atque *siccæ terræ* comprehenduntur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 258.

Vers. 22. *Accedant & annuncient nobis, quæcunque ventura sunt, & ponemus cor nostrum, & sciemus novissima eorum, & quæ ventura sunt, indicate nobis.*

*Enjedinus* in Explic. locor. V. & N T. suspicatur, *nomen plurale cum verbo plurali junctum, unicam personam in Scripturis notare*; ut hoc loco, *nobis & ponemus*, de *unico Deo* dici in *plurali*.

℟. Tantùm abest, ut dicto hoc nostram sententiam infringat Adversarius, ut eam potiùs cōfirmet & muniat. Eo ipso enim quia in *plurali* integra oratione de se loquitur *Deus*, nos colligimus & probamus, in simplicissima Dei essentia dari quandam pluralitatem *Elohim*, h. e. *personarum divinarum*, cum aliàs Scriptura sacra ita de *Deo* loqui non posset. *Iacob. Martin.* l. 1. de 3. Eloh. c. 8. p. 97.

Vers. 23. *Annunciate, quæ futura sunt in posterum; & cognoscemus, quia Dii estis vos: bene quoque aut male, si potestis, facite; & narrabimus ac videbimus simul.*

I. *Deus habet omnium rerum prænotionem*: quia *futura prænôsse & prædicere*, ut *proprium Dei* à Propheta prædicatur.

*Socinus* in Prał. Theol. c. 9. p. 29. reponit, se fateri, *Deum cuncta, quæ futura sunt, prænoscere*; sed se negare, *omnia, quæ eveniunt, antequam evenirent, futura sive ventura fuisse*: multa enim *evenire*, quæ *non evenire* planè possent, & sic *eventura fuisse*, prorsus affirmari non posse.

℟. Dum dicit Socinus, *Deum omnia nôsse, quæ futura sunt*: intelligit tantùm ea, *quæ certò & ex decreto Dei futura sunt*: Sed hæc non est *proprietas Dei*, de qua hîc agitur. Quivis enim ea potest prædicere, quæ ordinavit ipse. *Stegm.* disp. Antiphotin. 13. q. 4. ad 2. p. 150. 151. seq.

II. *Bellarminus* l. 4. de Not. Eccles. c. 15. disputat, *notam veræ Ecclesiæ esse lumen Propheticum*, i. e. *donum prædicendi futura*; cum *nemo cognoscat futura contingentia, exceptô Deô.*

℟. Sanè *solius Dei proprium* est, *futura contingentia in se & naturâ suâ* præscire ac prædicere; interim tamen Diabolus ex *causis in actu positis, nobis verò ignotis*, prædicere potest futuros effectus, sicut quidem prædixit per *Bileamum*, Num. 24. v. 1. *Apollonium Thyanaeum, Montanum* cum sua *Priscilla & Maximilla*, &c. id quod pro futurorum prædictione *propriè* sic dictâ ab hominibus habetur. Præterea ex *Dei revelatione* Dæmones *propriè dicta* futura præscire ac prædicere possunt, ac falsis Prophetis

phetis donum illud ad probandos homines interdum à Deo communicatur, *Deut.* 13. v. 1. 2. 3. *Balduin.* de Casib. Conscient. l. 3. cap. 2. cas. 2. p. 579. *Gerhard.* tom. 5. LL. CC. loc. 25. de Eccles. §. 288. p. 1277. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Papist. c. 8. q. 7. not. 12. p. 424.

III. *Manichæi* blasphemarunt, *Deum esse causam peccati*, quòd *homo benè aut malè non possit facere.*

℞. Non hoc vult Esaias, sicut *homo non potest benefacere*, nisi Spiritus Sanctus in ipso operetur & velle & agere; Ita & *mala opera Deum in nobis operari*: sed manifestum est, Prophetam ibi loqui de *idolis*, quæ cùm sint *ligna & lapides*, non possunt vel *cultoribus suis benefacere*, vel *contemtoribus suis malefacere*. Chemnit. par. 1. LL. Theol. loc. 5. de Caus. peccat. c. 4. p. 149. 2.

Vers. 24. *Ecce vos ex nihilo, & opus vestrum ex nihilo, abominatio eliget in vos.*

*Ellipsis* est nominis substantivi, quam arguit discrepantia *generis*, quia verbum masculinum est, & nomen fœmininum: תּוֹעֵבָה יִבְחַר, *abominatio eliget*. h. e. *vir abominationis*, seu *abominabilis*, Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 39. m. 1. pag. 154.

Cap. XLII. v. 1. *Ecce servus meus, innitar in eo; electus meus, complacuit anima mea: dedi Spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.*

I. Hæc DEI verba continent (1.) *Synecdochen generis* pro *specie*: nam *Christus* dicitur *servus Dei*, ob *formam servi assumtam*, Phil. 2. v. 7. (2.) Metaphoram: *Innitar in eo*, ut scil. solet *herus servo fideli inniti*. (3.) *Ellipsin*: אֲשֶׁר בּוֹ, *in quo* complacuit &c. (4.) Ἀνθρωποπάθειαν: *anima* enim, DEO tributa, ipsa *DEI essentia & voluntas* intelligitur, q. d. quem unicè & ex animo diligo. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 223. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 671. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 101. & cap. 14. m. 2. p. 441.

II. *Ariani* negârunt, *Christum esse verum Deum*, quia *sit servus Dei*: servum autem *Deum* non esse.

℞. (1.) Concedimus, Christum non esse verum Deum, voce DEI *personaliter* pro *Patre*, primâ divinitatis personâ, acceptâ: inde verò non sequitur, *ipsum planè non esse verum Deum*. (2.) Christus secundùm *humanam naturam* fuit servus; sed secundùm *divinam naturam* est Dominus ille unus, 1. *Cor.* 8. v. 6. *Gerhard.* tom. 1. LL. CC. loc. 5. de Patr. & Fil. §. 136. p. 544.

III. *Danæus* disvasit *religiosam Christi, quà homo est, adorationem*, quoniam *ipse sit servus*, cui *religiosa adoratio* haud competat.

℞. (1.) Apud Prophetam nostrum sermo est de *statu Christi exinanitionis*, in quo *servi formam* assumpsit, *Phil.* 2. v. 7. Postquam autem ingressus est in gloriam suam, non amplius est *servus*, sed *omnium Dominus*, Psal. 8. v. 7. *Actor.* 10. v. 36. (2.) Christus *in media illa servili conditione* etiam fuit *Dominus*, Luc. 2. v. 11. itaque non *nudus servus*, verùm juxta *humanitatem* etiam à Magis adoratus, *Matth.* 2. v. 11. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 214.

IV. *Felix*. Orgellorum Episcopus, circa A. C. 792. docuit, *Christum juxta humanam naturam esse Filium Dei adoptivum*, eò quòd dicatur *servus*.

℞. Christus juxta *humanitatem* dicitur *servus*, quia *assumpsit ministerium & humilitatem servi*, Phil. 2. v. 7. tametsi *naturâ servus non esset*: nam *in forma servi* etiam *Dominus* fuit, *Ioh.* 13. v. 13. & jam quoque in *gloria* talis est, *Actor.* 2. v. 36. Itaque *servus* appellatur, propter *formam servi*, & nō propter *naturam servilem*, ut ait *Adrianus* in Epist. ad Hispanos. *Histor. Magdeb.* Cent. 8. c. 9. p. 630. obj. 12. & c. 5. p. 329.

V. *Reformati* quidam statuunt, *Christum, quà mediator est, non esse causam meritoriam electionis*, cùm *ipse, qua mediator, sit à Deo electus.*

℞. Christus vocatur *electus*, quia est *dilectus ille Filius*, in quo Pater acquiescit, *Matth.* 3. v. 13. & quia ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, *Ephes.* 1. v. 6. Testatur hoc ipsum adducto locô Esaias. Nam hanc reddit causam, ob quam Deus Christum vocet *electum suum*: quia *complacuit sibi in eo anima sua*, &c. Christus ergo *electus* est, quia *in ipso eligimur*, & electionis nostræ, ut *fundamentum*, ita *causa meritoria* est. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Prædest. c. 3. q. 3. obj. 1. p. 666.

VI. Argumentum *Andæanorum* & Vorstianorum, pro *Dei corporeitate*, ab *anima* desumtum, vide solutum in Vindic. Jerem. 51. v. 14.

VII. *Ariani* blaterârunt, *Christum à Maria virgine carnem tantùm, non animam accepisse*; siquidem *ipsum dilexerit Dei anima*, ideoque *dederit Deus Spiritum suum super ipsum*. Histor. Magdæb. Cent. 4. c. 5. p. 321.

℞. Nomine *spiritûs* hoc loco non intelligitur *anima Christi*, quam ipse à Deo *immediatè* acceperit; sed *Spiritus Sanctus*, quem ipsi Pater dedit sine mēsura. *Ioh.* 3. v. 34. unde *Esa.* 11. v. 2. *Spiritus Domini super eo requiescere* dicitur, propterea quòd *universis Spiritus Sancti donis* Christus ipse cumulatissimè fuit ornatus. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 543.

Vers. 2. *Non clamabit, & non elevabit, nec audietur vox ejus foris.*

Argumentum *Enjedini*, contra *Christum, Sapientiam absolutè dictum*, vide in Vindic. Prov. 8. v. 2. solutum.

Vers. 3. *Arundinem quassatam non franget, & linum fumigans non extinguet ipsum*, &c.

I. In versu hoc habetur (1.) *Metaphora*: homines enim *afflicti & contriti* dicuntur tum *arundo quassata*, ut quæ per se fragilis & imbecillis, multò imbecillior fit, si concutiatur aut frangatur; tum *linum fumigans*, quod propè est, ut extinguatur. (2.) *Metonymia materiæ* pro *materiato*: nam *linum* pro *elychnio* est, ex lino facto. (3.) *Hebraismus*: לֹא יִשְׁבּוֹר, *non franget*, h. e. *maximè consolidabit & confortabit*. לֹא יְכַבֶּנָּה, *non extinguet*; i. e. *maximè accendet & illuminabit*; ubi *verba negantia* pro *contrariis affirmantibus*, insigni cum emphasi ponuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 224. *Iun.* in Not. ad eūd. loc. p. 671. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 20. p. 287. lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 21. & cap. 11. p. 292.

II. *Eglinus* disp. 1. de Peccat. in Spir. Sanct. thes. 10. exinde concludere vult, quòd *constitutis sub gratia Dei peccatum totaliter nequeat dominari*, quodque *non penitus fidem amittant, quando enormiter exorbitant, & conscientiam sauciant*: quia *linum fumigans per Dei gratiam semper remaneat inextinctum, nec calamus quassus prorsus confringatur.*

℞. Non potest consequens illud ex antecedente isto rectè deduci. Nam quando Deus Pater de Filio suo dicit: *Arundinem quassatam non franget*, &c. sensus hic est; *Conscientias, sensu peccatorum territas, non adiget ad desperationem, sed per promissionem gratiæ eriget & consolabitur*, id quod etiam Christus, *Matth.* 11. v. 28. implevit. Confer *Piscatorium* in Esa. 42. schol. 3. At quænam est con-

sequetio

sequentia: *Christus contritos & afflictos peccatores, & in agnitionem delictorum suorum adductos non abjiciet, sed eriget; E. renati, quando studiosè incumbunt patrandis iniquitatibus, non possunt tunc plenè excutere spiritum adoptionis?* Antecedens enim loquitur de *pœnitentibus*; consequens verò de *impœnitentibus*. Fevverb. tom. 7. Giess. disp. 14. thes. 14. p. 310. seq.

Vers. 4. *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus insulæ expectabunt.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Hebraismus*: עַד־יָשִׂים, *donec ponat in terra judicium*, h. e. *nunquam*. (2.) *Synecdoche species* pro *genere*: nam תּוֹרָתוֹ, *lex*, pro *doctrina* accipitur. (3.) *Metonymia subjecti* pro adjuncto: *insula* enim pro *insularibus*, h. e. *insularum incolis* ponuntur. *Ariam*. par. 4. Bibl. pag. 27. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 12. m. 2. pag. 457. & lib. 5. tract. 1. cap. 3. m. 2. pag. 57.

II. Propheta repugnare videtur Evangelistæ: *ille* enim negat, *Christum fore tristem*; hic verò *idipsum asserit*, Matth. 26. v. 37. seq.

℞. (1.) Ex *Hebræo* legitur: *Non fumigabit*, id est, *non dabit signa iracundiæ*. Sed quid hoc ad negandam *Christi tristitiam*? (2) Etsi à Christo excluderetur *tristitia*, non tamen *omninò omnis*, sed ea duntaxat, *quæ rationem impedit*, juxta illud *Prov*. 12. v. 21. *Non contristabit justum, quicquid ei acciderit*. Thom. de Aquin. in 3. Sent. dist. 15. q. un. art. 2. ad 1. *Becan*. in Theol. Schol. par. 3. tract. 1. c. 12 q. 6. n. 7. p. 112.

Vers. 5. *Qui dat flatum populo suo, & spiritum calcantibus terram.*

I. *Synecdoche* est *generis* pro *specie*: nam *spiritus* pro *anima hominis* est. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 14. m. 1. p. 441.

II. *Vincentius Victor* docuit, *animas humanas à Deo non ex propagine fieri, sed novas singulis hominum corporibus insufflari*; cum *Deus* dicatur *dare flatum populo suo, & Spiritum calcantibus terram*.

℞. (1.) *Augustinus* l. 1. de Anim. & ejus orig. c. 14. dicit, *flatum* ibi non significare *animam*, quâ natura vivit humana, sed *Spiritum Sanctum*, quem Deus populo suo dederit. (2.) Sed damus, ibi sermonem esse de *anima humana*; inde tamen haud conficitur, *eam non propagari*: nam idem affirmatur de *corpore*, Job. 10. v. 10. seq. quod tamen à *parentibus propagari* non negatur. *Histor. Magde*. Cent. 5. c 5. p. 621. & 623. hypothes. 9.

Vers. 8. *Ego Jehovah, hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo*, &c.

I. Nomen *Jehovah* soli *vero Deo* competit: quia illud ita *Deo vero* appropriatur, ut *alteri* non detur.

*Smalcius* contr. Schopper. p. 47. excipit, nondum constare, *illam gloriam*, quam Dominus nulli daturus est, esse vocem *Jehovah*, cum duo hîc dicantur, tum *quòd sit nomen DEI*, tum *quid Dominus facturus sit*: priora tantùm attentionem parare sequentibus.

℞. Imò verò secundùm *nomen Dei* laus quoque ejus, *Psal*. 48. v 11. ut certi simus, cultum & gloriam divinam nos *uni ac soli Deo* tribuere, oportet dari *proprium aliquod Dei nomen*, quo ab omnibus *creaturis* & *Diis fictitiis* distingvatur: tale verò est nomen *Jehovah*, ipso Deo hîc teste. Inde jubemur dare Deo uno *gloriam nominis ejus*, 1. Paral. 16. v. 29. *Psal*. 29. v. 2. *Psal*. 66. v. 2. *Psal*. 69. v. 8. *Malach*. 2. v. 2. & dare *nomini Jehovah gloriam*, Psal. 115. v. 1. atque inde *nomen & gloria Dei* conjunguntur, & pro *iisdem* habentur, 1. *Paral*. 22. v. 5. *Psal*. 102. v. 16. & 22. *Esa*. 59. v. 19. *Jerem*. 13. vers. 11. c. 33. v. 9. Adeò quicquid de *Deo* in hac vita cognoscimus, illud *nominis* appellatione continetur: ergo ut veri *Dei cognitio* ratione objecti solum Deum sibi propositum habet, ita quoque *nomen veri Dei* ipsi uni & soli convenit. *Gerhard*. in Exeg. loc. 2. de Nat. & attrib. divin. §. 29. p. 625. seq.

II. *Antitrinitarii* exinde inferunt, *Patrem ab æterno non communicâsse Deitatem Filio & Spiritui Sancto*, quòd *gloriam suam alteri se daturum neget*.

℞. Est. ἄγνοια τοῦ ἐλέγχου: opponitur enim hæc sententia non *Filio & Spiritui Sancto*, qui Patri sunt ὁμοούσιοι; sed *numinibus commentitiis Ethnicorum*. Immediatè enim subditur: *Et laudem meam sculptilibus*. Förster. tom. 2. Witteb. disp. 7. thes. 17. & p. 563. seq.

III. *Qui naturâ non est verus Deus, ei non convenit divina gloria*: quia *verus Deus gloriam suam alteri non est daturus*. Et quia *Christo data est divina gloria*, necessariò hinc infertur, *Christũ ejusdem cum Patre essentiæ divinæ participem esse*, aut *ipsum invocari non oportere*.

Opponit 1. *Nicolaides* contr. Borcov. p. 80. excludi tantùm eum, *qui Deo contrarius*, ut est *omne sculptile & idolum*; non autem, *qui Deo subordinatus*, i. e. cui cum Deo convenit, & per quem Deus opera sua perficit: *illi* gloriam suam Deum non dare, *huic* verò dare.

℞. In Hebræo est אַחֵר, quod *quemvis alium* notat, nimirum *qui non est altissimus ipse Deus*, teste ipso Deo, *Exod*. 20. v. 3. Itaque à gloria Dei excluduntur, non *simulacra tantùm* (nam *Esa*. 48. v. 11. in dicti hujus repetitione, nulla est mentio *simulacrorum*) sed *creaturæ omnes*, quomodocunque vocentur, *quæ extra Dei personam sunt*, utut aliàs Deo etiam quàm proximè sint conjunctæ, eique subordinatæ. *Moses* namque & *populus Israel* Deo subordinati fuere; neque tamen iis divina illa gloria competiit: quia videlicet *extra Dei personam substiterunt*.

2. *Socinus* in Resp. ad Defens. Franc. David. c. 71. p. 144. de V. T. *temporibus* duntaxat sermonem esse, ideoque *tempora Christi in* N. T. nil attinere.

℞. Falsum est, duntaxat de V. T. temporibus esse sermonem. Deus enim loquitur *in futuro*: Gloriam meam alteri non *dabo*; & de temporibus N. T. vaticinatur, quando se gloriam suam alteri *daturum* negat. Confer cum hoc, *Esa*. 43. v. 10. seq. c 46. v. 9. c 48. v. 11.

3. *Smalcius* contr. Smiglec. c. 2. p. 26. Deum gloriam suam, quæ *sibi propria* est, absolutè non dedisse *alteri*, nec ipsi *Jesu Christo*, cum ipse non effecerit Christum talem, qui esset *omnium rerum prima causa*, quæ propria est Dei gloria, sed eam sibi soli reservârit; licèt interim gloriam suam, *ei similem*, quæ *Dei propria* est, Christo dederit, dum eum omnium dominum, hæredem & judicem constituit.

℞. (1.) Deus Pater dedit Filio suo non *similem suæ gloriæ*, sed *eandem gloriam*, quæ sibi competit. Nam Christus dicitur rediturus in gloria *ipsius Patris*, Matth. 16. v. 27. quam vocat *suam* gloriam, *Matth*. 25. v. 31. Et petit, se glorificari ea gloriâ, *quam habuerit apud Patrem*, antequam hic mundus esset, *Joh*. 17. v. 5. Habet igitur gloriam *ab æterno*, quæ non est nisi *divina simpliciter & absolutè*, non *analoga gloria Dei*. (2.) Similis illa gloria, quæ datur ei, qui *naturâ* Deus non est, divinæ gloriæ

magis

magis erit *dissimilis*, quàm *similis*, utpote *infinitè ab ea distans*, ratione scil. *objecti* & *fundamenti*. Nam divinæ gloriæ fundamentum est *divina essentia & majestas*: jam verò Deo quoad *essentiam & majestatem* nullus ex diis factis est similis, *Psal.* 86. v. 8. *Psal.* 89. v. 7. Ergo etiam nulla gloria, quantacunque tandem sit, divinæ gloriæ *similis* esse poterit.

4. *Ostorrodius* Instit. c. 14. p. 86. *non dare* idem esse, quod *non permittere*, hoc videlicet sensu, Deum nõ esse permissurũ, ut *homines propria sua authoritate* (**von ihnen selber**) divinam gloriam suam ad alios transferant, nempe ut per *alienationem* ipse illâ spolietur; non ita verò, quasi nec ipse Deus pro *libera voluntatis arbitrio* eandem communicare posset aliis extra se.

℞. (1.) Hebræum נָתַן *propriâ* significatione significat, *dedit*; ab ea igitur ad *peregrinam*, urgente sine causa, non descendendum. (2.) Etiamsi verò concedatur, *non dare*, idem hîc esse ac, *non permittere*, gloriam divinam per alienationem ad alios trãsferri; illud tamen falsum est, Deum pro liberæ voluntatis arbitrio gloriam suam divinam aliis extra se posse communicare. Cùm enim *gloria Dei* propriè sit laus *omnipotentia Dei*, v. 5. laus *omniscientia*, v. 9. laus *aternitatis ac infinita virtutis creandi*, Esa. 48. v. 12. seq tamen est impossibile, Deum illam pro libertate arbitrij ulli extra se creaturæ communicare, quàm ullam creaturam Deo invito eandem eripere posse. Virtus enim *infinita* non potest esse *subjectivè* in instrumento *finito*, sed solùm in *infinito* ente. *Baldwin.* in Refutat. Catech. Arian. p. 265. seq. *Gravver.* in Expos. Hebr. 1. p. 73. *Gerhard.* in Exeg. loc. 4. de Person. Christ. §. 64. p. 1187. seq. *Provverb.* fasc. 3. Dissert. Theol. disp. 6 thes. 68. 74. -78. p. 322. 325. 326. seq. *Iacob. ad Port.* in defens. Orthod. contr. Ostorrod. Instit. p. 128 seqq.

IV. *Sohnius* tom. 2. Oper. Theol. p. 502. asseverat, *Λόγον gloriam suam divinam non impertiisse humana natura*, quoniam *Deus alteri gloriam suam non sit daturus.*

℞. (1) Ergóne Λόγος humanæ naturæ suam quoque *hypostasin* non dedit? Ecce vivum *Nestorianismum*! (2.) Deus non dat gloriam suam alteri, *extra se & suam divinam naturam existenti*, etiamsi carni suæ in *seipso* gloriam suam communicat: quia humana Christi natura non est *alter aliquis*, *extra Deum subsistens*, sed cum Λόγῳ unam constituit personam. *Selnecc.* par. 2. Exam. Ordin. p. 546. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 6. q. 9. obj 10. pag. 118. *Gerhard.* part. 1. Disp. Theol. disp. 9. thes. 1. p. 380. & in Exeg. loc. 4. de Person. Christ. §. 247. p. 1437.

V. *Reformati* quidam arbitrantur, *Christum secundùm humanam naturam non sedere ad dextram Dei*, eò quòd *gloriam suam alteri non det Deus.*

℞. Committunt illi fallaciam causæ: non enim quia Deus *alteri* (vel *idolo* vel *creatura extra se*) gloriam suam non dat, ideo *humana Christi natura* non sedet ad dextram Dei. In *Christo* enim non est ἄλλος καὶ ἄλλος, *alter & alter*; licèt sit ἄλλο καὶ ἄλλο, *aliud & aliud*: hoc est, in Christo non est *distinctio persona*, quæ una est, sed *naturarum*, quæ duæ sunt. Hinc quod Filius dat suæ humanitati, non dat *persona alteri*, sed *sibimetipsi*. Schröder. in Thron. Regal. Christ. par. 5. c. 2. pag. 373. 374. seq. *Thumm.* in Coutin. Majest. Christ. p. 196. & 198.

VI. *Danaus* in Exam. Chemnit. de duab. Christ. natur. p. 417. audacter negat, *gloriam religiosa adorationis datam esse humana Christi natura*; siquidem *gloriam suam alteri Deus non sit daturus.*

℞. *Illud* ex *hoc* non potest elici: quando enim Λόγος *gloriam adorationis* per unionem personalem communicat naturæ humanæ, non dat illam *alteri*, sed propriæ suæ humanitati, ut dictum. Nam carni Christi non tribuitur adoratio *absolutè*, sed quatenus *persona aterna est unita*. Itaque adorationis objectum *per se* semper est & manet *persona*. Gravver. in Exposit. Hebr. 1. p. 72. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 6. q. 12. obj. 4. p. 138.

Vers. 10. *Cantate Domino canticum novum, &c.*

Species quædam ἀντιλογίας sese offert: *Evangelium* enim vocatur hîc *canticum novum*, quod tamen *in Paradiso* resonuit, *Gen.* 3. v. 15.

℞. Evangelium *novum* dicitur: 1. quia tale videtur homini ψυχικῷ, 2. quia *res novas* & admirandas continet, 3. quia *nova lux* in cordibus nostris per id accenditur, 4. quia *novas efficit creaturas*, 5. quia viam monstrat ad *novum illud calum*, quod anxiè expectamus. Aliàs ratione *pradicationis* æquè fuit in *Veteri*, quam in N. T. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 309. seq.

Vers. 13. *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir bellorum suscitabit zelum, vociferabitur, etiam clamabit, super inimicos suos pravalebit.*

Offert se (1.) *Hebraismus*: אִישׁ מִלְחָמוֹת, *vir bellorum*, i. e. *bellicosissimus*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια de DEO enim dicitur tum *zeli suscitatio*, quâ *Dei vindicta*, quam de inimicis suis sumet, notatur; tum *clamor militaris*, quo μακροθυμίας & longanimitatis DEI in *severam ultionem*, adversus nominis sui hostes, commutatio innuitur. Horrendo clamore milites Romanos olim fuisse usos, quando inibatur prælium, ad hostes consternandos, narrat Vegetius. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 671. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 224. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 127.

Vers. 14. *Tacebo à seculo, silebo, continebo me; quasi parturiens clamabo, desolabo & absorbebo similiter,*

Redit huc (1.) *Ellipsis*: Dicens, Tacebo &c. Item, *At nunc* quasi parturiens &c. (2.) *Enallage temporis* futuri, *tacebo, silebo; continebo me*, pro præterito, *tacui, silui, continui me*. (3.) *Hebraismus*: מֵעוֹלָם, *à seculo*, i. e. *jamdudum*, seu *longe jam tempore*. (4.) Ἀνθρωποπάθεια: DEO enim *clamor parturientes* humanitus tribuitur, quo pulcerrimè divinæ μακροθυμίας, & subsequentis, *vindicta gravissima*, conditio exprimitur. *Mulier parturiens* cum sensu dolorem, quoad ejus fieri potest, tacita & ingemiscens luctatur, donec intensissimi doloris acerbitate victa, in clamorẽ & vociferationem erumpat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 224. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 671. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 127.

Vers. 15. *Desolabo montes & colles, & omnem herbam eorum exsiccabo; & ponam flumina in insulas, & stagna siccabo.*

*Hyperbole* est, quâ metaphoricè *extremum exitium*, hostibus populi sui à DEO inferendum, notatur: loquitur enim Propheta de *divina ultione*, ut de *igne omnium gravissimo*, qui omnia consumit, vastat & exsiccat. Et videtur ad locum *Deut.* 32. v. 22. respectus haberi. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 19. p. 472.

Vers. 20. *Videre multa, & non observabis; aperire aures, & non audies.*

*Enallage* est partim infinitivi, *videre* & *aperire*, pro indicativo, *vidit* & *aperuit*; partim personæ secundæ, *observabis*, pro tertia, *observabit*, uti antecedens & sequens verbum ostendit; partim temporis futuri, *observabit*, pro præsenti, *observat*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 225. & *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3 can. 50. m. 2. p. 390.

Cap. XLIII. v. 3. *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, & Æthiopiam, & Saba pro te, &c.*

I. *Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: nam *Ægyptus*, *Æthiopia* & *Saba* pro *Ægyptiis*, *Æthiopibus* & *Sabæis* ponuntur, unde in v. 4. per *homines & populos* (illarum regionum) exponuntur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 40.

*Judæi* putant, *nos Christianos cessuros ipsis in expiationem*, utpote *quos dederit Deus propitiationem pro iisdem.*

℞. Nihil ibi de *expiatione peccati* agitur, sicut hoc agnoscunt R. *Aben-Ezra* & R. *Salomon*, exponentes de *permutatione primogenitorum* in Ægypto & æternis calamitatibus. Quanquam verisimile sit, Prophetam alludere & historiam recentem de *Rege Tirhaka*, qui Sennacheribo Judæam infestante, cum maximis *Ægyptiorum* atque *Æthiopum* (quo nomine & *Sabæos* complectimur) copiis adventavit, *Esa.* 37. v. 9. atque ita deveniens in Judæorum locum (ut loquitur Sapiens, *Prov.* 11. v. 8.) ipse fusus est, & Judæi liberati, ac proinde quodammodo Judæis redemptioni fuit. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 8. thes. 25. p. 184. seq. *Jun.* in Schol. Bibl. ad h. l. n. 41. p. 672.

Vers. 6. *Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremo terræ.*

*Hebraismus* est, quo masculinum & foemininum ejusdem nominis conjunguntur, ad innuendam *multitudinem & varietatem* hominum: בָּנַי *filios meos*, וּבְנוֹתַי & *filias meas*, h. e. *ex quocunque sexu & ordine homines.* Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 20. p. 75.

Vers. 7. *Qui vocabitur nomine meo, & quem in gloriam meam creavi.*

*Photiniani* docent, nomen *Jehovah* etiam *creaturis* in Scriptura tribui, quoniam *populus Israel* nomine *Jehova* vocandus sit.

℞. Deus nequaquam dicit, populum Israel *vocatum iri ipsum Jehovam*; nam contrarium ipsemet protestatus erat, *Esa.* 42. v. 8. sed cœtum Israeliticum *à nomine Jehova denominatum iri* civitatem & habitaculum *Jehova*, populum *Jehova*, filios ac filias *Jehova*, uti explicatur *Esa.* 43. v. 6. *Gibbel.* in Exposit. Jerem. 33. v. 16. p. 168. seq.

Vers. 10. *Vos testes mei, dixit Dominus, & servus meus, quem elegi, ut sciatis & credatis mihi, & intelligatis, quod ego ipse, ante me non formatum DEI, & post me non futurum.*

I. Ecce (1.) *Synecdochen generis* pro *specie*: quia per *servum* DEI κατ' ἐξοχὴν intelligitur *Christus homo.* (2.) *Hebraismum*: יְצִיר אֵל. *formatum DEI*, h. e. *formatum à DEO*; nam vox יְצִיר (Camez in Patach, ob statum regiminis, commutatô) participium præsens est. Quanqum LXX. Vulgata & Lutherus æquè commodè reddunt: *Ante me non est formatus Deus*; sic enim נוֹצַר præteritum Niphal est. *Chaldæus* periphrasi utitur: *Ego sum ab initio, & secula seculorum mea sunt, & absque me non est Deus.* Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 1. p. 102. & lib. 5. tract. 1. cap. 14. m. 2. p. 441.

II. *Pareus* in Calvin. Orthod. arguit, v. 24. de *Christo*, ut *Mediatore*, nil agi; cùm *Jehovah* Christum *Mediatorem* à se hîc distinguat.

℞. (1.) Hac ratione *Servatoris* nomen in *Christum*, ut *Mediatorem*, etiam non competeret, quia v. 11. à *servo*, v. 10. distinguitur. (2.) Taceo, quòd in Prophetis sæpe variâ de causa in eodem etiam orationis contextu transitus fit à *persona* ad *personam*: quid mirum ergo, si id fiat in hoc capite? *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin. p. 771. seq.

Vers. 11. *Ego sum Dominus, & non est salvator præter me.*

*Quicunque est salvator noster, est verus ac æternus Deus Israelis: nam præter hunc non est salvator.* Atque inde facilè subsumi potest de *Christo.*

*Osterrod.* Instit. c. 12. excipit. 1. verba illa, *præter me*, non ita intelligenda esse, quasi *nullus alius præter unum Deum salvator esset*, sed quòd *omnis vera salus, per quemcunque etiam illa in nos derivetur, à solo Deo proficiscatur, nec servare quisquam possit, nisi is, per quem Deus salutem præstet.*

℞. Propheta loquitur de *primo salutis autore*, qui certè *solus Deus est Israelis.* Itaque indubitata manet illa propositio nostra, *primum salutis autorem esse unum illum ac æternum Deum Israelis*, etiam ipso *Osterrodio* non diffitente.

2. Locum hunc non de *æterna*, sed de *temporaria salute* intelligendum esse, ideoque nihil facere ad rem.

℞. Exceptio hæc non facit ad rem: neque enim ipse Adversarius negare potest, *primum salutis* sive *temporariæ* sive *æternæ autorem esse unum ac æternum Israelis Deum*; id quod de *Christo* affirmatur, *Hebr.* 1. v. 10. & *Actor.* 4. v. 12. *Jacob. ad Port.* contr. Osterrod. p. 90. seq.

Vers. 13. *Etiam ante diem ego ipse, & non de manu mea erituri: operabor, & quis avertet id?*

§. 1. מִיּוֹם, *ante diem*, h. e. *antequam esset dies*, seu *ante ullum tempus*. §. 2. *Manus*, DEO tributa, significat *potentiam ejus*, exerentem se in forti protectione. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. pag. 661. m. 2. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 110.

Vers. 17. *Educens currum & equum & potentiam & robur, simul obdormient, non resurgent, contriti sunt, sicut linum extincti sunt.*

I. Ocurrit (1.) *Enallage* tum *numeri* singularis, *currum* & *equum*, pro plurali, *currus* & *equos*; tum *temporis* futuri, *obdormient*, pro præterito, *obdormierunt.* (2.) *Metonymia* partim *adjuncti* pro *subjecto*, quia חַיִל pro *exercitu potente* sumitur; partim *materiæ* pro *materiato*, quoniam *linum* pro *ellychnio*, ex lino facto, est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 226. *Jun.* in Not. ad eund loc. p. 672. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. pag 21.

II. Ἄθεοι infirmare allaborant *mortuorum resurrectionem* ex eo, quòd de militibus pronunciet Propheta, *eos simul obdormivisse, nec esse resurrecturos.*

℞. (1.) Propheta saltem docet, Pharaonem cum suo exercitu in mari rubro penitus suffocatum & extinctũ fuisse, nec *ex aquis emersisse*, ut populũ Dei iterum persequi atque affligere posset, *Exod.* 14. v. 28. & c. 16. v. 10. Quo certè *futura mortuorũ resurrectio* non negatur, sed tantùm *pristina virium recuperatio in hoc seculo.* (2.) Quod si de *resurrectione al-*

*ne alterius seculi* Adversarii omninò accipere velint, necessariò addenda est limitatio ex *Iob.* 14. v. 12. non resurgent, scilicet *ante diem novissimum*. Gerhard. tom. 8. LL. CC. loc. 30. de Resurrect. mortuor. §. 58. obj. 7. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. eod. c. 2. q. 2. obj. 4. p. 6086. seq.

Vers. 19. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio nova, &c.*

Nonnulli existimarunt, *Legem moralem ad* V. T. *duntaxat pertinuisse*, quia in N. T. *antiqua atque priora non sint respicienda, cum Deus nova sit facturus.*

℞. Hoc dictum *propriè* agit, non de statu Ecclesiæ, *qualis nunc est*, in quo facta est tantùm *inchoatio*, & multum nobis adhuc negotii est cum veteri Adamo; sed agit de *integra instauratione & completione plena liberationis ac perfectionis*, quæ *futura est in æterna gloria*, sicut id monstrat applicatio hujus dicti, *Apoc.* 21. v. 5. *Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* Chemnit. par. 3. LL. Theol. p. 118. seq.

Vers. 20. *Glorificabit me bestia agri, dracones & filiæ struthionis, cum posuero in deserto aquas, flumina in solitudine, &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) Pleonasmus: *Filiæ struthionis*, h. e. *struthiones*. Alii: *Pulli struthionis*. (2.) *Allegoria*, quâ ad *historiam exitûs ex Ægypto*, & beneficia miraculosa DEI, populo tùm exhibita, alluditur, in promissione liberationis ex *captivitate Babylonica*, q. d. similia illis jam præstabo benefacta, & nulla bestia, vel aliud quicquam, noxam meis inferet, sicut olim in deserto animalia noxia populo cesserunt, *Deut.* 8. v. 15. alia verò fuerunt cibo, *Exod.* 16 v. 14. &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 227. *Iun.* in Not. ad eund. loc p. 675. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 495.

Vers. 21. *Populus, hunc formavi mihi, laudem meam enarrabunt.*

*Enallage* est tum pronominis demonstrativi, זו, *hunc*, pro relativo. אֲשֶׁר, *quem*, tum *numeri*, quia nomini collectivo singulari, *populus*, respondet verbum plurale, *enarrabunt*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can 14. p. 200.

Vers. 22. *Non vocâsti me Iacob, nec laborâsti in me Israel.*

Argumentum *Tossani*, contra *fidei ingressum in decretum electionis*, vide solutum in Vindic. *Deut.* 10. v. 15.

Vers. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis, laborare fecisti me in iniquitatibus tuis.*

I. Christus utitur (1.) *Hebraismo*: הֶעֱבַדְתַּנִי, *servire me fecisti in peccatis tuis*, h. e. *occasionem dedisti peccatis tuis*, ut durissimam passionis servitutem & onus sustinerem. Sic & quod sequitur. (2.) *Ἀνθρωποπαθείᾳ*: *sibi* enim in opere redemptionis tribuit *laborem*, tùm ob insignem *molestiam*, tum ob consequentem summam *utilitatem* (utrumque enim vox *laboris* significatu suo comprehendit, juxta illud *Genes.* 3. v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane*; ubi & *laboris* utilis effectus, & connexa molestia indigitatur) *Molestia Christi* quanta fuerit, ex Evangelica passionis Dominicæ descriptione satis & abunde patet. *Utilitas* quanta sit, ex consideratione thesaurorum, Cristi passione & merito partorum, liquet. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 3. can. 10. p. 254. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 131.

II. *Christus* eo ipso, quòd *peccata nostra, eorumq; pœnas in se suscepit, pro iisdem satisfecit*: ipsum enim *servire fecimus in peccatis nostris*, eundemque *laborare fecimus in iniquitatibus nostris.*

Obvertit 1. *Ostorrodius* contr. Tradel. pag. 217. non agi hoc loco de *Christo*, sed de *molestia Dei*, κατ' ἀνθρωποπάθειαν sic dictâ, quam propter peccata hominum sustinuerit. Eodem modo textum istum exponit *Calvinus* in Comment. Esa. 43.

℞. (1.) Non potest locus hic, *exclusâ Christi satisfactione*, de *Deo* intelligi. Is enim est, qui *servivit in peccatis nostris*, h. e. propter peccata nostra, quia venit, ut *ipse ministraret, ac daret animam suam redemptionem pro multis*, Matth. 20. v. 28. Is etiam *laboravit in iniquitatibus nostris*, quia *anima ipsius*, in opere redemptionis, *laboravit*, Esa. 53. v. 11. (2.) Dominus hic à Propheta introducitur, non *iracundus*, ut propositum ei sit, talem *querelam contra nequitiam populi instituere*; sed introducitur *plane propitius & placatus*: nec *tristia* sunt, quæ hoc loco referuntur; sed *jucunda*, adeò ut etiam *peccatorum condonationem* meminerit, v. 25. Id ipsum quoque docet oppositio, v. 22. Non *in me opere*, vel *sacrificiorum cumulo*, peccatorum remissionem promeritus es; sed *mihi serviendum ac laborandum fuit*, ut peccata tua delerentur.

2. *Pareus* in Calvin. Orthod. p. 157. seqq. sermonem ibi esse de *Christo*, ut *Iehova*, non ut *Mediatore*: Jehovam enim ibidem loqui.

℞. Non negamus, *Iehovam* hic loqui; sed Jehovam *absolutè* acceptum, pro *tota Trinitate*, negamus ibidem loqui: contrà verò asseveramus loqui Jehovam *relatè* consideratum, nempe *laborantem & servientem in nostris peccatis*, uti probè notat *Oecolampadius*, qui *labor & servitus*, ipso *Pareo* teste sub finem hujus loci, in *passione Iehovæ mediatoris* consistit, *Esa.* 53. v. 11.

3. *Id. ibid.* eum, qui loquitur Esaiæ verbis, esse *Iehovam, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*, creantem, redimentem & sanctificantem Ecclesiam communi operatione, servato tantùm ordine personarum in agendo.

℞. Adversarius seipsum confundit. Quærimus enim, *quis* in redimenda & sanctificanda Ecclesia sit *ille ordo in agendo* inter personas Deitatis? Nonne si in eo ordine *Filium* consideremus, is in hoc communi opere agit ut *Mediator*, nimirum *servitute laboris sui* Ecclesiam sibi redimens, condonatisque peccatis, justificans eam & sanctificans? Tolle jam respectum *officii mediatorii*, certè ordinem in agendo sustulisti. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. pag. 765. 766. 772. *Hutter.* in LL. Theol. p. 419. arg. 6. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de Justif. §. 45. p. 1068. seq. *Gravver.* in Dissert. Theol. contr. Gravver. p. 71. 79.

Vers. 25. *Ego, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

I. Videre hic est (1.) Epizeuxin: *Ego ego* ipse delens, ut ex Hebræo sonat, h. e. *ego solus* deleo; quæ repetitio pronominis, אנכי, *ego*, emphasin designat. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: DEUS enim *recordari peccatorum hominum* dicitur, cum *eos punit*, & *hac irâ sua vindicat*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 7. p. 124.

II. *Anabaptistæ* negant, *ministros Ecclesiæ posse remittere peccata*, quòd *solus Deus deleat iniquitates nostras & peccatorum nostrorum non recordari velit.*

℞. Solius quidem *Dei* est, *delere peccata*; interim tamen *peccata condonat* per *ministerium Spiritûs*, Matth. 18. v. 18. tanquam per *instrumentum*, per quod operatur omnia, quæ conversionem, pietatem & salutem concernunt, 1. *Tim.* 4. v. ult. *Hinckelm.* disp. Anabapt. 9. cap. 2. error. 2. thes. 3.

III. *Photiniani* audacter inficias eunt; *Deum* pro-

*propter aliquam Christi satisfactionem nobis peccata remittere*, quoniam *propter seipsum ea remittat*.

℞. Hæretici committunt fallaciam *oppositorum*: Fingunt enim, *Deum* ipsum, & *satisfactionem Christi* se mutuò tollere; cum tamen ratione *subordinationis* rectissimè conveniant. Cum enim dicit Jehovah: *Ego deleo iniquitates tuas propter meipsum*; nihil aliud innuit, quàm se delere peccata, nō propter *aliquem laborem aut meritum nostrum*, sed propter *se*, hoc est, propter *meritum & laborem suum*, v. 24. *Hutter*. in LL. Theol. p. 407. obj. 2.

IV. *Paraeus* in Calvin. Orthod. autumat, *propriè* hîc non introduci loquentem eum, *propter quem peccata nostra delentur*; sed eum, *qui ipse ea delet*, hoc est, *remittit*, & *eorum non ampliùs recordatur*: itaque ut *Deum*, esse, *qui delet*; ut *Mediatorem*, esse, *propter quem delentur iniquitates*, ne *persona Mediatoris* cum *Deo* confundatur.

℞. (1.) Fateor, non esse confundendam *personam Mediatoris* cum *Deo*; interim tamen *Deus* à *persona Mediatoris* neque distrahi debet: *Mediator* enim esse non posset, ni *Deus* esset. (2.) *Propriè* introducitur loquens is *Jehovah*, qui simul *& delet peccata nostra*, & *propter quem ea delentur*: Ego, ego sum, inquit Dominus, *qui deleo peccata tua*, (en habes eum, *qui delet*) & addit: *Propter me* (habes eundem, *propter quem delentur peccata*) Delentur autem illa à *Christo Mediatore*, Coloss. 2. v. 14. & *propter Christum Mediatorem*, Rom. 3. v. 25. Falsum ergo est, Christum delere peccata, quà *Deus* est non quà *Mediator*. Hunn. tom. 2. Oper. Lat. p. 768. & 775.

Cap. XLIV. v. 3. *Quia effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super germina tua.*

Verba hæc exhibent (1.) *Metaphoram*: quia *aquarum & fluentorum effusione* notatur *larga beneficiorū Christi collatio*. (2.) *Ἀνθρωποπάθειαν*: DEUS enim dicitur *effundere Spiritum suum*, cū *copiosè dona Spiritûs Sancti credentibus concedit*. (3.) *Synecdochen*: nam per *semen Israelis* intelligūtur *Ecclesiæ filii*, ex Judæis & gentibus adunati & geniti in Christo, ut apparet ex v. 5. *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 673. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 182. & cap. 10. p. 268.

Vers. 6. *Ego primus, & ego novissimus: & absque me non est Deus.*

I. *Vorstius* tract. de Deo & attrib. divin. p. 227. *Deo denegat æternitatem*, quòd *ipse* dicatur *primus & novissimus*: hanc verò relationem consistere non posse sine ratione *præteriti*, & *futuri*.

℞. Dicitur hoc de *Deo* per quandam *συγκατάβασιν*, dum Scriptura se accommodat ad nostrum captum, *æternitatem Dei* vocabulis, *successionem temporis* denotantibus, *ἀνθρωπίνως* & *humanitus* describens: neque enim intellectus noster *æternitatem*, nisi sub *imagine temporis*, perpetuâ successione partium durantis, concipere potest. Eo ipso autem Deus docet, nec ante se ullum fuisse Deum, nec post se futurum, atque adeò se esse æternum. *Arcular*. in Comm. Esa. 44. v. 6. p. 573. *Grawer*. Cent. 1. qq. illustr. Theol. disp. 2. q. 2. thes. 8. & 10. *Gerhard*. in Exeg. loc. 2. de Nat. & attrib. divin. §. 143. p. 765.

II. Argumentum nostratium, probans, *Deum esse omnium rerum principium & finem*, vide à corruptela *Socini* vindicatum in Vindic. *Esa*. 41. v. 4.

Vers. 9. *Plasta simulachrorum nihil sunt &c.*

*Simulachra non sunt adoranda: eorum enim plasta nihil sunt.*

*Pontificii* regerunt, *animum adorantis* non in ipsis *simulacris* figendum, sed ad *prototypa*, quorum simulachra sint, attollendum.

℞. Vana est exceptio hæc: de imaginibus enim vel *per se* vel *relativè* colendis, ne jota quidem in Scripturis extat. Sunt ergo hominum *ἐθελοθρησκεῖαι*, quas devovet Moses: *Non quod tibi videtur, facies*, Deut. 12. vers. 32. Non absolvebat iste prætextus criminis *Israelitas*, qui coram vitulo procumbentes dicebant, *Solemnitas Jehovæ*, Exod. 32. vers. 4. ut non tam *vitulum*, quàm *Jehovam* se adorare ostenderent in vitulo; sed tamen divina pœna eos excepit. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. art. 3. Class. 3. pag. 677.

Vers. 10. *Quis formavit Deum, & sculptile conflavit, ad nihil utile? &c.*

*Carolstadius* de Imagin. ebuccinavit, *imagines non esse tolerandas*, quoniam *in eas Propheta invehatur*, tanquam *ad nihil utiles*.

℞. Propheta non *simpliciter* in *omnes imagines* invehitur, sed in *statuas*, quæ fiunt, *in fine Dii, & adorentur*, vers. 15. 17. 19. *Wigand*. de Sacramentar. p. 21.

Vers. 19. *Et non reducet ad cor suum &c. proventui arboris incurvabo me.*

*Metonymia* est tum *subjecti* pro *adjuncto*, quia *ad cor suum reducere*, est, *ad animum suum revocare*; tum *materiæ* pro *materiato*, quoniam *proventus arboris*, h. e. *ramus*, qui ex arbore provenit, pro *idolo* accipitur, *quod ex ramo arboris factum*. Jun. in Not. ad h. l. pag. 674. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 21.

Vers. 20. *Pascens cinere, cor illusum avertit, & non liberabit animam suam &c.*

In versu hoc habetur (1.) *Metaphora*: nam *idololatra* dicitur *pascere cinere*, h. e. *luctum & damnum accipere ab idololatria sua* (2.) *Synecdoche partis* pro toto: *Animam suam*, i. e. *seipsum*. Jun. in Not ad h. l. p. 674. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 280.

Vers. 21. *Memento horum Jacob, Israel ne oblivisceris mei.*

*Metonymia* est *causæ* pro *effectu*: tum quia *Jacob & Israel* ponitur pro *populo Israelitico*; tum quia *meminisse & non oblivisci*, est, *animo totisque viribus ferri in res alicujus cogitationem*. Chaldæus: *Ne obliviscaris timoris mei*, q. d. *sed time me toto pectore*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. p. 15.

Vers. 22. *Delevi, ut nubem, iniquitates tuas; & quasi nebulam, peccata tua.*

I. Argumentum *Evangelicorum*, pro *impunitate pœnitentium*, vide à *φλυαρίᾳ Bellarmini* exemtum in Vindic. *Esa*. 38. v. 17.

II. *Bellarminus* l. 1. de Sacram. Baptism. c. 13. arg. 4. disputat, *Baptismum in homine ita omne delere peccatum*, ut nihil ampliùs sit, quod ei ad *culpam* imputari possit; cum in *Baptismo* DEUS ex homine deleat iniquitates, ut *nubem*, & quasi *nebulam* peccata. At cum solaris radius dissolvit nebulas calore suo, ita eas evanescere facit, ut nihil remaneat *tenebrarum*, sed cælum *verè serenum* appareat.

℞. Istud *delere* hîc non potest *omnimodam culpæ ablationem* significare: siquidem Spiritus Sanctus *deleta* dicit peccata eorum, qui tamen ibidem

juben-

jubentur *reverti ad Dominum*. An verò quisquam *plenè purgatus*? an quisquam *reapse mundus, & totus mundus*, qui *nondum conversus*? Certè enim non *revertitur ad Deum*, nisi qui *aversus*. Quare istud *deleo*, necessariò significat Deum *non imputantem* peccata: ac proinde concedendum, illas comparationes *nubis & nebulæ* dici de hac *non-imputatione*, quia scilicet apud Deum peccata *non-imputata* ita censentur, ac si non essent. *Cham.* tom. 4 Panstr. l. 5. c. 5. §. 17. & 19. p. 119.

III. Ἐναντιοφανὲς est: *Deleo, ut nebulam, iniquitates tuas*; at *peccata nostra posuisti in conspectu tuo*, Psal. 90. v. 8.

℞. Aliter Deus *iratus* consideratur, aliter *beneficus*. Beneficentiâ suâ delet iniquitates *piorum*, at in ira expendit & punit peccata *impiorum*. Friedlib. in Annot. ad h. l. art. 3. class. 2. n. 7. p. 676.

Vers. 28. *Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*, &c.

I. *Calvinus* in Commen. Esa. vult, *Esa.* 40. v. 3. agi de *liberatione ex Babylone*, qvia hoc loco nominetur *Cyrus*, per quem solvenda esset exilii Babylonici captivitas; cui quoque adstipulatur *Parens*.

℞. Negatur, *illud* ex *hoc* sequi: fieri enim potuit, ut inter c. 40. & 44. in quo illud de *Cyro* legitur, interveniat *nova prophetia*; aut si continuetur *illa prior*, fiat ad liberationem per *Cyrum* expediendam transitus *aliâ occasione*, ut propterea non sit opus, oraculum *Esa.* 40. vers. 3. vestire *typo*, & quod de *Iudæis* dicitur, ipsi *Cyro*, per saltum bene magnum accommodare. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 920.

II. *Bellarminus* l. 1. de Rom. Pontif. c. 15. arguit, verbum, *pascere*, Joh. 21. vers. 16. significare *summam potestatem*, eò quòd Cyrus dicatur *pastor Dei*, cui prædicat amplissimum regnum Propheta.

℞. N. C. nam *Ioh.* 21. v. 16. *subjectum pasturæ* est *Petrus, Episcopus*; at *Esa.* 44. v. 28. est *Cyrus, Rex*. Aliter verò *Rex* pascit subditos suos, aliter *Episcopus* plebem Christi. Quum igitur de *Rege politico* id verbum usurpatur, *principatum & summam potestatem* notat; quum autem de *Episcopo*, nunquam *dominatum ullum*, sed semper *ministerium omnibus commune* significat. Erit igitur hîc non *simpliciter à pascendi* verbo arguendum, sed ex *Episcopatûs natura*, quæ si *dominationem* non admittat, palam est, ne eo quidem verbo *eandem* posse significari. *Meisner.* par. 2 Philos. sobr. sect. 1. cap. 1. quæst. 4. obj. 2. p 50. seq. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 11. c. 12. §. 3. & 9. p. 210.

Cap. XLV. v. 1. *Sic dixit Dominus uncto suo Cyro; cujus apprehendo in dexteram ejus, ad sternendum coram eo gentes, & lumbos Regum dissolvam*, &c.

I. Propheta utitur (1.) *Metonymia signi pro signato*: *Uncto suo*, i. e. *vocato & instituto divinitus*, ad perficiendam voluntatem DEI, quæ mox subjicitur. Regum enim *inaugurationis* ritus ac symbolum olim apud Israelitas *unctio* erat, ut ex 2. *Reg.* 9. v. 15. patet. (2.) Hebraismo: *Cujus apprehendo dexteram*. h. e. *quem præsenti auxiliô meô defendo & guberno*. (3.) *Pleonasmô*: redundant, præfixum ב, IN, & suffixum ו, *ejus*. (3.) *Metaphorâ*: nam *lumbos*, quia *robur corporis* eis inest, pro ipso *robore* accipit. LXX. vertunt ἰσχὺν, *fortitudinem*. (4.) Ἀνθρωποπαθείᾳ: DEUM enim dicit *dissolvere lumbos*, quia *inermes & imbelles efficit homines*, adeò ut viribus deficiant & destituantur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 229. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 675. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 70. cap. 7. p. 134. cap. 12. p. 344.

II. *Rabini* per *ducem Messiam Dan.* 9. v. 25. intelligi putant *Cyrum*, Persarum Regem; quia *hic* vocetur *Messias*, unctus Domini.

℞. (1.) N. C. hoc enim nomen commune est *regibus & sacerdotibus*, qui vocantur *Messiæ* seu *uncti*, id est, *divinitus excitati*, sicut *Psal.* 105. vers. 15. de *omnibus fidelibus* dicitur: *Nolite tangere Messias*, hoc est, *unctos meos*. (2.) *Effecta* utrobique sunt longè diversissima: siquidem, *Esa.* 45. vers. 1. Cyro attribuitur *debellatio hostium corporalium*; sed *Christo* Dan. 9. vers. 24. *peccatorum nostrorum expiatio*, quod beneficium *Cyrus* non præstitit. *Gesner.* in Dan. 9. disp. thes. 164. seq.

Vers. 4. *Propter servum meum Iacob & Israel electum meum, & vocavi te in nomine tuo, cognominabo te, quamvis ignores me.*

In textu hoc continetur (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: Propter *servum meum Iacob*. i. e. propter *promissionem Iacobo datam*, quod *in semine ejus* (Christo) *benedicenda sint omnes gentes terræ*, Genes. 28. v. 28. (2.) *Enallage temporis futuri*, *cognominabo*, pro præterito, *cognominavi*, h. e. *cognomine te appellavi*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 230. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 4. sect. 1. can. 8. p. 325.

Vers. 5. *Ego DEUS, & præter me non est alius.*

Argumentum *Sabellii*, contra *pluralitatem personarum divinarum*, vide solutum in Vindic. *Deut.* 32. v. 39.

Vers. 7. *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.*

I. Nonnulli arbitrati sunt, *tenebras, quæ erant super abyssum*, Gen. 1. v. 2. *fuisse creatas*, cum Deus dicatur *creare tenebras*.

℞. Nihil hîc de *creationis opere* tractatur, siquidem immediatè subjungitur: *Faciens pacem, & creans malum*. At *Deus malum non creavit*, neque *id extitit toto creationis tempore*: quin potiùs *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & ecce erant valde bona*, Gen. 1. v. 31. Ergo Dominus apud Esaiam seipsum explicans, per *lucem* quidem *pacem*, more Prophetico intelligit; per *tenebras* autem *malum*, quod *creare* dicit, cum id hominibus *immittit*. Hunn. tom. 3. Oper. Lat. p. 143;.

II. *Manichæi* hoc ad stabiliendum errorem suum de *duplici Deo*, Bono & Malo, detorserunt; adeò ut ab *illo* pax, ab *hoc* malum oriatur.

℞. Non est hîc sermo de *duplici Deo*, sed de *Deo unico*. Est enim *unus & idem numerô Deus*, qui facit pacem, & creat malum; sic enim ait: *Ego Dominus, & non est alter: ego Dominus faciens omnia hæc*. Arcular. in Comm. Esa. 45. v. 7. doctr. 6. p. 592.

III. *Celsus* apud Origen. lib. 6. contr. Cels. p. 317. *Scripturam* V. T. accusat *blasphemiæ*, quòd dicat, *Deum creare malum*.

℞. Clara oppositio *pacis & mali* evidentissimè testatur, non de malo *culpæ*, quod peccatum est, isthîc disseri; sed de malo *pœnæ*, seu de *publicis calamitatibus*, quas Deus iratus, ad vindicanda hominum peccata, infligit. Proinde sicut Deus populo, cui propitius est, *pacem largitur*: sic ei, cui irascitur, *malum immittit*, id est, *pœnam infligit*. De malo autem *culpæ* nemo hæc, nisi Diabolico furore corre-

ptus, interpretabitur. *Origen.* contr. Cels. p. 318. *Hunn.* tom. 1. Oper Lat. p. 737.

Vers. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes stillent justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul: ego Dominus creavi illud.*

I. *Metaphora* iteratur. Nam (1.) *cæli & nubes stillare justitiam* dicuntur, cùm *Deus cælitus beneficia confert.* (2.) *Creare* idem est ac *patrare*: Ego *Dominus creavi illud*, nimirum *quod de populi Israelis liberatione, per Cyrum futurâ*, promittit, q. d. Ego, qui omnia creavi ex nihilo, & hoc sic *faciam mirabiliter*, ut ex nihilo præter spem omnem, creatum videri possit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 217. & 266.

II. *Papistæ* locum hunc ad B. *Virginem Mariam* accommodârunt, quasi votum sit Judæorum, ad *ipsam* directum, de *pariendo Messia.*

℞. *Propriè* agitur hic de *Cyro*, populum Judaicum ex captivitate Babylonica liberaturô; non verò de *Messia*. In Hebræo enim est, צֶדֶק, *justitia*; non צַדִּיק, *justus*: & יֶשַׁע, *salus*: non autem, מוֹשִׁיעַ, *Salvator*. Quanquam non nego, posse hæc *Messiæ* accommodari, tanquam *antitypo*, quippe cujus typus fuit *Cyrus*: sed nego, in sensu *literali & primario* hîc de *Christo* agi. *Tarnov.* in Exerc. Bibl. dist. 2. p. 79. 80. seq.

Vers. 9. *An dicturum est lutum fictori suo, quid facturus esset? & opus tuum non manus ad ipsum.*

En (1.) *Ellipsin* verbi substantivi: *Et opus tuum non*, scil. *sunt.* (2.) *Metaphoram*: quia *manus* pro *viribus* sumuntur. (3.) Pleonasmum: *Opus tuum ad ipsum*, pro, *ad opus tuum*, pronomine IPSUM abundante. *Ariam.* par. 4. Bibl p. 30. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 675 *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. canon. 25. m. 2. p. 218.

Vers. 12. *Ego, manus meæ tetenderunt cælos, & omni exercitui eorum præcepi.*

I. Redit huc (1.) Hebraismus: *Ego, manus mea*, pro, *Ego sum, cujus manus* &c. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *manus*, DEO tributæ, notant *ejus potentiam*, in *potentissima cælorum extentione* se exerentem. (3.) *Metaphora*: quia צבא, *exercitus*, notat *stellarum ordinatissimam multitudinem*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 230. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. p. 109 seq & cap. 12. p. 379.

II. *Hieronymus* in Comm. h. l. quorundam meminit, qui ex eo, quòd *stellis Deus præcipere* dicitur, statuerint, *astra rationalia esse, & animam sensumque habere*, cum *Deus non præcipiat nisi intelligentibus.*

℞. *Præceptione*, DEO tributâ ἀνθρωποπαθῶς, ἀνθρωπίνως, & *ad certum opus peragendum directio* innuitur: quid verò *hæc* ad stabiliendam *stellarum intelligentiam*? Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 130.

Vers. 13. *Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet*, &c.

Argumentum *Paræi*, pro *Calvinistica* loci *Esa.* 40. v. 3. m. 1. explicatione, vide solutum in Vindic. *Esa.* 44. v. 28. m. 1.

Vers. 14. & 15. *Sic dixit Dominus; Labor Ægypti, & merx Æthiopiæ, & Sabæorum, virorum mensuræ, super te transibunt, & tibi erunt, post te ibunt, in compedibus transibunt, & ad te incurvabunt se, ad te orabunt: Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus: Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

I. Est hîc (1.) *Metonymia causæ pro effectu*: nam *labor* pro *opibus, labore partis*, sumuntur. (2.) *Hebraismus*: אַנְשֵׁי מִדָּה, *viri mensuræ*, h. e. *staturæ proceræ*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 230. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. p. 12.

II. *Noetus* olim docuit, *in Deo unicam esse personam*, quia *tantùm Deus sit*, *neque Deus sit absque eo*. Histor. Magdæb. Cent. 3. cap. 5. p. 104.

℞. Hic locus est contra *Noetum*: in Hebræo enim est vox אֱלֹהִים, notans *pluralitatem personarum divinarum*, extra quas nullus sit verus Deus. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 96.

III. *Hieronymus* tom. 5. Oper. suor. fol. 79. b. edit. Erasm. exinde rationem formavit pro *æterna Christi Deitate*: *in ipso enim tantum Deus est, & absque eo non est Deus; ille ipse est vere Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

*Socinus* in Refutat. Bellarm. & Wieck. pag. 182. seq. opponit 1. Hebraicam dictionem אַךְ posse non minùs reddi, *profectò*, quàm, *tantùm*.

℞. Hoc malè congruit cum assertione Socini, quâ locum hunc de *speciali, & Ecclesiæ propriâ, Dei præsentiâ* explicat. *Isthæc* verò exigit ejusmodi particulam exclusivam, quâ eadem à *generali ejusdem in toto orbe præsentiâ* discernitur; id quod non fieret, si diceretur, *profectò in te est Deus*. Hoc enim de *quovis populo alio extra Ecclesiam* etiam verum est, quum omnes simus, vivamus & moveamur in Deo, *Actor.* 17. v. 28. de quo dici nequit, *in te est Deus*, specialem illam præsentiam intelligendo, multò minùs, *tantùm in te est Deus*.

2. Posse de *Christo* rectè dici, *tantum in te est Deus*, licèt eodem modo sit Deus in *Ecclesia*, nimirum per *gratiam*, pleniore tamen ratione.

℞. Falsum hoc est. *Exclusiva* enim vult, ut, quod asseritur de *uno*, cui tribuitur, de nullo alio idem asseratur: & *gradus rei*, quem multò pleniorem Christo, quàm Ecclesiæ, tribuit Adversarius, nō variat ipsam *speciem*; id quod tamen necesse foret, si verè de Christo dici posset, *tantùm in te est Deus*.

3. De *Christi humanitate* dici non posse, quod *Deus sit in ipsa*, cum *non per se subsistat*; id autem, de quo dicitur, *Deus in te est*, necesse esse, ut sit res *per se subsistens*.

℞. Si *per se subsistere* opponitur *inhærentiæ accidentis*, certè Christi humanitas *per se subsistit*, & Deus in ea; sin verò significat *hypostasin propriam*, sanè Christi humanitas *per se non subsistit*, nec Deus in ea: caret namque *propriâ hypostasi*, subsistitque in Λόγῳ per *illius subsistentiam personalem*. Sufficit autem, id, de quo dicitur, *Deus in te est*, esse rem *per se subsistentem*, modò *priori*, si non *posteriori*.

4. In *Hebræo* non legi, *& absque te non est Deus*; sed ad verbum, *Et non amplius, non Deus*; itaque hæc verba malè ad *Christum* trahi, cùm pertineant ad *Patrem*, qui sit *Deus ille abscondens se*, non, ut in Vulgata Versione legitur, *Deus absconditus*.

℞. (1.) *Æquipollentia* sunt, quæ pro *oppositis* habentur ab Adversario: Deus enim *abscondens se* est Deus *absconditus*. (2.) Petit Socinus principium, dum ad *solum Patrem* refert, quod sit *Deus se abscondens, & Salvator Israelis*, ut excludat *Filium*, quem non vult esse illum Deum *se abscondentem, & Servatorem Israelis*. Id namque colligit ex malo præsupposito, esse scil. unum Deum, ut *essentiâ*, ita etiam *personâ*; quod falsum esse, ex 1. *Joh.* 5. v. 7. patet. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 283-291. *Keller.* par. spec. Metaphys. Photin. sect. 1. princip. 2. pag. 11. seq.

Vers.

Vers. 22. *Convertimini ad me, & salvi eritis, omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius.*

Rationem *Bellarmini*, pro *voluntatis humanæ cooperatione in conversione*, vide solutum in Vindic. *Joel.* 2. v. 12.

Cap. XLVI. v. 3. *Audite ad me domus Iacob, & omne residuum domûs Israel, portati inde ab utero, gestati inde à vulva.*

Præfixum מִן *temporis* circumstantiam notat: מִנִּי־בֶטֶן, *ab utero*, מִנִּי־רָחַם, *à vulva*, h. e. *ex tempore nativitatis*, q. d. *qui inde ab utero matris vestræ à me portamini*. Quam expositionem confirmat antithesis in v. 4. *Et usque ad senectam & canitiem ego portabo vos* &c. Ubi *jod* in מִנִּי paragogicum est. Quanquam Lutherus *uterum* metaphoricè accipit, & DEO humanitus tribuit, ad *misericordiam DEI* exprimendam, die ihr von mir im Leibe getragen werdet/und mir in der Mutter lieget/ h. e. ut *Chaldæus* expressit, *dilecti mihi præ omnibus populis, & chari præ omnibus regnis*. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 4. m. 1. n. 2. p. 655. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 114.

Vers. 4. *Et usque ad senectam ego ipse, & usque ad canitiem ego portabo &c.*

Verba hæc continent (1.) *Hebraismum*: וְעַד־זִקְנָה, *& usque ad senectam*, וְעַד־שֵׂיבָה, *& usque ad canitiem*, q. d. *etiam ad illud usque tempus, quo portatione & curatione maximè opus est*; & sic SEMPER. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: Deus enim *portare* dicitur, cum *defendit ac clementer conservat*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 12. p. 454. seq. m. 1. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 135.

Vers. 5. *Cui assimilabitis me & adæquabitis? & comparabitis me, & assimilabor?*

Controversiam, circa locum hunc agitatam, vide in Vindic. *Esa.* 40. v. 25. declarat.

Vers. 6. *Vilipendentes aurum de crumena, & argentum scapô appendent, mercede conducent aurifabrum &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Synthesis*: הַזָּלִים, *vilipendentes aurum*, h. e. *vilipendentes illud producunt de crumena & profundunt*. (2.) Synecdoche: *Scapô*, i. e. *trutinâ*. Est enim *scapus* trutinæ pars, ex qua dependent lances: (3.) *Enallage temporis* futuri, *appendent & mercede conducent*, pro præsenti, *appendunt & mercede conducunt*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 232. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 676. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p. 231.

Vers. 10. *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet.*

*Calvinianis* certum est, *omnia providentiâ divinâ ita regi, ut necessitate absoluta fiant*: cum *consilium Dei semper stet, & voluntas ejus fiat.*

℞. Mens Dei non est, *omnia fatali quadam necessitate fieri*; sed, quòd licet impii varia salutis obtinendæ media excogitent & comminiscantur, consilium tamen Dei de *salute, in Christo quærenda & obtinenda*, stare debeat immotum. Nam veluti *Babylonicum Assyriorum imperium*, longè potentissimum, subversum est, quantumvis omnium in orbe terrarum primum fuerit, & æternam felicitatem sibi promiserit, tum propter *creditum Beli numen*, quem, ut regni institutorem, gens illa colebat; tum propter *divinationis disciplinam*, quâ *Chaldæi* præ aliis gentibus superbiebant, & quam Deo cuidam *Nebo* acceptam referebant. Ita pessum ibunt omnes gentes, quæ *simulachris*, quæcumque illa esse possunt, fidunt. Dei namque consilium de salute & benedictione, *in Christo* unicè obtinendâ, stabit immotum. Quam esse genuinam loci adducti explicationem, è contextu planissimum est. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Provid. divin. c. 2. q. 3. obj. 9. p. 531. & 535. 2.

Vers. 11. *Vocans ab Oriente volucrem, de terra longinqua virum consilii mei, &c.*

§. 1. *Ab Oriente*, i. e. *è Perside*. §. 2. *Cyrus* metaphoricè dicitur עַיִט, *rapax volucris*: *rapax*, ob *sævitiam*, quam in destruenda Babylone, divino impulsu, exeruit; *volucris* autem, propter *celeritatem*, quia tam leviter omnes difficultates superavit, quàm si prætervolâsset. §. 3. *Virum consilii mei*, h. e. *effectorem*. Jun. in Not. ad h. l. p. 676. *Glass* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 34. m. 3. pag. 126. & lib. 5. cap. 11. tract. 1. p. 331.

Vers. 13. *Dabo in Sion salutem, & Israeli gloriam meam.*

*Ostorrodus* Instit. c. 14. p. 85. seq. probare allaborat, *Deum illius gloriæ*, de qua *Esa.* 42. v. 8. agit, *aliquem participem fecisse*, nempe *Israelem*, quippe *cui gloriam suam sit daturus.*

℞. (1.) *Gloria Dei* hîc aliter accipitur, quàm *Esa.* 42. v. 8. Nam *Esa.* 42. v. 8. notat *laudem divinæ & infinitæ potentiæ*; at *Esa.* 46. v. 13. *ipsum Christum*, quem Simeon in sua cygnæa cantione vocat *gloriam Israelis*, Luc. 2. v. 22. procul dubio ad hunc locum respiciens. (2.) Nec aliàs insolens est, Deum per *metonymiam effecti* dici *dare alicui*, vel *in aliquo*, *gloriam suam*, respectu *insignium effectuum divinorum*, quibus declarat suam veritatem, sapientiam, potentiam, &c. qua de re vide *Ezech.* 26. v. 20. & c. 39. v. 21. Itaque cum Deus promittit, *se Israeli gloriam suam esse daturum*; non dicit, quòd *laudem suæ omnipotentiæ velit Israeli attribuere*, ita ut Israel potenter & ubique in medio inimicorum dominetur; sed quòd salutem suam in Sion, & gloriam suam in Israele sit *manifestaturus*, per prædicationem Evangelii, & stupenda miracula, à *Christo* edenda; quod ipsum verba immediatè præcedentia indicant; *Propè feci justitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur.* Balduin. in Refut. Catech. Arian. p. 265. seq. *Gravver.* in Expos. Hebr. 1 pag. 73. seq. *Fevverborn.* fasc. 3. Dissert. Theol. disp. 6. thes. 76. & 78. p. 326. seq. *Jacob. ad Port.* in Defens. Orthodox. contr. Instit. Ostorrod. p. 128. & 130.

Cap. XLVII. v. 1. *Descende & sede super pulverem, ô virgo filia Babelis, sede in terra; non solium, ô filia Chaldæorum: quia non addes vocabunt te teneram & delicatam.*

Propheta utitur (1.) *Enallage* imperativi modi pro futuro indicativi: *Descende & sede*, h. e. *descendes & sedebis*, q. d. verè hoc tibi divinô suppliciô eveniet, quod jubeo. Plus autem efficaciæ habent imperativa in narratione, quàm si nudis verbis & simplicibus idem significâsset. (2.) *Prosopopœiâ* nam *Monarchiam* Babylonicam *corpori virginis* comparat, quia videbatur sibi indomita, & erat in summo luxu delitiisque perdita. (3.) *Ellipsi verbi* substantivi: *Non solium*, scil. *eris*, h. e. [illegible] *regia autoritate.* (4.) *Hebraismô*: Non [illegible] vocabunt, i. e. non *ultra vocaberis*. [illegible] p. 31. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. [illegible] ad eund. loc. p. 677. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 4. sect. 1. can. 2. p. 317. & lib. [illegible] 5. Vide Philologicas [illegible] in Vindic. vers. 5.

Vers. 2. *Accipe* [illegible] *nes tuas &c.*

In vers[illegible] Metaphora: [illegible] enim [illegible] Chald[illegible] [illegible]

*lendinum ac pistrinum*, Exod. 11. v. 5. *Iudic.* 16. v. 21. (2.) *Metonymia*; Mole *farinam*, h.e. *frumentum*, ex quo commolito farina conficitur. (3.) Synecdoche: *Detege crines tuos*, i.e. *lege capillis passis*. Jun. in Not. ad h. l. p. 677. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. ult. p. 30. & cap. 11. p. 305.

Vers. 3. *Visionem sumam, & non occurram homini.*

*Hypallage* est: *Non occurram homini*, pro, *non occurret mihi homo*, seu *non feram mihi obstare quemquam aut intercedere*. Illam significationem פגע obtinet. Lutherus: **Es sol mir kein Mensch abbitten.** *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 677. *Glass.* lib 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 21. p. 738.

Vers. 5. *Sede tacita, & intra in tenebras, filia Chaldæorum: quia non addes vocabunt te dominam regnorum.*

Iceratur (1.) *Metaphora*: Intra in *tenebras*, i.e. *summas angustias, ignominiamque maximam.* (2.) *Hebraismus*: Non *addes vocabunt*, pro, non *ultrà vocabunt*, h. e. non *amplius futura es domina regnorum*; ubi etiam *idiotismus* intercurrit verbi *activi* pro *passivo*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 232. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 677. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 16. m. 1. pag. 275. & can. 34. p. 344. seq Confer Vindic. vers. 1.

Vers. 11. *Et veniet super te malum, non scies auroram ejus*, &c.

*Metaphora* est: *Non scies auroram mali*, h. e. *adventum subitaneum mali* vel *ortum non animadvertes primum*; sicut *aurora* manè in momento adest; verùm præ cæcitate sua Babylon non erat illum cognitura. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 235.

Vers. 13. *Stent & salvent te augures cœli, qui contemplantur sidera, & supputant menses, ut ex eis annunciarent tibi futura.*

*Patres* quidam acriter in *Astrologos* & *Genethliacos* invecti sunt, *eventus futuros*, qui ex *themate natalitio* prædicuntur, *observantes*; cum tamen *consideratio astrorum autoritate divinâ prohibita sit.*

℞. Deus non damnat *physicam considerationem effectuum*, qui oriuntur à stellis, ut videre est ex *Gen.* 1. v 14. quemadmodum nec *divinationes Medicorum* ex signis de secuturis *morbis*, vel *reconvalescentia*, vel *propinqua morte* damnat; verùm damnat *superstitiosas prædictiones*, quibus olim *Chaldæi* ex syderibus cœli prænunciare audebant *quosvis rerum eventus fortuitos*, quælibet occulta, & hominibus incognita; ut penes quem sint *res furtô ablata*, quid cras vel perendie in rebus illis, quæ *simpliciter* libertati hominum subjectæ sunt, futurum sit: item futuram hominis conditionem, vitæ genus, divitias, mortem, *mortis genus & tempus*, &c. *Balduin.* de Casib. conscient. l. 3. cap. 6. cas. 2. pag. 779. & 787. *Pezel.* par. 2. arg. & Resp. Theol. p. 75. seq.

Vers. 14. *Non liberabunt animam suam de manu flammæ, non pruna ad calefaciendum se, lux ad sedendum coram eo.*

*Occurrit* (1.) *Synecdoche partis* pro toto: *Animam suam*, i.e. *seipsos*. (2.) *Pleonasmus*: De *manu flammæ*, h. e. de *flamma*. (3.) *Enallage numeri* singularis pro plurali: *Non pruna*, i. e. *nullæ erunt prunæ*, ab incendio relictæ. (4.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam אור, *lux*, pro *igne* est. (5.) *Ellipsis* adverbii negandi, ex membro præcedente repetendi: *Non lux* &c. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 31. *Vatabl.* in annot. ad h. l. p. 233. *Iun.* in Not. ad eund. loc p. 677. Confer *Glass.* lib. 3. Philol Sacr. tract. 1. can. 38. pag. 148. & lib. 5. tract. 1. cap. 4 m. 1. p. 53.

Vers. 15. *Negociatores tui ab adolescentia tua, unusquisque in via sua erraverunt.*

*Anabaptistæ* improbant *in universum omnes contractus in Christianis*, quod *negotiatores omnes in via sua errent.*

℞. (1.) In *Hebræo* non est, unumquemque negotiatorem *à via sua errare*; sed *e regione alterius* erraturum esse, h.e. *errabundum hinc inde dispersum iri*, cùm pœna Chaldæos obruet. (2.) Propheta non improbat *ipsum negotiationis usum*, sed *abusum*, nempe *fiduciã negotiationis & mercaturæ*, & docet, opulentissimos negotiatores tùm non posse opem ferre afflictis Babyloniorũ rebus, *Osiand.* tom. 2 Paraphr. Bibl. p. 97. 2. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 617. *Chemnit.* par. 2. 1. Theol. loc. de Paupert. c. 5. p. 167. & 169 b.

Cap. XLIIX. v. 1. *Audite hoc domus Iacob, vocati in nomine Israel, & de aquis Iehuda exierunt* &c.

Jesaias adhibet (1.) *Metonymiam subjecti* pro adjuncto: *Domus Iacob*, i.e. *populus, ex Iacobi familia ortus*. (2.) *Ellipsin* pronominis relativi אֲשֶׁר: *Et qui de aquis* &c. (3.) *Metaphoram*: De *aquis Iehuda* exierunt, h. e. ex *Iehuda*, tanquam ex *fonte*, prodierunt. (4.) *Enallage personæ* tertiæ, *exierunt*, pro secunda, *exiistis*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 32. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 233. *Iun.* in not. ad eund. loc. pag. 677. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 256. Confer cap. 3. m. 2. p 37.

Vers. 2. *De civitate sanctitatis se vocant, & Deo Israelis innituntur.*

Esaias videtur esse Davidi contrarius: *ille* enim reprehendit Judæos, quòd Deo Israelis innitantur; *hic* verò id bonum æstimat, *Psal.* 118. v. 8.

℞. Propheta loquitur ex *opinione Iudæorum*, qui *gloriabuntur, se niti Deo*, quod tamen non erat verum, velut ex v. 1. & 4. patet. Itaque docet, vanam esse illorum fiduciam, qui cum sint *impii*, nihilominus Dei auxilium & protectionem sibi polliceantur. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 621. *Iun.* in Schol. Bibl. h. l. p. 677. n. 5.

Vers 8. *Novi, te prævaricando prævaricaturum esse, & transgressorem inde ab utero vocatum ã me.*

*Socinus* hic à Propheta *hyperbolem* adhibitam esse comminiscitur, quasi peccatum homini res quædam *plane naturalis* sit, non autem, quòd *ita sit revera*, i.e. *homo ab utero sit transgressor.*

℞. Hoc in loco non est *hyperbole*, sed Deus *vere & proprie* ibi describit hominum malorum vitium etiam *originale*, per *desertionem Dei ex utero*. Nam populus Judaicus non à prima sui conceptione & nativitate est *malitiosus* Dei desertor, quia ad hanc *malitiosam ἀποστασίαν* requiritur *προαίρεσις voluntaria*: quapropter populus est *desertor ab utero*, respectu *pravitatis ingenitæ*, cumque suis motibus vitiosis connexæ. *Fevverborn.* fasc. 2. Dissert. Theol disp. 4. thes. 25. 26. 45. p. 128. 129. 140.

Vers. 10. *Ecce purgavi te, & non cum argento; electum efficiam te in camino afflictionis.*

I. *Metaphora* est, quâ significat Jehovah, se *moderatè* populum suũ purgare, non sicut purgatur argentũ, nedum ut aurũ, quod exactissimè purgari solet, q.d. sic *attempero castigationem*, ut magis *imbecillitatis*, quàm *iniquitatis* tuæ rationem habeam: non ago tecum *summo jure*, quia si ab omni *scoria*, ut argentum, expurgandus esses, totus disperires, 1. *Corinth.* 10. v. 13. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 146.

II. *Theologus* quidam, *Huberi* applausor, arguit, *multos, qui voluntate fuerant electi, suâ impietate fieri reprobos*; quoniam *impii Iudæi*, à *Deo licet electi, reprobati tandem fuerint.*

℞. Propheta loquitur non de electione *propriè sic dicta ab æterno*, sed de *temporanea*, quæ est *probatio per ignem tentationis*, sicut aliàs *aurum & argentum*

*tum* dicitur *electum* vel *preciosum*, quia satis superque purgatum & probatum. Quomodo igitur Adversarius hoc dictum concinnè ad *æternam illam electionem* detorquere potest? *Förster.* tom. 2. Witteb. disp. 14. controv. 2. thes. 93. seq. p. 983.

Vers. 11. *Et gloriam meam alteri non dabo, dicit Dominus.*

Controversias, circa locum istum motas, vide in Vindic. *Esa.* 42. v. 8. definitas.

Vers. 12. *Ego ipse, ego primus, & ego novissimus.*

Lites hoc in loco agitatas, vide diremtas, partim in Vindic. *Esa.* 41. v. 4. partim in Vindic. *Esa.* 44. v. 6

Vers. 13. *Etiam manus mea fundavit terram, & dextera mea palmavit cælos: vocans ego ad eos, stabunt simul.*

I. Ἀνθρωποπάθεια est: nam *manus dextera palmans*, DEO tributa, notat DEI *potentiam*, in *terræ fundatione*, & *in cælorum palmatione* seu *explanatione & æquatione* se exerentem, metaphorâ à *dextra hominis & palmo* (quæ mensura quatuor digitorum conjunctorum est) deductâ. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 112. seq.

II. Argumentum nostratium, contra *Angelicam orbium cælestium motionem*, vide ab exceptione *Conimbricensium* vindicatũ in Vindic *Iob.* 34. v. 13. m. 2.

Vers. 16. *Non à principio in abscondito locutus sum; ex tempore, antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus: hæc dicit Dominus Deus redemptor tuus, sanctus in Israel.*

I. *In unitate essentiæ divinæ sunt tres personæ*: quia in *Deo est Iehovah mittens*, Jehovah *missus*, & Spiritus Sanctus itidem *mittens*; mittens verò à misso est distinctus *personaliter*.

Excipit 1. *Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck. p. 161. esse *enallagen personarum*, ut *Propheta*, in persona *Iehovæ* loquens, modò de *Iehova*, modò de *se* loquatur.

℞. Non potest hîc locum habere illa *personarum mutatio*. Nam copula ET, quæ habetur in textu Hebræo & Græco, cogit, ut de *eodem* omnia ista intelligamus: *Antequam fieret, ibi eram.* Qui autem hæc dixit, statim subjungit: *Et nunc misit me Dominus.* Alioquin, si licet sine causa fingere *mutationes personarum*, nihil unquam certi ex divinis literis colligi poterit.

2. *Enjedinus* in Explic. locor. V. & N. T. esse in allato dicto *locutionem reciprocam*, in qua *antecedens* loco *relati* ponitur.

℞. Neque hîc potest esse *locutio reciproca*. Etenim (1.) Sensus foret absurdus: *Ego misi me, & Spiritus meus.* Verùm, quis unquam dixit, quòd *se miserit*? quis etiam unquam hoc fecit? nemo profectò. (2.) Certum est, *hũc missum*, non esse *Patrem*, sed *alium à Patre*, quia Pater non habet, à quo mitti possit: ergo *Pater mittens* cum *Iehova misso* non reciprocatur.

3. *Socinus* ibid. p. 167. *Patrem non habere, à quo mittatur*, nusquam certè scriptum esse, nec aliunde colligi posse; ideoque id non esse asserendum, cum nihil vetet, qui nihilominus & *fieri potuerit*, & *factum aliquando fuerit*.

℞. Id ipsum negatur: *Patrem* enim *non habere, à quo mittatur*, aliunde colligi potest, nempe ex eo, quòd *illud non disertè legitur ullibi in Scriptura sacra*; & ex eo, quòd *Pater est origo Filii & Spiritus Sancti.*

4. *Alius ex Socini discipulis*, per *Spiritum ejus* non intelligi distinctum quid à *Iehova* sive *Deo*, sed *ejus virtutem*, qualis est *justitia, misericordia* in ipso *Deo*.

℞. Falsum hoc est. Nam (1.) ubinam *misericordia*, ut ὑποστατικὸν distinctum à Patre, sese revelavit, quemadmodum *Spiritus Sanctus* in Baptismo Christi *Matth.* 3. v. 16. & in ejus effusione in die Pentecostes, *Act.* 2. v. 3? Ubi etiam *justitia*, vel ulla alia *Dei virtus*? sanè nullibi. (2.) Si *virtus quædã divina* deberet per *Spiritum* intelligi, tùm inepta esset hæc oratio. Quis enim unquam dixit: *Ille & intellectus ejus hoc perceperunt*? Vel ubi locorum dicitur in Scripturis: *Deus & ejus omnipotentia vel misericordia hoc fecerunt*? nullibi. Ut enim hæc phrasis est aliena à *communi loquendi usu*, ita etiam in *Sacra Scriptura* non usurpatur. *Balduin.* de Casib. consc. l. 2. c. 2. cas. 3. p. 91. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 257. & 262. *Iacob. Martin.* l. 1. de trib. Eloh. c. 34. pag. 409. 411. 415. & c. 35. p. 429. seq. *Bellarmin.* l. 1. de Christ. c. 5. arg. 2. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 13. m. 2. p. 199.

II. *Christus est unus ille verus Deus*: quia est *is Iehovah*, qui apud Prophetam loquitur, ac pronunciat, *se missum esse à Domino Deo, & Spiritu ejus*: jam verò is, qui hîc apud Esaiam loquitur, est *unus ille verus Deus*, ut ex contextu patet.

*Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck. p. 162. seqq. & in Defens. Animadvers. p. 312. obvertit. 1. Prophetam loqui de *seipso*, ideoque malè *Deo* tribui, quod est *Prophetæ.*

℞. Propheta hic loquitur non de *seipso*, sed potiùs *ipse Deus*, qui v. 12. dicitur *primus & novissimus*; & v. 16. *ibi fuisse, antequam aliquid fieret.* At hæc certè non possunt convenire *Prophetæ*, sed *Christo*, Apoc. 1. v. 17. & Joh. 1. v. 1.

2. Nihil vetare, quò minùs ad *utrumque simul*, verba v. 16. referantur: ad unum quidem, ut *adumbratum*; ad alterum verò, ut *adumbrantem.*

℞. (1.) Adversarius præsupponit, hîc esse *typicum quiddam in Prophetâ*; quod antè probandum, quàm sumendum erat. (2.) Negamus consequentiam jure esse reprehensam. Quod enim *soli Christo* convenit, nec in Scriptura *alteri* tributum legitur, quale illud apud Prophetam esse, ex conjunctis ibidem liquet; id *alii cuipiam* convenire posse, rectè affirmari nequit: *prophetia* namque non est ἰδίας ἐπιλύσεως, 2. *Petr.* 1. v. 20.

3. Particulam Hebræam שָׁם non modò IBI. sed etiam HIC in sacris literis significare; atque sic verba Hebræa reddenda esse: *Non tectè ab initio locutus sum, ex quo id evenit, ecce idem hîc adsum*; quæ utique *Prophetæ* accommodati possint.

℞. Exceptio hæc ex *particulari* procedit: *Alibi* particula שָׁם significat HIC, ergo etiam *hoc in loco*; certè contra monitum *Petri*, de quo jam antè. Deinde explicationem interpretationis, ex *Hebræo* malè institutæ, de *suo*, nõ ex *Scriptura*, affert. Quantò autem meliùs LXX. *Interpretes*, textum Hebræũ secuti, reddiderunt: ἡνίκα ἐγίνετο, ἐκεῖ ἤμην.

4. Verba apud Prophetam, si sint *Christi*, esse *prædictionem de Christo*, non qui *tunc existeret*, sed qui, *postea liberè extiturus*, Prophetico tamen more loquens, tanquam *præsens* inducatur; ac proinde ex eo *Christi jam tùm præsentis existentiam* non probari, cum ex *prophetia* sive *prædictione futuri* non probetur *existentia præsentis.*

℞. Adversarius petit principium: asserit enim, Christum in V. T. *non extitisse præsentem*; quod antè probari oportebat, quàm illud ita dici fas erat. Certè longè aliter hac de re sentit Scriptura, quæ dicit, *ipsum fuisse, antequam montes erant*, Prov. 8. v. 22. 23. 24. *eundemque ab Israelitis esse tentatum in deserto*, 1. Cor. 10. v. 9.

5 Nihil

5. Nihil ad propositum facere, *Christum jam tum extitisse*; eò quòd non quæratur, utrum *jam tum Christus existeret*, sed an *sit ille unus Deus*.

℞. Fateor, probationem *existentiæ Christi in* V. T. *per se* non facere ad propositum hoc de *divinitate Filii*; facit tamen ad id *quadantenus & ex hypothesi Socini*, dicentis, *Christum idcirco esse merum hominem, quia non extiterit ante nativitatem ex Maria*: quo ipso destructo, ultrò sequitur, Christum in V. T. non *prædici tantùm ut futurum*, quod quidem antea volebat Socinus.

6. *Christum* nihil ad *illum Prophetæ locum* pertinere posse, nisi jam constet, *eum esse illum Deum*; id quod *probandum*, non *sumendum pro concesso*.

℞. Non sumitur hîc pro concesso, quod probandum erat ex eo loco, *Christum esse unum illum Deum*; sed ex eo, quòd *ille unus Deus*, qui ibi loquitur, *se missum ait à Deo, & à Spiritu ejus*, Filius (de quo id accipiendũ ostenditur ex *Ioh.* 8. v. 18. & *Luc.* 4. v. 18) *Deus ille*, qui ibi loquitur, esse colligitur.

7. Pro eo, quod legitur apud Esaiam; *Et Spiritus ejus*; legi posse: *Et Spiritum suum*; quo doceatur, non de Spiritu *mittente*, sed de *misso* ibi sermonem esse.

℞. Nos contrà statuimus, legendum esse, *& Spiritus ejus*, non verò, *& Spiritum suum*; idque partim ob *evidentiam argumenti* sive *materiæ subjectæ*, de qua agit: partim ob *consensum* LXX. *Interpp.* qui verterunt, Καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, & *Hieronymus*, qui tom. 5. Oper. suor. fol. 83. legit, *Et Spiritus ejus*: partim ob *locum parallelum*, Esa. 61. v. 1. ubi Spiritus Sanctus tanquam *mittens* introducitur: partim ob *hypothesin Socini*, qui vult, *Spiritum Dei esse ejus virtutem & efficaciam*: at *hæc mitti non potest*; quod tamen necesse esset, ut statueretur, si versio illa Adversarii, tanquam vera, approbari deberet.

8. Hac ratione *Christum* non esse *Iehovam*, quoniam à *Iehova* mittatur; at necesse esse, ut alius sit is, *qui misit*, & alius is, *quem ille misit*.

℞. Est captio homonymiæ in voce, *Iehovah*: concedimus enim, Christum, qui v. 16. loquitur, nempe *missus à Iehova*, non esse Jehovam mittentem, *personaliter* sumtô vocabulô, ut alibi, *Gen.* 19. v. 24. *Ierem.* 23. v. 5. 6. *Ose.* 1. v. 7. &c. non autem hinc sequitur, eum non esse Jehovam *essentialiter*; Filius enim se unum cum Patre esse ait, *Ioh.* 10. v. 30. Itaque is de *Iehova* loquitur, nõ *essentia*, sed *persona* respectu, à se distinctô. Sic & alius *personaliter* est, qui *mittit*: & alius, qui *mittitur*: non autem *essentialiter*. Imò verò & *mittens* est Jehovah, v. 16. & *missus* est Jehovah, v. 17.

9. *Principium in hac responsione peti*, cum in quæstione sit, *Filium Dei esse Iehovam essentiâ*.

℞. Non petimus principium, ex nostra thesi ita distinguentes. Cùm enim Scriptura *Iehovam missum* à *Iehova mittente* distinguat, & tamen *unum esse Iehovam*, disertè astruat; utique cogit nos, ut *prius* ad *personalem* distinctionem, *posterius* ad unitatem *essentialem* referamus.

10. Verba illa, *sic dixit Iehovah redemptor tuus*, &c. pertinere non ad *præcedentia*, sed ad *sequentia*.

℞. Imò verò etiam ad *antecedentia* referri possunt ac debent, ut manifestum ex *Ioh.* 18. vers. 20. ubi Christus, *redemptor noster unicus*, dicit: *Ego in abscondito nihil locutus sum*. Gerhard. in Exeg. loc. 3. de SS. Trinit. §. 161. seq. p. 1100. & 1101. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 251.-264. & 998. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. p. 232. obj. 8.

III. *Hieremias*, Patriarcha Constantinopolitanus, in Resp. 2. ad scriptum Theol. Tubing. hinc concludere vult, *Spiritum Sanctum non procedere à Filio*, propterea quòd *miserit Filium*.

℞. Hoc causam Græcorum non juvat: Filius enim mittitur à Spiritu Sancto, non quatenus *Deus* est, sed quatenus *homo* est, sive ratione *humanæ naturæ*, juxta quam plenitudine Spiritus Sancti unctus, & ab eodem ad officium redemtionis missus est. *Grawer.* Cent. 1. qq. Illustr. Theol. 7. q. 3. pag. 169. *Gerhard.* tom. 1. LL. CC. loc. 6. de Spir. Sanct. § 73. p. 661. seq. *Becan.* in Theol. Schol. par. 1. tract. 2. cap. 6. quæst. 2. num. 7. p. 249.

Vers. 22. *Non est pax impiis, dicit Dominus.*

*Papistæ* negant, *pacem hæreticis esse servandam*, quoniam *impiis non sit pax*, ipso Deo dicente.

℞. Impiis non est pax, ex parte *ipsorum*, quòd sicut mare fluctuent, & quiescere nequeant, uti explicatur, *Esa.* 57. v. 20. ideo imitandi non sunt: at *pii*, juxta præceptum Davidis, pacem inquirunt ac prosequuntur, *Psal.* 34. v. 15. imo omnibus cum hominibus, quantum in ipsis est, pacem habent, Paulo monitore, *Rom.* 12. v. 18. *Thummi.* in Explic. Decalog. p. 271. & 273.

Cap. XLIX. v. 3. *Et dixit mihi: servus meus tu, Israel, quo per te gloriabor.*

I. *Ellipsis* est tum verbi substantivi, *Servus meus tu es, Israel est*; tum præpositionis בְּ, אֲשֶׁר *quo*, pro בַּאֲשֶׁר, *in quo*, uti *Esa.* 44. v. 23. q. d. jubeo te primùm Israeli proponere verbum gloriosum meum, & in Judæis primùm gloriam meam explicare. *Rom.* 15. v. 8. *Arriam.* par. 4. Bibl. p. 32. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 5. not. 2. m. 1. p. 673. seq.

II. Controversias, huc pertinentes, vide decisas in Vindic. *Esa.* 42. v. 1.

Vers. 6. *Et dixit: Levis præ essendo te mihi servum, ad erigendum tribus Iacob, & desolatos Israelis ad reducendum, & dedi te in lucem gentium, ad existendum salutem meam, usque ad extremum terræ.*

En (1.) *Ellipsin* verbi: *Levis*, subint. *videris*, Judæis nim. Messiam DEI servum spernentibus, v. 7. (2.) *Hebraismum*: נָקֵל מִהְיוֹתְךָ, *levis præ essendo*, i. e. *levior, quàm ut sis mihi servus*. (3.) Ἀντονομασίαν: *Christus* enim dicitur *lux gentium*, utpote quas verbô suô illustrat & sanctificat. (4.) *Metonymiam effecti* pro *causa*: nam idem Christus dicitur *salus* DEI, h. e. *salvator*, à DEO in hunc mundum missus. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 679. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 3. n. 2. p. 659. lib. 5. tract. 2. cap. 2. m. 1. p. 23. & cap. 8. p. 176.

Vers. 7. *Sic dixit Dominus, vindex Israelis, sanctus ejus, ad contemnere anima, ad abominans gentibus, &c.*

Est hîc (1.) *Metaphora*: nam *Israel* pro *electis* DEI ponitur. (2.) *Enallage infinitivi* pro participio: *Contemnere anima*, h. e. *eum, quem contemnent est anima cujusque*. Sic statim sequitur participium, *eum, quem abominatur gens*. Loquitur autem de *Christo*. Jun. in Not. ad h. l. p. 679. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 4. p. 363.

Vers. 15. *Num oblivisceтur mulier fœtûs sui, à miserendo &c.*

Iteratur (1.) *Hebraismus*: הֲתִשְׁכַּח, *num oblivisceтur*, i. e. *oblivisci poterit*; & מֵרַחֵם, *a miserendo*, h. e. *ne misereatur*. (2.) *Enallage*: nam אִשָּׁה *mulier*, sumitur quasi *collectivè*, ut *totum sexum fœmineum* notat. *Arriam.* par. 4. Bibl. p. 33. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 5. p. 245. & can. 53. m. 2. p. 399.

Vers. 16. *Ecce in manibus sculpsi te, muri tui coram me semper.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: In *manibus*, h. e.

h.e. in *annulo*, manûs ornamento; in quo insculpi olim solebat *imago ejus*, quod præ aliis diligebatur, & in precio habebatur, ut in memoria & conspectu jugi esset, q.d. ego semper tui sum memor, mihique charus & acceptus es. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 236. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 1. p. 34.

Vers. 23. *Et erunt Reges nutritii tui, & fœminæ principes eorum nutrices tuæ, vultu in terram incurvabunt se, &c.*

I. Offert se (1.) *Enallage generis*: nam masculinum, מְלָכִים, *Reges*, & fœmininum שָׂרוֹתֵיהֶם *principes fœminæ eorum*, conjungutur; quo significatur *varium & multiplex studium*, quod liberali manu ab *omni illustrium hominum genere* impendetur in populum DEI seu Ecclesiam. (2.) *Metonymia adjuncti* pro subjecto: *Incurvabunt se vultu in terram demisso.* i. e. *reverentiam & honorem exhibebunt*, qua de re vide *Psal.* 72. v. 9. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 679. *Glass.* lib. 3. Philol Sacr tract. 1. can. 20. p. 75. & lib. 5. tract. 1. cap 4. m. 6. p. 72.

II. *Magistratus Christianus in Ecclesia primatum habet politicum*: quia *Ecclesiæ nutritius est.*

*Becanus* in Manual. controv. l. 5. c. 19 q. 2. n. 57. regerit, *Reges dici Ecclesiæ nutritios*, quia *sponsam Christi venerentur*, non quòd *primates sint Ecclesiæ.*

℞. Nimis jejuna est ista explicatio, quin potiùs genuina explicatio hæc est, quòd Reges & Reginæ instar *matrum lactent Ecclesiam*, præbendo ipsimet halcyonia, eamque variis beneficiis ornando. *Cham.* tom. 5. Panstr. l. 4. c. 13. §. 4. & 18. pag. 174. & 177.

III. *Arminiani* jus vocandi & dimittendi ministros Ecclesiæ *soli Magistratui politico* vendicant, quòd *Ecclesiæ nutritius* vocetur, h.e. *is qui Ecclesiæ ministros suis sumtibus fovet ac sustentat.*

℞. Est elenchus *causæ*: Reges enim dicuntur *nutritii Ecclesiæ*, non quòd *absolutum habeant dominium in Ecclesiæ ministros*, pro beneplacito vocandi, quos velint, aut dimittendi, quando velint; sic enim Ecclesia non *nutriretur*, sed *everteretur*: verùm quòd potentiâ suâ, quâ divinitus instructi sunt, utantur ad *plantationem & incrementum* Ecclesiæ, ipsique suppetias ferant, *Esa.* 60. v. 10. *Hutter.* in LL. Theol. loc. 32. de Magist. Civil. cap. 2. quæst. 4. p. 1032. seq. *Gravver.* in Exposit. Mich. 1. par. 1. q. 2. p. 14. & 22.

Vers. 24. *Nunquid tolletur à forti, præda? aut, captivitas justi salva esse poterit?*

I. *Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: nam *captivitas* pro *captivorum turba* accipitur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 51.

II. Locus hic Musculo in Comment. suspectus est de *mendo*, ideoque pro צַדִּיק, *justi*, potiùs legendum censent עָרִיץ, *robusti*; quòd respondentis Domini quæstioni v. 25. παραλλήλως congruat.

℞. (1.) Omnes *Hebræi Codices* ὁμολόγως habent, צדיק, & *Chaldæus* Paraphrastes, *zaccaia*, id est, *justi*. (2.) Intelligitur verò captivitas *justi* vel κατὰ δόξαν justi, i e. *tyranni*, qui prædicat se justum dominum ac possessorem eorum, quos bello cepit; quo sensu *Pharisæi* dicuntur *justi*, Matth. 9. v. 12. *Luc.* 12. v. 7. quia scil. *tales sibi esse videbantur*, Luc. 18. v. 9. vel κατ' ἀλήθειαν, justi, scil. militis, hoc est, quam miles aut dux *justè* cepit, hoc sensu: *Captivi justo bello capti num liberari poterunt?* Glass. l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. obj. 51. sect. 2. par. 2. p. 147. seq. & lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 4. p. 62.

Cap. L. v. 2. *Num abbreviando se abbreviabit se manus mea à redemptione? & an non est in me potentia ad eruendum? Ecce in increpatione mea exsiccabo mare, ponā flumina desertum, fœtebit piscis eorum à non aqua, & morietur in siti.*

In versu hoc habetur (1.) *Epizeuxis*: Num *abbreviando se abbreviabis* se, h. e. *an ullo modo* brevior est. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: *manus* enim, DEO tributa, notat DEI *potentiā*, in *potentissima & miraculosa operatione* se exerentē; & *increpatio* DEI *realem effectionem*. (3.) *Hebraismus*: מִפְּדוּת, *à redemptione*, i. e. *quam ut redimat*; & מֵאֵין מַיִם, *à non aqua*, h. e. *eò quòd desit aqua*. (4.) *Enallage numeri* singularis pro plurali: *Piscis fœtebit & morietur*, pro, *pisces fœtebunt & morientur*. Ariæm. par. 4. Bibl. pag. 33. Jon. in Not. ad h. l. pag. 680. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 110. & 129.

Vers. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.*

Verbis his vaticinium editur de *passione Christi*: de ipso enim prædicitur, fore ut *percutiatur facies ejus alapis, & conspuatur*; id quod impletum est in *palatio Pontificis*, Matth. 26. v. 67. & in *Prætorio Pilati*, c. 27. v. 29. seq. Obvertit. 1. *Calvinus* in Comm. h.l. Prophetam Esaiam loqui de *seipso*, & dicere, *etiam corpus suum percutientibus expositum esse.*

℞. (1.) Calvinus Judaizat: nam *Iudæi* hoc caput in *Esaiam* exponunt, ne confiteantur *Christum crucifixum*, teste *Oecolampadio*. (2.) Non est verum, Judæos esse repudiatos propter *Esaiam*, sed propter *Christum*, qua de re. v. 1. Unde argumentum, huic capiti in Bibliis *Herbornians* præfixum, disertè verba illa exponit de *Messia.*

2. *Pareus* in Calvin. Orthod. hæc talia esse, quæ etiam *Prophetæ* contingere potuerint ab ingrato populo, sive ut *Doctori*, sive ut *Christi typo.*

℞. Quamvis *similia quædam* fortè evenerint *Prophetæ*, (tametsi id nusquam invenitur scriptum) tamen quòd ad *alias suas, & non unicè ad Christi contumelias* respexerit, probari non potest. Certè Christus, prædicens *se sputô & contumeliâ affectum iri*, Apostolos revocat ad Scripturam Propheticam, *Luc.* 18. v. 31. seq. Jam verò quod ita in specie de *sputo* ait, nullibi tam notanter & in specie prædictum est, atque in *hoc capite Esaiæ*, & sigillatim in hoc *versu* 6.

3. *Id. ibid.* Esaiam in medium prodire, velut eū, *qui omnium servorum Dei personam sustineat*, & qui fuerunt ab initio, & qui postea futuri sunt.

℞. Hoc nihil facit ad rem præsentem. Etenim (1.) *Christus* non exprimitur, cum tamen interpretis officium requirebat, Christum exprimi, si de *ejus passione* vaticinium voluisset esse *typicum*. (2.) Ita verò patet, non aliter passionis Christi, quàm *meæ vel meæ afflictionis* typum, Esaiam constitui. (3) Sed neque de *futuris* passionibus solùm Calvinus loquitur, sed de *jam præteritis*; inquit enim: *Qui fuerunt ab initio*; atque sic etiam *Abelis & aliorum Sanctorum*. Hunn. tō. 2. Oper. Latin. p. 670. 928. 930. seq.

Vers. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, succendistis: de manu mea fuit hoc vobis, in dolore jacebitis.*

I. Propheta utitur (1.) *Metaphorâ*: nomine enim *ignis* intelligit *falsam doctrinam & traditiones humanas*. (2.) *Enallage* imperativi, *ambulate*, pro indicativo, *ambulatis* vel *ambulabitis*. (3.) *Ellipsi* pronominis relativi, אֲשֶׁר, *quas* succendistis. (4.) Ἀνθρωποπάθεια: DEO namque tribuit *manum*, i. e. *potentiam, in pœnarum inflictione se exerentem.*

*Artem.*

*Ariam.* par. 4. Bibl. p. 33. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p.238. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 681. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract.1. cap.10. p.239. seq.

II. *Jacobus de Bellviso* lib. 2. Pract. Crim. c. 23. num. 10. exinde probare vult, *hæreticos esse igne comburendos;* quòd *accensis flammis in igne debeant ambulare.*

℞. Adversarius aberrat à genuino Prophetici vaticinii sensu. Nam (1.) non est sermo præcisè de *hæreticis,* sed de *tyrannis,* qui Christi Ecclesiam persequuntur. (2.) *Flamma* capitur *metaphoricè* pro flamma *odii, invidiæ, impietatis, cæterorumque flagitiorum,* interprete *Hectore Pinto* in comm. h.l. non autem *propriè* pro flamma quadam *materiali.* (3.) Potissimùm respectus habetur ad *ignem infernalem,* qui manet omnes Ecclesiæ persecutores, nisi maturè resipiscant. Sed quid hoc ad *rogum, igne elementari in hac vita accendendum,* cui hæreticus imponatur? Genuinus itaque sensus ex fontibus *Hebræis* est iste: *Vos persecutores & hostes Ecclesiæ accenditis ignem, grassamini in meos cædibus, ignibus, aquâ & ferro; sed iste furor cedet vobis in exitiũ, perinde ac si quis eo ipso igne, quem accendit, conflagraret.* Gerhard. tom. 6. LL. CC. loc. 27. de Magistr. Polit. §.353. p.1101. seq.

Cap. LI. v.1. *Intuemini rupem, excisi estis; & in cavum foveæ, effossi estis.*

Occurrit (1.) Ellipsis: *Unde* excisi estis, *unde* effossi estis. (2.) *Metaphora*: sermo enim est de *Israëlitis piis,* ex *Abrahamo & Sara* natis ortisque, uti v. 2. explicatio subjungitur; translatione sumta à *lapidicina.* Ariæm. par. 4. Bibl. p.34. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract.1. cap.11. p.283.

Vers. 5. *Insulæ ad me expectabunt, & ad brachium meum sperabunt.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: nam *insulæ* pro *insularum incolis* ponuntur. (2.) 'Ανθρωποπάθεια: per *brachium* enim *Domini* intelligitur ipse *Christus,* potentia illa DEI Patris. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. pag. 37. & cap. 7. p. 109.

Vers. 6. *Cæli sicut fumus dissoluti sunt, & terra sicut vestimentum putrescet; & habitatores ejus, sicut ista, morientur, &c.*

I. Est hîc (1.) *Enallage temporis* præteriti, *dissoluti sunt,* pro futuro, *dissolventur.* (2.) *Metaphora*: nam *putrescere,* est, *interire.* Ariæm. par. 4. Bibl. p. 34. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 355.

II. *Mundus* aliquando secundùm *substantiam suam* interibit: quia partes ejus, *cælum & terra,* sicut *fumus dissolventur,* & sicut *vestimentum putrescent.*

*Hieronymus* in Comm. h. l. respondet: *Si cælum & terra per totalem abolitionem peribunt, quâ consequentiâ habitatores ejus, sicut ista, morientur ac peribunt, velut ibidem Propheta addit, cum animas esse perpetuas, & resurrectura corpora noverimus?*

℞. Utique textus *totalem mundi abolitionem* asserit. Nam (1.) dicuntur cæli *deficere,* ut in *Hebræo* est, hoc est, aliquãdo *planè non esse.* Aquila reddidit, μεμωθήσονται, *comminuentur in nihilum;* Et Symmachus, ἀλυώσονται, *in salis modum conterentur & evanescẽt,* ùt ipse *Hieronymus* ibid. monet. Jam verò manifestum est, *substantialem interitum* his verbis emphaticè exprimi. (2.) Verba Hebræa, כְּמוֹ-כֵן, rectè verti possunt, *sicut hoc,* id est, *quasi nihil* interibunt, **sie werden vergehen als ein Schnitplein.** (3.) Cæli dicuntur deficere, *ut homines moriuntur & intereunt;* quem certè interitum nemo jure vocare potest *accidentalem duntaxat mutationem,* multò minùs *in meliorem statum immutationem,* (aliàs quotquot moriuntur, ad *perfectiorem* statum evèherentur) sed est *substantialis compositi destructio.* (4.) Cæli dicuntur deficere eo sensu, quo *salus & justitia non deficit,* quemadmodum subjicit Propheta. *Hæc* autem non deficere dicitur, quatenus *semper est, & durat in æternum*: ergo quia cæli deficiunt, utique ii non *semper* erunt, non durabunt *in æternum,* sed *aliquando* peribunt & desinent *totaliter.* Meisner. par.1. Philos. sobr. sect.3. c.3. quæst. 4. arg.4. p.796. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc.32. de Consumm. secul. §.40. excep.5. p.391.

II. Argumentum *Astrologorum* quorundam, pro *spontaneâ cæli ob vetustatem ruinâ,* vide solutum in Vindic. *Psal.* 102. v.27. m.3.

Vers. 9. *Consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum: nonne tu ipsum proscindens Rahab, conficiens draconem?*

I. Adverte (1.) *Ægyptum* vocari רַהַב, propter *summam suam superbiam*: רַהַב enim appellativè id significat. (2.) Per *draconem* metaphoricè innui ipsum *Pharaonem,* ob vires & crudelitatem, quem Deus in mari rubro suffocavit. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 13. m. 2. p. 830. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 335.

II. *Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck p. 424. autumat, *dies seculi* idem esse, quod *dies antiqui,* Mich. 5. v. 2. cùm & eadẽ significatio sit hoc in loco.

℞. Est dispar utriusque loci ratio: neque enim *res* neque *verba* Esaiæ cum loco illo Michææ consentiunt, cum apud *Michæam* legantur, *ante initium, ante dies seculi;* ast apud Esaiam, *secundùm dies antiquos.* Tarnov. de SS. Trinit. p. 810. 832. seq.

Vers. 12. *Ego, ego ipse consolans vos: quis tu, ut timeas?*

*Sanctius* in Esa. 51. observat, *Scripturam solere, cum quis aliquid facit infirmum & indignum virili pectore, genus ipsi tribuere muliebre*; ut hoc loco: מִי אַתְּ וַתִּירְאִי, *quis tu, ut timeas*; ubi *fœmininum* adhibetur, quia *timere sine causa,* muliebris est ingenii.

℞. An hæc emphasis *fœminini* in hoc loco sit, valde dubium. Alloquitur Deus *Ecclesiam,* eamque tum hîc, tum aliàs crebrò, ut *mulierem, sponsam & uxorem* suam, introducit, uti Prophetarum lectio pleniùs edocet. *Numer.* 11. v. 15. Moses de *Deo* etiam utitur *fœminino* אַתְּ pro אַתָּה, *tu,* quod absit, ut causæ, à Sanctio positæ, adscribatur. Vide & *Deut.* 5. v. 27. *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 21. p. 83.

Vers. 16. *Et posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te &c.*

'Ανθρωποπάθεια est: nam *umbrâ manûs DEI protectionis divinæ robur & potentia, adversus quosvis hostes* innuitur; ea enim *manûs,* DEO humanitus tributæ, significatio est. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 186.

Vers. 20. *Filii tui defecerunt, jacuerunt in capite omnium platearum, ut bubulus retis &c.*

*Hebraismus* est: כְּתוֹא מִכְמָר, *ut bubulus retis,* h. e. *irretitus.* Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 50 m. 7. p. 110.

Vers. 21. *Ideo audi nunc hoc, afflicta & ebria, & non à vino.*

*Ellipsis* est nominis substantivi: וּשְׁכֻרַת, *& ebria,* pro שְׁכֻרַת צָרוֹת, *ebria afflictionibus,* aut רָעוֹת, *malis.* Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 39 m. ult. p. 160.

CAP. LII. v. 1. *Evigila, evigila, indue robur tuum, ô Zion: indue vestimenta gloriæ, ô Ierusalem, civitas sanctitatis: quia non adjiciet, veniet in te ultra incircumcisus & immundus.*

I. Jesaias adhibet [1.] *Epizeuxin*: verbum enim, *evigila*, repetit ad *majorem attentionem* indicandam. [2.] Metaphoram: *Indue robur tuum*, i. e. *confirma animum, quem abjecisse videbaris*, cap. 51. v. 9. [3.] *Enallagen* substantivi, *sanctitatis*, pro adjectivo, sancta. [4.] *Hebraismum*: Non *adjiciet, veniet*, h. e. *posthac non veniet*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 240. *Iun.* in Not. ad eund. loc p. 682. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 7. p. 110.

II. *Iudæi* propugnant adhuc *circumcisionem*, tanquam *unicuiq; Ecclesiæ membro necessariam*: cum in *Ecclesia non sit futurus incircumcisus.*

℞. Propheta loquitur non de Circumcisione *corporali* & *carnis*, sed de *spirituali* & *cordis*; id quod ex circumstantijs textus luculenter patet. Nam [1.] ipsi sermo est, non de *terrestri*, sed de *cælesti Hierosolyma*, in quam non nisi, qui sunt circumcisi *corde*, intromittuntur: ad *terrenam* enim Hierosolymam multi venerunt incircumcisi *carne*. [2.] Esaias addit vocem *mundus*, quæ est ἐξηγητικὴ *circumcisi*. talis nimirum *corde & spiritu*. Quæ quidem circumcisio *moraliter* necessaria fuit, est, & erit fidelibus omnium temporum, *Deut.* 30. v. 6. [3.] Solenne est Prophetis, in descriptione beneficiorum *Messiæ*, phrasibus & typis *veteris Ecclesiæ* uti: itaq; Esaias loquitur de circumcisionis *antitypo*, nempe *Baptismo*, ubi *corde* circumcidimur, quando ex aqua & spiritu renascimur. *Hunn.* tom. 3. Oper. Lat. p. 1563. *Reineec.* tom. 4. Panopl. c. 17. p. 195. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 22. de Circumcis. §. 21 obj. 2. p. 753. *Meelfuhr.* dec. 1. Vindic. Evangel. disp. 7. thes. 39. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Circumcis. c. 3. sect. 6. obj. 2. p. 1087.

III. Olim *Donatistæ*, hodie verò *Anabaptistæ*, contenderunt, *in Ecclesia non esse peccatores*, quòd *in ea non sint incircumcisi & immundi.*

℞. [1.] Propheta Ecclesiam N. T. appellat *mundã*, propter *Christum*, ut qui ipsam mundat lavacrô aquę in verbo, *Ephes.* 5. v. 26. at quod Ecclesię propter *Christum* tribuitur, id Adversarij Ecclesiæ *simpliciter* tribuunt. [2.] Ita loquitur Propheta, ut sub descriptione *militantis* Ecclesiæ in his terris simul ad Ecclesiam *triumphantem* in cælis excurrat, ubi demum perfectè adimplebitur hæc prophetia, *Apoc.* 21. v. 26. Perperam igitur ad *militantem* Ecclesiam Antagonistæ hanc prophetiam *simpliciter* applicant. [3.] Si incircumcisus *ultra* non transibit per Ecclesiam, hoc est, non para erit Ecclesiæ, ergo *quondam* fuit para Ecclesiæ; quod adversatur assertioni Adersariorum. *Osiand.* in Enchir. Anab. controv. c. 6. q. 1. obj. 2. p. 104. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Eccles. c. 2. q. 19. obj. 2. p. 775.

Vers. 2. *Excutere de pulvere, consurge, sede Ierusalem, solve vincula colli tui, captiva filia Sion.*

*Anonymus* quidam Semijudæus in tract. de fundam. relig. Christ. membr. 1. autumat, caput hoc loqui de *recuperata libertate ex captivitate Babylonica*, quoniam *Ierusalem* jubeatur è *captivitate surgere, & vincula colli sui solvere.*

℞. Propheta non loquitur de libertate Jerosolymæ *corporali*, sed *spirituali*, per *Christum* facta: is enim fecit, ut vincula sint soluta, *Ioh.* 8. v. 32. Unde R. *Salomon* fatetur, caput hoc de *Messiæ* temporibus esse intelligendam. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 104. p. 605. & 608.

Vers. 3. *Hæc dicit Dominus: Gratis venundati estis, gratis redimemini.*

Esaias Paulo repugnare videtur: *ille* enim asserit, redemptionem hominũ factam esse gratis: *hic* verò, eam factã esse per sanguinẽ Christi, *Rom.* 3. v. 24. seq.

℞. Non pugnant inter se Esaias & Paulus, quia Esaias particulam, *gratis*, opponit non *merito Filij*, de quo Pauli sententia expressè docet; sed *Diaboli injustitiæ*, & *hominum inopiæ*, quæ seipsam redimere non potest. Tale enim enthymema est in dicto Esaiæ, sumtum à jure usitato: *Cum gratis sitis venundati*, id est, cum mihi sine precio meam possessionẽ eripueritis; *gratis redimemini*, h. e. retraham vos magnâ gloriâ, nec Diabolo pretium dabo, sed potius latronum pœnâ eum afficiam. Et quia homines pretium mihi dare non possunt, redimam illos, non *ipsorum pretiô*, sed *Filio persolvente λύτρον*, non ut *detur aliquid Diabolo*, sed ut *satisfiat justitia divina.* Taceo, quòd in *Hebræo* non sit, *gratis redimemini*, sed, *non in argento redimemini*; id quod præter Paulum etiam *Petrus* asseverat, 1. *Petr.* 1. v. 18. *Pezel.* par. 1. Arg. & Resp. Theol. p. 249. seq.

Vers. 5. *Et nunc quid mecum hic, dicit Iehovah, quia ablatus est populus meus gratis.*

*Anonymus* ille Semijudæus ibidem adhuc pugnat pro *captivitatis Babylonicæ* assertione, quòd Deus queratur, ablatum esse populum suum gratia, nimirum *in captivitatem Babylonicam.*

℞. In his verbis non agitur de *captivitate Babylonica*, quippe quam v. 4. in *tyrannide Assyriorum* Deus jamdum incluserat; sed de *planè nova oppressione & calamitate*, domesticâ nimirum & intestinâ, à *supremo ordine Doctorum* institutâ, qui mirum in modum exactionibus gravabant populum, & doctrinas, de ingenio suo confictas, adferebant, quæ tantùm abest ut quietem præstent conscientijs, ut eas semper dubias, perturbatas, desperabundas, & ut Propheta loquitur, *ululantes* relinquant. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 104. p. 609. seq.

Vers. 6. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in illa die: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsũ.*

*Christus est Deus ille unus Israëlis*: quia dicitur *locutus ab initio* (per Prophetas) nunc autem (in carne manifestatus) loquens per seipsum; id quod *soli Deo Israëlis* competit.

*Socinus* in Refutat. arg. Bellarm. & Wieck. p. 175. excipit. 1. locum hunc ad *liberationem Iudæorum ex captivitate Babylonica* esse referendum, & ideo ad tempora *Christi* non, nisi *mysticè*, pertinere.

℞. Nihil hîc habetur de *liberatione Iudæorum ex captivitate Babylonica*, sed agitur de *adventu Filij Dei in carnem*, quâ in medium ipse erat proditurus, Evangelium annunciaturus, & munia redemptionis expleturus, *Esa.* 61. v. 1. *Luc.* 4. v. 3.

2. Nullum esse ibi verbum, quod significet *adventum* (Christi in carnẽ) *qui* tamen inde colligatur.

℞. De *voce* conceditur à nobis, de *re* negatur. Nam quia Jehovah per Prophetam dicit: *Sciet populus meus nomen meum*; & verò illud ipsum nomẽ esse in *Christo*, angelo sive legato Dei, idem Jehovah. *Exod.* 23. v. 21. testatur qui cognoscetur præsens ex operibus liberationis *spiritualis*, de qua hoc loco: loquitur, de *eodem* hîc dici, quòd sit ventura, quando illud beneficium populo suo est præstiturus.

3. Neq; ibidẽ scriptũ esse, *sciet populus me ipsum loquentem, qui antè per Prophetas loquebar*; sed *veritatem & fidelitatem Dei in promissis servandis* innui, & per Dei *præsentiã* significari ejus *præsentem operam ac favorem*: q. d. Ego, qui hæc *verbis* promitto, eadẽ *reipsa* præstabo; vobis enim *operã & favore* adero.

sequentia: *Christus contritos & afflictos peccatores, & in agnitionem delictorum suorum adductos non abjiciet, sed eriget*; *E. renati, quando studiosè incumbunt patrandis iniquitatibus, non possunt tunc plenè excutere spiritum adoptionis?* Antecedens enim loquitur de *pœnitentibus*; consequens verò de *impœnitentibus*. Fevverb. tom. 7. Giess. disp. 14. thes. 14. p. 310. seq.

Vers. 4. *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus insulæ expectabunt.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Hebraismus*: עַד־יָשִׂים, *donec ponat in terra judicium*, h. e. *nunquam*. (2.) *Synecdoche species* pro *genere*: nam תּוֹרָה, *lex*, pro *doctrina* accipitur. (3.) *Metonymia subjecti* pro adjuncto: *insulæ* enim pro *insularibus*, h. e. *insularum incolis* ponuntur. *Ariam.* par. 4. Bibl. pag. 27. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 12. m. 2. pag. 457. & lib. 5. tract. 1. cap. 3. m. 2. pag. 37.

II. Propheta repugnare videtur Evangelistæ: *ille* enim negat, *Christum fore tristem*; hic verò *id ipsum asserit*, Matth. 26. v. 37. seq.

℞. (1.) Ex *Hebræo* legitur: *Non fumigabit*, id est, *non dabit signa iracundiæ*. Sed quid hoc ad negandam *Christi tristitiam*? (2.) Etsi à Christo excluderetur *tristitia*, non tamen *omninò omnis*, sed ea duntaxat, *quæ rationem impedit*, juxta illud *Prov.* 12. v. 21. *Non contristabit justum, quicquid ei acciderit.* Thom. de Aquin. in 3. Sent. dist. 15. q. un. art. 2. ad 1. *Becan.* in Theol. Schol. par. 3. tract. 1. c. 12 q. 6. n. 7. p. 112.

Vers. 5. *Qui dat flatum populo suo, & spiritum calcantibus terram.*

I. *Synecdoche* est *generis* pro *specie*: nam *spiritus* pro *anima hominis* est. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 14. m. 1. p. 441.

II. *Vincentius Victor* docuit, *animas humanas à Deo non ex propagine fieri, sed novas singulis hominum corporibus insufflari*; cum *Deus* dicatur *dare flatum populo suo, & Spiritum calcantibus terram.*

℞. (1.) *Augustinus* l. 1. de Anim. & ejus orig. c. 14. dicit, *flatum* ibi non significare *animam*, quâ natura vivit humana, sed *Spiritum Sanctum*, quem Deus populo suo dederit. (2.) Sed damus, ibi sermonem esse de *anima humana*; inde tamen haud conficitur, *eam non propagari*: nam idem affirmatur de *corpore*, Job. 10. v. 10. seq. quod tamen à *parentibus propagari* non negatur. *Histor. Magde.* Cent. 5. c. 5. p. 621. & 623. hypothes. 9.

Vers. 8. *Ego Jehovah, hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo*, &c.

I. Nomen *Jehovah* soli *vero Deo* competit: quia illud ita *Deo vero* appropriatur, ut *alteri* non detur.

*Smalcius* contr. Schopper. p. 47. excipit, nondum constare, *illam gloriam*, quam Dominus nulli daturus est, esse vocem *Jehovah*, cum duo hîc dicantur, tum *quòd sit nomen DEI*, tum *quod Dominus facturus sit*: priora tantùm attentionem parare sequentibus.

℞. Imò verò secundùm *nomen Dei* laus quoque ejus, *Psal.* 48. v. 11. ut certi simus, cultum & gloriam divinam nos *uni ac soli Deo* tribuere, oportet dari *proprium aliquod Dei nomen*, quo ab omnibus *creaturis* & *Diis fictitiis* distingvatur: tale verò est nomen *Jehovah*, ipso Deo hîc teste. Inde jubemur dare Domino *gloriam nominis ejus*, 1. Paral. 16. v. 29. *Psal.* 29. v. 2. *Psal.* 66. v. 2. *Psal.* 69. v. 8. *Malach.* 2. v. 2. & dare *nominis Jehovah gloriam*, Psal. 115. v. 1. atque inde *nomen & gloria Dei* conjunguntur, & pro *iisdem* habentur, 1. *Paral.* 22. v. 5. *Psal.* 102. v. 16. & 22. *Esa.* 59. v. 19. *Jerem.* 13. vers. 11. c. 33. v. 9. Adeò quicquid de *Deo* in hac vita cognoscimus, illud *nominis* appellatione continetur; ergo ut veri *Dei cognitio* ratione objecti solum Deum sibi propositum habet, ita quoque *nomen veri Dei* ipsi uni & soli convenit. *Gerhard.* in Exeg. loc. 2. de Nat. & attrib. divin. §. 29. p. 625. seq.

II. *Antitrinitarii* exinde inferunt, *Patrem ab æterno non communicâsse Deitatem Filio & Spiritui Sancto*, quòd *gloriam suam alteri se daturum neget.*

℞. Est. ἄγνοια τοῦ ἐλέγχου: opponitur enim hæc sententia non *Filio & Spiritui Sancto*, qui Patri sunt ὁμοούσιοι; sed *numinibus commentitiis Ethnicorum*. Immediatè enim subditur: *Et laudem meam sculptilibus.* Forster. tom. 2. Witteb. disp. 7. thes. 175. p. 563. seq.

III. *Qui naturâ non est verus Deus, ei non convenit divina gloria*: quia *verus Deus gloriam suam alteri non est daturus.* Et quia *Christo data est divina gloria*, necessariò hinc infertur, *Christũ ejusdem cum Patre essentia divina participem esse, aut ipsum invocari non oportere.*

Opponit 1. *Nicolaides* contr. Borcov. p. 80. excludi tantùm eum, *qui Deo contrarius*, ut est *omne sculptile & idolum*; non autem, *qui Deo subordinatus*, i. e. cui cum Deo convenit, & per quem Deus opera sua perficit: *illi* gloriam suam Deum non dare, *huic* verò dare.

℞. In Hebræo est אַחֵר, quod *quemvis alium* notat, nimirum *qui non est altissimus ipse Deus*, teste ipso Deo, *Exod.* 20. v. 3. Itaque à gloria Dei excluduntur, non *simulachra tantùm* (nam *Esa.* 48. v. 11. in dicti hujus repetitione, nulla est mentio *simulachrorum*) sed *creaturæ omnes*, quomodocunque vocentur, *quæ extra Dei personam sunt*, utut aliàs Deo etiam quàm proximè sint conjunctæ, eique sobordinatæ. *Moses* namque & *populus Israel* Deo subordinati fuere; neque tamen iis divina illa gloria competiit: quia videlicet *extra Dei personam subsisterunt.*

2. *Socinus* in Resp. ad Defens. Franc. David. c. 71. p. 144. de V. T. *temporibus* duntaxat sermonem esse, ideoque *tempora Christi in* N. T. nil attinere.

℞. Falsum est, duntaxat de V. T. temporibus esse sermonem. Deus enim loquitur *in futuro*: Gloriam meam alteri non *dabo*; & de temporibus N. T. vaticinatur, quando se gloriam suam alteri *daturum* negat. Confer cum hoc, *Esa.* 43. v. 10. seq. c 46. v. 9. c 48. v. 11.

3. *Smalcius* contr. Smiglec. c. 2. p. 26. Deum gloriam suam, quæ *sibi propria* est, absolutè non dedisse *alteri*, nec ipsi *Jesu Christo*, cum ipse non effecerit Christum talem, qui esset *omnium rerum prima causa*, quæ propria est Dei gloria, sed eam sibi soli reservârit; licet interim gloriam suam, *ei similem*, quæ *Dei propria* est, Christo dederit, dum eum omnium dominum, hæredem & judicem constituit.

℞. (1.) Deus Pater dedit Filio suo non *similem sua gloria*, sed *eandem gloriam*, quæ sibi competit. Nam Christus dicitur rediturus in gloria *ipsius Patris*, Matth. 16. v. 27. quam vocat *suam* gloriam, *Matth.* 25. v. 31. Et petit, se glorificari ea gloriâ, *quam habuerit apud Patrem*, antequam hic mundus esset, *Joh.* 17. v. 5. Habet igitur gloriam *ab æterno*, quæ non est nisi *divina simpliciter & absolutè*, non *analoga gloria Dei*. (2.) Similis illa gloria, quæ datur ei, qui *naturâ* Deus non est, divinæ gloriæ

magis erit *dissimilis*, quàm *similis*, utpote *infinitè ab ea distans*, ratione scil. *objecti* & *fundamenti*. Nam divinæ gloriæ fundamentum est *divina essentia & majestas*: jam verò Deo quoad *essentiam & majestatem* nullus ex diis factis est similis, *Psal.* 86. v. 8. *Psal.* 89. v. 7. Ergo etiam nulla gloria, quantacunque tandem sit, divinæ gloriæ *similis* esse poterit.

4. *Osiorrodius* Instit. c. 14. p. 86. *non dare* idem esse, quod *non permittere*, hoc videlicet sensu, Deum nō esse permissurū, ut *homines propria sua authoritate* (von ihnen selber) divinam gloriam suam ad alios transferant, nempe ut per *alienationem* ipse illâ spolietur; non ita verò, quasi nec ipse Deus pro *libera voluntatis arbitrio* eandem communicare posset aliis extra se.

℞. (1.) Hebræum נָתַן *propriâ* significatione significat, *dedit*; ab ea igitur ad *peregrinam*, urgente sine causa, non descendendum. (2.) Etiamsi verò concedatur, *non dare*, idem hic esse ac, *non permittere*, gloriam divinam per alienationem ad alios trāsferri; illud tamen falsum est, Deum pro liberæ voluntatis arbitrio gloriam suam divinam aliis extra se posse communicare. Cùm enim *gloria Dei* propriè sit laus *omnipotentiæ Dei*, v. 5. laus *omniscientiæ*, v. 9. laus *æternitatis ac infinitæ virtutis creandi*, Esa. 48. v. 12. seq. tam est impossibile, Deum illam pro libertate arbitrij ulli extra se creaturæ communicare, quàm ullam creaturam Deo invito eandem eripere posse. Virtus enim *infinita* non potest esse *subjectivè* in instrumento *finito*, sed solùm in *infinito* ente. *Balduin.* in Refutat. Catech. Arian. p. 265. seq. *Gravver.* in Expos. Hebr. 1. p. 73. *Gerhard.* in Exeg. loc. 4. de Person. Christ. §. 64. p. 1187. seq. *Pevverb.* fasc. 3. Dissert. Theol. disp. 6. thes. 68. 74. -78. p. 322. 325. 326. seq. *Iacob. ad Port.* in defens. Orthod. contr. Ostorrod. Instit. p. 128 seqq.

IV. *Sobnius* tom. 2. Oper. Theol. p. 502. asseverat, *λόγον gloriam suam divinam non impertiisse humanæ naturæ*, quoniam *Deus alteri gloriam suam non sit daturus*.

℞. (1) Ergóne λόγος humanæ naturæ suam quoque *hypostasin* non dedit? Ecce vivum *Nestorianismum*! (2.) Deus non dat gloriam suam alteri, *extra se & suam divinam naturam existenti*, etiamsi carni suæ in *seipso* gloriam suam communicat: quia humana Christi natura non est *alter aliquis*, *extra Deum subsistens*, sed cum λόγῳ unam constituit personam. *Selnecc.* par. 2. Exam. Ordin. p. 546. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 6. q. 9. obj 10. pag. 118. *Gerhard.* part. 1. Disp. Theol. disp. 9. thes. 1. p. 380. & in Exeg. loc. 4. de Person. Christ. §. 247. p. 1437.

V. *Reformati* quidam arbitrantur, *Christum secundùm humanam naturam non sedere ad dextram Dei*, eò quòd *gloriam suam alteri non det Deus*.

℞. Committunt illi fallaciam causæ: non enim quia Deus *alteri* (vel *idolo* vel *creaturæ extra se*) gloriam suam non dat, ideo *humana Christi natura* non sedet ad dextram Dei. In *Christo* enim non est ἄλλος καὶ ἄλλος, *alter & alter*; licèt sit ἄλλο καὶ ἄλλο, *aliud & aliud*: hoc est, in Christo non est *distinctio personæ*, quæ una est, sed *naturarum*, quæ duæ sunt. Hinc quod Filius dat suæ humanitati, non dat *personæ alteri*, sed *sibimetipsi*. Schröder. in Thron. Regal. Christ. par. 5. c. 2. pag. 373. 374. seq. *Thumm.* in Contin. Majest. Christ. p. 196. & 198.

VI. *Danæus* in Exam. Chemnit. de duab. Christ. natur. p. 417. audacter negat, *gloriam religiosæ adorationis datam esse humanæ Christi naturæ*; siquidem *gloriam suam alteri Deus non sit daturus*.

℞. *Illud ex hoc* non potest elici: quando enim *λόγος gloriam adorationis* per unionem personalem communicat naturæ humanæ, non dat illam *alteri*, sed propriæ suæ humanitati, ut dictum. Nam carni Christi non tribuitur adoratio *absolutè*, sed quatenus *personæ æternæ est unita*. Itaque adorationis objectum *per se* semper est & manet *persona*. Gravver. in Exposit. Hebr. 1. p. 72. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 6. q. 12. obj. 4. p. 138.

Vers. 10. *Cantate Domino canticum novum, &c.*

Species quædam *ἀντιλογίας* sese offert: *Evangelium* enim vocatur hîc *canticum novum*, quod tamen *in Paradiso* resonuit, *Gen.* 3. v. 15.

℞. Evangelium *novum* dicitur: 1. quia tale videtur homini *ψυχικῷ*, 2. quia *res novas* & admirandas continet, 3. quia *nova lux* in cordibus nostris per id accenditur, 4. quia *novas efficit creaturas*, 5. quia viam monstrat ad *novum illud cœlum*, quod anxiè expectamus. Aliàs ratione *prædicationis* æquè fuit in *Veteri*, quam in N. T. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 309. seq.

Vers. 13. *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir bellorum suscitabit zelum, vociferabitur, etiam clamabit, super inimicos suos prævalebit.*

Offert se (1.) *Hebraismus*: אִישׁ מִלְחָמוֹת, *vir bellorum*, i. e. *bellicosissimus*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: de DEO enim dicitur tum *zeli suscitatio*, quâ *Dei vindicta*, quam de inimicis suis sumet, notatur; tum *clamor militaris*, quo μακροθυμίας & longanimitatis DEI in *severam ultionem*, adversus nominis sui hostes, commutatio innuitur. Horrendo clamore milites Romanos olim fuisse usos, quando inibatur prælium, ad hostes consternandos, narrat Vegetius. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 671. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 224. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 127.

Vers. 14. *Tacebo à seculo, silebo, continebo me; quasi parturiens clamabo, desolabo & absorbebo similiter.*

Redit huc (1.) *Ellipsis*: Dicens, Tacebo &c. Item, *At nunc* quasi parturiens &c. (2.) *Enallage temporis* futuri, *tacebo, silebo, continebo me*, pro præterito, *tacui, silui, continui me*. (3.) *Hebraismus*: מֵעוֹלָם, *à seculo*, i. e. *jamdudum*, seu *longo jam tempore*. (4.) Ἀνθρωποπάθεια: DEO enim *clamor parturientis* humanitus tribuitur, quo pulcerrimè divinæ μακροθυμίας, & subsequentis, *vindictæ gravissimæ*, conditio exprimitur. *Mulier parturiens* cum sensu dolorem, quoad ejus fieri potest, tacita & ingemiscens luctatur, donec intensissimi doloris acerbitate victa, in clamorē & vociferationem erumpat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 224. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 671. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 127.

Vers. 15. *Desolabo montes & colles, & omnem herbam eorum exsiccabo, & ponam flumina in insulas, & stagna siccabo.*

*Hyperbole* est, quâ metaphoricè *extremum exitium*, hostibus populi sui à DEO inferendum, notatur: loquitur enim Propheta de *divina ultione*, ut de *igne omnium gravissimo*, qui omnia consumit, vastat & exsiccat. Et videtur ad locum *Deut.* 32. v. 22. respectus haberi. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 19. p. 472.

Vers. 20. *Videre multa, & non observabis; aperire aures, & non audies.*

*Enallage* est partim infinitivi, *videre & aperire*, pro indicativo, *vidit & aperuit*; partim personæ secundæ, *observabis*, pro tertia, *observabit*, uti antecedens & sequens verbum ostendit; partim temporis futuri, *observabit*, pro præsenti, *observat*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 225. & *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3 can. 50. m. 2. p. 390.

Cap. XLIII. v. 3. *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, & Æthiopiam, & Saba pro te, &c.*

I. *Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: nam *Ægyptus, Æthiopia & Saba* pro *Ægyptiis, Æthiopibus & Sabæis* ponuntur, unde in v. 4. per *homines & populos* (illarum regionum) exponuntur. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 40.

*Judæi* putant, *nos Christianos cessuros ipsis in expiationem*, utpote *quos dederit Deus propitiationem pro iisdem*.

℞. Nihil ibi de *expiatione peccati* agitur, sicut hoc agnoscunt R. *Aben-Ezra* & R. *Salomon*, exponentes de *permutatione primogenitorum* in Ægypto & æternis calamitatibus. Quanquam verisimile sit, Prophetam alludere & historiam recentem de *Rege Tirhaka*, qui Sennacheribo Judæam infestante, cum maximis *Ægyptiorum* atque *Æthiopum* (quo nomine & *Sabæos* complectimur) copiis adventavit, *Esa.* 37. v. 9. atque ita deveniens in Judæorum locum (ut loquitur Sapiens, *Prov.* 11. v. 8.) ipse fusus est, & Judæi liberati, ac proinde quodammodo Judæis redemptioni fuit. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 8. thes. 25. p. 184. seq. *Jun.* in Schol. Bibl. ad h. l. n. 41. p. 672.

Vers. 6. *Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremo terræ.*

*Hebraismus* est, quo masculinum & fœmininum ejusdem nominis conjunguntur, ad innuendam *multitudinem & varietatem* hominum: בָּנַי *filios meos*, וּבְנוֹתַי & *filias meas*, h. e. *ex quocunque sexu & ordine homines*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 20. p. 75.

Vers. 7. *Qui vocabitur nomine meo, & quem in gloriam meam creavi.*

*Photiniani* docent, nomen *Jehovah* etiam *creaturis* in Scriptura tribui, quoniam *populus Israel* nomine *Jehova* vocandus sit.

℞. Deus nequaquam dicit, populum Israel *vocatum iri ipsum Jehovam*; nam contrarium ipsemet protestatus erat, *Esa.* 42. v. 8. sed cœtū Israeliticum *à nomine Jehova denominatum iri* civitatem & habitaculum *Jehovæ*, populum *Jehovæ*, filios ac filias *Jehovæ*, uti explicatur *Esa.* 43. v. 6. *Gibbel.* in Exposit. Jerem. 33. v. 16. p. 168. seq.

Vers. 10. *Vos testes mei, dixit Dominus, & servus meus, quem elegi, ut sciatis & credatis mihi, & intelligatis, quod ego ipse, ante me non formatum DEI, & post me non futurum.*

I. Ecce (1.) *Synecdochen generis* pro *specie*: quia per *servum* DEI κατ' ἐξοχὴν intelligitur *Christus homo*. (2.) *Hebraismum*: נוֹצַר אֵל. *formatum DEI*, h. e. *formatum à DEO*; nam vox נוֹצַר (Camez in Patach, ob statum regiminis, commutatô) participium præsens est. Quanquam LXX. Vulgata & Lutherus æquè commodè reddunt: *Ante me non est formatus Deus*; sic enim נוֹצַר præteritum Niphal est. *Chaldæus* periphrasi utitur: *Ego sum ab initio, & secula seculorum mea sunt, & absque me non est Deus*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 1. p. 102. & lib. 5. tract. 1. cap. 14. m. 2. p. 441.

II. *Paræus* in Calvin. Orthod. arguit, v. 24. de *Christo*, ut *Mediatore*, nil agi; cùm *Jehovah* Christum *Mediatorem* à se hîc distinguat.

℞. (1.) Hac ratione *Servatoris* nomen in *Christum*, ut *Mediatorem*, etiam non competeret, quia v. 11. à *servo*, v. 10. distinguitur. (2.) Taceo, quòd in Prophetis sæpe variâ de causâ in eodem etiam orationis contextu transitus fit à *persona* ad *personam*: quid mirum ergo, si id fiat in hoc capite? *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin. p. 771. seq.

Vers. 11. *Ego sum Dominus, & non est salvator præter me.*

*Quicunque est salvator noster, est verus ac æternus Deus Israelis*: nam *præter hunc non est salvator*. Atque inde facilè subsumi potest de *Christo*.

*Ostorod.* Instit. c. 12. excipit. 1. verba illa, *præter me*, non ita intelligenda esse, quasi *nullus alius præter unum Deum salvator esset*, sed quòd *omnis vera salus, per quemcunque etiam illa in nos derivetur, à solo Deo proficiscatur, nec servare quisquam possit, nisi is, per quem Deus salutem præstet*.

℞. Propheta loquitur de *primo salutis autore*, qui certè *solus Deus est Israelis*. Itaque indubitata manet illa propositio nostra, *primum salutis autorem esse unum illum ac æternum Deum Israelis*, etiam ipso *Ostorrodio* non diffitente.

2. Locum hunc non de *æterna*, sed de *temporaria salute* intelligendum esse, ideoque nihil facere ad rem.

℞. Exceptio hæc non facit ad rem: neque enim ipse Adversarius negare potest, *primum salutis sive temporariæ sive æternæ autorem esse unum ac æternum Israelis Deum*; id quod de *Christo* affirmatur, *Hebr.* 1. v. 10. & *Actor.* 4. v. 12. *Iacob. ad Port.* contr. Ostorrod. p. 90. seq.

Vers. 13. *Etiam ante diem ego ipse, & non de manu mea eruens: operabor, & quis avertet id?*

§. 1. מִיּוֹם, *ante diem*, h. e. *antequam esset dies*, seu *ante ullum tempus*. §. 2. *Manus*, DEO tributa, significat *potentiam ejus*, exerentem se in forti protectione. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. pag. 661. m. 2. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 110.

Vers. 17. *Educens currum & equum & potentiam & robur, simul obdormient, non resurgent, contriti sunt, sicut linum extincti sunt.*

I. Ocurrit (1.) *Enallage* tum *numeri* singularis, *currum & equum*, pro plurali, *currus & equos*; tum *temporis* futuri, *obdormient*, pro præterito, *obdormierunt*. (2.) *Metonymia* partim *adjuncti* pro *subjecto*, quia חַיִל pro *exercitu potenti* sumitur; partim *materiæ* pro *materiato*, quoniam *linum* pro *ellychnio*, ex lino facto, est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 226. *Jun.* in Not. ad eund loc. p. 672. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. pag 21.

II. Ἄθεοι infirmare allaborant *mortuorum resurrectionem* ex eo, quòd de militibus pronunciet Propheta, *eos simul obdormivisse, nec esse resurrecturos*.

℞. (1.) Propheta saltem docet, Pharaonem cum suo exercitu in mari rubro penitus suffocatum & extinctū fuisse, nec *ex aquis emersisse*, ut populū Dei iterum persequi atque affligere posset, *Exod.* 14. v. 28. & c. 16. v. 10. Quo certè *futura mortuorū resurrectio* non negatur, sed tantùm *pristina virium recuperatio in hoc seculo*. (2.) Quod si de *resurrectione* al-

*ne alterius seculi* Adversarii omninò accipere velint, necessariò addenda est limitatio ex *Iob.* 14. v. 12. non resurgent, scilicet *ante diem novissimum*. Gerhard. tom. 8. LL. CC. loc. 30. de Resurrect. mortuor. §. 58. obj. 7. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. eod. c. 2. q. 2. obj. 4. p. 6086. seq.

Vers. 19. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio nova, &c.*

Nonnulli existimarunt, *Legem moralem ad* V. T. *duntaxat pertinuisse*, quia in N. T. *antiqua atque priora non sint respicienda, cum Deus nova sit facturus.*

℞. Hoc dictum *propriè* agit, non de statu Ecclesiæ, *qualis nunc est*, in quo facta est tantùm *inchoatio*, & multum nobis adhuc negotii est cum veteri Adamo; sed agit de *integra instauratione & completione plena liberationis ac perfectionis*, quæ *futura est in æterna gloria*, sicut id monstrat applicatio hujus dicti, *Apoc.* 21. v. 5. *Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* Chemnit. par. 3. LL. Theol. p. 118. seq.

Vers. 20. *Glorificabit me bestia agri, dracones & filiæ strutionis, cum posuero in deserto aquas, flumina in solitudine, &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) Pleonasmus: *Filiæ strutionis*, h. e. *strutiones*. Alii: *Pulli strutionis.* (2.) *Allegoria*, quâ ad *historiam exitûs ex Ægypto*, & beneficia miraculosa DEI, populo tùm exhibita, alluditur, in promissione liberationis ex *captivitate Babylonica*, q. d. similia illis jam præstabo benefacta, & nulla bestia, vel aliud quicquam, noxam meis inferet, sicut olim in deserto animalia noxia populo cesserunt, *Deut.* 8. v. 15. alia verò fuerunt cibo, *Exod.* 16. v. 14. &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 227. *Iun.* in Not. ad eund. loc p. 673. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 495.

Vers. 21. *Populus, hunc formavi mihi, laudem meam enarrabunt.*

*Enallage* est tum pronominis demonstrativi, זו, *hunc*, pro relativo, אֲשֶׁר, *quem*, tum *numeri*, quia nomini collectivo singulari, *populus*, respondet verbum plurale, *enarrabunt*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can 14. p. 200.

Vers. 22. *Non vocâsti me Iacob, nec laborâsti in me Israel.*

Argumentum *Tossani*, contra *fides ingressum in decretum electionis*, vide solutum in Vindic. *Deut.* 10. v. 15.

Vers. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis, laborare fecisti me in iniquitatibus tuis.*

I. Christus utitur (1.) *Hebraismo*: הֶעֱבַדְתַּנִי, *servire me fecisti in peccatis tuis*, h. e. *occasionem dedisti peccatis tuis*, ut durissimam passionis servitutem & onus sustinerem. Sic & quod sequitur. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: *sibi* enim in opere redemptionis tribuit *laborem*, tù ob insignem *molestiam*, tum ob consequentem summam *utilitatem* (utrumque enim vox *laboris* significatu suo comprehendit, juxtà illud *Genes.* 3. v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane*; ubi & *laboris* utilis effectus, & connexa molestia indigitatur) *Molestia Christi* quanta fuerit, ex Evangelica passionis Dominicæ descriptione satis & abundè patet. *Utilitas* quanta sit, ex consideratione thesaurorum, Cristi passione & merito partorum, liquet. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 10. p. 254. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 131.

II. *Christus* eo ipso, quòd *peccata nostra, eorumq; pœnas in se suscepit, pro iisdem satisfecit*: ipsum enim *servire fecimus in peccatis nostris*, eundemque *laborare fecimus in iniquitatibus nostris.*

Obvertit 1. *Ostorodius* contr. Tradel. pag. 217. non agi hoc loco de *Christo*, vel *ipsius satisfactione*; sed de *molestia Dei*, κατ' ἀνθρωποπάθειαν sic dictâ, quam propter peccata hominum sustinuerit. Eodem modo textum istum exponit *Calvinus* in Comment. Esa. 43.

℞. (1.) Non potest locus hic, *exclusâ Christi satisfactione*, de *Deo* intelligi. Is enim est, qui *servivit in peccatis nostris*, h. e. propter peccata nostra, quia venit, ut *ipse ministraret, ac daret animam suam redemptionem pro multis*, Matth. 20. v. 28. Is etiam *laboravit in iniquitatibus nostris*, quia *anima ipsius*, in opere redemptionis, *laboravit*, Esa. 53. v. 11. (2.) Dominus hîc à Propheta introducitur, non *iracundus*, ut propositum ei sit, talem *querelam contra nequitiam populi instituere*; sed introducitur *planè propitius & placatus*: nec *tristia* sunt, quæ hoc loco referuntur; sed *jucunda*. adeò ut etiam *peccatorum condonationem* meminerit, v. 25. Id ipsum quoque docet oppositio, v. 22. Non *tuo opere*, vel *sacrificiorum cumulô*, peccatorum remissionem prometitus es; sed *mihi serviendum ac laborandum fuit*, ut peccata tua delerentur.

2. *Pareus* in Calvin. Orthod. p. 157. seqq. sermonem ibi esse de *Christo*, ut *Iehova*, non ut *Mediatore*: Jehovam enim ibidem loqui.

℞. Non negamus, *Iehovam* hîc loqui; sed Jehovam *absolutè* acceptum, pro *tota Trinitate*, negamus ibidem loqui: contrà verò asseveramus loqui Jehovam *relatè* consideratum, nempe *laborantem & servientem in nostris peccatis*, uti probè notat *Oecolampadius*, qui *labor & servitus*, ipso *Pareo* teste sub finem hujus loci, in *passione Iehovæ mediatoris* consistit, *Esa.* 53. v. 11.

3. *Id. ibid.* eum, qui loquitur Esaiæ verbis, esse *Iehovam, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*, creantem, redimentem & sanctificantem Ecclesiam communi operatione, servato tantùm ordine personarum in agendo.

℞. Adversarius seipsum confundit. Quærimus enim, *quis* in redimenda & sanctificanda Ecclesia sit *ille ordo in agendo* inter personas Deitatis? Nonne si in eo ordine *Filium* consideremus, is in hoc communi opere agit ut *Mediator*, nimirum *servitute laboris sui* Ecclesiam sibi rediméns, condonatisque peccatis, justificans eam & sanctificans? Tolle jam respectum *officii mediatorii*, certè ordinem in agendo sustulisti. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. pag. 763. 766. -772. *Hutter.* in LL. Theol. p. 419. arg. 6. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de Justif. §. 45. p. 1068. seq. *Gravver.* in Dissert. Theol. contr. Gravver. p. 71. 79

Vers. 25. *Ego, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

I. Videre hîc est (1.) Epizeuxin: *Ego ego* ipse delens, ut ex Hebræo sonat, h. e. *ego solus* deleo; quæ repetitio pronominis, אָנֹכִי, *ego*, emphasin designat. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim *recordari peccatorum hominum* dicitur, cum *eos punit*, & *hac irâ sua vindicat*. Glass. lib 5. Philol. Sacr. tract 1. c. 7. p. 124.

II. *Anabaptistæ* negant, *ministros Ecclesiæ posse remittere peccata*, quod *solus Deus deleat iniquitates nostras & peccatorum nostrorum non recordari velit.*

℞. Solius quidem *Dei* est, *delere peccata*; interim tamen *peccata condonat* per *ministerium Ecclesiæ*, Matth. 18. v. 18. tanquam per *instrumentum*, per quod operatur omnia, quæ conversionem, pietatem & salutem concernunt, 1. *Tim.* 4. v. ult. *Hunckelm.* disp. Anabapt. 9. cap. 2. error. 2. thes. 5.

III. *Photiniani* audacter inficias eunt; *Deum*

*propter aliquam Christi satisfactionem nobis peccata remittere*, quoniam *propter seipsum ea remittat*.

℞. Hæretici committunt fallaciam *oppositorum*: Fingunt enim, *Deum* ipsum, & *satisfactionem Christi* se mutuò tollere; cum tamen ratione *subordinationis* rectissimè conveniant. Cum enim dicit Jehovah: *Ego deleo iniquitates tuas propter meipsum*; nihil aliud innuit, quàm se delere peccata, nō propter *ullum laborem aut meritum nostrum*, sed propter *se*, hoc est, propter *meritum & laborem suum*, v. 24. *Hutter.* in LL. Theol. p. 407. obj. 2.

IV. *Paræus* in Calvin. Orthod. autumat, *propriè* hic non introduci loquentem eum, *propter quem peccata nostra delentur*; sed eum, *qui ipse ea delet*, hoc est, *remittit*, & *eorum non ampliùs recordatur*: itaque ut *Deum*, esse, *qui delet*; ut *Mediatorem*, esse, *propter quem delentur iniquitates*, ne *persona Mediatoris* cum *Deo* confundatur.

℞. (1.) Fateor, non esse confundendam *personam Mediatoris* cum *Deo*; interim tamen *Deus* à *persona Mediatoris* neque distrahi debet: *Mediator* enim esse non posset, ni *Deus* esset. (2.) *Propriè* introducitur loquens is *Jehovah*, qui simul *& delet peccata nostra*, & *propter quem ea delentur*: Ego, ego sum, inquit Dominus, *qui deleo peccata tua*, (en habes eum, *qui delet*) & addit: *Propter me* (habes eundem, *propter quem delentur peccata*) Delentur autem illa *à Christo Mediatore*, Coloss. 2. v. 14. & *propter Christum Mediatorem*, Rom. 3. v. 25. Falsum ergo est, Christum delere peccata, quà *Deus* est non quà *Mediator*. Hunn. tom. 2. Oper. Lat. p. 768. & 775.

Cap. XLIV. v. 3. *Quia effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super germinatua.*

Verba hæc exhibent (1.) *Metaphoram*: quia *aquarum & fluentorum effusione* notatur *larga beneficiorū Christi collatio*. (2.) Ἀνθυποφορὰν... DEUS enim dicitur *effundere Spiritum suum*, cū *copiosè dona Spiritûs Sancti credentibus concedit*. (3.) *Synecdochen*: nam per *semen Israelis* intelligitur *Ecclesia fidei*, ex Judæis & gentibus adunati & geniti in Christo, ut apparet ex v. 5. *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 673. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 182. & cap. 10. p. 268.

Vers. 6. *Ego primus, & ego novissimus: & absque me non est Deus.*

I. *Vorstius* tract. de Deo & attrib. divin. p. 227. *Deo denegat æternitatem*, quòd *ipse* dicatur *primus & novissimus*: hanc verò relationem consistere non posse sine ratione *præteriti*, & *futuri*.

℞. Dicitur hoc de *Deo* per quandam *συγκατάβασιν*, dum Scriptura se accommodat ad nostrum captum, *æternitatem Dei* vocabulis, *successionem temporis* denotantibus, ἀνθρωπίνως & *humanitus* describens: neque enim intellectus noster *æternitatem*, nisi sub *imagine temporis*, perpetuâ successione partium durantis, concipere potest. Eo ipso autem Deus docet, nec ante se ullum fuisse Deum, nec post se futurum, atque adeò se esse æternum, *Arcular.* in Comm. Esa. 44. v. 6. p. 573. *Gravver.* Cent. 1. qq. illustr. Theol. disp. 2. q. 2. thes. 8. & 10. *Gerhard.* in Exeg. loc. 2. de Nat. & attrib. divin. §. 143. p. 765.

II. Argumentum nostratium, probans, *Deum esse omnium rerum principium & finem*, vide à corruptela *Socini* vindicatum in Vindic. *Esa.* 41. v. 4.

Vers. 9. *Plasta simulachrorum nihil sunt &c.*

*Simulachra non sunt adoranda: eorum enim plasta nihil sunt.*

*Pontificii* regerunt, *animum adorantis* non in ipsis *simulacris* figendum, sed ad *prototypa*, quorum simulachra sint, attollendum.

℞. Vana est exceptio hæc: de imaginibus enim vel *per se* vel *relativè* colendis, ne jota quidem in Scripturis extat. Sunt ergo hominum ἐθελοθρησκεία, quas devovet Moses: *Non quod tibi videtur, facies*, Deut. 12. vers. 32. Non absolvebat iste prætextus criminis *Israelitas*, qui coram vitulo procumbentes dicebant, *Solennitas Jehova*, Exod. 32. vers. 4. ut non tam *vitulum*, quàm *Jehovam* se adorare ostenderent in vitulo; sed tamen divina pœna eos excepit. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 3. Class. 3. pag. 877.

Vers. 10. *Quis formavit Deum, & sculptile conflavit, ad nihil utile? &c.*

*Carolstadius* de Imagin. ebuccinavit, *imagines non esse tolerandas*, quoniam *in eas Propheta invehatur*, tanquam *ad nihil utiles*.

℞. Propheta non *simpliciter* in *omnes imagines* invehitur, sed in *statuas*, quæ fiunt, in *sint Dii, & adorentur*, vers. 15. 17. 19. *Wigand.* de Sacramentar. p. 21.

Vers. 19. *Et non reducit ad cor suum &c. proventus arboris incurvabo me.*

*Metonymia* est tum *subjecti* pro *adjuncto*, quia ad *cor suum reducere*, est, *ad animum suum revocare*; tum *materia* pro *materiato*, quoniam *proventus arboris*, h. e. *ramus*, qui ex arbore provenit, pro *idolo* accipitur, *quod ex ramo arboris factum*. Jun. in Not. ad h. l. pag. 674. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 21.

Vers. 20. *Pascens cinere, cor illusum avertit, & non liberabit animam suam &c.*

In versu hoc habetur (1.) *Metaphora*: nam *idololatra* dicitur *pascere cinere*, h. e. *luctum & damnum accipere ab idololatria sua* (2.) *Synecdoche partis* pro toto: *Animam suam*, i. e. *seipsum*. Jun. in Not ad h. l. p. 674. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 280.

Vers. 21. *Memento horum Iacob, Israel ne obliviscaris mei.*

*Metonymia* est *causa* pro *effectu*: tum quia *Iacob & Israel* ponitur pro *populo Israelitico*; tum quia *meminisse & non oblivisci*, est, *animo totisque viribus ferri in res alicujus cogitationem*. Chaldæus: *Ne obliviscaris timoris mei*, q. d. *sed time me toto pectore*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. n. 1. p. 25.

Vers. 22. *Delevi, ut nubem, iniquitates tuas; & & quasi nebulam, peccata tua.*

I. Argumentum *Evangelicorum*, pro *impunitate pænitentium*, vide à φαυλεγίᾳ *Bellarmini* exemtum in Vindic. *Esa.* 38. v. 17.

II. *Bellarminus* l. 1. de Sacram. Baptism. c. 13. arg. 4. disputat, *Baptismum in homine ita omne delere peccatum*, ut nihil ampliùs sit, quod ei ad *culpam* imputari possit; cum in *Baptismo* DEUS ex homine deleat iniquitates, ut *nubem*, & *quasi nebulam* peccata. At cum solaris radius dissolvit nebulas calore suo, ita eas evanescere facit, ut nihil remaneat *tenebrarum*, sed cælum *verè serenum* appareat.

℞. Istud *delere* hic non potest *omnimodam culpæ ablationem* significare: siquidem Spiritus Sanctus *deleta* dicit peccata eorum, qui tamen ibidem

jubentur *reverti ad Dominum*. An verò quisquam *plenè purgatus*? an quisquam *reapse mundus, & totus mundus*, qui *nondum conversus*? Certè enim non *revertitur ad Deum*, nisi qui *aversus*. Quare istud *deleo*, necessariò significat Deum *non imputantem* peccata: ac proinde concedendum, illas comparationes *nubis & nebulæ* dici de hac *non-imputatione*, quia scilicet apud Deum peccata *non-imputata* ita censentur, ac si non essent. *Cham.* tom. 4. Panstr. l. 5. c. 5. §. 17. & 19. p. 119.

III. Ἐναντιοφανές est: *Deleo, ut nebulam, iniquitates tuas*; at *peccata nostra posuisti in conspectu tuo*, Psal. 90. v. 8.

℞. Aliter Deus *iratus* consideratur, aliter *beneficus*. Beneficentiâ suâ delet iniquitates *piorum*, at in ira expendit & punit peccata *impiorum*. Friedlib. in Annot. ad h. l. art. 3. class. 2. n. 7. p. 676.

Vers. 28. *Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebit*, &c.

I. *Calvinus* in Commen. Esa. vult, *Esa.* 40. v. 3. agi de *liberatione ex Babylone*, quia hoc loco nominetur *Cyrus*, per quem solvenda esset exulu Babylonica captivitas; cui quoque adstipulatur *Paraus*.

℞. Negatur, *illud* ex *hoc* sequi: fieri enim potuit, ut inter c. 40. & 44. in quo illud de *Cyro* legitur, interveniat *nova prophetia*; aut si continuetur *illa prior*, fiat ad liberationem per *Cyrum* expediendam transitus *aliâ occasione*, ut propterea non sit opus, oraculum *Esa.* 40. vers. 3. vestire *typo*, & quod de *Iudais* dicitur, ipsi *Cyro*, per saltum bene magnum accommodare. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 920.

II. *Bellarminus* l. 1. de Rom. Pontif. c. 15. arguit, verbum, *pascere*, Joh. 21. vers. 16. significare *summam potestatem*, eò quòd Cyrus dicatur *pastor Dei*, cui prædicat amplissimum regnum Propheta.

℞. N. C. nam *Ioh.* 21. v. 16. *subjectum pastura* est *Petrus, Episcopus*; at *Esa.* 44. v. 28. est *Cyrus, Rex*. Aliter verò *Rex* pascit subditos suos, aliter *Episcopus* plebem Christi. Quum igitur de *Rege politico* id verbum usurpatur, *principatum & summam potestatem* notat; quum autem de *Episcopo*, nunquam *dominatum unius*, sed semper *ministerium omnibus commune* significat. Erit igitur hîc non *simpliciter à pascendi* verbo arguendum, sed ex *Episcopatus natura*, quæ si *dominationem* non admittat, palam est, ne eo quidem verbo *eandem* posse significari. *Meisner.* par. 2 Philos. sobr. sect. 1. cap. 1. quæst. 4. obj. 2. p 50. seq. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 1 t. c. 12. §. 3. & 9. p. 210.

Cap. XLV. v. 1. *Sic dixit Dominus uncto suo Cyro; cujus apprehendi in dexteram ejus, ad sternendum coram eo gentes, & lumbos Regum dissolvam, &c.*

I. Propheta utitur (1.) *Metonymia signi* pro signato: *Uncto suo*, i. e. *vocato & instituto divinitus*, ad perficiendam voluntatem DEI, quæ mox subjicitur. Regum enim *inaugurationis* ritus ac symbolum olim apud Israelitas *unctio* erat, ut ex 2. *Reg.* 9. v. 15. patet. (2.) Hebraismo: *Cujus apprehendi dexteram*, h. e. *quem præsenti auxiliô meô defendo & guberno*. (3.) *Pleonasmô*: redundant, præfixum ב, IN, & suffixum ו, *ejus*. (3.) *Metaphorâ*: nam *lumbos*, quia *robur corporis* eis inest, pro ipso *robore* accipit. LXX. vertunt ἰσχὺν, *fortitudinem*. (4.) Ἀνθρωποπάθεια: DEUM enim dicit *dissolvere lumbos*, quia *inermes & imbelles efficit homines*, adeò ut viribus deficiant & destituantur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 229. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 675. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 70. cap. 7. p. 134. cap. 12. p. 344.

II. *Rabini* per *ducem Messiam* *Dan.* 9. v. 25. intelligi putant *Cyrum*, Persarum Regem; quia *hic* vocetur *Messias*, unctus Domini.

℞. (1.) N. C. hoc enim nomen commune est *regibus & sacerdotibus*, qui vocantur *Messia* seu *uncti*, id est, *divinitus excitati*, sicut *Psal.* 105. vers. 15. de *omnibus fidelibus* dicitur: *Nolite tangere Messias*, hoc est, *unctos meos*. (2.) *Effecta* utrobique sunt longè diversissima: siquidem, *Esa.* 45. vers. 1. Cyro attribuitur *debellatio hostium corporalium*; sed *Christo* Dan. 9. vers. 24. *peccatorum nostrorum expiatio*, quod beneficium *Cyrus* non præstitit. *Gesner.* in Dan. 9. disp. thes. 164. seq.

Vers. 4. *Propter servum meum Iacob & Israelem electum meum, & vocavi te in nomine tuo, cognominabo te, quamvis ignores me.*

In textu hoc continetur (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: Propter *servum meum Iacob*. i. e. propter *promissionem Iacobo datam*, quod *in semine ejus* (Christo) *benedicenda sint omnes gentes terra*, Genes. 28. v. 28. (2.) *Enallage temporis* futuri, *cognominabo*, pro præterito, *cognominavi*, h. e. *cognomine te appellavi*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 230. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 4. sect. 1. can. 8. p. 325.

Vers. 5. *Ego DEUS, & præter me non est alius.*

Argumentum *Sabellii*, contra *pluralitatem personarum divinarum*, vide solutum in Vindic. *Deut.* 32. v. 39.

Vers. 7. *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.*

I. Nonnulli arbitrati sunt, *tenebras, quæ erant super abyssum*, Gen. 1. v. 2 *fuisse creatas*, cum Deus dicatur *creare tenebras*.

℞. Nihil hîc de *creationis opere* tractatur, siquidem immediatè subjungitur: *Faciens pacem, & creans malum*. At *Deus malum non creavit*, neque *id extitit toto creationis tempore*: quin potiùs *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & ecce erant valde bona*, Gen. 1. v. 31. Ergo Dominus apud Esaiam seipsum explicans, per *lucem* quidem *pacem*, more Prophetico intelligit; per *tenebras* autem *malum*, quod *creare* dicit, cum id hominibus *immittit*. Hunn. tom. 3. Oper. Lat. p. 1433.

II. *Manichæi* hoc ad stabiliendum errorem suum de *duplici Deo*, Bono & Malo, detorserunt; adeò ut ab *illo* pax, ab *hoc* malum oriatur.

℞. Non est hîc sermo de *duplici Deo*, sed de *Deo unico*. Est enim *unus & idem numerò Deus*, qui facit pacem, & creat malum; sic enim ait: *Ego Dominus, & non est alter: ego Dominus faciens omnia hæc*. Arcular. in Comm. Esa. 45. v. 7. doctr. 6. p. 592.

III. *Celsus* apud Origen. lib. 6. contr. Cels. p. 317. *Scripturam* V. T. accusat *blasphemiæ*, quòd dicat, *Deum creare malum*.

℞. Clara oppositio *pacis & mali* evidentissimè testatur, non de malo *culpæ*, quod peccatum est, isthic dissseri; sed de malo *pœnæ*, seu de *publicis calamitatibus*, quas Deus iratus, ad vindicanda hominum peccata, infligit. Proinde sicut Deus populo, cui propitius est, *pacem largitur*: sic ei, cui irascitur, *malum immittit*, id est, *pœnam infligit*. De malo autem *culpæ* nemo hæc, nisi Diabolico furore correptus

ptus, interpretabitur. *Origen.* contr. Cels. p. 318. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 737.

Vers. 8. *Rorate cœli desuper, & nubes stillent justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul: ego Dominus creavi illud.*

I. *Metaphora* iteratur. Nam (1.) *cœli & nubes stillare justitiam* dicuntur, cùm *Deus cœlestia beneficia confert.* (2.) *Creare* idem est ac *patrare*: Ego *Dominus creavi illud*, nimirum *quod de populi Israelis liberatione, per Cyrum futurâ*, promisit, q.d. Ego, qui omnia creavi ex nihilo, & hoc sic *faciam mirabiliter*, ut ex nihilo præter spem omnem, creatum videri possit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 217. & 266.

II. *Papistæ* locum hunc ad B. *Virginem Mariam* accommodârunt, quasi votum sit Judæorum, ad *ipsam* directum, de *pariendo Messia.*

℞. *Propriè* agitur hîc de *Cyro*, populum Judaicum ex captivitate Babylonica liberaturô; non verò de *Messia.* In Hebræo enim est, צֶדֶק, *justitia*; non צַדִּיק, *justus*: & יֶשַׁע, *salus*: non autem, מוֹשִׁיעַ, *Salvator.* Quanquam non nego, posse hæc *Messiæ* accommodari, tanquam *antitypo*, quippe cujus typus fuit *Cyrus*: sed nego, in sensu *literali & primario* hic de *Christo* agi. *Tarnov.* in Exerc. Bibl. dist. 2. p. 79. 80. seq.

Vers. 9. *An dicturum est lutum fictori suo, quid facturus esses? & opus tuum non manus ad ipsum.*

Est (1.) *Ellipsis* verbi substantivi: *Et opus tuum non*, scil. *sunt.* (2.) *Metaphoram*: quia *manus* pro *viribus* sumuntur, (3.) Pleonasmum: *Opus tuum ad ipsum*, pro, *ad opus tuum*, pronomine IPSUM abundante. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 30. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 675 *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. canon. 25. m. 2. p. 218.

Vers. 12. *Ego, manus meæ tetenderunt cœlos, & omni exercitui eorum præcepi.*

I. Redit huc (1.) Hebraismus: *Ego, manus meæ*, pro, *Ego sum, cujus manus* &c. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *manus*, DEO tributæ, notant *ejus potentiam*, in *potentissima cœlorum extensione* se exerentem. (3.) *Metaphora*: quia צָבָא, *exercitus*, notat *stellarum ordinatissimam multitudinem.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 230. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. p. 109. seq & cap. 12. p. 379.

II. *Hieronymus* in Comm. h. l. quorundam meminit, qui ex eo, quòd *stellis Deus præcipere* dicitur, statuerint, *astra rationalia esse, & animam sensumque habere*, cum *Deus non præcipiat nisi intelligentibus.*

℞. *Præceptione*, DEO tributâ ἀνθρωποπαθῶς, *divinus*, & *ad certum opus peragendum directus* innuitur: quid vero *hæc* ad stabiliendam *stellarum intelligentiam*? Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 150.

Vers. 13. *Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet*, &c.

Argumentum *Pareí*, pro *Calvinistica* loci *Esa.* 40. v. 3. m. 1. explicatione, vide solutum in Vindic. *Esa.* 44. v. 28. m. 1.

Vers. 14. & 15. *Sic dixit Dominus; Labor Ægypti, & merx Æthiopiæ, & Sabæorum, virorum mensura, super te transibunt, & tibi erunt, post te ibunt, in compedibus transibunt, & ad te incurvabunt se, ad te orabunt: Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus: Verè tu es Deus abscondens, Deus Israel Salvator.*

I. Est hîc (1.) *Metonymia causæ pro effectu*: nam *labor* pro *opibus, labore partis*, sumuntur. (2.) *Hebraismus*: אַנְשֵׁי מִדָּה, *viri mensuræ*, h. e. *staturæ proceræ.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 230. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. p. 12.

II. *Noetus* olim docuit, *in Deo unicam esse personam*, quia *tantùm Deus sit*, *neque Deus sit absque eo.* Histor. Magdeb. Cent. 3. cap. 5. p. 104.

℞. Hic locus est contra *Noetum*: in Hebræo enim est vox אֱלֹהִים, notans *pluralitatem personarum divinarum*, extra quas nullus sit verus Deus. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 96.

III. *Hieronymus* tom. 5. Oper. suor. fol. 79. b. edit. Erasm. exinde rationem formavit pro *æterna Christi Deitate*: *in ipso enim tantùm Deus est, & absque eo non est Deus; ille ipse est verè Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*

*Socinus* in Refutat. Bellarm. & Wieck. pag. 182. seq. opponit 1. Hebraicam dictionem אַךְ posse non minùs reddi, *profectò*, quàm, *tantùm.*

℞. Hoc malè congruit cum assertione Socini, quâ locum hunc de *speciali, & Ecclesiæ propriâ, Dei præsentiâ* explicat. *Istbæc* verò exigit ejusmodi particulam exclusivam, quâ eadem à *generali ejusdem in toto orbe præsentiâ* discernitur; id quod non fieret, si diceretur, *profectò in te est Deus.* Hoc enim de *quovis populo alio extra Ecclesiam* etiam verum est, quum omnes simus, vivamus & moveamur in Deo, *Actor.* 17. v. 28. de quo dici nequit, *in te est Deus*, specialem illam præsentiam intelligendo, multò minùs, *tantùm in te est Deus.*

2. Posse de *Christo* rectè dici, *tantùm in te est Deus*, licèt eodem modo sit Deus in *Ecclesia*, nimirum per *gratiam*, pleniore tamen ratione.

℞. Falsum hoc est. *Exclusiva* enim vult, ut, quod asseritur de *uno*, cui tribuitur, de nullo alio idem asseratur: & *gradus rei*, quem multò pleniorem Christo, quàm Ecclesiæ, tribuit Adversarius, nõ variat ipsam *speciem*; id quod tamen necesse foret, si verè de Christo dici posset, *tantùm in te est Deus.*

3. De *Christi humanitate* dici non posse, quòd *Deus sit in ipsa*, cum *non per se subsistat*; id autem, de quo dicitur, *Deus in te est*, necesse esse, ut sit res *per se subsistens.*

℞. Si *per se subsistere* opponitur *inhærentiæ accidentis*, certè Christi humanitas *per se subsistit*, & Deus in ea; sin verò significat *hypostasin propriam*, sanè Christi humanitas *per se non subsistit*, nec Deus in ea; caret namque *propriâ hypostasi*, subsistitque in Λόγῳ per *illius subsistentiam personalem.* Sufficit autem, id, de quo dicitur, *Deus in te est*, esse rem *per se subsistentem*, modò *priori*, si non *posteriori.*

4. In *Hebræo* non legi, *& absque te non est Deus*; sed ad verbum, *Et non amplius, non Deus*; itaque hæc verba malè ad *Christum* trahi, cùm pertineant ad *Patrem*, qui sit *Deus ille abscondens se*, non, ut in Vulgata Versione legitur, *Deus absconditus.*

℞. (1.) *Æquipollentia* sunt, quæ pro *oppositis* habentur ab Adversario: Deus enim *abscondens se* est Deus *absconditus.* (2.) Petit Socinus principium, dum ad *solum Patrem* refert, quòd sit *Deus se abscondens, & Salvator Israelis*, ut excludat *Filium*, quem non vult esse illum Deum *se abscondentem*, & *Servatorem Israelis.* Id namque colligit ex malo præsupposito, esse scil. unum Deum, *ut essentiâ*, ita etiam *personâ*; quod falsum esse, ex 1. *Joh.* 5. v. 7. patet. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 283.-291. *Kesler.* par. spec. Metaphys. Photin. sect. 1. princip. 2. pag. 11. seq.

Vers.

Verſ. 22. *Convertimini ad me, & ſalvi eritis, omnes fines terræ: quia ego Deus, & non eſt alius.*

Rationem *Bellarmini*, pro *voluntatis humanæ cooperatione in converſione*, vide ſolutum in Vindic. *Joel.* 2 v. 12.

Cap. XLVI. v. 3. *Audite ad me domus Iacob, & omne reſiduum domûs Iſrael, portati inde ab utero, geſtati inde à vulva.*

Præfixum מִן *temporis* circumſtantiam notat: מִנִּי־בֶטֶן, *ab utero*, מִנִּי־רָחַם, *à vulva*, h. e. *ex tempore nativitatis*, q. d. *qui inde ab utero matris veſtra à me portamini.* Quam expoſitionem confirmat antitheſis in v. 4. *Et usque ad ſenectam & canitiem ego portabo vos* &c. Ubi *jod* in מִנִּי paragogicum eſt. Quanquam Lutherus *uterum* metaphoricè accipit, & DEO humanitus tribuit, ad *miſericordiam DEI* exprimendam, **die ihr von mir im Leibe getragen werdet/ und mir in der Mutter lieget**/ h. e. ut *Chaldæus* expreſſit, *dilecti mihi præ omnibus populis, & chari præ omnibus regnis.* Glaſſ. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 4. m. 1. n. 2. p. 655. & lib. 5. tract 1. cap. 7. p. 114.

Verſ. 4. *Et uſque ad ſenectam ego ipſe, & uſque ad canitiem ego portabo &c.*

Verba hæc continent (1.) *Hebraiſmum*: וְעַד־זִקְנָה, *& uſque ad ſenectam*, וְעַד־שֵׂיבָה, *& uſque ad canitiem*, q. d. *etiam ad illud uſque tempus, quo portatione & curatione maximè opus eſt*; & ſic SEMPER. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: Deus enim *portare* dicitur, cum *defendit ac clementer conſervat.* Glaſſ. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 12. p. 454. ſeq. m. 1. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 135.

Verſ. 5. *Cui aſſimilabitis me & adæquabitis? & comparabitis me, & aſſimilabor?*

Controverſiam, circa locum hunc agitatam, vide in Vindic. *Eſa.* 40. v. 25. deciſam.

Verſ. 6. *Vilipendentes aurum de crumena, & argentum ſcapô appendent, mercede conducent aurifabrum &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Syntheſis*: הַזָּלִים, *vilipendentes aurum*, h. e. *vilipendentes illud producunt de crumena & profundunt.* (2) Synecdoche: *Scapô*, i. e. *trutinâ*. Eſt enim *ſcapus* trutinæ pars, ex qua dependent lances. (3.) *Enallage temporis* futuri, *appendent & mercede conducent*, pro præſenti, *appendunt & mercede conducunt.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 232. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 676. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p. 231.

Verſ. 10. *Conſilium meum ſtabit, & voluntas mea fiet.*

*Calvinianis* certum eſt, *omnia providentiâ divinâ ita regi, ut neceſſitate abſoluta fiant*: cum *conſilium Dei ſemper ſtet, & voluntas ejus fiat.*

R. Mens Dei non eſt, *omnia fatali quadam neceſſitate fieri*; ſed, quòd licet impii varia ſalutis obtinendæ media excogiterit & comminiſcantur, conſilium tamen Dei de *ſalute, in Chriſto quærenda & obtinenda*, ſtare debeat immotum. Nam veluti *Babylonicum Aſſyriorum imperium*, longè potentiſſimum, ſubverſum eſt, quantumvis omnium in orbe terrarum primum fuerit, & æternam felicitatem ſibi promiſerit, tum propter *creditum Beli numen*, quem, ut regni inſtitutorem, gens illa colebat; tum propter *divinationis diſciplinam*, quâ *Chaldæi* præ aliis gentibus ſuperbiebant, & quam Deo cuidam *Nebo* acceptam referebant. Ita peſſum ibunt omnes gentes, quæ *ſimulachris*, quæcumque illa eſſe poſſunt, fidunt. Dei namque conſilium de ſalute & benedictione, *in Chriſto* unicè obtinendâ, ſtabit immotum. Quam eſſe genuinam loci adducti explicationem, è contextu planiſſimum eſt. *Brochm.* tom. 1. Syſt. Theol. art. de Provid. divin. c. 2. q. 3. obj. 9. p. 531. & 535. 2.

Verſ. 11. *Vocans ab Oriente volucrem, de terra longinqua virum conſilii mei, &c.*

§. 1. *Ab Oriente*, i. e. *è Perſide*. §. 2. *Cyrus* metaphoricè dicitur עַיִט, *rapax volucris*: *rapax*, ob *ſævitiam*, quam in deſtruenda Babylone, divino impulſu, exeruit; *volucris* autem, propter *celeritatem*, quia tã leviter omnes difficultates ſuperavit, quàm ſi prætervolâſſet. §. 3. *Virum conſilii mei*, h. e. *effectorem.* Jun. in Not. ad h. l. p. 676. *Glaſſ* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 34. m. 3. pag. 126. & lib. 5. cap. 11. tract. 1. p. 331.

Verſ. 13. *Dabo in Sion ſalutem, & Iſraeli gloriam meam.*

*Oſtorrodus* Inſtit. c. 14. p. 85. ſeq. probare allaborat, *Deum illius gloriæ*, de qua *Eſa.* 42. v. 8. agit, *aliquem participem feciſſe*, nempe *Iſraëlem*, quippe *cui gloriam ſuam ſit daturus.*

R. (1.) *Gloria Dei* hîc aliter accipitur, quàm *Eſa.* 42. v. 8. Nam *Eſa.* 42. v. 8. notat *laudem divinæ & infinitæ potentiæ*; at *Eſa.* 46. v. 13. *ipſum Chriſtum*, quem Simeon in ſua cygnæa cãtione vocat *gloriam Iſraelis*, Luc. 2. v. 22. procul dubio ad hunc locũ reſpiciens. (2.) Nec alias inſolens eſt, Deũ per *metonymiã effecti* dici *dare alicui*, vel *in aliquo*, *gloriam ſuã*, reſpectu *inſigniũ effectuum divinorũ*, quibus declarat ſuam veritatem, ſapientiã, potentiam, &c. qua de re vide *Ezech.* 26. v. 20. & c. 39. v. 21. Itaque cum Deus promittit, *ſe Iſraeli gloriam ſuam eſſe daturum*; non dicit, quòd *laudem ſuæ omnipotentiæ velit Iſraeli attribuere*, ita ut Iſrael potenter & ubique in medio inimicorum dominetur; ſed quòd ſalutem ſuam in Sion, & gloriam ſuam in Iſraele ſit *manifeſtaturus*, per prædicationem Evangelii, & ſtupenda miracula, à *Chriſto* edenda; quod ipſum verba immediatè præcedentia indicant; *Propè feci juſtitiam meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur.* Balduin. in Refut. Catech. Arian. p. 265. ſeq. *Grawer.* in Expoſ. Hebr. 1 pag. 73. ſeq. *Fewerborn.* faſc. 3. Diſſert. Theol. diſp. 6. theſ. 76. & 78. p. 326. ſeq. *Jacob. ad Port.* in Defenſ. Orthodox. contr. Inſtit. Oſtorrod. p. 128. & 130.

Cap. XLVII. v. 1. *Deſcende & ſede ſuper pulverem, ô virgo filia Babelis, ſede in terra; non ſolium, ô filia Chaldæorum: quia non addes vocabunt te teneram & delicatam.*

Propheta utitur (1.) *Enallage* imperativi modi pro futuro indicativi: *Deſcende & ſede*, h. e. *deſcendes & ſedebis*, q. d verè hoc tibi divinô ſupplitiô eveniet, quod jubeo. Plus autem efficaciæ habent imperativa in narratione, quàm ſi nudis verbis & ſimplicibus idem ſignificâſſet. (2.) *Proſopopœia* tam *Monarchiam* Babylonicam *corpori virginis* comparat, quia videbatur ſibi indomita, & erat in ſummo luxu delitiisque perdita. (3.) *Ellipſi* verbi ſubſtantivi: *Non ſolium*, ſcil. *eris*, h. e. *deſtitueris regia autoritate.* (4.) *Hebraiſmô*: Non *addes vocabunt*, i. e. non *ultra vocabunt.* Ariæm. par. 4. Bibl. p. 31. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 232. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 677. *Glaſſ.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 4. ſect. 1. can. 2. p. 317. & lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 209. m. 5. Vide Philologicas Annotationes in Vindic. verſ. 5.

Verſ. 2. *Accipe molas, & mole farinam, detege crines tuos, &c.*

In verſu hoc habetur (1.) Metaphora: *molitura* enim *duriſſima ſervitus & captivitas* innuitur, cui Chaldæi futuri ſint obnoxij; ſiquidem in regionibus Orientalibus maxima ſervitus erat, *tradi in molendinum*

*lendinum ac pistrinum*, Exod. 11. v. 5. *Iudic.* 16. v. 21. (2.) *Metonymia*: Mole *farinam*, h.e. *frumentum*, ex quo commolito farina conficitur. (3.) Synecdoche: *Detege crines tuos*, i.e. *luge capillis passis*. Jun. in Not. ad h.l. p. 677. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. ult. p. 30. & cap. 11. p. 305.

Vers. 3. *Visionem sumam, & non occurram homini.*

*Hypallage* est: *Non occurram homini*, pro, *non occurret mihi homo, seu non ferã mihi obstare quemquam aut intercedere.* Illam significationem פָּגַע obtinet. Lutherus: **Es sol mir kein Mensch abbitten.** *Iun.* in Not. ad h.l. pag. 677. *Glass.* lib 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 21. p. 738.

Vers. 5. *Sede tacita, & intra in tenebras, filia Chaldæorum: quia non addes vocabunt te dominam regnorum.*

Iteratur (1.) *Metaphora*: Intra in *tenebras*, i.e. *summas angustias, ignominiamque maximam.* (2.) *Hebraismus*: Non *addes vocabunt*, pro, non *ultrà vocabunt*, h.e. non *amplius futura es domina regnorum*; ubi etiam *idiotismus* intercurrit verbi *activi* pro *passivo*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 232. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 677. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 16. m. 1. pag. 275. & can. 34. p. 344. seq Confer Vindic. vers. 1.

Vers. 11. *Et veniet super te malum, non scies auroram ejus, &c.*

*Metaphora* est: *Non scies auroram mali*, h.e. *adventum subitaneum mali* vel *ortum non animadvertes primum*; sicut *aurora* manè in momento adest; verùm præ cæcitate sua Babylon non erat illum cognitura. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 235.

Vers. 13. *Stent & salvent te augures cæli, qui contemplantur sidera, & supputant menses, ut ex eis annunciarent tibi futura.*

*Patres* quidam acriter in *Astrologos* & *Genethliacos* invecti sunt, *eventus futuros*, qui ex *themate natalitio* prædicuntur, *observantes*; cum tamen *consideratio astrorum autoritate divinâ prohibita sit.*

℞. Deus non damnat *physicam considerationem effectuum*, qui oriuntur à stellis, ut videre est ex *Gen.* 1. v 14. quemadmodum nec *divinationes Medicorum* ex signis de secuturis *morbis*, vel *reconvalescentia*, vel *propinqua morte* damnat; verùm damnat *superstitiosas prædictiones*, quibus olim *Chaldæi* ex sideribus cæli prænunciare audebant *quosvis rerum eventus fortuitos*, quælibet occulta, & hominibus incognita; ut penes quem sint *res furtò ablata*, quid cras vel perendie in rebus illis, quæ *simpliciter* libertati hominum subjectæ sunt, futurum sit: item futuram hominis conditionem, vitæ genus, divitias, mortem, *mortis genus & tempus*, &c. *Balduin.* de Casib. conscient. l. 3. cap. 6. cas. 2. pag. 779. & 787. *Pezel.* par. 2. arg. & Resp. Theol. p. 75. seq.

Vers. 14. *Non liberabunt animam suam de manu flammæ, non pruna ad calefaciendum se, lux ad sedendum coram eo.*

*Occurrit* (1.) *Synecdoche partis* pro toto: *Animam suam*, i.e. *seipsos*. (2.) *Pleonasmus*: De *manu flammæ*, h.e. de *flamma*. (3.) *Enallage numeri* singularis pro plurali: *Non pruna*, i. e. *nulla erunt prunæ*, ab incendio relictæ. (4.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam אוֹר, *lux*, pro *igne* est. (5.) *Ellipsis* adverbii negandi, ex membro præcedente repetendi: *Non lux* &c. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 31. *Vatabl.* in annot. ad h.l. p. 233. *Iun.* in Not. ad eund. loc p. 677. Confer *Glass.* lib. 3. Philol Sacr. tract. 1. can. 38. pag. 148. & lib. 5. tract. 1. cap. 4 m. 1. p. 53.

Vers. 15. *Negociatores tui ab adolescentia tua, unusquisque in via sua erraverunt.*

*Anabaptistæ* improbant *in universum omnes contractus in Christianis*, quòd *negotiatores omnes in via sua errent.*

℞. (1.) In *Hebræo* non est, unumquemque negotiatorem *à via sua errare*; sed *è regione alterius erraturum esse*, h.e. *errabundum hinc inde dispersum iri*, cùm pœna Chaldæos obruet. (2.) Propheta non improbat *ipsum negotiationis usum*, sed *abusum*, nempe *fiduciã negotiationis & mercaturæ*, & docet, opulentissimos negotiatores tùm non posse opem ferre afflictis babyloniorũ rebus, *Osiand.* tom. 2 Paraphr. Bibl. p. 97. a. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 617. *Chẽnit.* par. 2. 11. Theol. loc. de Paupert. c. 5. p. 167. & 169 b.

Cap. XLIIX. v. 1. *Audite hoc domus Iacob, vocati in nomine Israel, & de aquis Iehuda exierunt &c.*

Jesaias adhibet (1.) *Metonymiam subjecti* pro adjuncto: *Domus Iacob*, i.e. *populus, ex Iacobi familia ortus*. (2.) *Ellipsin* pronominis relativi אֲשֶׁר: *Et qui de aquis* &c. (3.) *Metaphoram*: De *aquis Iehuda* exierunt, h.e. ex *Iehuda*, tanquam ex *fonte*, prodierunt. (4.) *Enallage personæ* tertiæ, *exierunt*, pro secunda, *exiistis*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 32. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 233. *Iun.* in not. ad eund. loc. pag. 677. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 256. Confer cap. 3. m. 2. p. 57.

Vers. 2. *De civitate sancta se vocant, & Deo Israelis innituntur.*

Esaias videtur esse Davidi contrarius: *ille* enim reprehendit Judæos, quòd Deo Israelis innitantur; *hic* verò id bonum æstimat, *Psal.* 118. v. 8.

℞. Propheta loquitur ex *opinione Iudæorum*, qui *gloriabantur, se niti Deo*, quod tamen non erat verum, velut ex v. 1. & 4. patet. Itaque docet, vanam esse illorum fiduciam, qui cum sint *impii*, nihilominus Dei auxilium & protectionem sibi polliceantur. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 621. *Iun.* in Schol. Bibl. h. l. p. 677. n. 5.

Vers 8. *Novi, te prævaricando prævaricaturum esse, & transgressorem inde ab utero vocatum à me.*

*Socinus* hic à Propheta *hyperbolem* adhibitam esse comminiscitur, quasi peccatum homini res quædam *plane naturalis* sit, non autem, quòd *ita sit revera*, i.e. *homo ab utero sit transgressor.*

℞. Hoc in loco non est *hyperbole*, sed Deus *verè & propriè* ibi describit hominum malorum vitium etiam *originale*, per *desertionem Dei ex utero*. Nam populus Judaicus non à prima sui conceptione & nativitate est *malitiosus* Dei desertor, quia ad hanc *malitiosam ἀποστασίαν* requiritur *προαίρεσις voluntaria*: quapropter populus est *desertor ab utero*, respectu *pravitatis ingenitæ*, cumque suis motibus vitiosis connexæ. *Fewverborn.* fasc. 2. Dissert. Theol disp. 4. thes. 25. 26. 45. p. 128. 129. 140.

Vers. 10. *Ecce purgavi te, & non cum argento; electum efficiam te in camino afflictionis.*

I. *Metaphora* est, quâ significat Jehovah, se *moderatè* populum suũ purgare, non sicut purgatur argentũ, nedum ut aurũ, quod exactissimè purgari solet, q.d. sic *attempero castigationem*, ut magis *imbecillitatis*, quàm *iniquitatis* tuæ rationem habeam: non ago tecum *summo jure*, quia si ab omni *scoria*, ut argentum, expurgandus esses, totus disperires, 1. *Corinth.* 10. v. 13. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 146.

II. *Theologus* quidam, *Huberi* applausor, arguit, *multos, qui voluntate fuerant electi, suâ impietate fieri reprobos*; quoniam *impii Iudæi*, *a Deo licet electi, reprobati tandem fuerint.*

℞. Propheta loquitur non de electione *propriè sic dictâ ab æterno*, sed de *temporanea*, quæ est *probatio per ignem tentationis*, sicut aliàs *aurum & argentum*

*tum* dicitur *electum* vel *preciosum*, quia satis superque purgatum & probatum. Quomodo igitur Adversarius hoc dictum concinnè ad *æternam illam electionem* detorquere potest? *Förster.* tom. 2. Witteb. disp. 14. controv. 12. thes. 93. seq. p. 983.

Vers. 11. *Et gloriam meam alteri non dabo, dicit Dominus.*

Controversias, circa locum istum motas, vide in Vindic. *Esa.* 42. v. 8. definitas.

Vers. 12. *Ego ipse, ego primus, & ego novissimus.*

Lites hoc in loco agitatas, vide diremtas, partim in Vindic. *Esa.* 41. v. 4. partim in Vindic. *Esa.* 44. v. 6

Vers. 13. *Etiam manus mea fundavit terram, & dextera mea palmavit cælos: vocans ego ad eos, stabunt simul.*

I. Ἀνθρωποπαθεία est: nam *manus dextera palmans*, DEO tributa, notat DEI *potentiam*, in *terræ fundatione*, & in *cælorum palmatione* seu *explanatione & æquatione* se exerentem, metaphorâ à *dextra hominis & palmo* (quæ mensura quatuor digitorum conjunctorum est) deductâ. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 112. seq.

II. Argumentum nostratium, contra *Angelicam orbium cælestium motionem*, vide ab exceptione *Conimbricensium* vindicatū in Vindic *Iob.* 34. v. 13. m. 2.

Vers. 16. *Non à principio in abscondito locutus sum; ex tempore, antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus: hæc dicit Dominus Deus redemptor tuus, sanctus in Israel.*

I. *In unitate essentiæ divinæ sunt tres personæ:* quia in *Deo est Iehovah mittens*, Jehovah *missus*, & Spiritus Sanctus itidem *mittens*; mittens verò à misso est distinctus *personaliter*.

Excipit 1. *Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck. p. 161. esse *enallagen personarum*, ut *Propheta*, in persona *Iehovæ* loquens, modò de *Iehova*, modò de *se* loquatur.

℞. Non potest hîc locum habere illa *personarum mutatio*. Nam copula ET, quæ habetur in textu Hebræo & Græco, cogit, ut de *eodem* omnia ista intelligamus: *Antequam fieret, ibi eram.* Qui autem hæc dixit, statim subjungit: *Et nunc misit me Dominus.* Alioquin, si licet sine causa fingere *mutationes personarum*, nihil unquam certi ex divinis literis colligi poterit.

2. *Ensedunt* in Explic. locor. V. & N. T. esse in allato dicto *locutionem reciprocam*, in qua *antecedens* loco *relati* ponitur.

℞. Neque hîc potest esse *locutio reciproca.* Etenim (1.) Sensus foret absurdus: *Ego misi me, & Spiritus meus.* Verùm, quis unquam dixit, quòd *se miserit*? quis etiam unquam hoc fecit? nemo profectò. (2.) Certum est, *hūc missum*, non esse *Patrem*, sed *alium à Patre*, quia Pater non habet, à quo mitti possit: ergo *Pater mittens* cum *Iehova misso* non reciprocatur.

3. *Socinus* ibid. p. 167. *Patrem non habere, à quo mittatur*, nusquam certè scriptum esse, nec aliunde colligi posse; ideoque id non esse asserendum, cum nihil vetet, qui nihilominus & *fieri potuerit*, & *factum aliquando fuerit*.

℞. Id ipsum negatur: *Patrem* enim *non habere, à quo mittatur*, aliunde colligi potest, nempe ex eo, quòd *illud non disertè legitur nullibi in Scriptura sacra*; & ex eo, quòd *Pater est origo Filii & Spiritus Sancti.*

4. *Alius ex Socini discipulis*, per *Spiritum ejus* non intelligi distinctum quid à *Iehova* sive *Deo*, sed *ejus virtutem*, qualis est *justitia, misericordia* in ipso *Deo.*

℞. Falsum hoc est. Nam (1.) ubinam *misericordia*, ut ὑποστατικῶς distinctum à Patre, sese revelavit, quemadmodum *Spiritus Sanctus* in Baptismo Christi *Matth.* 3. v. 16. & in ejus effusione in die Pentecostes, *Act.* 2. v. 3? Ubi etiam *justitia*, vel ulla alia *Dei virtus*? sanè nullibi. (2.) Si *virtus quadā divina* deberet per *Spiritum* intelligi, tùm inepta esset hæc oratio. Quis enim unquam dixit: *Ille & intellectus ejus hoc perceperunt*? Vel ubi locorum dicitur in Scripturis: *Deus & ejus omnipotentia vel misericordia hoc fecerunt*? nullibi. Ut enim hæc phrasis est aliena à *communi loquendi usu*, ita etiam in *Sacra Scriptura* non usurpatur. *Balduin.* de Casib. consc. l. 2. c. 2. cas. 3. p. 91. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 257. & 262. *Iacob. Martin.* l. 1. de trib. Eloh. c. 34. pag. 409. 411. 415. & c. 35. p. 429. seq. *Bellarmin.* l. 1. de Christ. c. 5. arg. 2. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 13. m. 2. p. 199.

II. *Christus est unus ille verus Deus*: quia est *is Iehovah*, qui apud Prophetam loquitur, ac pronunciat, *se missum esse à Domino Deo, & Spiritu ejus*: jam verò is, qui hîc apud Esaiam loquitur, est *unus ille verus Deus*, ut ex contextu patet.

*Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck. p. 162. seqq. & in Defens. Animadvers. p. 312. obvertit. 1. Prophetam loqui de *seipso*, ideoque malè *Deo* tribui, quod est *Prophetæ*.

℞. Propheta hîc loquitur non de *seipso*, sed potiùs *ipse Deus*, qui v. 12. dicitur *primus & novissimus*, & v. 16. *ibi fuisse, antequam aliquid fieret.* At hæc certè non possunt convenire *Prophetæ*, sed *Christo*, Apoc. 1. v. 17. & Joh. 1. v. 1.

2. Nihil vetare, quò minùs ad *utrumque simul*, verba v. 16. referantur: ad unum quidem, ut *adumbratum*; ad alterum verò, ut *adumbrantem*.

℞. (1.) Adversarius præsupponit, hîc esse *typicum quiddam in Propheta*; quod antè probandum, quàm sumendum erat. (2.) Negamus consequentiam jure esse reprehensam. Quod enim *soli Christo* convenit, nec in Scriptura *alteri* tributum legitur, quale illud apud Prophetam esse, ex conjunctis ibidem liquet; id *aliis cuipiam* convenire posse, rectè affirmari nequit: *prophetia* namque non est ἰδίας ἐπιλύσεως, 2. *Petr.* 1. v. 20.

3. Particulam Hebræam שם non modò IBI. sed etiam HIC in sacris literis significare; atque sic verba Hebræa reddenda esse: *Non tectè ab initio locutus sum, ex quo id evenit, ecce idem hîc adsum*; quæ utique *Prophetæ* accommodari possint.

℞. Exceptio hæc ex *particulari* procedit: *Alibi* particula שם significat HIC, ergo etiam *hoc in loco*; certè contra monitum *Petri*, de quo jam antè. Deinde explicationem interpretationis, ex *Hebræo* malè institutæ, de *suo*, nō ex *Scriptura*, affert. Quantò autem meliùs LXX. *Interpretes*, textum Hebræū secuti, reddiderunt: ἡνίκα ἐγένετο, ἐκεῖ ἤμην.

4. Verba apud Prophetam, si sint *Christi*, esse *prædictionem de Christo*, non qui *tunc existeret*, sed qui, *postea liket extiturus*, Prophetico tamen more loquens, tanquam *præsens* inducatur; ac proinde ex eo *Christi jam tùm præsentis existentiam* non probari, cum ex *prophetia* sive *prædictione futuri* non probetur *existentia præsentis*.

℞. Adversarius petit principium: asserit enim, Christum in V. T. *non extitisse præsentem*; quod antè probari oportebat, quàm illud ita dici fas erat. Certè longè aliter hac de re sentit Scriptura, quæ dicit, *ipsum fuisse, antequam montes erant*, Prov. 8. v. 22. 23. 24. *eundemque ab Israelitis esse tentatum in deserto*, 1. Cor. 10. v. 9.

5. Nihil

5. Nihil ad propositum facere, *Christum jam tum extitisse*; eò quòd non quæratur, utrum *jam tum Christus existeret*, sed an *sit ille unus Deus*.

℞. Fateor, probationem *existentiæ Christi in* V. T. *per se* non facere ad propositum hoc de *divinitate Filii*; facit tamen ad id *quadantenus & ex hypothesi Socini*, dicentis, *Christum idcirco esse merum hominem, quia non extiterit ante nativitatem ex Maria*: quo ipso destructo, ultrò sequitur, Christum in V. T. non *prædictum tantùm ut futurum*, quod quidem antea volebat Socinus.

6. *Christum* nihil ad *illum Prophetæ locum* pertinere posse, nisi jam constet, *eum esse illum Deum*; id quod *probandum*, non *sumendum pro concesso*.

℞. Non sumitur hîc pro concesso, quod probandum erat ex eo loco, *Christum esse unum illum Deum*; sed ex eo, quòd *ille unus Deus*, qui ibi loquitur, *se missum ait à Deo, & à Spiritu ejus*, Filius (de quo id accipiendū ostenditur ex *Joh.* 8. v. 18. & *Luc.* 4. v. 18) *Deus ille*, qui ibi loquitur, esse colligitur.

7. Pro eo, quod legitur apud Esaiam; *Et Spiritus ejus*; legi posse: *Et Spiritum suum*; quo doceatur, non de Spiritu *mittente*, sed de *misso* ibi sermonem esse.

℞. Nos contrà statuimus, legendum esse, *& Spiritus ejus*, non verò, *& Spiritum suum*; idque partim ob *evidentiam argumenti* sive *materiæ subjectæ*, de qua agit: partim ob *consensum* LXX. *Interpp.* qui verterunt, Καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, & *Hieronymus*, qui tom. 5. Oper. suor. fol. 83. legit, *Et Spiritus ejus*: partim ob *locum parallelum*, Esa. 61. v. 1. ubi Spiritus Sanctus tanquam *mittens* introducitur: partim ob *hypothesin Socini*, qui vult, *Spiritum Dei esse ejus virtutem & efficaciam*: at *hæc mitti non potest*; quod tamen necesse esset, ut statueretur, si versio illa Adversarii, tanquam vera, approbari deberet.

8. Hac ratione *Christum* non esse *Jehovam*, quoniam à *Jehova* mittatur; at necesse esse, ut alius sit is, *qui misit*, & alius is, *quem ille misit*.

℞. Est captio homonymiæ in voce, *Jehovah*: concedimus enim, Christum, qui v. 16. loquitur, nempe *missum à Jehova*, non esse Jehovam mittentem, *personaliter* sumtô vocabulô, ut alibi, *Gen.* 19. v. 24. *Jerem.* 23. v. 5. 6. *Ose.* 1. v. 7. &c. non autem hinc sequitur, eum non esse Jehovam *essentialiter*; Filius enim se unum cum Patre esse ait, *Joh.* 10. v. 30. Itaque is de *Jehova* loquitur, nō *essentiæ*, sed *personæ* respectu, à se distinctô. Sic & alius *personaliter* est, qui *mittit*: & alius, qui *mittitur*: non autem *essentialiter*. Imò verò & *mittens* est Jehovah, v. 16. & *missus* est Jehovah, v. 17.

9. *Principium in hac responsione peti*, cum in quæstione sit, *Filium Dei esse Jehovam essentiâ*.

℞. Non petimus principium, ex nostra thesi ita distinguentes. Cùm enim Scriptura *Jehovam missum à Jehova mittente* distinguat, & tamen *unum esse Jehovam*, disertè astruat; utique cogit nos, ut *prius* ad *personalem* distinctionem, *posterius* ad unitatem *essentialem* referamus.

10. Verba illa, *sic dixit Jehovah redemptor tuus*, &c. pertinere non ad *præcedentia*, sed ad *sequentia*.

℞. Imò vero etiam ad *antecedentia* referri possunt ac debent, ut manifestum ex *Joh.* 18. vers. 20. ubi Christus, *redemptor noster unicus*, dicit: *Ego in abscondito nihil locutus sum*. Gerhard. in Exeg. loc. 3. de SS. Trinit. §. 161. seq. p. 1100. & 1101. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 251.-264. & 998. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. p. 232. obj. 8.

III. *Hieremias*, Patriarcha Constantinopolitanus, in Resp. 2. ad scriptum Theol. Tubing. hinc concludere vult, *Spiritum Sanctum non procedere à Filio*, propterea quòd *miserit Filium*.

℞. Hoc causam Græcorum non juvat: Filius enim mittitur à Spiritu Sancto, non quatenus *Deus* est, sed quatenus *homo* est, sive ratione *humanæ naturæ*, juxta quam plenitudine Spiritus Sancti unctus, & ab eodem ad officium redemtionis missus est. *Gravver.* Cent. 1. qq. Illustr. Theol. 7. q. 3. pag. 169. *Gerhard.* tom. 1. LL. CC. loc. 6. de Spir. Sanct. § 73. p. 661. seq. *Becan.* in Theol. Schol. par. 1. tract. 2. cap. 6. quæst. 2. num. 7. p. 249.

Vers. 22. *Non est pax impiis, dicit Dominus.*

*Papistæ* negant, *pacem hæreticis esse servandam*, quoniam *impiis non sit pax*, ipso Deo dicente.

℞. Impiis non est pax, ex parte *ipsorum*, quòd sicut mare fluctuent, & quiescere nequeant, uti explicatur, *Esa.* 57. v. 20. ideo imitandi non sunt: at *pii*, juxta præceptum Davidis, pacem inquirunt ac prosequuntur, *Psal.* 34. v. 15. imo omnibus cum hominibus, quantum in ipsis est, pacem habent, Paulo monitore, *Rom.* 12. v. 18. *Thumm.* in Explic. Decalog. p. 271. & 273.

Cap XLIX. v. 3. *Et dixit mihi: servus meus tu, Israel, quo per te gloriabor.*

I. *Ellipsis* est tum verbi substantivi, *Servus meus tu es, Israel est*; tum præpositionis ב, אֲשֶׁר *quo*, pro בַּאֲשֶׁר, *in quo*, uti *Esa.* 44. v. 23. q. d. jubeo te primùm Israeli proponere verbum gloriosum meum, & in Judæis primùm gloriam meam explicare. *Rom.* 15. v. 8. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 32. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 5. not. 2. m. 1. p. 673. seq.

II. Controversias, huc pertinentes, vide decisas in Vindic. *Esa.* 42. v. 1.

Vers. 6. *Et dixit: Levis præ essendo te mihi servum, ad erigendum tribus Jacob, & desolatos Israelis ad reducendum, & dedi te in lucem gentium, ad existendum salutem meam, usque ad extremum terræ.*

En (1.) *Ellipsin* verbi: *Levis*, subint. *videris*, Judæis nim. Messiam DEI servum spernentibus, v. 7. (2.) *Hebraismum*: נָקֵל מִהְיוֹתְךָ, *levis præ essendo*, i. e. *levior, quàm ut sis mihi servus*. (3.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Christus* enim dicitur *lux gentium*, utpote quas verbô suô illustrat & sanctificat. (4.) *Metonymiam effecti* pro *causa*: nam idem Christus dicitur *salus* DEI, h. e. *salvator*, à DEO in hunc mundum missus. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 679. *Glass* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 3. n. 2 p. 659. lib. 5. tract. 1. cap. 2. m. 1. p. 23. & cap. 8. p. 176.

Vers. 7. *Sic dixit Dominus, vindex Israelis, sanctus ejus, ad contemnere anima, ad abominans gentibus, &c.*

Est hîc (1.) *Metaphora*: nam *Israel* pro *electis* DEI ponitur. (2.) *Enallage infinitivi* pro participio: *Contemnere anima*, h. e. *eum, quem contemnens est anima cujusque*. Sic statim sequitur participium, *eum, quem abominatur gens*. Loquitur autem de *Christo*. Jun. in Not. ad h. l. p. 679. *Glass.* lib. 3. Philol Sacr. tract. 3. can. 44. m. 4. p. 363.

Vers. 15. *Num obliviscetur mulier fœtûs sui, à miserendo &c.*

Iteratur (1.) *Hebraismus*: הֲתִשְׁכַּח, *num obliviscetur*, i. e. *oblivisci poterit*; & מֵרַחֵם, *a miserendo*, h. e. *ne misereatur*. (2.) *Enallage*: nam אִשָּׁה *mulier*, sumitur quasi *collectivè*, ut *totum sexum fœmineum* notat. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 33. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 5. p. 245. & can. 53. m. 2. p. 399.

Vers. 16. *Ecce in manibus sculpsi te, muri tui coram me semper.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: In *manibus*, h. e.

h. e. in *annulo*, manûs ornamento; in quo insculpi olim solebat *imago ejus*, quod præ aliis diligebatur, & in precio habebatur, ut in memoria & conspectu jugi esset, q. d. ego semper tui sum memor, mihique charus & acceptus es. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 236. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 1. p. 34.

Vers. 23. *Et erunt Reges nutritii tui, & fœminæ principes eorum nutrices tuæ, vultu in terram incurvabunt se, &c.*

I. Offert se (1.) *Enallage generis*: nam masculinum, מְלָכִים, *Reges*, & fœmininum שָׂרוֹתֵיהֶם *principes fœminæ eorum*, conjungutur; quo significatur *varium & multiplex studium*, quod liberali manu ab *omni illustrium hominum genere* impendetur in populum DEI seu Ecclesiam. (2.) *Metonymia adjuncti* pro subjecto: *Incurvabunt se vultu in terram demisso*, i. e. *reverentiam & honorem exhibebunt*, qua de re vide *Psal.* 72. v. 9. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 679. *Glass.* lib. 3. Philol Sacr tract. 1. can. 20. p. 75. & lib. 5. tract. 1. cap 4. m. 6. p. 72.

II. *Magistratus Christianus in Ecclesia primatum habet politicum*: quia *Ecclesia nutritius est*.

*Becanus* in Manual. controv. l. 5. c. 19 q. 2. n. 57. regerit, *Reges dici Ecclesiæ nutritios*, quia *sponsam Christi venerentur*, non quòd *primates sint Ecclesiæ*.

℟. Nimis jejuna est ista explicatio, quin potiùs genuina explicatio hæc est, quòd Reges & Reginæ instar *matrum lactent Ecclesiam*, præbendo ipsimet halcyonia, eamque variis beneficiis ornando. *Chem.* tom. 5. Panstr. l. 4. c. 13. §. 4. & 18. pag. 174. & 177.

III. *Arminiani* jus vocandi & dimittendi ministros Ecclesiæ *soli Magistratui politico* vendicant, quòd *Ecclesiæ nutritius* vocetur, h. e. *is qui Ecclesiæ ministros suis sumtibus fovet ac sustentat*.

℟. Est elenchus *causæ*: Reges enim dicuntur *nutritii Ecclesiæ*, non quòd *absolutum habeant dominium in Ecclesiæ ministros*, pro beneplacito vocandi, quos velint, aut dimittendi, quando velint; sic enim Ecclesia non *nutriretur*, sed *everteretur*: verùm quòd potentiâ suâ, quâ divinitus instructi sunt, utantur ad *plantationem & incrementum* Ecclesiæ, ipsique suppetias ferant, *Esa.* 60. v. 10. *Hutter.* in LL. Theol. loc. 32. de Magist. Civil. cap. 2. quæst. 4. p. 1032. seq. *Gravver.* in Exposit. Mich. 1. par. 1. q. 2. p. 14. & 22.

Vers. 24. *Nunquid tolletur à forti, præda? aut, captivitas justi salva esse poterit?*

I. *Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: nam *captivitas* pro *captivorum turba* accipitur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 51.

II. Locus hic Musculo in Comment. suspectus est de *mendo*, ideoque pro צַדִּיק, *justi*, potiùs legendum censent עָרִיץ, *robusti*; quòd respondentis Domini quæstioni v. 25. παραλλήλως congruat.

℟. (1.) Omnes *Hebræi Codices* ὁμολόγως habent, צדיק, & *Chaldæus* Paraphrastes, *innoxii*, id est, *justi*. (2.) Intelligitur verò captivitas *justi* vel κατὰ δόξαν justi, i. e. *tyranni*, qui prædicat se justum dominum ac possessorem eorum, quos bello cepit; quo sensu *Pharisæi* dicuntur *justi*, Matth. 9. v. 12. *Luc.* 12. v. 7. quia scil. *tales sibi esse videbantur*, Luc. 18. v. 9. vel κατ' ἀλήθειαν, justi, scil. militis, hoc est, quam miles aut dux *justè* cepit, hoc sensu: *Captivi justo bello capti num liberari poterunt?* Glass. l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. obj. 51. sect. 2. par. 2. p. 147. seq. & lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 4. p. 62.

Cap. L. v. 2. *Num abbreviando se abbreviabit se manus mea à redemptione? & an non est in me potentia ad eruendum? Ecce in increpatione mea exsiccabo mare, ponã flumina desertum, fœtebit piscis eorum à non aqua, & morietur in siti.*

In versu hoc habetur (1.) *Epizeuxis*: Num *abbreviando se abbreviabit* se, h. e. *an ullo modo* brevior est. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: *manus* enim, DEO tributa notat DEI *potentiã*, in *potentissima & miraculosa operatione* se exerentẽ; & *increpatio* DEI *realem effictionem*. (3.) *Hebraismus*: מִפְּדוּת, *à redemptione*, i. e. *quàm ut redimat*; & מֵאֵין מַיִם, *à non aqua*, h. e. *eò quòd desit aqua*. (4.) *Enallage numeri* singularis pro plurali: *Piscis fœtebit & morietur*, pro, *pisces fœtebunt & morientur*. Ariæm. par. 4. Bibl. pag. 33. Jun. in Not. ad h. l. pag. 680. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 110. & 129.

Vers. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.*

Verbis his vaticinium editur de *passione Christi*: de ipso enim prædicitur, fore ut *percutiatur facies ejus alapis, & conspuatur*; id quod impletum est in *palatio Pontificis*, Matth. 26. v. 67. & in *Prætorio Pilati*, c. 27. v. 29. seq. Obvertit. 1. *Calvinus* in Comm. h. l. Prophetam Esaiam loqui de *seipso*, & dicere, *etiam corpus suum percutientibus expositum esse*.

℟. (1.) Calvinus Judaizat: nam *Iudæi* hoc caput in *Esaiam* exponunt, ne confiteantur *Christum crucifixum*, teste *Oecolampadio*. (2.) Non est verum, Judæos esse repudiatos propter *Esaiam*, sed propter *Christum*, qua de re. v. 1. Unde argumentum, huic capiti in Bibliis *Herbornianis* præfixum, disertè verba illa exponit de *Messia*.

2. *Paræus* in Calvin. Orthod. hæc talia esse, quæ etiam *Prophetæ* contingere potuerint ab ingrato populo, sive ut *Doctori*, sive ut *Christi typo*.

℟. Quamvis *similia quædam* fortè evenerint *Prophetæ*, (tametsi id nusquam invenitur scriptum) tamen quòd ad *alias suas*, & non *unicè ad Christi contumelias* respexerit, probari non potest. Certè Christus, prædicens *se sputô & contumeliâ affectum iri*, Apostolos revocat ad Scripturam Propheticam, *Luc.* 18. v. 31. seq. Jam verò quod ita in specie de *sputo* ait, nullibi tam notanter & in specie prædictum est, atque in *hoc capite Esaiæ*, & sigillatim in hoc *versu* 6.

3. *Id. ibid.* Esaiam in medium prodire, velut eũ, *qui omnium servorum Dei personam sustineat*, & qui fuerunt ab initio, & qui postea futuri sunt.

℟. Hoc nihil facit ad rem præsentem. Etenim (1.) *Christus* non exprimitur, cum tamen interpretis officium requirebat, Christum exprimi, si de *ejus passione* vaticinium voluisset esse *typicum*. (2.) Ita verò patet, non aliter passionis Christi, quàm *tua vel mea afflictionis* typum, Esaiam constitui. (3) Sed neque de *futuris* passionibus solùm Calvinus loquitur, sed de *jam præteritis*; inquit enim: *Qui fuerunt ab initio*; atque sic etiam *Abelis & aliorum Sanctorum*. Hunn. tõ. 2. Oper. Latin. p. 670. 928. 930. seq.

Vers. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, succendistis: de manu mea fuit hoc vobis, in dolore jacebitis.*

I. Propheta utitur (1.) *Metaphorâ*: nomine enim *ignis* intelligit *falsam doctrinam & traditiones humanas*. (2.) *Enallage* imperativi, *ambulate*, pro indicativo, *ambulatis* vel *ambulabitis*. (3.) *Ellipsi* pronominis relativi, אֲשֶׁר, *quas* succendistis. (4.) Ἀνθρωποπάθεια: DEO namque tribuit *manum*, i. e. *potentiam, in pœnarum inflictione* se exerentem.

Ariam.

*Ariam.* par. 4. Bibl. p. 33. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p.238. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 681. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 239. seq.

II. *Iacobus de Bellviso* lib. 2. Pract. Crim. c. 13. num. 10. exinde probare vult, *hæreticos esse igne comburendos*; quòd *accensis flammis in igne debeant ambulare.*

℟. Adversarius aberrat à genuino Prophetici vaticinii sensu. Nam (1.) non est sermo præcisè de *hæreticis*, sed de *tyrannis*, qui Christi Ecclesiam persequuntur. (2.) *Flamma* capitur *metaphoricè* pro flamma *odii, invidiæ, impietatis, cæterorumque flagitiorum*, interprete *Hectore Pinto* in comm. h. l. non autem *propriè* pro flamma quadam *materiali.* (3.) Potissimùm respectus habetur ad *ignem infernalem*, qui manet omnes Ecclesiæ persecutores, nisi maturè resipiscant. Sed quid hoc ad *rogum*, *igne elementari in hac vita accendendum*, cui hæreticus imponatur? Genuinus itaque sensus ex fontibus *Hebræis* est iste: *Vos persecutores & hostes Ecclesiæ accenditis ignem, grassamini in meos cædibus, ignibus, aquâ & ferrô; sed iste furor cedet vobis in exitiū, perinde ac si quis eo ipso igne, quem accendit, conflagraret.* Gerhard. tom. 6. LL. CC. loc. 27. de Magistr. Polit. §. 353. p. 1101. seq.

Cap. LI. v. 1. *Intuemini rupem, excisi estis; & in cavum foveæ, effossi estis.*

Occurrit (1.) Ellipsis: *Unde* excisi estis, *unde* effossi estis. (2.) *Metaphora*: sermo enim est de *Israelitis piis*, ex *Abrahamo & Sara* natis ortisque, uti v. 2. explicatio subjungitur; translatione sumta à *lapidicina*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 34. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 283.

Vers. 5. *Insulæ ad me expectabunt, & ad brachium meum sperabunt.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: nam *insula* pro *insularum incolis* ponuntur. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: per *brachium* enim *Domini* intelligitur ipse *Christus*, potentia illa DEI Patris. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. pag. 37. & cap. 7. p. 109.

Vers. 6. *Cœli sicut fumus dissoluti sunt, & terra sicut vestimentum putrescet; & habitatores ejus, sicut ista, morientur, &c.*

I. Est hîc (1.) *Enallage temporis* præteriti, *dissoluti sunt*, pro futuro, *dissolventur*. (2.) *Metaphora*: nam *putrescere*, est, *interire*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 34. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 355.

II. *Mundus* aliquando secundùm *substantiam suam* interibit: quia partes ejus, *cœlum & terra*, sicut *fumus dissolventur*, & sicut *vestimentum putrescent.*

*Hieronymus* in Comm. h. l. respondet: *Si cælum & terra per totalem abolitionem peribunt, quâ consequentiâ habitatores ejus, sicut ista, morientur ac peribunt, velut ibidem Propheta addit, cum animas esse perpetuas, & resurrectura corpora noverimus?*

℟. Utique textus *totalem mundi abolitionem* asserit. Nam (1.) dicuntur cæli *deficere*, ut in *Hebræo* est, hoc est, aliquādo *planè non esse*. Aquila reddidit, *μαρανθήσονται, consumentur in nihilum*; Et Symmachus, *ἀλυθήσονται, in salis modum contererentur & evanescēt*, ut ipse *Hieronymus* ibid. monet. Jam verò manifestum est, *substantialem interitum* his verbis emphaticè exprimi. (2.) Verba Hebræa, כְּמוֹ־כֵן, rectè verti possunt, *sicut hoc*, id est, *quasi nihil* interibunt, **sie werden vergehen als ein Schnipplein.** (3.) Cæli dicuntur deficere, *ut homines moriuntur & intereunt*; quem certè interitum nemo jure vocare potest *accidentalem duntaxat mutationem*, multò minùs *in meliorem statum immutationem*, (aliàs quotquot moriuntur, ad *perfectiorem* statum eveherentur) sed est *substantialis compositi destructio.* (4.) Cæli dicuntur deficere eo sensu, quo *salus & justitia non deficit*, quemadmodum subjicit Propheta. *Hæc* autem non deficere dicitur, quatenus *semper est, & durat in æternum*: ergo quia cæli deficiunt, utique iJ non *semper* erunt, non durabunt *in æternum*, sed *aliquando* peribunt & desinent *totaliter*. Meisner. par. 1. Philos. sobr. sect. 3. c. 3. quæst. 4. arg. 4. p. 796. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 32. de Consumm. secul. §. 40. excep. 5. p. 391.

II. Argumentum *Astrologorum* quorundam, pro *spontanea cœli ob vetustatem ruinâ*, vide solutum in Vindic. *Psal.* 102. v. 27. m. 3.

Vers. 9. *Consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum: nonne tu ipsum proscindens Rahab, conficiens draconem?*

I. Adverte (1.) *Ægyptum* vocari רַהַב, propter *summam suam superbiam*: רַהַב enim appellativè id significat. (2.) Per *draconem* metaphoricè innui ipsum *Pharaonem*, ob vires & crudelitatem, quem Deus in mari rubro suffocavit. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 13. m. 2. p. 830. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 335.

II. *Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck p. 424. autumat, *dies seculi* idem esse, quod *dies antiqui*, Mich. 5. v. 2. cùm & eadē significatio sit hoc in loco.

℟. Est dispar utriusque loci ratio: neque enim *res* neque *verba* Esaiæ cum loco illo Michææ consentiunt, cum apud *Michæam* legantur, *ante initium, ante dies seculi*; ast apud Esaiam, *secundùm dies antiquos.* Tarnov. de SS. Trinit. p. 810. 832. seq.

Vers. 12. *Ego, ego ipse consolans vos: quis tu, ut timeas?*

*Sanctius* in Esa. 51. observat, *Scripturam solere, cum quis aliquid facit infirmum & indignum virili pectore, genus ipsi tribuere muliebre*; ut hoc loco: מִי אַתְּ וַתִּירְאִי, *quis tu, ut timeas*; ubi *fœmininum* adhibetur, quia *timere sine causa*, muliebris est ingenii.

℟. An hæc emphasis *fœminini* in hoc loco sit, valde dubium. Alloquitur Deus *Ecclesiam*, eamque tum hîc, tum aliàs crebrò, ut *mulierem*, *sponsam & uxorem* suam, introducit, uti Prophetarum lectio pleniùs edocet. *Numer.* 11. v. 15. Moses de *Deo* etiam utitur *fœmininô* אַתְּ pro אַתָּה, *tu*, quod absit, ut causæ, à Sanctio positæ, adscribatur. Vide & *Deut.* 5. v. 27. *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 21. p. 83.

Vers. 16. *Et posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meæ protexi te &c.*

Ἀνθρωποπάθεια est: nam *umbrâ manûs DEI protectionis divinæ robur & potentia, adversus quosvis hostes* innuitur; ea enim *manûs*, DEO humanitus tributæ, significatio est. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 186.

Vers. 20. *Filii tui defecerunt, jacuerunt in capite omnium platearum, ut bubulus retis &c.*

*Hebraismus* est: כְּתוֹא מִכְמָר, *ut bubulus retis*, h. e. *irretitus*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30 m. 7. p. 110.

Vers. 21. *Ideo audi nunc hoc, afflicta & ebria, & non à vino.*

*Ellipsis* est nominis substantivi: וּשְׁכֻרַת, & *ebria*, pro שְׁכֻרַת צָרוֹת, *ebria afflictionibus*, aut רָעוֹת, *malis*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 39 m. ult. p. 160.

Cap.

CAP. LII. v. 1. *Evigila, evigila, indue robur tuum, ô Zion: indue vestimenta gloriæ, ô Ierusalem, civitas sanctitatis: quia non adjiciet, veniet in te ultra incircumcisus & immundus.*

I. Jesaias adhibet [1.] *Epizeuxin:* verbum enim, *evigila*, repetit ad *majorem attentionem* indicandam. [2.] Metaphoram: *Indue robur tuum*, i. e. *confirma animum, quem abjecisse videbaris*, cap. 51. v. 9. [3.] *Enallagen* substantivi, *sanctitatis*, pro adjectivo, sancta. [4.] *Hebraismum*: Non *adjiciet, veniet*, h. e. *posthac non veniet*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 240. *Iun.* in Not. ad eund. loc p. 681. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 7. p. 110.

II. *Iudæi* propugnant adhuc *circumcisionem*, tanquam *unicuiq; Ecclesiæ membro necessariam*: cum *in Ecclesia non sit futurus incircumcisus.*

℞. Propheta loquitur non de Circumcisione *corporali* & *carnis*, sed de *spirituali* & *cordis*; id quod ex circumstantijs textus luculenter patet. Nam [1.] ipsi sermo est, non de *terrestri*, sed de *cœlesti Hierosolyma*, in quam non nisi, qui sunt circumcisi *corde*, intromittuntur: ad *terrenam* enim Hierosolymam multi venerunt incircumcisi *carne*. [2.] Esaias addit vocem *mundus*, quæ est ἐξηγητικὴ *circumcisi*, talis nimirum *corde & spiritu*. Quæ quidem circumcisio *moraliter* necessaria fuit, est, & erit fidelibus omnium temporum. *Deut.* 30. v. 6. [3.] Solenne est Prophetis, in descriptione beneficiorum *Messiæ*, phrasibus & typis *veteris Ecclesiæ* uti: itaq; Esaias loquitur de circumcisionis *antitypo*, nempe *Baptismo*, ubi *corde* circumcidimur, quando ex aqua & spiritu renascimur. *Hunn.* tom. 3. Oper. Lat. p. 1563. *Reinecc.* tom. 4. Panopl. c. 17. p. 195. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 22. de Circumcis. §. 21 obj. 2. p. 753. *Meelfuhr.* dec. 1. Vindic. Evangel. disp. 7. thes. 39. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Circumcis. c. 3. sect. 6. obj. 2. p. 1087.

III. Olim *Donatistæ*, hodie verò *Anabaptistæ*, contenderunt, *in Ecclesia non esse peccatores*, quòd *in ea non sint incircumcisi & immundi.*

℞. [1.] Propheta Ecclesiam N. T. appellat *mundã*, propter *Christum*, ut qui ipsam mundat lavacrô aquæ in verbo, *Ephes.* 5. v. 26. at quod Ecclesiæ propter *Christum* tribuitur, id Adversarij Ecclesiæ *simpliciter* tribuunt. [2.] Ita loquitur Propheta, ut sub descriptione *militantis* Ecclesiæ in his terris simul ad Ecclesiam *triumphantem* in cælis excurrat; ubi demum perfectè adimplebitur hæc prophetia, *Apoc.* 21. v. 26. Perperam igitur ad *militantem* Ecclesiam Antagonistæ hanc prophetiam *simpliciter* applicant. [3.] Si incircumcisus *ultra* non transibit per Ecclesiam, hoc est, non pars erit Ecclesiæ, ergo *quondam* fuit pars Ecclesiæ; quod adversatur assertioni Adversariorum. *Osiand.* in Enchir. Anab. controv. c. 6. q. 1. obj. 2. p. 104. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Eccles. c. 2. q. 19. obj. 2. p. 775.

Vers. 2. *Excutere de pulvere, consurge, sede Ierusalem, solve vincula colli tui, captiva filia Sion.*

*Anonymus* quidam Semijudæus in tract. de fundam. relig. Christ. membr. 1. autumat, caput hoc loqui de *recuperata libertate ex captivitate Babylonica*, quoniam *Ierusalem* jubeatur è *captivitate surgere, & vincula colli sui solvere.*

℞. Propheta non loquitur de libertate Jerosolymæ *corporali*, sed *spirituali*, per *Christum* factâ: is enim fecit, ut vincula sint soluta, *Ioh.* 8. v. 32. Unde R. *Salomon* fatetur, caput hoc de *Messiæ* temporibus esse intelligendum. *Jacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 104. p. 605. & 608.

Vers. 3. *Hæc dicit Dominus: Gratis venundati estis, gratis redimemini.*

Esaias Paulo repugnare videtur: *ille* enim asserit, redemptionem hominũ factam esse gratis: *hic* verò, eam factã esse per sanguinẽ Christi, *Rom.* 3. v. 24. seq.

℞. Non pugnant inter se Esaias & Paulus, quia Esaias particulam, *gratis*, opponit non *merito Filij*, de quo Pauli sententia expressè docet; sed *Diaboli injustitiæ*, & *hominum inopiæ*, quæ seipsam redimere non potest. Tale enim enthymema est in dicto Esaiæ, sumtum à jure usitato: *Cum gratis sitis venundati*, idest, cum mihi sine precio meam possessionẽ eripueritis; *gratis redimemini*, h. e. retraham vos magnâ gloriâ, nec Diabolo pretium dabo, sed potius latronum pœnâ eum afficiam. Et quia homines pretium mihi dare non possunt, redimam illos, non *ipsorum pretiô*, sed *Filio persolvente λύτρον*, non ut *detur aliquid Diabolo*, sed ut *satisfiat justitiæ divinæ*. Taceo, quòd in *Hebræo* non sit, *gratis redimemini*, sed, *non in argento redimemini*; id quod præter Paulum etiam *Petrus* asseverat, 1. *Petr.* 1. v. 18. *Pezel.* par. 1. Arg. & Resp. Theol. p. 249. seq.

Vers. 5. *Et nunc quid mecum hic, dicit Iehovah, quia ablatus est populus meus gratis.*

*Anonymus* ille Semijudæus ibidem adhuc pugnat pro *captivitatis Babylonicæ* assertione, quòd Deus queratur, ablatum esse populum suum gratis, nimirum *in captivitatem Babylonicam.*

℞. In his verbis non agitur de *captivitate Babylonica*, quippe quam v. 4. in *tyrannide Assyriorum* Deus jamdum incluserat; sed de *planè nova oppressione & calamitate*, domesticâ nimirum & intestinâ, à *supremo ordine Doctorum* institutâ, qui mirum in modum exactionibus gravabant populum, & doctrinas, de ingenio suo confictas, afferebant, quæ tantùm abest ut quietem præstent conscientijs, ut eas semper dubias, perturbatas, desperabundas, & ut Propheta loquitur, *ululantes* relinquant. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 104. p. 609. seq.

Vers. 6. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in illa die: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsũ.*

*Christus est Deus ille unus Israëlis*: quia dicitur *locutus ab initio* (per Prophetas) nunc autem (in carne manifestatus) loquens per seipsum; id quod *soli Deo Israëlis* competit.

*Socinus* in Refutat. arg. Bellarm. & Wieck. p. 175. excipit. 1. locum hunc ad *liberationem Iudæorum ex captivitate Babylonica* esse referendum, & ideo ad tempora *Christi* non, nisi *mysticè*, pertinere.

℞. Nihil hic habetur de *liberatione Iudæorum ex captivitate Babylonica*, sed agitur de *adventu Filij Dei in carnem*, quâ in medium ipse erat proditurus, Evangelium annunciaturus, & munia redemptionis expleturus, *Esa.* 61. v. 1. *Luc.* 4. v. 3.

2. Nullum esse ibi verbum, quod significet *adventum* (Christi in carnẽ) *qui* tamen inde colligatur.

℞. De *voce* conceditur à nobis, de *re* negatur. Nam quia Jehovah per Prophetam dicit: *Sciet populus meus nomen meum*; & verò illud ipsum nomẽ esse in *Christo*, angelo sive legato Dei, idem Jehovah, *Exod.* 23. v. 21. testatur qui cognoscetur præsens ex operibus liberationis *spiritualis*, de qua hoc loco: sequitur, de *eodem* hic dici, quòd sit venturus, quando illud beneficium populo suo est præstiturus.

3. Neq; ibidẽ scriptũ esse, *sciet populus me ipsum loquentem, qui antè per Prophetas loquebar*; sed *veritatem & fidelitatem Dei in promissis servandis* innui, & per Dei *præsentiã* significari ejus *præsentem operam ac favorem*: q. d. Ego, qui hæc *verbis* promitto, eadẽ *reipsa* præstabo; vobis enim *operã & favore* adero.

℞. (1.) Utique res, de qua controvertitur, in allegato loco continetur; licèt *verba*, quæ urget Adversarius, ibidem non habeantur. Nam ab initio versus dixit Jehovah per Prophetam: *Ideo* (nempe quia tanta est oppressio populi mei) *faciam, ut experimento ipso cognoscat populus meus nomen meum* (in *angelo* sive *legato meo*, quem ad eum vindicandum mittam, ut olim feci, quando eos à servitute *Ægyptiaca* liberali causa asserebã manu. *Exod.* 23. v. 21.) ideo *cognoscent in die illo* (liberationis spiritualis) *quòd ego sim, qui loquor per Prophetas*: Ecce me: q.d. Deum manifestatum in carne, 1. *Tim.* 3. v. 16. & *visibiliter* prædicantem in ea, ut olim *invisibiliter* per Prophetas. (2.) Et quia *singulare* aliquid promittitur cognoscendum populo in futurum, quando liberatio *spiritualis* dudum promissa tandem præstabitur, veritas autem & fidelitas Dei in servandis promissis sit *communis omnibus temporibus*; non *hujus modi* præsentiam *communem* per gratiam & favorem erga Ecclesiam hîc pollicetur Deus, sed *alterum*, qui sit *planè singularis*, nempe *inhabitatio corporalis in Christo*, Coloss. 2. v. 9. *Tarnov*. de SS. Trinit. p. 277. - 281. Areular. in Com. Esa. p. 677.

Vers. 7. *Quàm desiderabiles sunt in montibus pedes nuncij, nunciantis pacem, nunciantis bonum, nunciantis salutem, dicentis ad Zion: Regnavit Deus tuus.*

Propheta continuat vaticinium de *Christo*, quem in Spiritu vidit pedibus *jam perambulantem montes Iudaa, & evangelizantem*.

Obtendit 1. *Anonymus* ille Semijudæus l. supr. c. verba illa optimè ad prædictionem liberationis ex *captivitate Babylonica* referri posse, quippe quam *Cyri nuncij* passim annunciârint.

℞. Hoc ipsum est contra scopum Prophetæ: quandoquidem de nullo alio, quàm de *Christo* loquitur. Postquam enim v. 6. *Adventum Christi in carnem* indicavit, nunc per ὑποτύπωσιν *salutiferum ejus praconium* annunciat, quod *Hierosolyma*, montibus undiq; cinctæ, *Psal.* 125. v. 2. & in *Iudaa*, admodum montosâ, *Exod.* 15. v. 17. peregit, historiâ Evangelicâ teste. Itaque falsum est, Prophetam hîc loqui de *Cyri nuntijs*: neque enim in *plurali*, tanquam de *multis*; Sed in *singulari* numero, de *uno* loquitur, isque est *Deus Israelis*.

2. *Id. Ibid.* in *captivitate Babylonica* Deum visum quasi fuisse, quòd *regnum deposuerit*, dum Babylonijs permisit, ut cum populo Judaico agerent pro libitu suo; in *liberatione* autem se *Regem* esse præstiturum.

℞. Idipsum non dicitur respectu *specialis captivitatis Babylonica*, ut sibi imaginatur Anonymus; sed respectu *totius Ecclesia*, hoc sensu: *Ecce Deus tuus, popule mi, superata morte triumphat, & regnat in medio inimicorum suorum*, Psal. 110. v. 2. Hæc enim ferè summa est *Evangelij*, *à Christo prædicati*.

3. *Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck. p. 176. eadem verba non esse de *unico & solo Christo* intelligenda, cùm ista prædictio non sit *Esaia propria*, sed *communis* & tunc & deinceps aliis *Prophetis*.

℞. (1.) Quasi verò *solus Esaias*, & non alij quoque Prophetæ, de *Christo* vaticinari debuerint; cum contrarium asserat Petrus, *Act.* 10. v. 43. (2.) Propheta de *uno pracone* loquitur, ut ex *Hebræo* textu manifestum est; ubi non satis fuit Deo per Prophetam dixisse *singulari* numero bis, מְבַשֵּׂר, sed addit toties aliud participium ejusdem numeri, nimirum מַשְׁמִיעַ, ut indubitatum sit, *unicum & Principem legationis* designari, nempe *Filium*, qui in sinu Patris existens, hoc Evangelium nobis annunciavit, *Ioh.* 1. v. 18. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib Eloh. c. 102. p. 591. & c. 4. p. 611. seq. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 281. & 282.

Vers. 8. *Vocem speculatores tui attollent, voce pariter exultabunt, quia oculô ad oculum videbunt, cum reducet Iehovah Zion.*

Sermo adhuc est Prophetæ de *Messia exhibiti* temporibus, & dicit, *ipsum ab oculo ad oculum esse tum videndum*, & quidem cum *spectatorum tripudio*. *Socinus* in Resp. ad arg. Bellarm. & Wieck. p. 176. respondet, phrasin illam, *oculô ad oculum videre*, posse multò probabilius ad *liberationẽ ex captivitate Babylonica* referri, quàm ad *Christi tempora*; eò quòd hîc non agatur de videndo *ipso Deo*, hoc est, *Christo incarnato*, sed de videndo *ejus opere*, cum reduceret Sion sive populum suum in *Hierusalem*, ex *Babylone* liberatum.

℞. (1.) Socinus prorsus Iudaizat: nam & idem sentit *Anonymus* ille, de quo suprà. (2.) Falsum est, prædictionem hanc posse de *liberatione corporali ex captivitate Babylonica* rectè intelligi; cum tamen *allegoricè* Propheta agat de *Ecclesia instauratione*, per *Christum* futurâ. Quandoquidem versus hic cohæret cum præcedente, ubi sanè de *Christi* temporibus Vates loquitur, vel ipso Paulo teste, *Rom.* 10. v. 15. *Iacob. Martin.* & *Tarnov* ll. cc.

Vers. 10. *Nudavit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terra salutare Dei nostri.*

I. Propheta usurpat (1.) Ἀνθρωποπάθειαν: nam mentione *brachij* DEI *doctrinam Evangelij* indicat, *quod potentia Dei est ad salutẽ omni credenti*, Rom. 1. v. 16. (2.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: quia per *fines terra* intelligit *homines*, *in extremis terra oris degentes*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 41. & cap. 7. p. 109.

II. Pergit Propheta explicare fructum *adventus Messia*, ut qui in *debellandis Ecclesia hostibus* potentiam suam diviuã exeruit, unde fama victoriæ Christi per Evangelij divulgationem ad omnes gentes emanavit, quæ fide *salutare DEI* viderunt, postquam nomen ipsi dederunt.

*Socinus* ibid. oggerit, versum hunc ad *eandem ex Babylone liberationem* accommodari posse, utpote quæ non potuerit non esse celebris, & multis gentibus ac regionibus nota, cum sub *Cyro*, tam latè in orbe terrarum dominante, contigerit, & quidem *publicô* ipsius edictô; ad *Christi* verò tempus nequaquam posse referri, quia, si verba ipsa spectare velimus, prædictio ista non *tempore Christi*, sed *paulatim postea* impleri cæperit, nec unquam hactenus *perfectè* impleta sit.

℞. (1.) Versus hîc nullo modo de *liberatione ex captivitate Babylonica* intelligi potest, sed de *longè majore & universaliore*, quæ non tantùm pertinet ad *populum Iudaicum*, sed ad *omnes gentes ac populos universa terra*. Est enim redemptio hæc *salutare illud Iehova*, quod visuri erant & experturi *omnes gentes*, & *omnes fines terra*. Talis autem non est liberatio ex *Babylone*, tum quia illa in *minima terra parte*, & quidem *certo populo* contingebat, tum quia admodũ *pauci* viderunt salutare Dei in *speciali* illa liberatione ex captivitate Babylonica; verùm *sola illa & unica liberatio*, quâ Filius Dei in assumta carne sufficiens λύτρον pro totius mundi peccatis solvit Deo patri: atq; inde *nominis sui gloriam*, ac *parta salutis famam* ad *exteros usq; orbis terrarum fines* divulgavit. (2.) Adversarius falsum nobis tribuit, quasi dicamus, spiritualem redemptionem, à Christo præstitam, populo suo *captivo* fore divulgandam tempore *ministerij sui*, quod in terris peregit;

quod minimè asserimus, qui *indefinitè*, citra certam temporis circumscriptionem, in omnem terram exiturum Evangelij sonum, ex Apostolo didicimus, *Rom. 10. v. 18. tempora* autem & *opportunitates* hujus divulgationis solum Patrem cælestem nôsse, qui habet eas in sua manu & auctoritate, *Actor. 1. v. 7. Iacob. Martin.* l. c. p. 613. seq. *Tarnov.* ibidem.

Vers. 11. *Discedite, discedite, exite inde, pollutum ne tetigeritis, exite è medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini.*

I. Verba hæc exhibent [1.] Epizeuxin: *Discedite, discedite*, h. e. *festinanter & sine mora recedite.* [2.] *Allegoriam*: per allusionem enim metaphoricam *Christiani* dicentur *portantes vasa Domini*, h. e. *spirituales Levitæ* seu *Sacerdotes*, qui hostias Spiritus DEO acceptas per Christum, offerunt; & *sanctimoniæ studium* per *fugam contactus immundorum* allusivè exprimitur, qui in lege Mosaica prohibitus erat, Apostolo interprete, *2. Cor. 6. v. 17. Iun.* in Not. ad h. l. p. 682. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 20. p. 496.

II. *Anonymus* ille Semijudæus l. supr. c. instat, Prophetá hîc agere de *liberatione ex captivitate Babylonica*, quoniam jubeat *Iudæos exire è medio Babel.*

℞. Omnino jubet Propheta exire ex *Babel*, sed non *terrestri* illa, verùm *spirituali*: Dominus enim, quos redemit, vocat ex hoc *mundo*, tanquam ex *spirituali* Babylone. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 102. p. 591. & c. 104. p 614. seq.

III. *Papistæ* quidam contendunt, *Sacerdotibus* N. T. *abstinendum esse a conjugio*, quòd *pollutum non debeant tangere, sed mundari, qui ferunt vasa Domini.*

℞. [1.] Non est sermo hîc in *specie* de *Sacerdotibus*, sed *generatim* de *Christianis*, fatente *Bellarmin.* l. 3. de Eccles. milit. c. 9. resp. ad 1. obj. Ergone verò in communi *omnibus Christianis* abstinendum erit à matrimonio? [2.] Propheta loquitur de *peccatis inquinantibus conscientiam*, & *excludentibus à regno Dei*; quibus *legitimum conjugium* accensere, Dæmoniorum doctrina est, *1. Tim. 4. v. 3.* [3.] *Mundari* non est *abjurare conjugium honestum*, & *cælibatum impurū vovere*, Papistarum more, qui intus flammis illicitis, foris contaminatione libidinum se polluunt; quæ est spurcissima immundicies, damnata lege Dei. Vera autem *mundicies*, de qua Esaias loquitur, est *mundicies cordis*, h. e. fuga ab omnibus peccatis, contra conscientiam pugnantibus, *2. Cor. 6. v. 17.* Quemadmodum igitur *mundos* olim oportebat esse *Sacerdotes*, qui portabant arcā Domini, & vasa tabernaculi: ita etiam hortatur Esaias, ut liberati à peccato, non cô amplius se inquinent, sed sciant *vasa sua* retinere cum sanctitate & honore, *1. Thess. 4. v. 4.* nam pij sunt *vasa Domini* ad honorem, *2. Tim. 2. v. 21.* [4.] Cum conjugium sit mundum, *Hebr. 13. v. 4.* rectè dici potest his, qui in cælibatu non continent, ut ducant uxores, quò sint mundi. *1. Cor. 7. v. 9.* Quamobrem illo ipso Esaiæ dicto: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*; præcipi sibi etiam sciant *Sacerdotes*, qui continere non possunt, ut immundi cælibes fiant conjuges mundi, *Chemnit.* in Exam. Concil. Trid. sess. 8. par. 3. p. 494. b. *Pezel.* par. 9. Arg. & Resp. Theol. p. 443. seq. *Osiand.* in Enchir. controv. Papist. c. 21. q. 1. obj. 12. p. 261. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 104. p. 615.

IV. Olim *Donatistæ*, hodie *Anabaptistæ* exinde colligunt, *in externo Ecclesiæ cœtu non dari malos & hypocritas*, quia *fideles jubeantur exire è medio impiorum, neq; pollutum tangere, sed mundari.*

℞. Faciles damus, Christianos debere se ab *infidelium cœtu*, *2. Cor. 6. v. 14.* & *impiorum conversatione*, *1. Cor. 5. v. 11.* separare; at hinc non sequitur, in *externo Ecclesiæ cœtu* non dari *malos & hypocritas*, à quibus verè pij separandum esset in hac vita, alioquin *deberent ex hoc mundo exire*, v. 10. *Bellarminus.* l. 3. de Eccles. milit. c. 9. resp. ad 1. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Eccles. c. 2. q. 19. ob. 3. p. 775. seq.

Vers. 12. *Non cum festinatione exibitis, & cum fuga non abibitis: præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israël.*

*Anonymus* ille Semijudæus l. sæp. c. urget, sermonem hîc esse de *captivitate Babylonica*, eò quòd Esaias prædixerit, fore ut *exinde Iudæi exeant* non cum *festinatione* aut *fuga*, sicut in *exitu ex Ægypto.*

℞. Non nego, subesse hîc tacitam *ἀντίθεσιν*, *eductioni ex Ægypto oppositam*, quæ eductio cum *festinatione* quadam & *fuga* conjuncta fuit, festinantibus videlicet Hebræis, & Pharaone hoste illos insequente: inde verò concludi nequit, prædici liberationem *corporalem ex captivitate Babylonica*; sed potius liberationem *spiritualem ex regno Satanæ & peccati*, ubi ejusmodi *trepidatione* non erit opus, sed *maturo consiliô & deliberatione* omnia prudenter agere pijs licebit.

*Socinus* in Resp. ad arg. Bellarm. & Wieck. p. 177. instat, agi illic de liberatione ex *Babylone*, quia *Dominus dicatur populum suum in ea præcedere*, sicut eundem, ex *Ægypto liberatum*, præcesserit.

℞. Esaias non loquitur de *præcessione Dei in reditu Iudæorum ex Babylone*, ut falsò sibi imaginatur *Socinus*; sed de *præsentia & auxilio Messiæ*, quo *ille Ecclesiam & singulos fideles ducturus, & omni ex parte conservaturus* sit, quasi primam & ultimam aciem ageret, metaphorâ à *re castrensi* ductâ, quâ gloriam liberationis in Christo omnibus modis præferendam docet Ægyptiacæ & Babylonicæ. *Iun.* in schol. Bibl. h. l. p. 682. n. 29. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 680. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 281. seq. ad 2. *Iacob. Mart.* l. 3. de trib. Eloh. c. 102. p. 591. & c. 104. p. 616.

Vers. 13. *Ecce prosperabitur servus meus, elevabitur, & exaltabitur, & sublimis erit valdè.*

I. R. *Salomo* & *Anonymus* ille superior ibid. nugantur, Deum prædicere *futuram gloriam populi Iudaici in liberatione ex captivitate Babylonica*, dum ait, *servum suum Iacob.* seu *populum Iudaicum, prosperum ac felicem rursus fore, elevandum* item *& valdè exaltandum* esse, cum videlicet *redibit ex captivitate Babylonica.*

℞. (1.) Adversarius verbum, יַשְׂכִּיל, subdolè vertit, *prosperabitur*; cum potiùs significet, *prudenter aget*, à radice שָׂכַל, *intellexit, providus est*, &c. (2.) Nomine *servi* hoc loco non intelligitur *populus Iudaicus*, sed *Messias*: tantum enim abest, ut *populus Iudaicus* post ultimam *ταπείνωσιν* in *sublimē dignitatis gloriam*, de qua Esaias vaticinatur, evehendus sit, & *Reges gentium coram eo obstupescere* oporteat, ut potiùs disertè scribat *Daniel*, c. 9. v. 27. *vastitatem in finem usq; mundi duraturam*; de *Christo* verò nostro id revera impletum est, ut de ipso testatur Paulus, *Phil. 2. v. 9. Thargum Ionathæ* servum Domini exponit *Messiam*. *Origen.* contr. Cels. p. 43. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 102. p. 592. & c. 104. p. 616. 617. 618. seq. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. p. 23. par. 1. arg. 2.

II. Argumentum *Danæi* contra *religiosum humanæ Christi naturæ cultum*, vide solutum in Vindic. *Esa.* 42. v. 1. m. 2.

III *Anonymus* quidam Calvinista in Antithron. regal. Christ. p. 147. disputat, in loco *Phil.* 2. v. 7. nomine *servi* necessariò aliquid ampliùs præter *servilem conditionem* significari, nempe *servilem humanam Christi naturam*: siquidem *conditio illa per exaltationem sit sublata*.

℞. Adversarius ignorat elenchum: fatemur enim, nomen *servi* esse nomen *concretum*, quod connotat *subjectum*, nempe *humanam naturam*, & inde dicitur *propriè exaltari servus*, sicuti ægrotus dicitur fieri sanus; *servitus* autem est nomen *abstractum*, propriè designans *conditionem ac humilitatem servilem*, atque *ea propriè non dicitur exaltari*, sicuti stoliditas non dicitur fieri sapientia. *Servus* autem primò *formam servi* significat, deinde verò *subjectum* consignificat, quod à forma illa *servus* denominatur. *Schröder*. in Scepter. regal. Christ. lib. 1. c. 9. p. 117. seq. *Fevverb*. in Fasc. 3. Dissert. Theol. disp. 2. thes. 116. & 117. p. 106. seq.

Vers. 14. *Quemadmodum obstupuerunt super te multi, adeò corruptus fuit præ quovis aspectus ejus, & forma ejus præ filiis hominum.*

I. *Anonymus ille Semijudæus* l. c. pergit, versum hunc accommodare *populo Israelitico*, super *quo multi obstupuerint*, quando à Deo erat afflictus in captivitate Babylonica.

℞. Non de *populo Israëlitico*, in captivitate Babylonica valde presso; sed de *Messia* Spiritus Dei loquitur, quem adeò deformatum fuisse ait, ut nemo mortalium illo abjectior fuerit ac miserior, & ut deformia adspectus ejus alijs stupori fuerit. Quæ deformitas potissimùm in illo apparuit tempore *passionis*, de qua *Psal.* 22. v. 7. & *Joh.* 19. v. 5. *Arcular*. in Comm. Esa. p. 686. *Jacob. Martin*. l. 3. de trib. Eloh. c. 102. p. 592. & c. 104. p. 620.

II. *Servilis Christi forma* erat *misera Christi conditio*: nam *eam* ita Propheta definit, uti cap. 2. v. 24. sic cap. 53. v. 2. & alibi.

*Anonymus* ille Calvinista in Antithr. p. 152. ait, ibi quidem describi *profundissimam Christi exinanitionem*, sed non negari *veram Christi humanitatem*, verùm *connotari, & simul subintelligi*.

℞. Et nos dicimus, sub *forma servi* comprehendi & per eam connotari *veram humanam Christi naturam*; sed negamus, *illam definitivè & immediatè esse ipsam humanæ naturæ Christi substantiam*. Fevverb. in Fasc. 3. Dissert. Theol. disp. 2. thes. 112. p. 103. seq.

III. Ἀντιλογίαν quandam hic apparentem vide conciliatam in Vind. *Psal.* 45. v. 7. m. 1.

Vers. 15. *Ita asperget multas gentes, super eum claudent Reges os suum: quia, quod non narratum est eis, viderunt, & quod non audiverant, intellexerunt.*

*Anonymus* iste Semijudæus instat, adhuc sermonem esse de *populo Iudaico*, cum Deus ait, *ipsum celebrem fore inter gentes, & Reges non ausuros esse, contra eundem aliquid loqui aut agere*, quando *terram suam rursus debeat occupare*.

℞. Neque hîc de *populo Iudaico* sermo est, sed de *Messia*, qui in ore erit omni populo, imò verò Reges & potentissimi quique, cum silentio attoniti stabunt, quando tanta *miracula* viderint, quanta ne auditione quidem unquam hominum sermonibus ad eos pervenerunt; & ea audierint de Christo, ejusque *prodigiis*, quæ ne animô quidem aut tacitis cogitationibus poterant concipere, Rom. 15. v. 21. *Iacob. Martin*. ibid.

CAP. LIII. v. 1. *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?*

I. In textu hoc habetur (1.) *Emphasis*: Hebræum enim מי, *quis*, respondet Latinorum illi, *quotusquisque*, & *paucitas* innuitur. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *auditus* pro *sermone* est. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: siquidem mentione *brachij* DEI *doctrina Evangelij* indicatur. Johan. 12. v. 38. (4.) *Enallage temporis* præteriti, *credidit & revelatum est*, pro futuro, *credet & revelabitur*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 241. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 5. p. 65. cap. 7. p. 109. & tract. 2. c. 5. p. 153.

II. *Anonymus* in tract. de fundam. relig. Christ. membr. 2. explicat verba hæc de *liberatione Iudæorum ex captivitate Babylonica*, quasi dicat Propheta: *Ego quidem liberationem a captivitate Babylonica promitto cum alijs Prophetis, at pauci nobis credunt.*

℞. Verbis his Propheta non *promittit liberationem à captivitate Babylonica*, sed *detestatur Iudæorum ingratitudinem*, quòd neq; *Christo*, neq; *miraculis ejus* sint credituri, uti exponitur, *Ioh.* 12. v. 37. Nam *brachium Dei* primùm ipsum *Christum*, ut *Esa.* 52. v. 10. & deinde *divina ejus opera, stupendaq; miracula*, Luc. 1. v. 51. notat. *Iacob. Martin*. l. 3. de trib. Eloh. c. 102. p. 592. & c. 106. p. 626. seq.

III. Argumentum *Anthropomorphitarum*, contra *Dei incorporeitatem*, vide solutum in Vindic. Exod. 8. v. 19.

Vers. 2. *Ascendet enim sicut virgultum coram eo & sicut radix de terra arida: non forma ei fuit, & non decor: & vidimus eum, & non aspectus ejus fuit, ut desideraremus eum.*

*Anonymus* ille ibid. autumat, hîc esse vaticinium de *Ieremia*, qui pleniùs *liberationem à captivitate Babylonica* promissurus esset.

℞. Esaias hoc loco non vaticinatur de *Ieremia*, cujus ut per totam prophetiam, sic & hoc loco mentio fit planè nulla; sed de *Messia*, qui ex prosapia Isai obscura & contemta nasciturus erat, sicut virgultum è terra arida adscendit, *Esa.* 11. v. 1. de nullo autem *Propheta*, atque sic neque de *Ieremia*, probabit Adversarius, per metaphoram *virgultum* in Scriptura dici. *Iacob. Martin*. l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 592. seq. & c. 106. p. 628. seq.

Vers. 3. *Despectus fuit, & rejectaneus inter viros, vir dolorum, & expertus infirmitatem, &c.*

I. *Hebraismus* est: איש מכאבות, *vir dolorum* seu *plagarum*, h. e. *doloribus multis affectus*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 34. m. 1. p. 123.

II. Idem *Anonymus* instat, agi hîc de *Ieremia*, ut qui *homo vilis & abjectus fuerit*, &c.

℞. Non negamus, *Ieremiam fuisse vilem & abjectum*: verùm, quòd fuerit *ille vir*, de quo Esaias vaticinatur; nondum probatum est. Quantò autem rectiùs de *Messia* exponunt R. *Salomo*, & *Targum Chaldaicum*. Jacob. Martin. ibid.

III. *Celsus* ap. Orig. negat, *divinum spiritum fuisse in corpore Iesu Nazareni*, quippe *qui non fuerit formâ præstantior cæteris hominibus*, sed *despectus & rejectaneus inter viros*, &c.

℞. (1.) Jesus dicitur *forma pulcherrima*, Psal. 45. v. 3. Cur ergo *Celsus hæc* non legit? (2.) In *passione* sua Jesus adeò fuit deformatus, ut vix homini similis videretur, *Iohann.* 19. v. 5. & de *isto statu* loquitur Esaias; inde verò non sequitur, *in Iesu non fuisse spiritum divinum*: Siquidem passionem illam *liberè* nostri causâ sustinuit, *Ioh.* 10. v. 18. *Origen.* contr. Cels. l. 6. p. 331. seq.

IV. *Chri-*

IV. *Christus*, ut *homo*, toto *humiliationis* tempore ab *omnibus piis* incessanter actu non fuit invocatus, quia toto illo tempore *infra homines reliquos* fuit abjectus & despectus.

*Thummius* in Ταπεινωσ. p. 790. seq. regerit, loqui Prophetam de officio Christi *Sacerdotali*. in quo solo Christus homo fuerit *contemptus & abjectus*; & non de officio ipsius *regio*, in quo fuerit *honoratus & invocatus*: à positione autem *contemptûs* in *Sacerdotali* officio, ad negationem actûs *invocationis* in officio *regio* non esse procedendum.

℞. Distinctio illa huc non quadrat. Sive enim honor, sive contemtus personæ alicui illatus, *ipsam concernit totam*, sive in *se*, sive in *officio toto* spectetur, E. G. vir aliquis sustineat officium *Professorum*, & *concionatorum*. Quòd si jam nebulo quispiam ipsi alapam impingeret, certè verberato isto viro, verberaretur *junctim & Professor & Concionator*. Ita quisquis Christum sive invocavit, sive blasphemavit, is *Sacerdotem & Regem* sive invocavit, sive blasphemavit. *Fevverborn.* in Κενωσ. sacr. sect. 4. cap. 2. quæst. 10. p. 152. seq.

Vers. 4. *Certè infirmitates nostras tulit, & dolores nostros portavit: & nos reputavimus eum plagis affectum, percussum Dei, & humiliatum.*

I. *Hebraismus* est: מֻכֵּה אֱלֹהִים, *percussum Dei*, h. e. *à Deo*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 1. p. 102.

II. *Anonymus* ille adhuc vult, Esaiam in persona populi Judaici loqui de *Jeremia*, qui *doluerit Judæorum vicem, eorumq́; causâ fuerit afflictus*, sed *infirmitates illas toleraverit*.

℞. Adversarius hæc malè accommodat *Jeremiæ*, cum utiicè de *Christo* sint intelligenda: neque enim de *Jeremia* verè dici potest, quòd *infirmitates nostras portaverit*, de *Christo* autē id revera dici potest. Jeremias quidē admodum *doluit infortunium suorū sympatriotarū*; inde verò non sequitur, *ipsum fuisse talem, de quo hic Esaias vaticinatur*. Jacob. Martin. l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 593. & c. 106. p. 629. seq.

III. *Becanus* in Theol. Schol. par. 2. tom. 2. tract. 1. c. 3. quæst. 5. n. 4. p. 36. suspicatur, *interdum unius loci Scripturæ plures esse sensus literales*, ut hunc ipsum locum, in quo *languores* notent *peccata*, & *morbos corporales*.

℞. Certum est, de Christi *passione*, deque *spirituali hominum per eam sanatione*, in sensu *literali* agere Prophetam, ut ex toto contextu, ac præsertim v. 5. & 11. apparet, ejusque explicatio evidens, 1. *Petr.* 2. v. 24. habetur. Quarè in sensu *literali* de *morbis corporalibus* hîc non agitur: unde manet *unus verborum Esaiæ sensus literalis*, Glass. l. 2. Philol. sacr. par. 1. tract. 2. sect. 1. art. 3. can. 2. obj. 6. p. 389. seq.

IV. *Christus homo exinanitus verè in sua carne retraxerat usum suæ omniscientiæ plenarium & universalem*: nam eo ipso, quo *infirmitates nostras verè in se suscepit*, verè etiā *ignorantiam nostram suscepit*.

*Thummius in* Ταπεινωσ. p. 571. excipit, hac ratione *Christum hominem inhærenter suscepisse malum culpæ*, ut pote *cum quo nostra ignorantia semper juncta sit*.

℞. Negatur id sequi: (1.) Enim τὸ *verè*, non æquipollet τῷ *inhæsive*; siquidem *verè* DEO tribuitur creatio, sed non *inhæsivè*. (2.) Neque etiam nostras *noxias* infirmitates *inhæsivè* habuit, verùm *innocuas*, Hebr. 2. v. 17. (3.) Nec nostra ignorantia, *indistinctè* loquendo, est peccatū: quodoquidem est etiam ignorantia κατ' ἀπόφασιν & *simplicis negationis*, quam ipse *Thummius* in Ταπεινωσ. p. 573. ab ignorantia κατὰ διάθεσιν seu *pravæ dispositionis* distinguit. *Illam*, non *hanc* Christo homini attribuimus. *Fevverb.* in Κενωσ. sect. 6. cap. 3. quæst. 7. p. 151.

V. *Christus persolvit pœnas peccatorum nostrorum*, & ita *Deum placavit*: quia *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit.* Regerit 1. *Socinus* lib. de Servat. Christ. par. 2. cap. 4. p. 93. seq. non ideo affirmari de *Christo*, quòd *languores & dolores nostros tulerit*, quasi *sustinuerit universas pœnas, quas nos sustinere debueramus*; sed *Christum à nobis omnes languores & dolores nostros abstulisse*, atque ita *ab omnibus nostris malis liberâsse*: cum in Hebræo נָשָׂא potiùs *auferendi*, quàm *ferendi* habeat nomenclationem.

℞. (1.) Hoc in loco idem verbum est, quod reperitur *Levit.* 16. v. 22. de *hirco emissario*, portante seu *ferente* super se peccata totius *populi*; quem hircum qui ducebat, impurus reddebatur, v. 25. Ille autem *hircus* erat typus *Christi*, languores nostros ferentis. (2.) Omnem dubitationem eximit contextus, quia mox è vestigio sequitur, quòd dolores nostros Christus *portarit*, ubi est verbum סָבַל, quod tantùm *portare* seu *bajulare* significat, & *in seipsum aliquid recipere ac sustinere*. (3.) Quòd si maximè vocabulum נָשָׂא idem esset ac *auferre*, semper tamen de *Christo* usurpatum, *laborem & molestiam* involvit. Necesse ergo non est, ut *simplex quædam ablatio* hîc intelligatur, cum Christus languores ac dolores nostros tulisse dicitur, sed quòd eos abstulerit, cum in cruce in se receptos portavit, 1. *Petr.* 2. v. 24.

2. *Smalcius* contr. Franz. disp. de Justif. fol. 115. locum hunc nihil de *placatione Dei per Christum* habere, cum *potuerit Christus ferre languores nostros & dolores portare*, nec tamen *Deū ullo modo placare*.

℞. Non dicit Esaias, *potuit ferre*, sed languores nostros *ipse tulit*. Ac his verbis, ex doctrina sacrificiali desumtis, indicat, ita Christum *portare* dolores nostros, sicut *pecus* peccata offerentis. *Franz.* par. 1. in A. C. disp. 4. thes. 137. seq. & in Schol. Sacrif. disp. 16. thes. 106. seq. *Balduin.* Refutat. Catech. Arian. p. 436. seq. *Gravver.* in Dissert. contr. Ostorrod. p. 79.-85.

VI. *Virtus passionis Christi etiam pios* V. T. *attinuit*: Esaias enim *suos solatur*, Christum *ipsorum languores tulisse, & dolores eorundem portasse*; id namque certissimè futurum erat.

*Ramichius* in Colloq. Franckenthal. act. 17. q. 3. p. 341. replicat, id non ita intelligendum esse, quasi *eo tempore jam tum factum fuerit*, quod dixit Esaias.

℞. Concedo, *actum* passionis demum in N. T. fuisse; interim tamen *fructus* illius ad *pios* V. T. redundavit: *Iesus Christus enim heri & hodie, & in omnia secula*, Hebr. 13. v. 8. *Darben.* in Coll. Franck. act. 17. q. 3. p. 338.

Vers. 5. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.*

I. *Hebraismus* est: מוּסַר שְׁלוֹמֵנוּ, *disciplina pacis nostræ super eum*, h. e. *promeretur & dat nobis pacem*. Ariæmontanus in Bibl. par. 4. p. 55. in plurali legit, שְׁלוּמֵנוּ, ut sit, *castigatio retributionum nostrarum* h. e. quæ peccatorum nostrorum est justa retributio, seu quæ justæ retributioni: ac pœnæ locô ob peccata nostra super nos venire debebat, venit super eum (Christum.) Atque sic illud plurale nomen usurpatur *Psal.* 69. v. 23. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 4. p. 106. seq.

II. *Messias erat passurus & moriturus:* Quandoquidem Esaias prædixit, fore ut *vulneretur & atteratur, fuso ejus livore.*

Excipiunt 1. *Iudæi*, Prophetæ non esse sermonem de *Messia*, sed de ipsis *Iudæis*, quorum inter Gentiles extremam persequutionem, & mirandas afflictiones describat: hæc enim esse *Ethnicorum de populo Iudaico* verba.

℞. Glossema hoc penitus adversatur textui Prophetico: An enim *Gentiles* unquam dixere aut docuere, *ipsorum peccata afflictionibus Iudæorum tolli aut sanari?* Contrà autem Propheta docet, *Messiæ* livore nos sanari.

2. *Anonymus Semijudæus* l.c. verba illa quadrare in *Ieremiam*, ut *qui doluerit peccata nostra, nosq; erudiverit, quomodo pacē habituri, & in terra mansuri essemus*, si nimirum abstinuissemus à peccatis nostris; & si fecissemus, *quæ nos monuit*, & *ob quæ percussus est*, sani, & *non afflicti* fuissemus.

℞. Manifesta hæc est textûs depravatio. Nam (1.) Quis nescit, quòd radix חלל semper in Scriptura Sacra *intransitivè* usurpetur, ut, *propriè* significet, *vulneratum esse, occisum esse*, & quidem tum, quando de *animatis* usurpatur? Non itaque dicit Hebræus textus, ut Sophisticè fingit Anonymus, *ipse dolens peccata nostra*, sed *ipse propter peccata nostra vulneratus, occisus.* Quod sanè de *Ieremia* non dicetur, de *Christo* autem nostro totum V. & N. T. (2.) Nomen מוּסַר *propriè* significat castigationem, *punitionem*; non verò *eruditionem*, nisi ex *consequente*, quæ nimirum *castigationem* comitatur. Sensus itaque verborum Esaiæ verus hic est: *Castigatio, quæ super nos venire debebat ob peccata nostra, venit super eum, ut nos essemus in pace.* (3.) In textu nulla fit mentio *admonitionis*: nulla *obedientiæ*; Sed saltem dicitur, quòd *livore ejus sanati simus*, i. e. *livore ejus morbus noster sit sanatus.* Jam verò nullo modo de *Ieremia* dicetur, quòd *livore ejus simus sanati*, sed livore Christi sanatus sit morbus noster. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 593. seq. & c. 106. p. 632. 633. seq. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Offic. Christ. c. 6. q. 2. arg. 1. p. 989.

III. *Beza* par. 2. Resp. ad Act. Colloq. Mompelg. p. 180. statuit, *Deum esse causam peccati*, quòd *Christus à Deo vulneratus sit.*

℞. (1.) In Hebræo non habetur illud, *à Deo*; Sed *simpliciter* de *Christo* dicitur, quòd *vulneratus sit.* (2.) Phrasis illa de *vulneratione Christi* sensum habet non *activum* cum *efficacia* respectu *mali*, sed *permissivum* duntaxat cum *gubernatione* respectu *finis boni.* Hutter. in LL. Theol. p. 246. regul. 1.

IV. *Tossanus* in Not. margin. Bibl. Luther. ad 1. Cor. 11. v. 24. ait, *Matth. 26. v. 26.* in verbo *fregit* latêre analogiam inter fractionem *panis*, & *Christi*, qui dicitur *à Deo attritus.*

℞. *Corpus Christi in partes comminutum ac divisum*, Propheta non dicit: *Os enim illius non erat frangendum*, ut est Johan. 19. v. 36. ubi *Tossanus* fatetur ipse, Christum *in se* esse & manere indivisum. *Winckelm.* tom. 7. Giess. disp. 17. thes. 46. p. 431.

V. *Christus pœnas infernales luebat, ut nobis pacem æternam acquireret*; (correctio enim pacis nostræ super ipsum) jam verò paci æternæ è diametro *pœnæ infernales* opponuntur.

*Bellarminus* l. 4. de Christ. anim. c. 8. resp. ad 2. argum. respondet 1. hac ratione *Christum debuisse in æternum Gehennæ cruciatus, & infinitum pœnarum numerum perpeti*; Cum nos meruerimus *æternam damnationem*, & *simus propè infiniti*, qui hanc merebamur.

℞. (1.) Dispar est ratio *generis*, & *durationis* pœnæ: duratio enim *æterna*, & similes circumstantiæ, quæ damnatorum omnium pœnas comitantur, non sunt de *essentia ipsius pœnæ*, sed *eam consequuntur* in iis, qui non possunt pœnam ferendo satisfacere, & vincere, quod Christus fecit. (2.) Non necesse fuit, Christum æternos Gehennæ cruciatus perpeti, neque enim culpâ *propriâ* pœnas infernales luit; sed sufficit, Christum iram Dei, quæ aliàs super impios & damnatos manet, *Ioh. 3. v. 36. ad tempus* esse perpessum, *Psal. 8. v. 6.*

2. *Mortem corporis Christi* satisfacere potuisse pro *morte animarum omnium*, sicut *una pœna temporalis* Christi pro *multis æternis*: quia pretium redemptionis pensetur ex dignitate *personæ*, quæ patiebatur; & ex *charitate*, quâ patiebatur.

℞. (1.) Quid *potuerit fieri* per Christi mortem, secundùm *absolutam Dei potentiam*, curiosæ præsumptionis est inquirere: Certè quidquam inde concludi magis adversus *spiritualem* Christi passionem potest, quàm adversus *mortem ipsam temporalem.* Contendunt enim Pontificij, vel *unam guttam sanguinis*, vel etiam *lachrymam Christi unam*, sufficere potuisse ad redemptionem mundi. (2.) Posita saltem *voluntate Dei*, de Christi, ut sponsoris ac mediatoris nostri, passione; fieri non potuit, ut Christus satisfaceret Justitiæ Dei, *dimidiata humanæ naturæ passione.* (3.) Quamvis valor passionis pensandus sit ex *dignitate patientis*; tamen ut passio idonea esset ad valorem illum in talem usum sustinendum, *proportio* fuit observanda inter pœnam debitam, & solutam. *Winckelm.* tom. 1. Giess. Disp. 13. thes. 31. & 34. p. 542. 543. seq. *Thumm.* de Majest. Christ. p. 145. *Ames.* tom. 1. Bellarm. Enerv. l. 2. c. 2. thes. 10. p. 91.

VI. *Christus peccatorum nostrorum pœnas persolvit, & morte sua iræ Dei pro nobis satisfecit: nam propter iniquitates nostras vulneratus & propter scelera nostra attritus fuit, quò castigatio pacis nostræ super eum sit. & nos ipsius livore sanemur.*

*Socinus* libr. de Servat. Christ. par. 2. cap. 3. & 5. oggannit 1. Hebræam vocem מן, *propter*, non significare causam *finalem*, sed *efficientem*, id est, *causam & occasionem peccatorum.*

℞. (1.) Nos non argumentamur ex *nuda vocula* PROPTER, sed *plura* adjungimus: committit ergo Adversarius fallaciam *divisionis.* (2.) Contrarium patet ex *typo sacrificiali*, ubi *propter delicta hominum*, ab initio mundi, ad abolitionem eorundem, *infinita penè & innumerabilia* mactabantur pecora (quæ aliàs nunquam *tantâ copiâ* mactaturi fuerant) non alia de causa, quàm *propter peccata hominum*, ut hac ratione *typicè*, hoc est, per fidem in futurum Messiam expiarentur.

2. Sensum esse, *afflictiones Christi causam esse, quòd nos veram quietem consecuti simus: castigationis* enim vocem hoc loco pro *simplici afflictione*, non pro *vera punitione* sumi; & nomen *pacis* significare *quietem*, & non *reconciliationem amicitiæ cum aliquo.* Veram autem oppositionem non esse inter *punitionem*, & *pacem*, quemadmodum inter *pacem*, & *afflictionem.*

℞. (1.) *Castigatio* omnino hîc pro *vera punitione* sumitur: tum quia Christus dicitur *vulneratus propter iniquitates nostras*; omnis autem *vulneratio* seu castigatio, quæ *propter delictum* (vel proprium, vel alienum) infligitur, *pœna* est, & *pœnæ* rationem habet, siquidem *culpa* & *pœna* sunt *relata*: tum quia Christus nos dicitur *redemisse ab execratione legis, factus pro nobis execratio*, Gal. 3. v. 13.

execra-

execratio autem legis utique *pœna* eſt, à legis ſententia nos execrante promanans. (2.) In hoc negotio vox *pacis* ſemper *reconciliationem* notat, uti liquet ex *Rom. 5. v. 1.* & *Coloſſ. 1. v. 20.* Eramus enim per peccatum ſeparati à Deo, *Eſa. 59. v. 2.* diſſidium autem hoc ſublatum eſt per *caſtigationem Chriſti*, & ſic nos rurſus Deo *reconciliati* ſumus per mortem Filij ejus, *Rom. 5. v. 10.* (3.) Propheta non *opponit* caſtigationem paci; ſed dicit, ex *cauſa*, Chriſti caſtigatione, fluere hunc *effectum*, videlicet pacem noſtram ſeu reconciliationem cum Deo, qui utiq; iratus erat, quando *propter ſcelera noſtra Chriſtum percuſſit*, v. 8. & *conterere eum voluit*, v. 10.

3. *Livore Chriſti nos ſanatos eſſe*, non quòd *corporis ejus plagæ, animæ noſtræ vulnera apud Deum compenſent, proq; eis illi ſatisfaciant*; Sed quia *Chriſti mors nos ad Deum convertat, atq; à perditione noſtra ad viam ſalutis revocet.*

℞. Non tantùm hoc modo *Chriſtus ſanare nos* dicitur, ſed etiam, & multò potiùs, quia *peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper ligno*, 1. *Petr. 2. v. 24.* Id quod omnino explicandum eſt de *ſatisfactione*, pro nobis præſtitâ. *Gravver*, in Diſſert. Theol. contr. Oſtorrod. p. 97.-106. *Thumm.* in Dec. Exerc. Theol. diſp. 9. p. 5. 34.-37. *Broch.* tom. 1. Syſt. Theol. art. de Servat. Chriſt. c. 1. ſect. 12. q. 8. obj. 5. p. 896. ſeq.

VII. *Deus nullam pœnam temporalem, quâ ipſi ſatisfaciamus, pro peccatis noſtris à nobis exigit*: Quia *Chriſtus pœnas peccatis noſtris debitas tulit*; nam *caſtigatio pacis noſtræ fuit ſuper eum.*

*Bellarminus* l. 4. de Pœnitent. c. 15. reſp. ad 4. oppoſit, Chriſti mortẽ fuiſſe pretium & ſatisfactionem pro peccatis noſtris; *immediatè* pro culpa & reatu mortis æternæ; *mediatè* autem pro pœna etiam temporali, quatenus gratiam præbet, per quam ipſi nos Domino ſatisfaciamus.

℞. (1.) Si Chriſti ſatisfactio ſit *immediata*, & *mediata*; tum *multiplex* eſt, non *una*, contra Apoſtolum, *Hebr. 10. v. 14.* (2.) Si Chriſtus ſatisfecit, *mediante noſtra ſatisfactione*, tum non *ſemel* ſatisfecit, ſed *ſemper*; tum non per *ſemetipſum*, ſed per *nos* ſatisfacit; tum deniq; non tam ſatisfacit *pro nobis*, quàm *in* nobis. (3.) Chriſtus non magis *ſatisfacit*, quatenus *gratiam hominibus præbet ſatisfaciendi*; quàm *reſipiſcit, & confitetur peccata*, quatenus *gratiam præbet reſipiſcendi, & confitendi peccata*: Id quod abſurdum. *Ameſ.* tom. 3. Bellarm. Enervat. lib. 5. cap. 4. theſ. 41. p. 229. ſeq.

Verſ. 6. *Omnes nos quaſi oves erravimus, unusquisque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.*

I. *Anonymus* ille Semijudæus l. c. pergit verba illa *Ieremiæ* applicare, quaſi eorum ſenſus ſit, *Iehovam permiſiſſe, ut omnes iniquè cum eo ageremus, & ipſe omnium noſtrûm iniquitatem experiretur.*

℞. (1.) Non dicitur hoc loco, quòd *egerimus iniquè cum Ieremia*; nam de *eo* in tota prophetia altũ eſt ſilentium: Sed dicitur abſolutè, *erravimus*, & quidem *ſicut oves*. (2.) Proponitur ſimul doctrina de *paſtorali officio* in errabundarum ovium omniũ vocatione ad Eccleſiæ ſtabulum; quod ſanè non *Ieremiæ*, ſed *Meſſiæ* adſcribitur, *Eſa. 40. v. 11. Ezech. 34. v. 23.* 1. *Petr. 2. v.* ult. (3.) Non eſt eadem phraſis, & idem modus loquendi: *Deus conjecit omnium hominum peccata in ipſum*; &, *ipſe experitur omnium peccata.* Nam certum quidem eſt, *eum, in quem hominum peccata conjiciuntur, etiam illorum peccata experiri*: Sed non ſtatim contrà, *qui experitur omnium peccata, in illum ea eſſe conjecta*; *Jacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 594. & c. 106. p. 634. ſeq.

II. *Chriſtus*, ut homo, *in ſtatu exinanitionis non ſemper, nec inceſſanter uſurpavit divinam ſuam σοφίαν*: *in ipſum* enim *Iehova conjecit omnium noſtrûm peccata*, & hoc modo etiam *noſtram ignorantiam.*

*Thummius* in ταπεινωσιγρ. p. 572. excipit, manifeſtam hîc eſſe ἀνακολουθίαν, cum non neceſſe ſit, quæ Chriſto *imputantur*, ipſi etiam *inhærere*, niſi *eundem etiam peccatorem* contra Scripturam conſtituere velimus.

℞. (1.) Nulla hîc eſt ἀνακολουθία: nam *perpetuus & indirruptus uſus* divinæ ſapientiæ, per humanitatem Chriſti exertus, excludit ejusdem naturæ *ignorantiam*. Siquidem quando ὁ λόγος per ſuam humanam naturam *inceſſanter* exerit omnes divinæ & infinitæ ſuæ ſapientiæ ac ſcientiæ theſauros, tum mens ipſius humana *indeſinenter & plenariè* eſt ὑποστατικῶς irradiata & illuminata. Sic hodie Chriſtus, ut *homo*, perpetuò uſurpat ſuam divinam *ſcientiam*, ergo hodie non ampl ùs habet formam ſervi *ignorantis*. Ita quoque Chriſtus, ut *homo*, hodie majeſtatem ſuam *glorioſè* uſurpat, ergo hodie non geſtat formam ſervi *ignominioſi*. (2.) Non docemus, *peccata* noſtra, & nominatim *peccabilem* noſtram ignorantiam, per lapſum contractam, Chriſto *inhæſiſſe*; Sed divina *imputatione* in ipſum conjectam fuiſſe: *Innocua* enim noſtra ἀγνοία eidem inhæſit. (3.) *Lutherus* in c. 3. ad Gal. p. 237. dicit, Chriſtum fuiſſe *peccatorem maximum*, non *inhæſivè*, ſed *imputativè*, quoniam *cum iniquis reputatus eſt*, Eſa. 53. v. 12. & *peccatum pro nobis factus*, 2. *Cor.* 5. v. 21. peccata mundi portat, *Ioh. 1. v. 29.* *Fevverborn*, in Κένωσ. ſect. 6. cap. 3. quæſt. 8. p. 152.

III. *Chriſtus peccata noſtra expiavit*, & ita *Deum placavit*: ſiquidem *in eum Deus conjecit omnes iniquitates noſtrûm*, tanquam *ovium errantium.*

Reſpondit 1. *Socinus* lib. de Chriſt. Servat. par. 2. cap. 5. verbum Hebræum, הִפְגִּיעַ, propriè non *conjecit*, ſed *occurrere fecit*, ſignificare; ut ſenſus ſit, *Deum per Chriſtum omnes iniquitates à nobis, illis quodammodo per ipſum occurrendo, depuliſſe.*

℞. (1.) Non negamus, quòd verbum illud ſignificet, *occurrere fecit*: interim negari nequit, etiam ſignificare, *incurrere fecit*, h. e. *conjecit*. Chriſtus enim hîc tanquam *piacularis hoſtia* introducitur, cui verè impoſita fuere peccata. Itaque admitti poteſt, ſi *iniquitates noſtras ità ei obviam factas* dicas, ut *revera eas portaverit*, v. 4. *propter ipſas vulneratus & attritus*, v. 5. *in mortem traditus*, v. 10. *ut caſtigatio pacis noſtræ ſuper ipſum eſſet, & livore ejus nos ſanaremur*, v. 5. (2.) Vox עָוֹן interdũ ſignificat *pœnam*, & פָּגַע *incurrit*; quocirca ſenſus eſſe poteſt, quem expreſſit Tremellius: *Fecit, ut in eum incurrat pœna omnium noſtrûm.*

2. *Anonymus* ille Semijudæus ibid. poſſe etiam verba Hebræa ſic verti: *Iehovah oravit eum pro iniquitate omnium noſtrûm.*

℞. Verba Hebræa non ita poſſunt verti: (1.) enim verbum הִפְגִּיעַ non ſignificat, *fecit orare*; ſed per tranſlationem, *oravit, interceſſit*, ut *Ierem.* 15. v. 11. (2.) Præpoſitio ב non conſtituitur cum nomine עָוֹן, *iniquitate*; ſed cum pronomine affixo ו, *eum*. Alioqui ſenſus eſſet: *Iehovah orat pro eo.* Quarè conſtructionis modus, quo hîc utitur Propheta, ſenſum iſtum reſpuit.

3. *Oſtorrodus* contr. Tradel. p. 226. *Deum in Chriſtum conjeciſſe iniquitates noſtras, non ut pro iis ſatisfaceret, ſed ut illas auferret.*

℞. *Conjecta sunt in eum*, non ut *illas simpliciter auferret*, sed ut *in se recipiens eas portaret*, & hoc modo à *nobis pœnas peccatorum cum prædura molestia removeret*, ut ex collatione v. 5.7.8.10. patet.

4. *Smalcius* contr. Franc. disp. de justif. fol. 115. locum hunc nihil de *placatione Dei per Christum* habere, cum *potuerit Deus in eum conjicere omnes iniquitates nostras*, nec tamen *Deum ullo modo placare*.

℞. Non dicit Esaias: *Potuit conjicere*, sed *confecit Deus in eum iniquitates nostras*. Ac his verbis, ex doctrina sacrificiali desumptis, indicat, ita Christo imposita fuisse peccata, sicut *hostiæ piaculari*, ut ex contextu patet; quo ipso *realis expiatio*, per Christum facta, notanter significatur. *Franz.* disp. 16 Schol. Sacrif. thes. 106. seq. Jacob. Martin. l. supr. c. *Thumm.* in Dec. Exerc. Theol. disp. 9 p. 5. 28. 29. seq. *Gravver.* in Dissert. Theol. contr. Ostorod. p. 96. seq.

IV. *Deus voluit, per Filium suum omnes homines redimi*; quia *super eum posuit peccata omnium nostrûm*.

*Polanus* in Syntagm. excipit 1. sermonem esse Esajæ de *solis fidelibus*, quoniam in *sua & fidelium persona* loquatur, dicendo: *Omnes nos erravimus*.

℞. Glossa hæc non potest subsistere. Nam (1.) Propheta nominat *oves errantes*, ex quarum numero *nemo mortalium* eximitur, nisi Polanus sciens, volensq; delirare velit, *quosdam non esse in numero ovium errantium*, videlicet *reprobos*. (2.) Esaias pronunciat, *omnes declinâsse in viam suam*; quam esse *universalem miseriæ generis humani descriptionem*, ex *Psal.* 14. v. 3. & *Rom.* 3. v. 12. constat. [3.] Ex Adversario quærere libet, *quinam fuerint*, quorum peccata Christo imposita esse, Vates dicat? Haud dubiè *auditores ejus* nominabit. Sed *isti omnes non fuerunt fideles & electi*, cùm v. 1. ipse Esaias conqueratur: *Quis credidit auditui nostro?*

2. Hanc esse *ingenuam erroris confessionem*, quæ non sit *incredulorum*, sed *credentium*.

℞. Confessio, ab Esaia edita, non monstrat, quòd *ipsa ab omnibus sit edita*; sed indicat, quid *omnes fateri necesse habeant*, videl. omnes errasse, & declinavisse.

3. Loqui Prophetam de *ovibus*, quarum nomine soli intelligantur *electi*, exclusis *reprobis*.

℞. Neque hoc effugium textus pati potest. Etenim [1.] per vocabulum *oves*, quod tantùm *declarationis* causâ additur, non describitur *subjectum*, sed *prædicatum*; neque enim Propheta dicit: *Omnes nos oves erravimus*; sed *omnes erravimus, tanquam oves*. Jam verò etiam *reprobi & increduli verè errârunt, ut oves*. [2.] Non *universaliter oves* semper in Scriptura *electos* significant, sed ibi, ubi fit *oppositio hædorum & ovium*, ut *Matth.* 25. v. 33. aut aliàs *manifesta determinatio* additur, ut *Ioh.* 10. v. 27. & alibi. At neutrum est apud Esaiam. [3.] Alioquin sequeretur absurdum, *tantùm electos errâsse, & declinâsse*; quod Polanus non concedet. Proinde sic concludimus: *Quicunq; tanquam oves errârunt, quisq; in viam suam aversi, eorum iniquitates posuit Deus in Christo. Atqui oves electi & reprobi tanquam oves errarunt, &c.* Ergo *omnium electorum & reproborum iniquitates posuit Deus in Christo*. Hunn. tom. 1. Oper. Lat. p. 776. *Balduin.* disp. 10. in libr. Visitat. Misnic. thes. 27-34. *Gravver.* in Absurd. Calvin. cap. 5. p. 280. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 15. q. 5. argum. 2. p. 320. *Meisner.* dec. 2. Anthr. sacr. disp. 3. quæst. 1. thes. 13. p. 89. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Grat. Dei, c. 2. q. 17. p. 595. seq.

Vers. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, tanquam agnus ad mactationem ductus, &c.*

I. *Anonymus* ille Semijudæus ibid. hæc *Ieremiæ* accommodat, ut *qui non aperuerit os suum*, cum *tanquam agnus ad mactationem duceretur*, &c.

℞. Negari quidem non potest, quòd verba illa accommodari possint ad *Ieremiam*; verùm nulla est consequentia: *Verba quædam alicui possunt applicari, ergo revera de ipso loquuntur*. Nam multa habentur apud Virgilium de *Ænea*, quæ non inconvenienter possunt applicari ad *Iosephum*, in aula Pharaonis Regis Ægyptij versantem: inde verò non statim licet inferre, ea, quæ Virgilius dicit de *Ænea*, intelligenda esse de *Iosepho*. Oportet igitur alia adesse argumenta, *identitatem historiæ* demonstrantia; inter quæ non postremum est, quod desumitur ab *antecedentibus & consequentibus*: ea verò demonstrant, non de *Ieremia*, sed de *Messia* sermonem esse. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 594. & c. 106. p. 636.

II. *Schatzgeyer* contendit, *Christum in Missa per Sacerdotem offerri Deo Patri*, quia *ipse oblatus sit, idq; voluerit*, non certè in *crucis ara*, ubi per *seipsum* oblatus est, non per *alios*, ut vult Esaias.

℞. [1.] Hoc argumentum ipsi etiam *Eccio* improbatur. Nam, *Hebr.* 9. v. 28. de *oblatione Christi in cruce* etiam *passivè* dicitur: *Semel oblatus est*. [2.] Esaias in sua lingua sententiam illam: *Oblatus est, quia voluit*; planè non habet: sed inquit: *Oppressus est, & ipse afflictus est*, Aria vertente. [3.] Cur autem, quia *Christus est victima in cruce*, ideo [scilicet] *in cœna est oblatus?* Chemnit. in Exam. Concil. Trid. par. 2. tract. de Miss. obj. 1. p. 337. a. *Osiand.* in Enchir. controv. Papist. c. 17. q. 1. obj. 13. p. 190.

III. Vaticinium hoc non videtur in *Christo* impletum: cum enim alapâ affligeretur, *os suum aperuit*, verbisque se defendit, *Ioh* 18. v. 23.

℞. Verba Prophetæ non *absolutè* intelligenda sunt, sed *restrictè* de *minis & execrationibus*, quòd nimirum Christus non regesserit maledicta, nec comminatus sit hostibus, à quibus affligebatur, velut explicantur 1. *Petr.* 2. v. 23. *Chemnit.* par. 2. LL. Theol. p. 133. Arcular. in Comm. Esa. p. 691.

IV. *Christus passione sua Deum placavit: nam sicut agnus ad mactationem ductus, plagas patienter sustinuit*, non alia de causa, quàm ut nobis *pacem cum Deo repararet*.

Smalcius contr. Franz. disp. de Justif. fol. 115. reponit, *potuisse Christum duci, sicut agnus ad mactationem*, nec tamen *Deum ullo modo placare*.

℞. Non dicit Esaias, *potuisse Christum duci*, sed *ductum esse Christum* velut agnus ad mactationem, & *mulctatum*, ut in *Hebræo* est. *Mulctandi* autem verbô *pœnæ, peccatis nostris debitæ*, designantur, quas Christus pro nobis Deo persolvit, tanquam *sponsor* seu *fidejussor* noster factus. *Arcular.* ibid. *Franz.* l. supr. c.

Vers. 8. *Ex carcere & judicio ablatus est, peregrinationem ejus quis enarrabit? Quia excisus est de terra viventium; propter scelus populi mei percussi eum.*

I. Anonymus ille Semijudæus l. c. adhuc vult textum istum de *Ieremia* intellectum, quòd *ipse ex carcere, in quem conjectus erat, liberatus quidem, in Ægyptum tamen attractus, ibiq; interfectus fuerit*, atque ita *pœnis Judæorum involutus*.

℞. Adversarius non uno modo impingit. Etenim [1.] vox עצר hic non *carcerem*, in quem *Iere-*

*miam*

*miæ* conjectus fuerit, significat; sed *coarctationem*, è qua Christus in morte sua sublatus est. (2.) Nomen דור non notat *peregrinationem*, sed *generationem*: Jam verò *generatio Ieremiæ potuit enarrari*, non autem *Christi*. (3.) De *Ieremia* apud probatum Historicum non extat, quòd *violenta* morte obierit; sicut quidem de *Christo* testatur *Daniel*. c. 9.v.26. (4.) *Ieremias* non luit pœnam *propter scelera populi Dei*, licèt illius calamitatibus fuerit involutus; sed *solus Christus*, quippe in quem Deus conjecit iniquitates omnium nostrûm, v.7. unde eas portavit, & propter eas luit, *Iacob. Martin*. l. 3. de trib. Eloh. c.103. p.594. seq. & c.106. p.638.-645.

II. *Ariani* contenderunt, *neminem posse nosse, quòd Filius Dei ex substantia Patris sit genitus: generationem enim ejus quis enarrabit?*

℞. Generatio quidem Filij est *inenarrabilis*, sed non *ignorabilis*: neque enim consequens est, ut, quod non potest *enarrari*, non possit *sciri*; cum ipsum *Deum* nullus valeat *enarrare*, nec impunè tamen alicui liceat *ignorare*, Rom. 1. v. 20. Cent. 6. Histor. Magdeb. cap. 5. p. 298. seq. ex *Fulgentio*.

III. *Salmero* proleg. 8. tom. 1. p 81. disputat, interdum *plures esse literales unius loci sensus*, cum dictum hoc, *generationem ejus quis enarrabit?* Etiam secundùm *literam* habeat duplicem sensum: unum de *æterna Christi generatione*, alterum de *temporali*.

℞. (1.) *Becanus* in Theol. Schol. par. 2. tom. 2. tract. 1. cap. 4. quæst. 5. num. 6. ait, multa esse Scripturæ testimonia, quæ antiqui Patres variè interpretentur secundùm *literam*; sed inde non sequi, *plures esse sensus literales* in illis testimonijs. (2.) Dictum hoc nec de *æterna*, nec de *temporali* Christi generatione, *propriè in sensu literali* agit, sed, ut vult *Sanctius* in Comm. h. l. p. 591. de generatione *spirituali*, puta de *numerosa fidelium sobole* (cujus sententiæ assertores allegat etiam *Lyram*, *Carthusianũ*, & *ipsum Salmeronem* in c. 8. Actor.) vel, quod textui convenientius est, de *perenni duratione Christi in statu gloriæ*, Rom. 6 v. 9. Atque hic sensus nititur tum *aperta phrasi* (דור enim *propriè durationem & tempus vitæ* significat) quod significatum cum *scopo Prophetico* exactè convenit, qui est, referre *gloriosam vitæ perennis Christi continuationem*: tum *antecedentium de ereptione ex clausura & judicio. & consequentium* collatione, præsertim v. 10. ubi דור *duratio ista* clariùs explicatur. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2 special. par. 1. p. 240. obj. 4. *Glass.* l. 2. Philol. sacr. par. 1. tract. 2. sect. 1. art. 3. can. 2. obj. 7. p. 390. seq.

IV. Fundamentum nostratium de *Messiæ morte* (excisus enim dicitur de terra viventium) vide ab exceptione *Judæorum* vindicatum in Vindic. *Dan.* 9. v. 26.

V. Argumentum quoque nostrum, pro *satisfactione Christi*, contra φλυαρίας *Socini*, vide consolidatum in Vindic. *Esa.* 53. v. 5. m. 6.

VI. *Christus in statu exinanitionis juxta humanam naturam incessanter & ubiq; non regnavit*, quia juxta *illam tùm de terra viventium fuit abscissus*; actus autem regnandi in *morte* Regis desinit: *mortui* enim *vivis* non ampliùs imperant.

*Thummius* in Ταπεινωσ. p. 718. obj. 5. regerit, hac ratione Christum ne *Ecclesiam* quidem incessanter regere potuisse, cum tamen eam *media in morte* præsenter, potenter & omni sapienter rexerit.

℞. *Thummius* falsa nititur hypothesi, Christum nimirum, quà *homo* est, *triduò mortis suam Ecclesiam rexisse, omnium piorum gemitus suis mortuis auribus audiendo, & suis mortuis oculis omnia cernendo*, &c. id quod à nobis nunquam assertum. *Fevverb.* in Κενωσιολογ. sect. 5. cap. 8. quæst. 14. n. 5. p. 71. seq.

VII. *Messias debuit pati pro hominibus: percussus enim fuit propter scelus populi Iudaici.*

*Iudæi* recentiores non de *Christo*, sed de *Iudæis* hunc versum intelligunt, quòd scil. *illi patiantur ista propter peccata Christianorum*; cum in Hebræo sit למו *illis*, non לו *illi*.

℞. (1.) *Galatinus* l. 8. de Arcan. Cathol. verit. c. 15. Judæos ex ipso contextu firmissimè refellit: Sermo enim est de *uno eodémq; subjecto*; hoc verò esse *Christum*, & non *Iudæos*, ex *epithetis* patet. (2.) *Enallage* hîc est numeri *pluralis* pro *singulari*, quâ denotatur, Christum in passione sua vicem gessisse *totius generis humani, & plagam in Messia omnibus omnino hominibus fuisse impositam*, ita tamen ut *solus Christus pro istis eam sustinuerit*. *Glass.* l. 1. Philol. sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. circ. object. 62. p. 148. & 150.

VIII. *Hunthlaus* in Epitom. controv. 1. cap. 10. §. 6. *fontes Hebraicos accusat corruptionis*, quoniam ibidem addita sit litera מ inter duas ultimas literas, ut legatur in omnibus Hebraicis codicibus, למו, *illis*, pro לו. *illi*: at secundùm hanc lectionem *populum Israel*, & non *Christum* dici percussum propter peccata nostra; cum tamen LXX. *Chaldæus*, & *Vulgatus* habeant, *propter scelus populi mei percussi eum.*

℞. (1.) *Pagninus* & *Arias*, sine ulla *corruptelæ* suspicione, למו exponunt *singulariter*, per usitatam apud Hebræos *numeri enallagen*, EI. Unde *Galatinus* lib. 8. de Arcan. Cathol. verit. c. 15. Judæos ex ipso contextu firmissimè refellit, nullâ *corruptela* cujusdam facta mentione. (2.) Idem *Galatinus* lib. 8. cap. 14. hunc locum sic exponit: *Quoniam abscissus est*, id est, *abscindetur de terra viventium propter scelus populi mei, & ulcus eorum, vel quod erat eis, quod pro ulcere peccati originalis accipitur.* (3) *Hunthlaus* ipse fatetur, ab *Hieronymo* Catholicè exponi: at Hieronymus *Hebraicè* legit, למו, ut nos hodie. Unde ergo profecta *corruptio*? aut cur necesse est inferri, *Israëlem percussum propter nostra peccata*? (4.) Falsum est, *Chaldæum* Interpretem in *singulari* hæc verba exponere; sic enim habet: *Iniquitates, quas perpetrârunt populus meus, ad ipsos pervenerunt.* (5.) Nec fides vulgatæ Editioni: hæc enim longè abit à Codice *Hebræo*. Nam pro נֶגַע, *plaga*, ut habet *Arias*, reponit, *percussi*, נגעתי. (6.) Ne LXX. quidem consonant *Latinis*: nam ἤχθη εἰς θάνατον, longiusculè recedit ab eo, quod est, *percussi eum*. (7.) Etsi למו *pluraliter* exponeretur, non tamen id nobis obesset; siquidem posterius ejus versus membrum ita connecti posset: *Succisus est de terra viventium propter iniquitatem populi mei, quibus plaga scil. debebatur.* Etenim למו *plurale* voci collectivæ עם, h.e. *populus*, respondet, sicut *Numeror.* 16. v. 3. *omnis hic cœtus* כלם *omnes illi sancti sunt*. Et ex idiotismo *Hebrææ* linguæ sæpe duplex *relativum* ponitur, *Esa.* 5. v. 28. *Iob.* 3. v. 15. quod exemplum loco præsenti exactè congruit. Gerhard. in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. p. 98. obj. 22. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 64. 65. 66. p. 221. *Glass.* l. 1. Philol. sacr. tract. 1. obj. 52. par. 2. sect. 2. obj. 62. p. 148.-150.

Vers. 9. *Et posuit improbitates sepulcro suo, & divitem in mortibus suis: propterea quòd iniquitatem non fecit, nec dolus in ore ejus.*

I. Observa (1.) *Ellipsin* tum præpositionis, ב, IN, ex membro sequenti repetendæ, קִבְרוֹ *sepulcro suo*,

*suo*, pro, בְּקִבְרוֹ *in sepulcro suo*; tum verbi substantivi, *Nec dolus*, scil. *fuit*. (2.) *Enallagen*, partim concreti, עָשִׁיר, *divitem*, pro abstracto, עֹשֶׁר, *divitias*; [ad significandum per ἀνάλυσιν tacitâ, ipsum *Christum per mortem suam esse illas credentium divitias*] partim numeri pluralis, *mortibus suis*, pro singulari, *morte sua*, excellentiæ denotandæ causâ. (3.) Vocem עַל, SUPER rectiùs exponi causaliter, *quia*, (quippe cui genuinum exemplum est *Job*. 32. v. 2.) quàm Adversativè, *quanquam*, cujus nullum aliud exemplum dari potest. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr tract. 1. can. 2. p. 3. - 5.

II. *Anonymus* superior d. l. verba hæc identidem *Jeremiæ* applicat, quasi *Judæi*, qui pertraxerunt eum in *divitem Ægypti regionem*, effecerint, ut in peregrina terra, inter *impios idololatras* sepeliretur; quamvis *vera fuerint, quæ ipse dixit*.

℞. Hæc quoque est Scripturæ perversio. Nam (1.) *Subjectum* hîc non est *populus Judaicus*, sed *Christus*, ob specialia ipsius epitheta. (2.) Per עֲשִׁירִים nequaquam *Ægyptii* intelliguntur [neque enim vel minimô Jotâ ex toto hoc contextu probari potest, de *Ægyptiis* hoc loco agi] sed *improbitates nostræ*, quas in sepulcro suo posuit Christus, ut à facie DEI sint tecta atque remissa omnibus, qui in Christum credunt. Itaque Esaias non agit de *Jeremiæ*, sed *Messiæ* sepultura. (3.) Unde probabit Adversarius, nomine *divitis* subaudiri *regionem Ægyptiacam*? Nam hac de re in textu nullum extat vestigium. (4.) Propheta non *determinatè* dicit, *vera fuisse, quæ dixerit is, de quo hic sermo est*; Sed *absolutè* pronunciat, quòd *iniquitatem nullam fecerit*, & quòd *nullus dolus in ore ejus fuerit*. Isthæc verò de nullo ψιλῷ ἀνθρώπῳ, atque sic etiam nequaquam de *Jeremia* dici possunt; optimè verò de *Christo*, 1. Petr. 2. v. 22. cùm econtra nullus sit in terra, qui non *peccet*, Eccles. 7. v. 2. & omnis homo *mendax*, Psal. 116. v. 11. *Jacob. Martin*. l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 596. & c. 106. p. 645. 646. 647. seq. & *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 2. p. 3. seq.

II. *Forsterus* in Lexic. Hebraic. p. 95. asserit, vocem בְּמֹתָיו, *in mortibus suis*, quæ nunc in *Hebræo* legitur, à *Judæis* non diu post gloriosam Christi resurrectionem, & ascensionem in cælum, depravatam esse: antea enim fuisse punctatam, בָּמוֹתָיו, *excelsa ejus*, & denotari *monumentum divitis alicujus*.

℞. *Masorethæ*, etiam ante tempora *Messiæ* exhibiti, habent, *uti nunc legitur*; & *Jonathan*, Chaldæus Paraphrastes, lectionem vocis hujus, בְּמֹתָיו, apertè confirmat. Nec ita favet locus hic Judæis. Si enim inde inferre velint, *Christum mansisse in illis mortis cruciatibus*, antecedentia verba, *Et è judicio sublatus est, & generationem ejus quis enarrabit*, eos evidentissimè refutant. Eò minùs igitur de corruptione istius vocis Judæi accusandi, quò minùs ipsis favet. Ipse Forsterus eò tandem abit, quòd ideò datâ operâ irregulariter ita punctata sit ea vox cum *Scheva*, cùm aliàs legatur cum *Camez*, ut ea irregularitate singulare quid significaretur, quemadmodum in prophetiis talia multa sunt, quæ punctorum irregularitate aliud quoddam mysterium subindicant. *Glass*. lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. obj. 63. p. 150. - 153.

Vers. 10. *At Jehovah voluit percutere eum in infirmitate: Si posuerit delictum, animam suam videbit semen, quod prorogabit dies, & voluntas Jehovæ per manum ejus prosperabitur.*

I. Jesaias utitur [1.] *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: אָשָׁם enim *delictum* accipit pro *hostia*, DEO in odorem suavitatis, pro peccato expiando oblatâ, *Ephes*. 5. v. 2. [2.] *Synecdoche partis* pro toto: *Animam suam*, h. e. *seipsum*. [3.] *Metaphorâ*: Videbit *semen*, h. e. *filios DEI*, quos geniturus est in Ecclesia semine incorrupto verbi, 1. *Petr*. 1. v. 23. *Jacob*. 1. v. 18. [4.] *Pleonasmô*: per *manum ejus*, h. e. per *eum*, voce *manus* abundante, nisi ipsam accipias *metaphoricè* pro *ministerio*, Jun. in Not. ad h. l. p. 684. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 3. m. 4. p. 47.

II. *Anonymus* ille ibid. hunc quoque versum *Jeremiæ* adaptare vult, ut sensus esset, *Jeremiam à Domino percussum, ob populi infirmitates, & ita animam suam, tanquam victimam ad mortem, positurum; habiturum esse multos, qui ipsius doctrinam amplectentur & propagabunt, ejusq; promissiones veras esse experientur, & Deum præstiturum liberationem à captivitate Babylonica, quam ipse promisit.*

℞. Impostorem agit *Anonymus*. Etenim [1.] non *Jeremias*, sed *Messias*, ob populi culpam, à Domino percussus est, ut *ipsius livore sanaremur*, v. 5. [2.] Neque etiam de *Jeremia* verè dici potest, quòd *animam suam posuerit sacrificium pro delicto*; de *Messia* verò est longè verissimum: siquidem *soli Messiæ peccata nostra imposita sunt*, v. 6. [3.] Adversarius textui infarcit adverbium similitudinis, *tanquam*, cum tamen id locum hic non habeat: neque enim *per similitudinem*, sed *propriè* verba intelliguntur. [4.] Idem Anonymus sibi contradicit. Siquidem in præcedentibus docuit, quòd *Jeremias in peregrinatione in Ægyptum à Judæis impiis fuerit interfectus*. Si autem hoc verum est, quomodo quæsò *videre potuit ille, qui suam doctrinam amplecterentur & propagarent*, ejusque promissiones veras esse experirentur? [5.] Ne γρῦ quidem hoc loco habetur de *liberatione è captivitate Babylonica*, quam Jeremias promiserit; sed de *prospero Messiæ successu* agitur in *voluntatis divinæ executione*.

Instat ille, non esse necesse, ut *Jeremias post mortem suam videret auditores suos*, quia hîc dicatur, *videbit semen*, quippe quod idem sit, ac *coram te erit*.

℞. [1.] Non est eadem phrasis, *videre* & *coram te esse*. Illud enim significat, *rem præsentem intueri*, ut *Gen*. 29. v. 10. *Gen*. 45. v. 12. &c. *hoc* autem, *in sua potestate esse*, ut *Deut*. 2. v. 36. 2. *Sam*. 7. v. 16. [2.] Ponamus verò, *eandem vim habere utramq; phrasin*, certè de *Jeremia* dici non potest, quòd *semen viderit*, h. e. *coram ipso fuerint*, qui ipsius doctrinam amplectentur & propagabunt, ejusq; promissiones veras esse experientur: de *Messia* autem vel maximè, ut qui *electos suos videt & curat*, Joh. 10. v. 27. seq. *Jacob. Martin*. l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 596. seq. & c. 106. p. 648. - 654.

III. *Judæi* negant, *Jesum Nazarenum fuisse verum Messiam*, quòd *non reliquerit post se semen*; cum tamen Esaias testetur, *Messiam post se relicturum semen*.

℞. [1.] Judæi sibi contradicunt: nam cum R. *Salomone* asserunt, non ibi de *Messia* sermonem esse; quâ igitur ratione dicere possunt, juxta hoc *Esaiæ* testimonium, *Messiam post se relicturum semen*? [2.] Ludunt æquivocatione in voce *semen*, quæ hîc non de *carnali posteritate* est intelligenda, sed de *spirituali semine*, nempe de *Christi discipulis*, & omnibus doctrinam Christianam amplectentibus. *Jacob. Martin*. l. 3. de trib. Eloh. c. 39. p. 197. & c. 41. p. 215.

IV. *Christus in sua passione sensit iram Dei, ob peccata hominum sibi imposita: à Deo enim verè percussus est propter hominum peccata*; peccata autem *iram Dei* necessariò attrahunt.

Bellar-

*Bellarminus* l. 4. de Christ. anim. c. 8. resp. ad 1. arg. excipit 1. *percussionem hanc* non esse argumentum *iræ Dei*, quia Pater Christum non *oderit*, quando ipsum percussit.

℞. (1.) Committitur petitio principij: probandum enim ipsi est, *percussionem hanc* non esse argumentum *iræ Dei*: siquidem contrarium evicimus, quòd nimirum *Christus propter scelera nostra attritus fuerit & percussus, v. 5. scelera* autem *iram Dei* attrahunt, tanquam Cæcias nubes. (2.) Christus, etsi aliquam *suam ob culpam admissam*, non poterat odio esse Patri; at certè ob *alienam imputatam*: itaque potuit hac ratione *Patrem sentire iratum*.

2. Christum dici *percussum à Patre*, quia *permiserit occidi eum Pater pro nobis*.

℞. (1.) Hoc sensu Christus fuit etiam percussus *à semetipso*, quia *permisit se occidi*. (2.) Permisit quidem Pater occidi Christum, sed non *undè*; siquidem in *bonum finem* occisionem illam *direxit*.

3. *Percussionem istam* ab Hieronymo & omnibus alijs Patribus referri ad *solam mortem temporalem*, non ad *pœnas gehennæ*.

℞. (1.) Fuit hic angor quamvis *spiritualis* mortis gustatio, *temporalis* tamen duratione. (2.) Pertinebat etiam ad *mortem corporalem*, tanquam causa ejus *partialis*, & tanquam *pars, conjuncta* unius & ejusdem humiliationis, quæ in *morte* fuit maximè notabilis, & per illam solet notari. (3.) Falsum est, quod de *Hieronymo* ac alijs dicitur: nam in eadem Christi morte, *maledictionem* agnoverunt *Athanasius* de Incarn. Verb. Dei contr. Gent. & *Hieronymus* in h. l.

4. *Non omnes, qui percutiuntur à Deo irato, pati pœnas infernales*; cum sæpe Deus in hoc mundo flagellet *impios*, qui tamen non dicantur propterea *jam esse in inferno*.

℞. (1.) Omnes hujusmodi pœnas patiuntur ex *parte* qui in animis suis percutiuntur ob reatum peccati. (2.) *Christus*, ut *sponsor & mediator mundi*, multò gravius percussus fuit, quàm alius usquam. Unde etiam recepta est sententia apud ipsos Scholasticos, *dolorem Christi fuisse majorem omnibus doloribus*, Thom Aquin. par. 3. Summ. Theol q. 46. art. 6. (3.) *Plerique alij*, cum in hac vita percutiuntur, aliquod habent *levamen & mitigationem*: sed *Christus* pro tempore destitutus fuit omni *solatij* sensu, *Thom.* ibid. & quidem vel maximè in actu *postremo*. Nam quas pœnas impij flagellati sentiunt in hac vita, eæ non pertinent ad eorum actum *postremum*, sed sunt ejus tanquam *præludia*. At in *postremo* actu sic illi flagellantur, ut sentiant *pœnas infernales*; idquod etiam *Christo* in agone contigit. *Hutter.* in LL. Theol. p. 246. b. *Winckelm.* tom. 1. Giess. disp. 13. thes. 27. seq. p. 541. & 542. *Thumm.* de Majest. Christ. p. 144. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 5. c. 12. §. 8. seqq. p. 88. & 89. *Ames.* tom. 1. Bellarm. Enerv. l. 2. c. 2. thes. 9. p. 90. seq.

V. *Christus satisfecit Deo pro peccatis hominum*, quia *anima ejus exposuit seipsam sacrificium pro delicto*.

Respondet 1. *Smalcius* contr. Franz. disp. de justif. fol. 117. quòd verbum, *sacrificium pro delicto*, infarctum sit ad hunc versum, cum tamen in textu *Hebræo* non habeatur.

℞. In *Hebræo* textu est vox אָשָׁם, quæ *metonymicè* sumitur pro *hostia piaculari*, sive *sacrificium pro delicto*, ut ex *Levit.* 5. v. 4. 5. 6. & alijs locis planum est, eoque significatio *Christo* accommodatur à Propheta, cum dicit, *Christum visurum semen longum*, quando ponet animam suam in *sacrificium pro delicto*.

2. *Socinus* lib. 2. de Servat. Christ. c. 11. vocem אָשָׁם apud Esaiam v. 10. non significare *sacrificium piaculare*, sed *rem abominandam & delictum*.

℞. Fateor vocem illam etiam significare *delictum*: Sed hoc loco non potest accipi *propriè pro delicto*, quia textui sacro expositio ista repugnaret. Quomodo enim *videret longum semen*, qui se poneret *delictum*? At Christus vidit semen longum, ideoque se non posuit delictum. *Franz.* disp. 5. Vindic. thes. 103. *Stegm.* disp. Antiphot. 22. q. 1. arg. 2. p. 245. 246. & 247.

3. *Smalcius* l. c. quòd licet etiam in *textu* id contineretur, tamen ad *satisfactionem* nihil attineret.

℞. Utique ad *satisfactionem* attinet: nam ubi *sacrificium pro delicto* est, ibi *expiatio* est, *placatio* est, *satisfactio* est, juxta doctrinam *sacrificialem*.

Vers. 11. *In scientia sui justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Metonymia causa pro effecto*: nam *scientia* notat *fiducialem cordis πληροφορίαν*, quâ Christus salutariter cognoscitur, *Johan.* 17. v. 3. (2.) *Hebraismus*: בְּדַעְתּוֹ, *in scientia sui*, quippe *objecti*, in quod cognitio salutis fertur. *Glass.* lib. 3. Philol. Sac. tract. 1. can. 30. m. 6. p. 109. seq. & lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. p. 14.

II. *Anonymus* ille *Semijudæus* l. c. instat, Deum de *Jeremia* loqui, quippe *qui in doctrina sua multos sit probos effecturus, & iniquitatem Judæorum, velut iniquè cum ipso acturorum, sustenturus*.

℞. Violenta est hæc textûs detorsio. Etenim (1.) per *justum servum Dei κατ' ἐξοχὴν servus Jehova* notatur, qui *ipse justus sit*, hoc est, sit *sine peccatis*, ideoque revera multos justificare possit. Jam verò de *nullo homine*, & sic neque de *Jeremia* dici potest, quòd sit *justus servus Jehova*, atque ita *in conspectu Jehova*, Psal. 143. v. 2. *Eccles.* 7. v. 21. (2.) In eo singularis emphasis continetur, quòd servus ille Dei, non in *sua*, sed in *sui* cognitione sit justificaturus; id quod rursus de *Jeremia* dici nequit, sed de *Messia*. (3.) Licèt *iniquè egerint Judæi cum Jeremia*, non tamen propterea *ipsorum portavit iniquitatem*; de *Christo* verò nostro revera dicitur, quòd & *Judæi iniquè cum eo egerint*, & simul ipse *ipsorum portârit peccatum* sive *iniquitatem*. Cur ergo hic *hominum peccata* dicitur portare? Certè non eam ob causam, quia *cum ipso iniquè egerunt homines*, sed quia *Jehovah conjecit in illum omnium nostrûm iniquitates*, v. 6. *Jacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 597. & c. 106. p. 655.-658.

III. *Anonymus* quidam *Calvinista* in Antithron. Regal. p. 154. arguit, *Christum in statu exaltationis non deposuisse formam servi*, cum *adhuc sit Dei Patris servus*.

℞. Christus dicitur *Dei Patris servus*, non quatenus *jam in statu exaltationis sedet ad dextram ipsius*; sed quatenus in statu *exinanitionis hisce in terris ipse servivit in expiandis nostris peccatis*, Esa. 43. v. 24. & anima ejus laboravit, *Esa.* 53. v. 11. Quia igitur Christus jam non amplius adhuc *hisce in terris* nostra peccata, *profundendo suum sanguinem*, eluit (id enim fecit semel, *Hebr.* 7. v. 27.) hinc jam non est ulterius Dei servus. *Feuverb.* fasc. 3. Dissert. Theol. disp. 2. thes. 96. & 102. p. 92. & 97.

IV. *Osiander* olim somniavit, *hominem justificari essentiali Filij Dei justitia*, quòd *Filius Dei in sua scientia hominem justificare dicatur*.

℞. Chri-

℞. Christus dicitur multos justificare, non Justitiâ *personæ*, sed Justitiâ *meriti*, ipsis acquisitâ, uti constat ex voce *servi*, & ex *portatione iniquitatis humanæ*. Hutter. in Expol. Form. Concord. art. 3. cap. 3. antithes. 1. p. 360. & 363.

V. *Bellarminus* lib. 2. de justif. cap. 3. arg. 1. disputat, *justificationem hominis coram DEO*, non esse *actionem judicis absolventis*, sed *causæ justitiam infundentis*; quoniam *Christus in scientia sua multos justificet*, hoc est, *justos faciat*.

℞. (1.) Jesuita petit principium: Unde namque probabit, *justificare* hoc in loco notare *infusionem* justitiæ? Itaque malè facit, quando *justificare* per *justitiam infundere* explicat. (2.) Quid habet incommodi, si intelligatur ex usu *forensi*? Aut cur non facilimus sensus: *In agnitione sui*, id est, *qui ipse agnoscitur*, nempe *per fidem* (nam phrasis Hebraica significat causam maximè *instrumentalem*) *justificabit* Christus multos, hoc est, *efficiet, ut acceptentur à DEO pro justis*? Nam id manifestò indicat phrasis subjecta: *Iniquitates eorum ipse portabit*: quæ non potest, nisi de *pœnis* intelligi, quas Christus luit pro nobis, ac proinde de *imputatione*.

*Bellarminus* ibidem urget, 1. Christum dici justificantem in *scientia*, hoc est, *doctrinâ suâ*, Hieronymo interprete: at qui *docendo* justificat, certè eum non *judicis* more justificare.

℞. [1.] Cardinalis *scientiam* non rectè exponit de *doctrina Christi*, cum potiùs accipi debeat de *salvifica ejus cognitione*, in qua *remissio peccatorum*. Luc. 1. v. 77. & *vita æterna* posita est, Joh. 17. v. 3. Nam verba *notitiæ* apud Hebræos non *historicam* duntaxat notant notitiam, sed *affectum cordis*. [2.] Non dicimus, eum, qui *docendo* justificat, *judicis* more justificare: nec sequitur, si usus sit *forensis*, ideo designare *judicis* morem. Nam in *foro* non tantùm justificat *Iudex*, sed etiam *Advocatus*, sed etiam *intercessor* apud judicem. Quid ergo nostra? Si in ea justificatione Christus non fungitur vices *judicis*; dummodo *efficiat, ut apud judicem justificer*? Sic Paulus dixit, *Rom* 8. non tantùm: *Quis intentabit crimina adversus electos DEI? Deus is est, qui justificat*, v. 33. quod pertinet ad *personam judicis*; sed etiam: *Quis est, qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est*, v. 34. quod ad *Mediatorem* attinet, & *imputationem* significat.

2. In Hebræo esse verbum, צדיק, quod in Hiphil *justum facere* significet.

℞. [1.] Bellarminus sibi contradicit: nam paulò antè fassus erat, posse aliquem fieri justum tum *intrinsecè* per adeptionem justitiæ, tum *extrinsecè* per declarationem, indeque *eandem* vocem ad *varia* significanda traduci: qui ergo tantum *justitiæ infusionem* potest inculcare? [2.] Verbum Hebræum, הצדיק, *justificare*, nunquam significat, ex injusto justum facere, *nova qualitatis infusione*, sed *justum censere & reputare*, ut *Deut. 25. v. 1. 1. Reg. 8. v. 32. Esa. 5. v. 23. &c.*

3. Voce hac, *ipse justus*, significari, Christum justificare, non solùm *docendo*, sed etiam *justè operando*, ac *nobis justitiam suam impartiendo*: non autem requiri ad justificandum *more forensi*, ut is *justus* sit, qui *alios justificat*; sed necessariò requiri ut *justus* sit, qui *bene operando justificare debet*.

℞. [1]. Vocabulum, *justus*, Bellarminus malè ad *modum justificandi* refert, cum ad *descriptionem causæ efficientis* pertineat: nam *justus* non designat *modum ullum justificandi*. [2.] Si ipse, *operando justitiam*, justificavit alios, mirer equidem, quomodo negari possit *imputatio*. Nam *justitia operum* ejus est, *qui operatur*: neque ulla ratio fingi potest, quomodo eâ illius justitiâ alius quisquam justificari possit *inhærenter*. [3.] Falsum est, id non requiri ad justificandum *more forensi*: quia ὁ ἔγγυος ὁ μεσίτης mutuò sumtus à *foro*. At eum ἐγγυητὴν oportet ipsum servare per *justitiam suam*; ideo *bene operando*: Unde necesse est, eundem esse justum. Confer *Rom.* 8. v. 3. & 4. Quid ergo obstat, quò minus hoc τὸ *justificare* sit ab usu *forensi*?

4. Hanc vocem, *servus meus*, significare, Christum *serviisse Deo Patri* in opere justificationis, ac per hoc justificâsse homines, non *judicando*, sed *ministrando*.

℞. [1.] Vox *servus* itidem ad *descriptionem causæ efficientis* pertinet: quare igitur eam ad *modum justificandi* refert Adversarius? [2.] Cur non potuit, qui *justificavit ministrando*, justificare, sumta similitudine ex justificatione *fori*? Nam *dare animam suam pro multis*, Matth. 20. v. 28. quod *Bellarminus* urget, inde traductum est, velit nolit ille. Filius sponsor est, pater judex: *sponsione sua* ille justificat nos apud patrem *ministrando*; & ex ea sponsione pater absolvit nos, id est, justificat, *judicando*.

5. Verba illa, *iniquitates eorum portabit*, significare, *luet pœnam nobis debitam*: at non ita *judices* justificare, ut *pro reis pœnas luant*; ideoque *justificare* hoc loco non sumi *more forensi*.

℞. [1.] Adversarius confundit justificationis causam *formalem*, & *meritoriam*. Per phrasin enim illam, *iniquitates eorum portabit*, passio Christi intelligitur, quæ est justificationis causa *meritoria*, quemadmodum causa *formalis* est peccatorum remissio, unà cum imputatione justitiæ Christi, per passionem ejus acquisitæ. [2.] Quasi verò nullæ essent in *forensi* justificatione partes, nisi *judicis*: nam & partes possunt esse μεσίται & *vadis*. E. G. cum *judex ille pater* sibi unum, alterum filio oculum erueret, qui ex lege ambos debebat filio: ubi pœnas luebat pro filio? Nonne in *foro*? Ergo *forensis* fuit actio, & in ea actione filius liberatus à pœna, saltem *tantâ*. Et qui *vadimonium* pro altero promisit, nonne sistitur apud judicem, & damnatur pro eo? Ergo etiam hic actus *forensis*. Quarè, etsi Christus nostra portârit peccata, non tanquam *Iudex*, sed tanquam *vas*: tamen, quia eo ipso justificavit nos; Ideo necesse est, *justificationem* illam dici ex *usu forensi*. Eckhard. par. 2. Pand. controv. Papist. cap. 26. q. 1. obj. 2. p. 347. *Meisner.* dec. 3. Anthrop. disp. 4. thes. 29 p. 174. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de justif. §. 13. p. 1003. seq. *Gisen.* de Papism. disp. 55. thes. 56. seq. *Broch.* tom. 2. syst. Theol. art. de justif. . 2. q. 4. obj. 1. p. 492. seq. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 21. c. 5. §. 13.-23. p. 427. seq.

VI. *Infantes baptizati veram habent fidem in Christum*: eos enim *Christus justificat in sui cognitione*, i. e. in *fiduciali sui apprehensione*; omnes enim *ita* justificat, quos justificat.

*Anabaptistæ* excipiunt, illud dictum de *infantibus*, utpote *cognitione vacuis*, non loqui, sed tantùm de *adultis*.

℞. [1.] Inde ergo sequetur, quòd in *ignorantia sua* Filius Dei justificet infantes; quod falsum esse, liquet ex *Psalm.* 79. v. 6. *Ierem.* 10. v. ult. & 2. *Thess.* 1. v. 8. [2.] Falsum est, *infantes esse cognitione vacuos*: nam illis ipsis Apostolus tribuit *τὸ cognovisse Patrem*, 1. *Ioh.* 2. v. 14. *Fevverborn.* fasc. 2. Dissert. Theol. disp. 9. thes. 14. pag. 392. seq.

VII. *Christus pro nobis satisfecit*, quia *peccata nostra ipse portavit*; *portare* autem *peccatum alicujus*, nihil aliud est, quàm *pœnas*, *quæ peccato illius debebantur*, *luere ac persolvere*, atque ita *pro eo satisfacere*.

*Socinus* lib. 2. de Servat. Christ. c. 5. p. 99. seq. reponit, *Christum portâsse peccata hominum*, non quòd *ipse pro peccatis nostris satisfecerit*, aut *Deum ad veniam peccatorum nobis concedendam moverit*; sed quòd *auctoritate*, *à Patre acceptâ*, *hominibus resipiscentibus peccata condonârit*.

℞. Christum portare peccata, *ea condonando*, faciles damus: sed ita ut addamus, *Christum omnia illa peccata*, *quæ condonat*, *in corpore suo portâsse super lignum*, 1. *Petr.* 2. v. 24. & quidem non sine *sui molestia*, Esa. 43. v. 24. non sine *animæ labore*, Esa. 53. v. 10. imò non sine *sanguinis effusione*, utpote sine qua non datur remissio, *Hebr.* 9. v. 22. Atque idipsum innuit Hebræa vox סָבַל, quæ *in se receptum bajulare* significat, ut *Gen.* 49. v. 15. unde est nomen סֵבֶל, *onus*, Exod. 1. v. 11. quia portatio illa cum *onere ac molestia* conjuncta est, *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Servat. Christ. cap. 1. sect. 12. q. 8. obj. 4. p. 895. 896. seq. *Stegm.* disp. Antiphot. 23. q. 3. p. 263. *Iacob. ad Port.* contr. Ostorrod. Instit. p. 453. 454. seq.

VIII. *Zanchius* tom. 1. Miscell. fol. 289. negat, *redemptionem Christi fuisse universalem*, quòd *Christus multorum peccata portârit*.

℞. [1.] Vocabulum *multi* non semper accipitur *διαιρετικῶς*, pro *aliquibus tantum*, ut multi baptizabantur in Jordane, *Matth.* 3. v. 6. multi in regno cælorum sedebunt, *Matth.* 8. v. 11. &c. sed sæpe *συμπληρωματικῶς*, pro *omnibus*, ut *Dan.* 12. v. 2. *multi*, in pulvere terræ dormientes, evigilabunt, hoc est, *omnes*, Joh. 5. v. 28. item, sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt *multi*, Rom. 5. v. 19. id est, *omnes*, v. 12. & 18. &c. [2.] Si S. Scriptura *tantum* uteretur vocabulo *multorum*, tum prima fronte hoc argumentum aliquid valere videretur: verùm ipsa non utitur *tantùm* vocabulô *multi*, sed & vocabulô *omnes*, ut 1. *Tim.* 2. v. 6. & hoc ipso in loco Prophetico, v. 6. *universaliter* vox *multi* per *omnes* exponitur. [3.] Esto autem, vocem *multi* aliquos tantùm hîc notare, certè gratiam, in *justificatione applicatam*, peccatorum portatio significaret, quam *particularem* esse concedimus: gratia enim *parta* & *redemptio* est universalis, *Ioh.* 3. v. 16. 1. *Ioh.* 2. v. 2. &c. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 788. *Eckhard.* in Fasc. controv. Calvin. c. 12. q. 1. obj. unic. p. 282. seq. *Meisner.* dec. 2. Anthr. sacr. disp. 3. q. 1. thes. 39. pag. 99. *Osiandr.* in Enchir. Calvin. cap. 8. q. 3. effug. 1. pag. 251.

Vers. 12. *Propterea distribuam ei cum multis, & cum robustis dividet prædam: propterea quòd effudit in mortem animam suam, & cum transgressoribus connumeratus est, & ipse peccatum multorum toleravit, & pro peccatoribus orabit.*

I. Verba hæc continent [1.] *Metaphoram*: Christus enim dicitur *effundere animam suam in mortem*, hoc est, *exspirare*. [2.] *Synecdochen speciei pro genere*: nam Christus fertur peccatum *multorum* portasse, id est, *omnium omnino hominum*, ut v. 6. & 2. *Corinth.* 5. v. 15. explicatio habetur. [3.] *Enallagen* temporis futuri, *orabit*, pro præterito, *oravit*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 242. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 684. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. p. 446. seq.

II. *Anonymus* ille Semijudæus d. l. nugatur, adhuc Deum de *Ieremia* hîc loqui, utpote qui *partem prædæ à Nabuchodonosore cum Chaldæis acceperit*, eò quòd *vitam suam morti exposuerit*, quando longo tempore detentus fuit in carcere, ubi transgressores solent asservari, & *ipse multorum peccatum toleravit*, & *pro peccatoribus orare solitus fuerit*.

℞. Hæc non quadrant in *Ieremiam*. Nam [1.] ubi habetur, *ipsum prædam divisisse cum Chaldæis*? De *Christo* autem verum est, quòd spolijs fortium suorum hostium potitus fuerit, *Psal.* 68. v. 19. *Ephes.* 4. v. 8. [2.] Ex nullo Scripturæ loco probabitur, *Ieremiam pro populo animam suam effudisse* (in Hebræo enim est, הֶעֱרָה, quod non, *exposuit*, sed, *effudit*, verti debet) contrà verò *Christus animam suam pro populo effudit*, Luc. 23. v. 46. *Joh.* 10. v. 18. [3.] Nulla hîc fit mentio *carceris*, sed *mortis*, in qua, ut dixi, Christus animam suam exhalavit, *Psal.* 31. v. 6. [4.] *In carcere detineri*, non statim est *actu inter transgressores contineri*, & *cum eis tandem pœnam sustinere*, quod hoc loco vult textus, & *Christo* attribuitur, *Marc.* 15. v. 28. [5.] Hebræum נָשָׂא non significat, *toleravit*; sed *portavit*: Jam verò *Ieremias* peccata hominum non portavit, sed *Christus*, Joh. 1. v. 29. [6.] Jeremias propriè pro *suis prævaricatoribus* non oravit, sed *Christus*, Luc. 23. v. 34. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. cap. 103. pag. 597. & cap. 106. p. 658. & seqq.

III. Argumentum *Zanchij*, contra *universalem Christi redemptionem*, vide solutum in Vindic. *Esa.* 53. v. 11. n. 8.

CAP. LIV. v. 1. *Lauda sterilis, non peperit; decanta laudem & exulta, non parturivit: quia multi filij desertæ præ filijs maritatæ*, &c.

I. Propheta usurpat (1.) *Ellipsi* tum pronominis relativi, אֲשֶׁר, *quæ* non peperit, & *quæ* non parturivit; tum verbi substantivi, *quia multi*, scil. *sunt*. (2.) *Enallage personæ* tertiæ, *peperit* & *parturivit*, pro secunda, *peperisti* & parturivisti. (3.) Hebraismô: *Multi filij sunt desertæ præ filijs maritatæ*, hoc est, *illi plures sunt his*, Galat. 4. v. 27. (4.) *Allegoria*: de *Ecclesia* enim *Christi* in N. T. per Apostolorum præconium ex omnibus gentibus collecta, alludit ad *Synagogam* seu *Ecclesiam veterem Iudaicam*, quæ usque ad tempora Christi fuerat conjugata Deo, & filios secundùm carnem generat, v. 1. 4. 5. 6. *Arian.* par. 4. Bibl. p. 35. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tractat. 1. can. 15. p. 53. tract. 3. can. 50. m. 3. p. 390. seq. lib. 5. tract. 1. cap. 20. p. 496. seq.

II. *Anonymus* ille superior arbitratur, Esaiam hactenus quasi in *parenthesi* egisse de *Ieremia*, qui plenius *liberationem à captivitate Babylonica* promissurus erat; nunc in hoc capite rursus redire ad propositum, id est, promittere *liberationem a captivitate Babylonica*: quia *multiplicatione prolium Ecclesiam captivam soletur*.

℞. (1.) Falsum est, *Esaiam hactenus quasi in parenthesi egisse de Ieremia*: tum quia ne γρῦ quidem c. 53 habetur de *Ieremia*, tum si *hæc parenthesis* est, valde magna & monstrosa est, cujus haud dubiè neque in *Biblijs*, neque apud alium *probatum autorem*, similis habetur. (2.) Falsum & hoc est, *rursus redire Prophetam ad propositum*, nempe *promittere liberationem a captivitate Babylonica*. Quandoquidem nil *directè* in hoc capite continetur vel de *captivitate Babylonica*, vel de *liberatione ex ea*: sed postquam Esaias in præcedente c. 53. exposuit *Christi Historiam de passione*, & *consequente gloria* ejus; hîc orationem convertit ad *Ecclesiam*, docens *fructus*, quos ab eo perceptura est. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 597. seq. c. 106. p. 665. seq.

Vers. 2. *Dilata locum tentorij tui, & cortinas tabernaculorum extendant, ne prohibeas; prolonga funes tuas, & claves tuos confirma.*

Iteratur (1.) *Allegoria*, à *tentoriorum dilatatione*, quâ *Ecclesiæ singularis Iudaicæ in Catholicam seu universalem commutatio* indicatur, ut seq. v. 3. explicat. (2.) *Enallage*, *Hebræis* freqventata, quâ verbum personale, יטו, *extendant*, impersonaliter sumitur, *extendantur*. Jun. in Not. ad h. l. p. 684. & *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 20. pag. 497.

Vers. 4. *Noli timere, quia non confundêris, neq; erubesces: nam pudoris virginitatum tuarum oblivisceris, & opprobrij viduitatum tuarum non recordaberis amplius.*

I. Occurrit (1.) *Enallage numeri* pluralis, *virginitatum tuarum*, & *viduitatum tuarum*, pro singulari, *virginitatis tuæ*, & *viduitatis tuæ*, excellentiæ denotandæ causâ. [2.] *Metaphora*: Siquidem *viduitas*, Ecclesiæ tributa, *afflictiones* designat; ubi sensus est, quòd nova felicitas, tempore Messiæ futura, omnia mala præterita sit sanatura, & calamitatum priorum oblivionem inductura. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 35. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 367.

II. *Becanus* in Manual. controv. l. 1. c. 3. conclus. 4. n. 30. p. 65. arguit, *Ecclesiam visibilem in fide non errare*, quoniam *nec confundetur*, *neq; erubescet*.

℞. [1.] Negatur id sequi: saltem enim hoc sequitur, *Ecclesiam non penitus a Deo desertum iri*, non verò *ipsam ab omni errore in fide fore immunem*, quicquid etiam faciat. Itaque *Ecclesiam non confundi & erubescere* non *præcise ac immediatè* opponi debet *errori in fide*, sed *desertioni divinæ*. At controversia est, non de Ecclesiæ *perpetuitate*, sed de *puritate*. [2.] Promissio hæc pertinet ad *Ecclesiam Catholicam*, quæ veritatem verbi cælestis conservat: ad *visibiles particulares Ecclesias* non pertinet, nisi *hac conditione*, quatenus verbo DEI innituntur. *Meyfart.* tom. 1. Anti-Becan. p. 335. 336. seq.

Vers. 5. *Quia maritus tui factores tui, Dominus exercituum nomen ejus, & redemptor tuus Sanctus Israelis, Deus omnis terræ vocabitur.*

Offert se [1.] *Metaphora*: nàm *maritum Ecclesia* se vocat *Deus*, (ob *unionem spiritualem*, quæ inter DEUM & Ecclesiam. *Hose.* 2. v. 19. 2. *Cor.* 11. v. 3. &c.) & quidem in *plurali numero*, ad innuendum SS. *Triados* mysterium. [2.] *Enallage temporis* futuri, *vocabitur*, pro præsenti, *vocatur*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 242. *Iun.* in Not. ad eund loc. pag. 684. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 367.

Vers. 8. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus.*

I. Ἀνθρωποπάθεια est: *Abscondi faciem meam à te*, h. e. *gratiam me exhibui*, cum sterilem & desolatam relinquerem te; *humaniter* pergit Jesaias in allegoria, *Iun.* in Not. ad h. l. p. 684. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 105.

II. *Papistæ* verba hæc ad *liberationem ex Purgatorio* torquent, dum *momentum indignationis* de Purgatorio, *misericordiam* de Paradiso exponunt.

℞. Sermo hîc est, non de *Purgatorij tormentis post hanc vitam*; neque enim hoc admittit v. 9. ubi Dominus dicitur jurâsse, *se populo suo non amplius iratum fore*, neque ullus *Patrum* verba illa de *Purgatorij flammis* exposuit: verùm de *cruce Ecclesiæ in hac vita*, quæ collata cum æterna felicitate, *levis ac momentanea* est, 2. *Cor.* 4. v. 17. Unde *Lyra* in comm. h. l. *Ad punctum abscondi faciem meam, quia quæcunq; tribulatio vitæ præsentis quasi momentanea est respectu consolationis cælestis*. Chemnit. in Exam. Concil. Trid. par. 3. p. 565. b. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 244. obj 7. p. 450. *Thumm.* de Purgat. pag. 114. seq.

Vers. 9. *Quoniam aqua Noachi hoc mihi, quâ juravi a transeundo aquas Noachi amplius super terram: sic juravi ab effervescendo contra te, & ab increpando te.*

Redit huc [1.] *Ellipsis* tum particulæ comparativæ כ. *Quoniam* ut *aqua*, &c. tum verbi substantivi, *Hoc mihi*, scil. *est* vel *erit*. [2.] Hebraismus: *A transeundo*, h. e. *non transituras*, *ab effervescendo*, & *ab increpando*, id est, *fore ut non effervescam*, & *non increpam*. Item *aquas Noachi*, h. e. *aquas, quæ tempore Noachi orbem terrarum inundàrunt*. [3.] *Enallage temporis* præteriti, sic *juravi*, pro præsenti, sic *juro*. Jon. in Bibl. h. l. p. 684. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 7. p. 110. & lib. 4. tract. 1. observ. 4. m. 1. n. 4. p. 655.

Vers. 10. *Montes recedent, & colles nutabunt: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur*, &c.

I. Ἄθεοι statuunt, *mundum æternùm duraturum*, quòd *misericordia divina invariata constantia conferatur cum immutabili variatione montium ac collium*, nimium *futurum potius*, *ut montes recedant, quam ut divina misericordia recedat*.

℞. Duratio *misericordiæ divinæ ac mundi*, non ut *paris*, sed ut *disparis* durationis res conferuntur, ut ex contextu patet. Aliqoando enim verè recedent montes, *Apoc.* 6. v. 14. & cap. 16. v. 20. sed misericordia Dei confirmata est super nos in æternum, *Psal.* 117. v. 3. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 32. de Consumm. secul. §. 17. obj. 7. p. 355.

*Brochm.* Syst. Theol. tom. 2. art. de Consumm. secul. c. 2. q. 2. obj. 5. p. 7003. seq.

II. *Becanus* in Manual. controv. l. 1. c. 3. n. 30. p. 65. opinatur, *Ecclesiam visibilem non posse deficere a fide, quia misericordia Dei ab ea non sit recessura, & fœdus pacis cum ipsa initum, fixum & irrevocabile mansurum.*

℞. Esaias agit de Ecclesia *Catholica*, cum qua Deus inijt fœdus gratiæ, quod est æternum. Itaque tota ista concio non potest aut debet accommodari Ecclesiæ *particulari & visibili*, nisi quatenus in illa degunt electi Dei filij. *Cham.* tom. 5. Panstr. l. 1. c. 17. §. 8. & 9. p. 79. seq.

III. *Reformati* inficias eunt, *electos per peccata mortalia posse amittere gratiam DEI*, cum *misericordia Dei ab ipsis non recessura sit.*

℞. Deus electis promisit misericordiam suam, non *absolutè*, etiam cum mortaliter peccant; sed *sub cautione certa conditionis*, ab ipsis implendæ, modò officium suum ipsi fecerint, & in peccata prolapsi, veniam à Deo petierint. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Peccat. c. 8. q. 8. obj. 1. p. 496. seq.

IV. *Semper patet regressus ad fœdus gratiæ, in Baptismo nobiscum initum:* id ipsum enim *semper manet ex parte Dei immotum.*

*Bellarminus* l. 1. de Sacram. Baptism. c. 28. resp. ad arg. 3. excipit, locum hunc continere *promissionem absolutam*, nimirum de *fovenda perpetuò Ecclesia*, cùm ista promissio à *nulla conditione* pendeat, eò quòd matrimonium inter *Christum* & *Ecclesiam* planè indissolubile sit.

℞. [1.] Deus non solùm cum *Ecclesia in genere*, sed etiam cum *singulis fidelibus in specie* init fœdus, quod ex parte *Dei* est immotum: ideoque locus Propheticus non solùm ad *universam Ecclesiam*, sed etiam ad *quamvis fidelem animam*, per Baptismum in fœdus Dei receptam, spectat. [2.] Falsum est, *absolutam quandam promissionem* Ecclesiæ datam esse. Deus enim *Synagoga Iudaica* dedit libellum *repudij* propter fornicationes spirituales. Invertimus ergo rationem, à Bellarmino adductam: Quemadmodum matrimonium, licèt *in se* sit vinculum indissolubile, tamen *per adulterium* solvitur: ita quoque desponsatio Ecclesiæ facta, propter *spirituales ejusdem fornicationes & apostasias* evacuatur atque expirat. *Esa.* 1. v. 23. *Ierem.* 3. v. 8. *Ezech.* 16. v. 50. *Ose.* 2. v. 2. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 23. de SS. Baptism. §. 154. seq. p. 1092. 1093. seq.

Vers. 11. *Afflicta, turbine jactata, consolatione destituta, ecce ego colloco in carbunculo lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris.*

Est hic [1.] *Metaphora*: nam *Ecclesia* dicitur סֹעֲרָה, *turbine jactata*, seu *tempestate obruta*, hoc est, *afflicta & consolatione destituta*, ut ibidem additur. [2.] *Enallage temporis* præsentis, *colloco*, pro futuro *collocabo*, uti sequens verbum futuri, *fundabo*, ostendit. [3.] *Hyperbole*, quâ *gloria & splendor Ecclesia Christiana internus* metaphoricè describitur. *Fundatio ejus* dicitur fieri *in carbunculo & sapphiris*, hoc est, in *justitia* [Christi] v. 14. verà fide applicata ad salutem. *Iun.* In Not. ad h. l. p. 684. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 250. cap. 11. p. 283. seq. cap. 20. p. 497.

Vers. 12. *Et ponam crystallum fenestras tuas, & portas tuas ex lapidibus gemmæ rutilantis, & omnem terminum tuum ex lapidibus beneplaciti.*

I. *Allegoria* est ab *ædificio magnificentissimè extructo*, quo *spiritualis ædificatio Ecclesiæ super Christum* intelligitur, de qua *Matth.* 16. v. 18. & *Ephes.* 2. v. 20. seq. *Fenestra ejus* dicuntur *esse ex crystallo*, quibus *doctrina Apostolorum* innuitur, utpote per quam, tanquam fenestram crystallinam & pellucidissimam, lux cœlestis Ecclesiæ illabitur. *Porta ejusdem* dicuntur esse ex *lapidibus gemmæ rutilantis*, per quas *jugis verbi divini prædicatio* intelligitur, *ostium illud sermonis*, Coloss. 4. v. 3. 1. Corinth. 16. v. 9. *porta illa jugiter aperta*. Esa. 60. v. 11. per quas qui ingrediuntur, quasi à gemma rutilante illustrantur, & ab igne cœlesti accenduntur, *Luc.* 24. v. 32. Denique *omnis terminus ejus* dicitur *esse ex lapidibus beneplaciti*, h. e. *pulcerrimis & desideratissimis*, quo *amplitudo Ecclesiæ Christi* in toto terrarum orbe, per præconium Evangelij collectæ, & ipsi Christo, ejusque cognitioni superædificatæ, indicatur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 283. seq. & cap. 20. p. 497.

II. *Becanus* in Manual. controv. l. 1. c. 3. n. 30. p. 65. exinde colligit, *Ecclesiam à vera fide non posse deficere*, quoniam *Deus eam promiserit ita fundandam & stabiliendam, ut tempestate convelli non possit; & ita muniendam portis & propugnaculis, ut futura sit inexpugnabilis.*

℞. [1.] Adversarius ludit fallaciâ æquivocationis in vocabulo *Ecclesia*: vel enim intelligit Ecclesiam *collectivè* sumtam, h. e. *totam Ecclesiam Catholicam*, ex Judæis & Gentibus collectam, & per totum terrarum orbem dispersam; vel intelligit Ecclesiam *repræsentativè* acceptam, i. e. *Episcopos & Doctores Ecclesiæ*, in *Concilijs* congregatos, vel quod idem est, ipsa *Concilia*. Priori modo concedimus, Ecclesiam *totam simul* nec deficere nec errare posse, quia in medio nationis pravæ Deus semper sibi in Ecclesia conservat aliquot *pios & electos*, fundamentum fidei & salutis retinentes, 2. *Tim.* 2. v. 19. *Posteriori* modo asseveramus, Ecclesiam posse deficere & errare: non tantùm enim *actu ipso* quandoque erravit, testibus historijs; sed & *Bellarminus* l. 2. de Concil. c. 11. fatetur, Consilia *posse* errare & deficere. [2.] Ex hoc loco non concluditur *duratio Ecclesiæ perpetua in hoc mundo*, *qualem* Pontificij intelligunt, quasi nimirum *illa nullo pacto* deficere *possit à vera fide*. Nam in *Hebræo* non est, *ponam Jaspidem propugnacula tua*; sed, *Aria* interprete, *ponam chrystallum fenestras tuas*. [3.] Hæc omnia *perfectissimè* complenda erunt in *cœlesti Jerusalem & vitâ æterna*, uti similis ejus descriptio, *Apoc.* 21. v. 10. 11. 18. seq. comprobat. Garth. de judic. controv. fid. Christ. p. 329. 330. 337. *Cham.* tom. 5. Panstr. l. 1. c. 17. §. 8. seq. p. 79. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 283. & 284.

Vers. 13. *Et omnes filij tui edocti Domini, & multa pax filiorum tuorum.*

I. Verba hæc exhibent [1.] *Hebraismum*: לִמּוּדֵי יְהוָה, *edocti Domini*, h. e. *à Domino*. [2.] *Synecdochen speciei pro genere*: nam *pax* significat *beneficiorum cœlestium, merito Christi partorum, plenitudinem*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 1. p. 103. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 15. m. 3. p. 449.

II. *Quibusvis fidelibus licet Scripturam interpretari*: habent enim à Deo promissionem de *intelligentia Scripturæ*, utpote à *Domino docti*.

*Bellarminus* l. 3. de V. D. c. 10. resp. ad 1. arg. reponit, 1. non loqui Prophetã de *spiritu privatè revelante*, sed juxta *Cyrillum* in h. l. de *doctrina Evangelii*, quam *Deus ipse*, id est, *Christus* prædicavit & docuit. ut sensus sit: Populum Christianum non docebo per *Prophetas*, sed per *meipsum*

℞. [1.] *Spiritum privatum revelantem* ambiguè dixit Adversarius: nos enim nullas volumus *extra ordinē* revelationes, sed *ordinarias duntaxat* in *Scripturarum* meditatione, quas hac promissione contineri certum est. Non enim intelligi ullo modo possunt *omnes fideles docti à Domino*, nisi id Deus efficiat in *singulis*, & quidem *privatè*. Nam etsi, e. g. idem Spiritus *Petrum docuit & Paulum*, tamen is *ipse actus*, quo *Petrus* doctus est, non est idem ipse, quo *Paulus*: itaque *seorsim* oportuit eundem Spiritum efficacem fuisse in *utroq;*; atque hoc quidem nobis sufficit. [2.] Expositio à *Cyrillo* repetita, frigida est, quod ipse *Bellarminus* agnovit, cum alteram illam sequentem prætulit tanquam *subtiliorem & germaniorem*. Et planè ostendit Christus, *Ioh. 6.* v. 44. seq. non de *suo ipsius prædicatione* locum intelligendum, sed de *interna Dei in cordibus efficacia*: ut mittam consentientem *veterum* sententiam.

2. Non esse sensum, *omnes Christianos intellecturos divina revelatione omnia arcana Scripturarum*, sed tales futuros, ut non solùm audiant *magistrum*, *exteriùs explicantem* verbum Dei; sed etiam *intus Deum suadentem*, ut faciant, quod audiunt: Prophetam enim loqui de gratia Spiritus Sancti, quâ homo *interiùs à Deo movetur*, & suaviter impellitur ad *credendum & amandum*.

℞. (1.) Argumentum nostrum eò dirigitur, ut demonstremus, Christianos non contentos esse debere *fide Pontificiorum carbonaria illa & implicita*, ut satis esse ducant pendére à *nutu sacrificulorum*, nec ausint in illorum dicta inquirere: testatur enim hic locus Esaiæ, fore pios N. T. doctos à Domino, *mediante Scriptura Sacra*. (2.) *Gratia illa* quâ homo interius movetur à Deo ad credendum & amandum, non est *cæcum* nescio quid, sed cum *intelligentia* conjunctum. Agitur enim in hoc loco de *institutione in doctrina*; doctrinæ autem institutio *propriè & immediatè* pertinet ad *intelligentiam*: hæc igitur *intelligentia* æquè pendet à gratia Spiritus Sancti, ac *praxis*. Inde *Augustinus* l. 1. contr. Pelag. & Cælest. c. 13. *Sic docet Deus, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant, scire, & quod sciunt, agere.* Perperam igitur separabuntur, quæ *distincta* quidem sunt, non tamen *contraria*. (3.) Etsi omnes Christiani *non omnia nôrint arcana Scripturarum*, tamen *omnia necessaria capita religionis*, pro suo velut dimenso, quantum ipsis ad *salutem* sufficit, intelligere valent; alioqui quomodo *gratia illa Spiritus Sancti*, de qua Bellarminus, potest habere locum, si homo tam est rudis, ut nesciat, quid sit illud, *quod credendum est*, nec id dignoscere potest ab eo, *quod non est credendum*? (4.) Cens[illegible]ne Jesuita, *omnino neminem posse interpretari Scripturas, nisi omnia earum arcana cognita habeat*? P[illegible]ca[illegible] erit ergo *Augustinus*, qui multò plura se nescire dicebat, quàm scire; & tamen quotidie interpretabatur Scripturas, tum plebi suæ, tum sibi, tam sc[r]iptis, quàm viva voce. Imò negent Papistæ, vel *ipsam Ecclesiam* posse fungi hoc interpretationis munere: quandoquidem certum est, ne ipsi quidem Ecclesiæ *omnia arcana Scripturarum esse cognita*, maximè ex *revelatione*, ut quædam ex *Daniele, Apocalypsi*, &c. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 285. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 16. c. 2. §. 2.-8. p. 288. *Amet.* tom. 1. Bellarmin. Enerv. l. 1. c. 5. thes. 21. p. 51.

III. *Anabaptistæ*, quos secuti sunt *Suenckfeldius* & *Weigelius*, repudiatô Ministeriô Ecclesiasticô, *internis Spiritus sui afflationibus, & arcanis revelationibus se edoceri* malunt; quia *omnes à Deo doctis ferantur*.

℞. (1.) Non promittitur ibi *immediata institutio*, quia Christus in ipso *Ministerii ac prædicationis* actu hanc promissionem allegat, *Ioh.* 6. v. 45. sed *illustrior & perfectior notitia in* N. T. *futura* prædicitur, *Esa. 11. v. 9.* c. 30. v. 20. *Ierem.* 24. v. 7. &c. (2.) Nulla sequelæ ratio: *Deus docet*, ergo *immediatè per divinos afflatus, & arcanas revelationes*. Docet enim Deus etiam *mediatè* per *verbum prædicatum*, Esa. 55. v. 11. non verò per ἐνθουσιασμοὺς & *arcanas inspirationes extra verbum suum*, Esa. 8. v. 19. & 20. Etenim institutio, quæ fit per *ordinarium verbi ministerium*, est *DEI institutio*; & qui hoc modo edocti sunt, verè sunt *divinitus docti*: ut patet de *Thessalonicensibus*, qui erant in Christianismo à Paulo instituti per verbum, *Actor.* 17. v. 11. & nihilominus verè pronunciantur θεοδίδακτοι, *à Deo docti*, 1. *Thess.* 4. v. 9. Rationem reddit *Paulus* ipse, 1. *Thess.* 2. v. 13. quia nimirum *sermo à se prædicatus, sit à Thessalonicensibus acceptus, non ut sermo hominum, sed, quemadmodum erat verè, ut sermo Dei*. Hunn. tom. 4. Oper. Lat. p. 716. *Balduin.* de Casib. conscient. l. 2. c. 10. cas. 1. p. 363. *Gerhard.* par. 2. Dispp. Theol. disp. 3. thes. 9. p. 346. *Thumm.* in Impiet. Weigel. p. 36.

Vers. 14. *In justitia fundaberis, procul esto ab oppressione, &c.*

*Enallage* est modi imperativi, רחקי, *procul esto*; pro futuro indicativi, *procul eris*. *Glass.* lib. 3. Phil. Sacr. tract. 3. can. 43. n. 2. p. 358.

Vers. 15. *En congregando congregabitur non ex me, quicunque congregans tecum contrate, cadet.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Epizeuxis*, Hebræis usitata: *Congregando congregabitur*, h. e. *omnino* congregabitur. (2.) *Metaphora*: nam *cadere*, idem est quod, *interire* seu *mori*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 243. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 684. Confer Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 377.

Vers. 17. *Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi, in judicio condemnabis.*

I. *Allegoria* est ab *instrumentorum hostilium lædentiumq; abolitione*, quâ *divina defensio & custodia à malo* innuitur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 20. p. 497.

II. *Becanus* in Manual. controv. l. 1. c. 3. q. 30. p. 65. disputat. *Ecclesiam in ferenda sententia non posse errare, eò quòd omnes adversarii, quos Diabolus contra ipsam excitabit, non sint habituri successum; & omnes hæreticos, qui ipsi resistent in causa fidei ac religionis, de errore convictos sit condemnatura.*

℞. Adversarius verba Esaiæ de *Ecclesiæ victoria* nimis latè extendit, quando ad *singulare aliquod privilegium non errandi in judicio* torquet. Deus enim pollicetur Ecclesiæ, omnes hostium, tum persecutorum, tum hæreticorum conatus, persecutiones, calumnias & criminationes contra ipsam fore irritas & inanes; etsi hæc victoria non semper conjuncta est cum splendore externo. *Garth.* de judic. controv. fid. Christ. p. 329. 336. seq. *Cham.* tom. 5. Panstr. l. 1. c. 17. §. 8. seq. p. 79.

III. *Becanus* in Apolog. pro Jud. controv. p. 259. pro-

probare nititur, *Ecclesiam in causa religionis posse esse judicem sui ipsius, cum omnem linguam resistentem sibi, in judicio sit judicatura.*

℞. *Illud ex hoc* non sequitur: Certum enim est, Dominum, consolationis ergò, Ecclesiæ N. T. promittere, fore ut linguam maledicam sese accusantem, & traducentem in publico aliquo judicio, falsitatis & calumniæ convincat & condemnet. Sed quid hoc ad *privilegium Ecclesiæ de sui ipsius judicio* in causa religionis? *Garth.* l. c. p. 338. *Stegm.* l. de Judic. controv. relig p. 150.

CAP. LV. v. 1. *Omnis sitiens venite ad aquas: vos, quibus non est argentum, venite, emite, & comedite: venite & emite absq; argento, & absq; precio vinum & lac.*

I. *Metaphora* est. Nam (1.) *sitire* de *ardenti desiderio & affectu* usurpatur. (2.) Nomine *aquarum* spiritualia *Salvatoris beneficia* denotantur. (3.) *Emere* accipitur pro *intentum esse toto animo rebus, animæ salutem spectantibus.* (4.) Voce *vini & lactis* exprimuntur *beneficia regni Christi*, quæ sunt *justitia, & pax & gaudium in Spiritu Sancto*; perinde ut *naturale vinum exhilarat cor hominis*, Psal. 104. v. 15. & *lac* insigni dulcore pollet. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 182. cap. 10. p. 256. cap. 11. p. 297. & 316. cap. 12. p. 374. & 380.

II. *Vitam æternam nemo suis operibus meretur: ea namq; homini offertur sine pretio*; jam si *sine pretio*, ergo *sine merito.*

Excipit 1. *Bellarminus* l. 5. de justif. c. 5. resp. ad 2. obj. locum hunc ad rem non facere, quia *vinum & lac* non *gloriam sempiternam*, sed *gratiam hujus temporis* significent, *Hieronymo* teste: se autem fateri, *gratiam Dei non acquiri per merita*, sed *gratis dari.*

℞. [1.] Ne *illud* quidem fatetur Jesuita: nam *primam* gratiam justificationis cadere dicit sub *meritum de congruo*, & gratiam *secundam* sub *meritum de condigno*, l. 1. de justif. c. 21. & cum eo *Filiucius* tract. 21. n. 487. & 490. Atqui Propheta de *hac secunda gratia* loquitur. Nam *hæc* significat *primos gratiæ in nobis motus*: itaque significantur per *venire*. Hic verò Propheta non dixit, *emite & venite*; sed contrà, *venite & emite*: ut doceat, primò *veniendum*, id est, habendam *primam* gratiam; deinde *emendum*, nempe obtinendam gratiam *secundam*, quæ, nisi fallor, comprehendit tum *augmenta gratiæ in hac vita, tum vitam ipsam æternam.* [2.] Per *vinum & lac* non solùm *hujus temporis gratia* designatur, sed *omnia bona spiritualia*, scilicet *gratia in præsenti, & gloria in civitate cælesti, per ipsum Christum donanda*, ut habet *Lyra* in h. l. Hoc ipsum confirmatur ex v. 2. & 3. subseqq. qui complectuntur *omnes partes gratiæ divinæ a prima ad ultimam.* Certè *panis & vinum* alunt ac saturant, quod *prima gratia* non facit, quæ designatur per *sitim & esuriem*: sunt enim hi primi motus ad fidem. Tum autem *vita animæ*, quid potuit dici latius? Adde *fœdus sempiternum & misericordias David*, quæ certè ad *gloriam sempiternam* spectant. [3.] Oppidò falsum est, *Hieronymum* Prophetæ verba intra terminos *gratiæ hujus temporis* coërcere; cum in comment. h. l. totus noster sit, quemadmodum & *Cyrillus*, ex quibus videre est, ut *nulla sint partes gratiæ, quæ non contineantur hac prophetia*: ijsque succenturiantur *Caspar Sanctius*, & *Cornelius à Lapide* in comm. sup. h. l. [4.] Sed demus, dictum Esaiæ tantùm de *gratia justificationis* loqui: quid inde? annon propter ὁμογένειαν causarum *justificationis & salvationis*, (*Rom.* 4. v. 5. & *Ephes.* 2. v. 8.) legitimè inde pro gratuita *salvatione* concluderetur?

2. *Bucanus* in Manual. controv. l. 1. c. 18. q. 2. obj. 4. n. 8. nihilominus gratiam primam nobis non sine opere & labore nostro dari; quoniam istæ particulæ, *venite & emite*, requirant nostrum laborem.

℞. Exceptio hæc facilè dispellitur, si æquivocationem à vocabulo *emendi* absterserit, quod hoc in loco non *propriè* accipitur, in quantum significat, *interposito precio aliquid acquirere*; sed *translatitiè* sumitur, idemque significat, quod *sibi comparare & accipere*, fatente *Cornelio à Lapide* in Comm. h. l. & quidem *gratis*, h. e. *sine precio*. Quantus ergo *labor* ad hoc ex nostra parte requiretur? *Hunn.* tom. 1. Oper. Latin. p. 556. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 20. de Bon. Oper. §. 90. p. 188.-192. *Thumm.* in Dissert. de Bon. Oper. p. 14. 15. 16. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 14. c. 17. §. 1.-7. p. 244. *Ames.* tom. 4. Bellarm. Enerv. l. 7. c. 2. thes. 9. p. 200.

III. *Deus seriò vult omnes homines frui beneficiis, per Christum partis*; quia *omnes homines ad beneficiorum regni Filij sui participationem vocavit*

*Reformati* regerunt, Prophetam non loqui de *reprobis*, sed de his solis, *qui sitiant aquas gratiæ divinæ.*

℞. *Impij* non sunt ab *illis invitatis* excipiendi: tum quia v. 7. Deus vult, ut *impius* derelinquat viam suam, & *vir iniquus* cogitationes suas, revertaturq; ad se; tum quia Deus invitat etiam eos, *qui non sitiunt aquas gratiæ divinæ*, Esa. 65. v. 2. & 12. *Hunn.* tom. 5. Oper. Lat. p. 294.

Vers. 2. *Quare appendetis argentum in non pane, & laborem vestrum in non ad saturitatem? audite audiendo ad me, & comedite bonum, & delectabitur in pinguedine anima vestra.*

Propheta adhibet [1.] *Enallagen temporis* futuri, *appendetis*, pro præsenti, *appenditis*. [2.] *Ellipsin* antecedentis & relativi: בְּלוֹא לְשָׂבְעָה, *in non ad saturitatem*, pro, בְּדָבָר אֲשֶׁר, *in re, quæ non est saturitatem*, seu *pro re minimè saturaturâ*. [3.] Epizeuxin: *Audite audiendo*, i. e. *sedulò ac indesinenter audite*. [4.] *Metaphoram*: beneficia enim DEI, ad spiritualem vitam pertinentia, *panis, boni, saturitatis* & *pinguedinis* nomine allegoricè designat. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 684. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 23. p. 215.

Vers. 3. *Pangam vobiscum fœdus seculi, beneficentias Davidis firmas.*

*Hebraismus* est: חַסְדֵי דָוִד, *beneficentias Davidis*, h. e. *Davidi à Domino promissas*, de *Messia*, ex Davidis prosapia nascituro, & in æternum regnaturo, 2. *Sam.* 7. v. 12. seq. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 5. p. 107. & lib. 5. tract. 1. cap. 13. p. 415. seq.

Vers. 8. *Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ, neq; via vestra, mea via, dicit Dominus.*

*Suenckfeldius* arguit, *Deum non operari per verbum*, tanquam *per medium*; cum *hæc via sit creaturæ via & ordo*, qui *Deo creatori* non competat.

℞. [1.] Deus salutem operatur per *Christum*, qui utique secundùm *humanam naturam* est *creatura*. [2.] Ordo creaturæ non competit Deo creatori, *nisi Deus ipse eundem elegerit*. At verò *operari per verbum*, tanquam *per creaturam*, est ejusmodi ordo, *quem Deus ipse elegit*, ut ex v. 11. patet; non quidem ex *quadam necessitate*, sed ex *liberrima voluntate*, 1. Cor. 1. v. 21.

Ogganit ille, *Christum non amplius esse creaturam*: ideoq; instantiam extra oleas vagari.

℞. Hac in re Adversarius turpiter hallucinatur. Quia enim Christus secundùm *carnem* non est *æternus creator*, necessariò erit *creatura*; cum tertium inter *Creatorem*, & *creaturam* non detur. Imò cum Christus secundùm *carnem* sit Filius *hominis*, & quidem ex *semine Abrahæ*: quomodo negari poterit, Christum secundũ *carnem esse creaturam*? Grawer. Præl. Theol. in A. C. par. 5. p. 64. & 97.

Vers. 9. *Quia altiores sunt cœli, quam terra: sic altiores sunt viæ meæ, quam viæ vestræ; & cogitationes meæ, quam cogitationes vestræ.*

Offert se (1.) *Ellipsis* particulæ comparativæ כ: *Quia* sicut *altiores sunt* &c. (2.) ἀνθρωποπάθεια: DEO enim tribuitur tum *via*, quâ *providentia & gubernatio divina* innuitur, totum voluntatis & actionis quasi cursum denotans; tum *cogitatio*, quâ *sententia & decretum* DEI intelligitur. (3.) *Metaphora*: nam *via hominis* significat *vitæ cursum, institutum, studium* &c. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 36. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 124. & cap. 8. p. 184. Confer cap. 12. p. 376.

Vers. 11. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcunq; volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

I. *Gualtherus* in Apolog. pro Zwingl. contendit, *Gentiles quoq; in sua gentilitate ad æternam salutem pervenisse*, quòd *verbum Dei ab ipsis non redierit vacuum.*

℞. Per *verbum Dei* non intelligitur *Philosophia*, sed illud verbum, quod *ipse Deus ex ore suo locutus* est, quodq; *prædicandum erat hominibus*, ut ex Esa. 59. v. 21. manifestum est. *Wigand.* de Sacramentar. p. 32. b. Vide D. *Musæum.* l. 3. contr. Videl. Ration. Theol. c. 9. §. 7. seqq. p. 611. & 614.

II. *Verbum Dei prædicatum est efficax organum ad convertendos homines*: idipsum enim, *ex ore Dei egressum*, non revertitur vacuum, sed facit, quæcunque vult Deus, & prosperatur in his, ad quæ mittit illud.

*Suenckfeldius* excepit, de verbo *prophetiæ*, non autem de verbo *doctrinæ* hic esse sermonem, ut sensus sit, quod *prophetiam sequatur complementum.*

℞. (1.) Circumstantiæ textûs ostendunt, *in genere* de *verbi sui efficacia* Deum loqui: nam v. 5. agitur de *vocatione gentium ad regnum Christi per Evangelium*; & protasis comparationis, v. 10. indicat, de *illo verbo propriè* esse sermonem, quod instar fœcundæ pluviæ terram germinare & fructificare facientis, animas hominum irrigat, & ad bonum fertiles reddit. (2.) Si vel maximè *in specie* de verbo *prophetiæ* hoc loco sermo esset, nihilo tamen minus efficaciam verbi illius, quod est *conversionis medium*, probaret. Verbum enim *doctrinæ* æquè est Dei verbum, ut verbum *prophetiæ*: neutrum igitur suâ efficaciâ destituitur. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 26. de Minister. Eccles. §. 256. p. 410. seq.

III. *Cornelius à Lapide* præloq. in Pentat. concludit, *unius loci Scripturæ multiplicem esse sensum*, quòd *Scriptura tam fœcunda sit.*

℞. N. C. *Fœcunditas* enim illa Scripturæ non in *sensuum*, & quidem *literalium, multiplicitate*, sed in *aliis* potius consistit. Dicitur quippe *fœcunda* (1.) ratione *sui* & ἀενάως, quia est inexhausta sapientiæ divinæ scaturigo, mysterijs plurimis, ὑπὲρ νοῦν καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν constitutis, referta. (2.) Ratione *nostri* & ἐνεργητικῶς, quia centuplum fructus ad vitam æternam profert, *Esa.* 55. v. 11. *Matth.* 13. v. 18. Non tamen negandum, ad *fœcunditatem Scripturæ* pertinere ἐμφατικῶς etiam hoc, quòd præter sensum *literalem* sæpè [illegible]onditum secum habet sensum *mysticum*, qui præviâ ipsa Scripturâ ex illo textu, ceu ex fœcunda aurifodina, erui debet & potest. *Glass.* lib. 2. Philol. Sacr. tract. 1. par. 1. sect. 2. art. 1. m. 2. obj. 2. p. 358.

IV. *Reformati* negant, *Deum per verbum prædicatum velle omnes homines salvos fieri*, quoniam *verbum Dei apud hos fructum faciat, ad quos salvandi fine mittitur*: at verò apud *impœnitentes* fructum facere nullum, ideoque Deum non voluisse, ut faceret, nec ad hoc misisse.

℞. (1.) Deus loquitur de verbo suo, quale *per se & naturam suam* est; non autem, quale ex *accidente* fit, ob *incredulitatem hominum*. (2.) Non est sermo de *singulis auditoribus*, nimirum salvatum iri omnes, *ad quos verbum Dei salvationis fine mittitur*; hoc namq; disertè negat Dei Spiritus, *Esa.* 5. v. 2. *Ezech.* 12. v. 2. *Matth.* 23. v. 37. *Actor.* 13. v. 46. sed notatur tantùm, quòd verbum Dei *nunquam redeat vacuum*, sed *semper fructificet*, (uti ad *fructificandum* mittitur) si non apud *omnes*, tamen apud *aliquos*, nempe qui verbum illud indubitatâ cordis fiduciâ acceptant, *Luc.* 8. v. 15. *Meisner.* dec. 2. Anthrop. sacr. disp. 3. q. 2. thes. 14. p. 112. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Grat. Dei, c. 2. q. 15. obj. 3. p. 591. seq.

V. *Deus omni tempore veram aliquam in his terris habuit Ecclesiam: nam ubicunq; & quandocunq; verbum Dei prædicatur, ibi semper aliquid fructificat*, & consequenter, *sunt aliqui fideles*. Unde, cum *sub papatu publicè fuit prædicatum & cantatum verbum Dei*, necesse est, etiam *sub Papatu aliquam fuisse Dei Ecclesiam.*

*Smalcius* contr. Franz. disp. de Eccles. fol. 286. respondet 1. non posse probari, *verbum Dei prædicatum fuisse in Papatu*, cum constet, *Biblia Sacra è manibus omnium erepta, in locis certis asservata fuisse*, adeò ut *vix in uno regno tria aut quatuor eorum exemplaria superessent.*

℞. Singulis annis in lingua *vernacula* fuerunt prælecta *Evangelia & Epistolæ Dominicales*, atque explicata tum *oretenus*, tum *scriptotenus* diversis seculis à diversis Autoribus, id quod concinnatæ demonstrant *postillæ*: unde non adeò rara fuisse SS. *Bibliorum*, aut ad minimum, *Evangeliorum & Epistolarum*, exemplaria patet.

2. *Lectionem Evangeliorum & Epistolarum* non esse censendam pro *vera prædicatione*, cum animi auditorum fuerint obruti mole aliarum *nœniarum*, quæ non permiserit, ut id obtinerent, quod Evangelium præceperit; Esaiam autem loqui de *puro* sermonis *divini* præconio.

℞. Negamus, *semper requiri omnimodam explicationis puritatem*. Deus enim non est alligatus ad *fermentum Pontificiorum*: Sed si Pontificius profert *verbum Dei*, Deus potest & vult, vi loci Prophetici, *Esa.* 55. v. 11. per hoc suum verbum efficax esse, ne redeat vacuum, nulla habita ratione *detorsionum Pontificiarum*. Quemadmodum ergo *Pharisæi*, v. g. non quà *traditiones Seniorum inculcantes*, sed quà *legem docentes ex cathedra Mosis*, Matth. 23. v. 2. potuerunt homines informare, ut etiam illo tempore fuerint *Zacharias, Simeones, Hanna*, &c. Ita *Pontificij*, non quà *Pontificios errores inculcantes*, sed quà *Evangelia, Epistolas, historiam Passionis*, & alia pulcerrima dicta ex Scripturis recitantes, ædificârunt.

3. Plebem sub Papatu secutam *cæcos duces* desiisse esse *veram Christi Ecclesiam.*

℟. *Qui secuti sunt*, non fuerunt *fideles*: non tamen probari potest, *omnes secutos*, quoad *fidei fundamentum.* Nam licet multa impia verbo Dei prædicato miscuerint Sacerdotes, nihilominus simul ex textu sacro prælecto contraria repererunt & crediderunt Laici. Unde in mortis agone ad *solum Christum* remittebantur, uti ex *hortulo animæ* videre est.

4. Nihil impedire, quò minus quis *verba quædam* rectè dicat, & vera confiteatur, & tamen ex Ecclesia revera exclusus sit, quia scilicet ea etiam simul confiteatur & faciat, quæ ex *diametro* cum *Christi* Evangelio pugnent.

℟. Et hoc concedimus, non tamen enervatur nostrum argumentum: sufficit enim, *fundamentum fidei* retineri. *Franz.* in Vindic. disp. 9. thes. 89. seqq. *Thumm.* in Impiet. Photin. p. 527. 528. seq.

VI. *Laurentius Nicolai* l. de Confess. Christ. autumat, *Ecclesiam Papisticam esse veram Dei Ecclesiam*, quia *tantos verbi ferat fructus.*

℟. Negatur id sequi: quòd enim doctrina Papistica efficax est, illud non habet à *Papa*, ejusque fermento; sed à *Christo*, ipsiusque virtute. Effectus namque divinus, hoc est, *hominum in fide Christi ædificatio*, non nisi *divinæ causæ*, verbo nempe Evangelij, adscribendus est, non autem *commentis humanis.* Dum igitur docent Monachi jam quidem *preciosum*, videlicet *Evangelium* ex textu Biblico, mox etiam *vile*, id est, *traditiones humanas*; planum est, si ex ijs concionibus Christus agnoscatur, illud non *traditionibus humanis*, sed *ipsi Evangelio* adscribi oportere. *Samson.* in Antijesuit. 2. p. 173. seq.

Vers. 12. *Montes & colles personabunt coram vobis præconium, & omnia ligna agri plaudent manu.*

*Prosopopæia* est, quâ elegantissimè *lætitia spiritualis in regno Christi* figuratur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 200.

CAP. LVI. v. 3. *Et ne dicat filius alienigenæ, adjungens se Domino, dicendo: Dividendo dividet me Dominus desuper populo suo: & ne dicat Eunuchus: Ecce ego sum lignum aridum.*

Jesaias utitur (1.) *Hebraismo:* בֶּן־הַנֵּכָר, *filius alienigenæ*, h. e. *alienigena.* (2.) *Epizeuxi: Dividendo dividet*, i. e. *omninò dividet.* (3.) Metaphorâ: Ego *sum lignum aridum*, h. e. *minimè pertinens ad corpus populi*, quod comparatur cum *arbore virente in domo Dei*, per benedictionem ejus, ut *Psal.* 92. v. 13. seq. respiciunt autem hæc verba ad legem *Deuter.* 23. v. 1. (4.) *Synchysi*: nam hæc propositio (ostendens, in regno Christi non fore discrimen personarum) duabus partibus constat, & καθ' ὑστέρωσιν in sequentibus explicatur. Posterior pars de *Eunuchis*, v. 4. & 5. Prior, de *alienigenis*, v. 6. & 7. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 685. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 27. not. un. p. 752.

Vers. 4. *Hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum*, &c.

I. *Bellarminus* l. 2. de Monach. c. 9. arg. 1. disputat, *continentiam voluntariam à conjugio esse consilium Evangelicum*, quia *Eunuchis*, spe præmij, *consulatur à Deo, ut eligant perfectiora, quæ ipse cuperet & vellet*; illos verò dici *eligere*, qui *non coguntur ullo præcepto.*

℟. Dictum hoc alienum est. Nam (1.) quæstio est de *consilijs Evangelicis*, in N. T. à *Christo* propositis; non de *Eunuchis* V. T. (2.) Non necesse est, locum accipi de *continentia*: quia Prophetæ instituto sola sufficit ἀτεκνία, *liberorum orbitas*; unde Cyrillo *Eunuchus* erat, *carens liberis & sobole.* (3.) Nec quod de *Eunuchis*, hoc est, de illis, qui vel naturâ ad gignendam sobolem inidonei, vel ab hominibus execti sunt, dicitur, ad hos torqueri debet, qui *sibi ipsi laqueum injecerunt, & continentia voto sponte se obstrinxerunt.* Lyra autem, Oleaster, Cornelius à Lapide, & alij Papistæ, agnoscunt, Prophetam ad *literam* loqui de Eunuchis *naturalibus & castratis.* (4.) Illud, *qui elegerint, quæ ego volo*, ad εὐνουχισμὸν non pertinet, sed ad *alias conditiones*, quæ Eunuchis adduntur, nempe *custodire Dei sabbata, ejusq; fœdus tenere*: has enim illi debebant eligere. Hæc autem *electio* est *via veritatis*, id est, *præceptorum Dei*, Psal. 119. v. 30. Nam in Scripturis *electio* etiã ijs tribuitur, *quibus præcepta imponuntur*, scilicet propter discrimen faciendi, & non faciendi. *Deut.* 30. v. 19. *Josu.* 24. v. 15. Itaq; falsum, *non cogi ullo præcepto, qui eligunt.* (5.) Verè continentia illa, si *continentia* est, neq; *imperatur*, neq; *consulitur*; siquidem hujus rei nullum apparet vestigium: itaque falsum, *consuli Eunuchis illis continentiam.* Quomodo enim, si non *continentiam*, sed *orbitatem*? non *voluntariam*, sed *molestam*? Eckhard. par. 2. Pand. controv. Papist. c. 21. q. 9. obj. 1. p. 177. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. p. 284. seq. arg. 2. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 20. c. 21. §. 1. 2. 4. 8. 9. p. 400. seq.

II. *Pistorius* in Hodeg. p. 650. suadet potius *virginitatem Clericis*, quàm *conjugium*; cum *illam* potius Deus velit, quàm *hoc*: *beatos autem esse, qui eligunt, quod vult Deus.*

℟. [1.] Fuco hoc Apostata *Clericis in Papatu* magnam sanctimoniæ speciem affricare annititur: quasi verò illi ipsi essent *Eunuchi*, & non potius *orbem terrarum spurijs complerent.* [2.] Illud Esaiæ non potest quadrare in *Ecclesiæ Ministros*: constat enim, *plerosq; Apostolos fuisse conjugatos.* [3.] Nec dum probavit Papista, *Deum generatim præcepisse virginitatem*: conjugium verò ipse instituit. *Mentzer.* in Antipist. disp. 13. thes. 106. seq. p. 653.

Vers. 5. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen æternum dabo eis, quod non peribit.*

I. *Bellarminus* l. c. arguit, *cælibatum coram Deo longè præstantiorem esse conjugio*, cum *Deus promittat Eunuchis melius & majus*, quàm est *conjugatorum*, nomen.

℟. [1.] Falsum est, *Deum promittere continentibus aliquid melius, quàm conjugatis*; quin potius promittit sterilibus aliquid melius datum iri, ac si eis darentur *liberi*; quod quidem non tantum *continentibus*, sed etiam *conjugatis*, orbis tamen, dici potuit. In V. enim T. qui *steriles* erant, videbantur sibi à DEO neglecti, ut comprimis ex 1. *Sam.* 1. v. 11. & *Luc.* 1. v. 25. videre est: hos consolatur Propheta, quòd coram Deo nulla sit sterilium & fœcundorum differentia; siquidem *omnes credentes ex æquo* in DEI regnum admittantur. Id autem, quod Propheta *non obesse* dicit, stultè in *prærogativam* convertit Adversarius. [2.] Nihil promittitur Eunuchis, *quà tales* sunt, sed quà *pij* sunt, v. 4. hoc autem non duntaxat *continentibus*, sed & *conjugatis* cõpetit.

Itaque contrarium potius ex hoc loco sequitur, *pares nimirum loco steriles & fœcundos, cælibes & conjugatos à Deo haberi*, modò *Domini fœdus teneant*.

*Jesuita* ibidem excipit, nihilominus *semper anteponi conjugatis ipsos continentes*, cum *illi* liberos, *isti* meliua aliquid habituri sint.

℞. Falsum est, *semper præferri continentes conjugatis*. Nam (1.) *Eunuchi* non magis hoc loco approbantur, quàm *alienigenæ*, v. 3. Sicut autem *alienigenæ*, ut talea, non habent prærogativam melioris nominis præ *indigenis*: Ita nec continentes, ut talea, præ coojugatis. (2.) Quòd si propositum fuisset Prophetæ, *continentes fideles evehere supra statum conjugum fidelium*, ablusisset à suo scopo, qui est, *omnes homines excitare, ut in venturo Messia lætentur*. At verò lætitia conjugum fidelium non parum imminuta fuisset, si Propheta illis continentes fidelea *absolutè* præposuisset. *Osiand.* in Enchir. controv. Calvinist. c. 21. q. 2. obj. 10. p. 266. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Minist. Eccles. c. 2. q. 17. dub. 2. obj. 1. p. 945. *Ames.* tom. 2. Bellarm. Enervat. l. 4. c. 2. thes. 7. p. 148. seq.

II. *Bellarminus* l. 2. de Monach. c. 31. arg. 4. asserit, *continentiam esse liberam hominis actionem*, quoniã *illi ipsi præmium à Deo promittatur*, nempe *nomen melius præ filijs & filiabus*: at nullum præmium mereri opera, *quæ non sunt in nostra potestate*.

℞. (1.) *Eunuchi* hîc non *peculiariter* ij designantur, *qui castrârunt se propter regnum cælorum*, sed *indefinitè Eunuchi*, qui, *Cyrillo* interprete, *molestè ferebant orbitatem, qui ante horam, qui ante nuptias decesserant*: non igitur *soli ex voto*. (2.) Neq; agit Esaias de ullo *cælibatûs præmio*. Nam juxta *Lyram*, sermo est de Eunucho *veniente ad fidem*, atque adeò *ante fidem*: non dantur autem *præmia* eorum, quæ *ante fidem*. Cham. tom. 3. Panstr. l. 20. c. 18. §. 21. seq. p. 395.

III. *Andradius* l. 10. Orthod. Explic. contendit, *Clericis vitam cælibem esse agendam*, quia *ipsi in Christi Ecclesia principem locum teneant*: Eunuchis verò, i. e. *cælibem vitam agentibus*, Deum polliceri in Ecclesia *præcipuum locum*; siquidem in alios, quàm *Clericos*, ea quadrare nullo modo possint.

℞. (1.) *Sanctius* in Comm. h. l. docet, sensum, quem *Andradius* urget, esse *allegoricum*; historicè autem, ut *plerisq; Interpretũ* visum est, ad illos, quos antiqua Hebræorum religio à *templo* sive à *civium convictu* excludebat, *Deut.* 23. v. 1. respicere. At quis nescit, prævalere *literalem* sensum, si nullum incommodum ferat? *Allegorias* autem non firma parere argumenta. (2.) Hieronymus *Eunuchos* æquè latè interpretatur ac *proselytos*. An verò *proselytos* nullos admittit Andradius, nisi *Clericos*? (3.) Ne ad *cælibes* quidem isthæc referuntur *peculiariter*, ut non etiam ad *conjugia casta*. Nam idem *Hieronymus*, cum hos describit *Eunuchos*, nihil exprimit, quod non necesse sit *castis conjugatis*, imò *omnibus fidelibus*. Quis autem credat, velle Hieronymum, *omnes fideles esse cælibes*? Habento ergo *cælibes* fidelea suum jus in hac consolatione; sed *non soli*: habento & *Clerici*, sed cum *reliquis fidelibus*. Quod si est, ergo ineptè hæc verba Prophetæ torquentur ad *cælibatum* imperandum. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 3. p. 322. seq. arg. 1. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 17. c. 5. §. 24.-31. p. 313.

IV. *Bellarminus* l. 2. de Monach. cap. 9. arg. 1. statuit, *cælibatum esse meritorium gloriæ singularis*, quòd *nomen æternum Eunuchis à Deo promittatur*.

℞. Locus iste falsò citatur pro *merito cælibatûs*. Nam (1.) Adversario probandum est, agere Prophetam de Eunuchis *voluntarijs, & ex voto*; non verò de *coactis*, i. e. *naturâ* vel *arte* talibus. (2.) Gloria illa non promittitur *singularis*: est enim *salus æterna*. Itaque hanc gloriam necesse est esse *communem omnibus electis*, non *propriam continentibus*. (3.) Nomen illud æternum promittitur Eunuchis, non propter *Eunuchismum*, sed propter *pietatem*, ut ex v. 4. & 6. optimè diducunt *Cyrillus* & *Procopius*. (4.) Propheta, v. 3. *advenas & eunuchos* conjungit, sicut igitur conditio *advenarum* non est meritum vitæ æternæ, ita nec *cælibatûs*. (5.) Nulla fit mentio alicujus *meriti*, sed *doni*: jam verò quod *donatur*, non *meritis*, sed *gratia* est, Rom. 11. v. 6. at *Bellarmini* Logica, meritum concludit ex *dono*.

*Bellarminus* ibid. reponit 1. *Eunuchos illos non esse coactos*, cùm nulla ratio sit, cur *abscissis, nativè Eunuchis* promittatur major gloria, quàm sit *filiorum & filiarum Dei*.

℞. (1.) Fateor hoc quidem; sed quod Adversarius videtur ponere, prorsus nego: neque enim filiorum filiarumve *DEI* meminit Propheta, sed tantùm *filiorum & filiarum*. (2.) Ratio, cur Eunuchis fidelibus melius quid, quàm *filiorum & filiarum fœcunditas*, promittatur, suprâ assignata est: quia *sterilitas erat opprobrium in populo Israelitico*, inde steriles, quantumvis pij, contemtui erant expositi; consolatione igitur erigendi erânt.

2. Utique per *filios & filias* intelligi *conjuges fideles*, qui etiam locum bonum habeant in domo Dei; sed eis antepooi *virgines & continentes*, qui locum meliorem habeant.

℞. (1.) Unde probabit Bellarminus, nomine *filiorum* intelligi *conjuges fideles*? cum potius, juxta versionem LXX. Interpp. Deus promittat locum, κρείττω υἱῶν καὶ θυγατέρων, *meliorem filijs & filiabus*, id est, *Cyrillo* interprete, *potiorem fœcunditate*. (2.) Majorem gloriam tribuere Eunuchis, *quà tales sunt*, quàm *filijs Dei per adoptionem*, est insignis blasphemia in Deum & Christum, quorum *summa gratia* est *adoptio nostra*, Ephes. 1. v. 5. *Gal.* 4. v. 4. seq.

3. Etiamsi Esaias loquatur de *veris Eunuchis*, adhuc tamen juvari causam Pontificiam: nam si Eunuchis, *qui continent se, quia non possunt aliud facere*, promittitur major gloria, quàm *justis conjugatis*; certè majori ratione promitti ijs, *qui se continebunt, etiamsi possent non continere*.

℞. Atqui (1.). multùm interest, ipsámne *mentem Prophetæ* retineas, an inde *consequentiam* ædifices. (2.) Hoc genus consequentiarum à *minori ad majus*, quàm sit lubricum, quis ignorat? (3.) Idem peccatum semper, nempe *Eunuchis* promitti præmium majus, quàm *conjugatis*. *Chemnit.* par. 2. LL. CC. p. 200. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 20. c. 21. §. 1. 3. 6. 7. 10. 11. p. 400. seq. *Ames.* l. c. *Franz.* par. 3. disp. 6. in A. C. thes. 76. 77. 78. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 17. de Evang. §. 93. p. 599.-604. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Ministr. Eccles. c. 2. q. 17. dub. 4. obj. 1. p. 949.

Vers. 7. *Et adducam eos ad montem sanctitatis meæ, & lætificabo eos in domo orationis meæ; holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.*

I. *Hebraismus* est: (1.) Ad *montem sanctitatis meæ*, h. e. ad montem *sanctum meum*, quo metaphoricè notatur *Ecclesia*. (2.) In domo *orationis meæ*, i. e.

i.e. *qua ad me*, tanquam objectum, *dirigitur*, seu *quâ ego invocor*. (3.) Domus orationis *vocabitur*, h. e. *erit* domus orationis. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 245. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 686. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 6. p. 110. & tract. 3. can. 16. m. 1. p. 275.

II. *Turrianus* opinatus est, *in S. Cœna corpus Christi esse super altare extra usum communionis*, quoniam *gentes conversæ communicent corpori Christi de altari*; alioqui, *si corpus non fuisset, inde non acciperetur.*

℞. (1.) Dictum hoc Domini continet solatium pro *advenis*, veram pietatem sectantibus, quorum *cultus, ex fide præstitus*, Deo complacebat: verùm quid hoc ad *existentiam corporis Christi sub pane consecrato extra usum?* (2.) Rursus negatur, illud ex hoc sequi: quia nihil obstat, quò minùs accipiatur ab altari corpus Christi, quod tamen incipiat esse in altari tum, *cum accipitur*. Quemadmodum de manu Sacerdotis accipitur Sacramentum *Baptismi*, quod tamen non est Sacramentum, nisi tum primùm, *cum accipitur*: nam hoc saltem Sacramentum ipsi fatentur Papistæ esse Sacramentum duntaxat in actione *transeunte*. (3.) Si Prophetia omnino est de *temporibus* N. T. certum, nullum fuisse altare *sensibile* in mente Prophetæ, sed *intelligibile* ac *metaphoricum*; quemadmodum etiam *holocausta* non alia, non aliæ *victimæ*, quàm de quibus, *Rom.* 12. v. 1. adeò ut hæc *allegoricè* dicantur à *figuris legalibus*.

Instat verò, cum de *domo sensibili orationis* prophetia sit, in quam omnes gentes *sensibiliter* ingressuræ erant; consequens esse necessariò, ut *altare* quoque sit altare *sensibile*, super quod holocausta & victimæ impositæ placebunt Deo.

℞. *Ecclesia sensibilis* distinguitur in eam, quæ significat *congregationem fidelium in certo loco*; vel in *lapideam*. In *priori* negatur consequentia: nam in vera Ecclesia visibili N. T. quantumvis *sensibilis* sit, nullū est altare *sensibile*, sed tantùm *spirituale*; siquidem nullū fuit unquā altare *sensibile*, de quo omnes gentes cōmunicârint. In *altera* autem negatur antecedens: non enim potuit Propheta loqui de *ullo ædificio lapideo* N. T. cum certum sit, nunquam in ullum tale *gentes omnes sensibiliter* ingressas fuisse. Imò contrà ex *Actor*. 2. v. 41. & c. 4. v. 4. constat, multos fuisse ingressos in *hanc Dei domum*; cum tamē nullum adhuc esset ejusmodi factum Christianis ædificium *lapideum*. Cham. tom. 4. Panstr. l. 7. c. 8. §. 1. - 6. p. 175.

III. *Bellarminus* l. 3. de Cult. Sanctor. c. 4. propos. 3. vult, *templa ad orandum, etiam privata oratione, a Christianis rectè institui*; quia *templum* emphaticè appelletur *domus orationis*.

℞. *Templum* rectè appellatur *domus orationis*, in qua ferè quotidiè *publicè* ad Deum oratur: inde verò non adstringimur, ut oraturi necessariò veniamus ad *templum*, Joh. 4. v. 20. *Cham.* tom. 5. Panstr. l. 5. c. 8. §. 26. p. 208.

IV. Rationem *Turriani*, pro *cultu ædicula Nazarethanæ*, vide solutam in Vindic. *Hagg.* 2. v. 8. m. 3.

Vers. 10. *Speculatores ejus cæci, omnes ipsi nescierunt, universi ipsi canes muti, non poterunt latrare, delirantes, jacentes, amantes dormitare.*

I. Iteratur (1.) *Metaphora*: nam *Ministri Ecclesiæ* dicuntur 1. *speculatores*, quia in custodes populi sui Deus ipsos constituit. 2. *Cæci*, h. e. doctrinæ salvificæ ignorantes. 3. *Canes muti, latrare nescientes*, quia cum loqui pro re & tempore debebant, tacent, suoq; officio turpiter desunt. 4. *Dormiturientes*, i. e. *ignavi*, sicut somnolenti desides esse solent. (2.) *Enallage temporis* futuri, *poterunt*, pro præsenti, *possunt*. (3.) *Hebraismus*: אֹהֲבֵי לָנוּם, *amantes dormitare*, q. d. *amatores dormitationis*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 37. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 686. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 3. p. 116. lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 327. & capit. 12. p. 362.

II. *Ecclesia visibilis in fide & vita potest errare*, quia *illius doctores accusantur cæcitatis, ignorantiæ*, &c. qui non parvus error est: unde *Ecclesia*, quæ illos sequitur, ut debet, decipitur.

*Bellarminus* l. 3. de Eccles. milit. c. 17. resp. ad 2. respon, verba illa Prophetæ dirigi quidem ad *omnes*, non tamen revera intelligi debere de *omnibus*, sed de *multis*.

℞. De omnibus *absolutè* hîc quæri non potest, quia quid *omnes* credant, faciantque, scitu nobis est impossibile; sed de omnibus *determinatè* hîc loquimur, probantes, *multitudinem illam Sacerdotum, & auditorum*, quæ *Ecclesiæ visibilis* titulum sibi arrogat, maxima ex parte errori adstipulari posse: interim non dubitantes, quin DEUS semper *reliquias quasdam Sanctorum* sibi reservet, quas per fidem ad salutem custodiat, *Esa.* 1. v. 9. Sophon. 3. v. 12. *Matth.* 24. v. 24. 1. *Petr.* 1. v. 5. &c. *Gerhard.* tom. 5. LL. CC. loc. 25. de Eccles. §. 109. p. 788. *Stegm.* de Judic. controv. relig. par. 2. m. 3. p. 241. seq.

III. *Concilia similiter possunt errare*: omnes enim *speculatores Ecclesiæ Judaicæ* dicuntur fuisse *cæci*, & universi *nescientes*, &c. tales autem erant *illius doctores*, videlicet *Sacerdotes & Prophetæ*.

Respondet 1. *Bellarminus* l. 2. de Concil. auctor. cap. 6. resp. ad 1. obj. 1. frequentissimum esse in S. literis, ut propter *aliquos malos* reprehendantur *omnes*, quò videlicet vehementior sit vituperatio: non igitur allatum Scripturæ testimonium cogere, ut intelligamus, Pastores & Sacerdotes & Prophetas V. T. aliquo tempore *omnes simul* fuisse cæcos & ignorantes, sed *aliquos*.

℞. [1.] Quod dicit Jesuita, non probat: nos urgemus notas universalitatis, *omnes, universi, unusquisq; à summo usque ad novissimum*; quibus utitur Propheta, v. 10. & 11. Unde propter *hanc impietatem* non *quosdam tantùm Sacerdotes & Doctores*, sed *universum ministerium corruptum* Deus in captivitatem Babylonicam abducendum permisit. Quid? quòd, *Hieronymo* teste, Ecclesia Judaica ejusmodi Doctores habebat, qui autores & instigatores erant Regi Manassæ, ut Prophetam orthodoxum *Esaiam* serrâ dissecari juberet. [2.] Scriptura non propter *aliquos malos* reprehendit omnes indefinitè, sed propter *plerosq; malos* reprehendit omnes communiter, ut ita à *potiori* sive *majori parte* fiat denominatio in communi. Positô igitur, *quosdam* superfuisse doctores bonos, *plerosq;* autem Præpositos Ecclesiæ Judaicæ accusari ignorantiæ & pravitatis; certè nemo dicere poterit, nullum in *Conciliis* locum esse *errori*, cum Concilia ex *Præpositis Ecclesiæ* constent, & Conciliorum decreta ex *Præpositorum suffragiis*, & quidem ex *majore illorum parte* colligantur & condantur, juxta illud: *Vota numerantur, non ponderantur.*

2. Testimonium hoc ad rem non facere, cum nihil horum dicatur in *Concilium Sacerdotum*, sed in *Pastores & Prophetas*, qui *separatim* populum decipiebant: aliam verò esse rationem *Pastorum in Concilio congregatorum* publica auctoritate, & qui DEI nomine invocato quæstiones diligenter excutiunt; & aliam *dispersorum*, & qui dum in locis quisque suis sedens, *proprio* judicio indulgent.

℞. Hoc

R. Hoc non juvat causam Bellarmini. Nam [1.] qui *separati* erant tales, eos *congregatos* nihilo meliores fuisse, minimè dubium est. Cum enim impij Sacerdotes in unum congregantur, num sperandum aut capectandum est, ut illos Spiritus Sanctus *subitò*, quasi *enthusiasmo* quodam corripiat? minimè: siquidem *congregatio* non est causa *collationis Spiritus Sancti*, & à quibus *separatis* Spiritus Sanctus recessit, illis non cohabitat *conjunctis*, ut ex Concilio *Achabi*, 1. *Reg.* 22. v.23. & ex Concilio *Caipha*, Joh.11.v.47. comprimis videre est. [2.] Sacerdotes, Pastores & Prophetæ non modò populum decipiebant *separatim*, sed etiam in suis conciliabulis *conjunctim*. Unde Dominus, *Jerem.* 7. v.10. *integra Sacerdotum collegia* damnat: & Propheta, *Ose.* 6. v.10. congregationem malorum Sacerdotum *latronibus* comparat, qui viarum angustias obsident.

3. Quòd, etsi nihil horum Papistæ haberent, tamen non continuò liceret omnia, quæ dicuntur in Scripturis adversus *Prophetas & Sacerdotes* V. T. transferre ad *Sacerdotes* N. T. præsertim *in Concilio congregatos*; cum *certiores & majores promissiones Dei* habeat *Ecclesia*, quàm *Synagoga*.

R. [1.] Si V. T. *Ecclesia cum suis ordinariis gubernatoribus* errare potuit, multò magis errare potest N. T. *Ecclesia* unà cum *ordinariis suis doctoribus*: quia facilius est exscindi *oleastros*, præter naturam insitos, quàm *ramos nativos*, Rom 11. v.24. & constat ex 1. *Cor.* 3. v. 12. *doctores Ecclesiæ* N. T. non semper *aurum, argentum* & *lapides preciosos* super fundamentum salutis ædificare; sed contingere, ut *ligna, fœnum* & *stipulas* superstruant. [2.] Confundit Bellarminus Ecclesiam *Papisticam* cum Ecclesia *Christiana* N. T. quasi *hæc* non esset alia ab *illa*: siquidem promissiones à Deo factæ sunt Ecclesiæ *verè Christianæ*, sed non Ecclesiæ *Papisticæ*. [3.] Ecclesia V. T. tam magnas habuit promissiones, quàm Ecclesia N. T. ut ex *Gen.* 17. v.7. *Deut.* 32. v. 10. *Psal.* 147. v.20 &c. [4.] Quod attinet Ecclesiam *externam* N. T. non est melior *illius* status, ac *olim* in V. T. sunt enim à *Christo & Apostolis* prædicta illa ipsa mala, quæ *veterem Ecclesiam* infestârunt, *Matth.* 24. v. 24. 2. *Tim.* 3. v. 1. 2. *Petr.* 2. v. 1. & alibi.

II. *Gretserus* in Colloq. Ratisbon. sess. 2. p. 61. locum illum non pertinere ad scientiam, *quæ requiritur in judice, ut definiat*: hanc enim scientiam nunquam deesse; quamvis, quoad *privatam suam personam*, parum scientiæ habeat.

R. Adversarius planè ἀσύστατα profert. Quomodo enim unus idemq; homo, una eademq; mente, *parum sciat*, & nihilominus *omnia sciat*, quæcunque ad omnium controversiarum, in summis & eminentissimis etiam mysterijs atq; articulis Christianæ fidei, decisionem spectant? Nam duas illum habere *mentes numero diversas*, quarum una *sciat omnia*, altera *parum sciat*, ne ipse quidem Sophista affirmaverit. Quomodo igitur hæc manifestè contraria, & quidem in *gradibus excellentibus* (nempe *extrema ruditas mysteriorum religionis*, & *eorundem accurata, & adomnium quæstionum dijudicationem perfecta cognitio*) in eo dem subjecto simul esse possint, nulla Sibylla divinando queat assequi. *Hunn.* tom. 1. Op. Lat p. 1281. seq. & tom. 2. p. 425. seq. *Hutter.* in LL. Theol. p. 551. b. *Gesen.* de Papism. disp. 10. th. 18. 25. p. 220. 221. seq. *Jacob. Martin.* in Part. Theol. disp. 29. thes. 102. 111. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 3. c. 17. §. 11. p. 148. *Ames.* tom. 2. Bellarm. Enerv. l. 2. c. 5. thes. 10. p. 29. & 30.

Vers. 11. *Et canes fortes animâ, non noverunt saturitatem, & ipsi pastores non noverunt intelligere, universi ipsi ad viam suam respexerunt*, &c.

Usurpatur hoc loco [1.] *Metaphora*: Ministri enim Ecclesiæ dicuntur *canes fortes animâ*, ob *avaritiam insatiabilem*. [2.] *Metonymia causæ* pro *effectu*: tum quia *anima* ponitur pro *desiderio*, quæ animæ operatio est, tum quia *nosse* accipitur pro *posse*, seu *operandi interiori facultate*, quæ actionum principium est: *Non noverunt saturitatem, & non noverunt intelligere*, h. c. nequeunt præ avaritia explere, neq; possunt res divinas præ imperitia & cæcitate sua intelligere, Jun. in Not. ad h. l. p. 686. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. p. 14. & cap. 11. p. 327.

CAP. LVII. v. 1. *Justus perijt, & non quisquam ponens super cor, & viri benignitatis recipiuntur, nemine considerante, quia a facie mali recipitur justus.*

Propheta adhibet [1.] *Enallagen temporis* præteriti, *perijt*, pro præsenti, perit. [2.] *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: nam, *ponere super cor*, est, *animum advertere & curare*. [3.] *Hebraismum*: אַנְשֵׁי חֶסֶד, *viri benignitatis*, pro *pietate insignibus* sive *conspicuis*. [4.] *Metaphoram*: A *facie mali*, h. e. *ante adventum mali*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 245. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 686. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 1. p. 54. & cap. 12. p. 338.

Vers. 2. *Ingredietur pace, requiescent in cubiculis suis, ambulans coram eo.*

I. Verba hæc continent [1.] Ellipsin: *Ingredietur*, subint. ad *patres suos in pace*. [2.] *Metaphoram*: In *cubiculis*, h. e. *sepulcris*, quæ sunt corporibus defunctorum cubilia usq; ad resurrectionis diem. [3.] *Enallagen* partim *numeri* singularis, *ambulans*, pro plurali, *ambulantes*, vel *quisq, ambulans*; partim *relativi* pronominis pro *antecedente*: Coram eo, pro, coram DEO. Vulgata habet: *In directione sua*, i. e. in *rectitudine sua*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 37. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 245. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 686. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 363.

II. *Omnis vere fidelis post mortem non ingreditur Purgatorium*, ubi immaniter cruciετur; *ingredietur* enim *in pace*, & *requiescet in cubili suo*, *qui ambulavit in directione sua*.

*Schoppius* in Apolog. pro Bellarm. contr. Hunn. c. 55. p. 74. n. 154. excipit, Esaiem loqui de ija, *qui ambulant in directione sua*, h. e. de *infantibus post Baptismum decedentibus*; Monachos verò loqui de ijs, *qui non ambulant in directione sua*, sed *post Baptismum iterum peccârunt*, atq; his post remissam culpam restare pœnas, in *Purgatorio* luendas.

R. Quasi verò tantùm *infantes* in directione sua ambulent, hoc est, rectè vivant; & quasi Propheta de *infantium* requie duntaxat loquatur, & non potius de *omnibus*, qui rectam vitam in vera fide ducunt, non perversè & subdolè agentes. Hos omnes, tam *parvulos* quàm *adultos*, à Purgatorij metu liberat, & post mortem in veram æternæ vitæ quietem transferri docet. *Balduin.* in Exam. Apolog. Schopp. p. 448.

Vers. 3. *At vos accedite huc filij præstigiatricis, semen adulterantis & scortantis.*

Iteratur (1.) *Hebraismus*: בְּנֵי עֹנְנָה, *filij præstigiatricis*, h. e. *præstigiosi*. (2.) *Metaphora*, quâ *idololatræ* dicuntur *semen adulterans & scortans*; idololatria enim est spiritualis illa adulteratio & scortatio. *Ariæm.* par. 4. Bibl. p. 37. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 206. cap. 10. p. 245. & cap. 12. p. 383.

Vers. 5. *Incalescentes cum Dijs sub omni ligno frondoso, jugulantes natos in torrentibus subter ramos petrarum.*

*Metaphora* est: (1.) enim חמם *incalescere*, de *idololatria*, quæ spiritualis fornicatio est, usurpatur, quo *impensissimum idololatrandi studium* Judæis exprobratur, quod simile erat *ardori libidinis*, quo adultera in adulterum incalescit. (2.) *Scopuli petrarum* dicuntur *rami*, quippe quorum similitudinem, ob *prominentiam*, referunt. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 245. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 243. seq.

Vers. 8. *Quia à me discooperuisti, & ascendisti, dilatásti cubile tuum, & cecidisti tibi amplius, quàm illorum sit, dilexisti cubile eorum, manum vidisti.*

Offert se (1.) *Ellipsis* tum participij, *A me*, scil. *discedens*: tum nominis, *Discooperuisti*, videl. *turpitudinem tuam*; & *quàm illorum sit*, sub int. *cubile*, quæ vox antecedit. (2.) *Enallage* relativi pro antecedente: *Quàm illorum*, h. e. *parentum*, q. d. *parentes* superas peccatorum gravitate & multitudine. (3.) *Metaphora*: nam יד *manus*, terræ tributa, *certum locum* seu *spatium* significat, *Jun.* in Not. ad h. l. p. 686. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 2. m. 2. p. 705. observ. 8. p. 717. lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 344.

Vers. 9. *Et contempláris ad Regem cum oleo, & multiplicas pigmenta tua; & mittis legatos tuos in longinquum usq;, & demittis te usq; in infernum.*

In versu hoc habetur (1.) *Synthesis*: Et *contemplaris* h. e. *contemplata mittis*. (2.) *Synecdoche speciei pro genere*: homine enim *Regis* κατ᾽ ἐξοχὴν intelligitur *Rex Assyriæ Tiglath Pileser*, 2. Reg. 16. v. 7. (3.) Hyperbole *Demittis te usq; in infernum*, h. e. *omnium abjectissime*. Jun. in Not. ad h. l. p. 686. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p. 231. & lib. 5. tract. 1. cap. 19. p. 481.

Vers. 10. *In multitudine via tuæ laborásti, nec dixisti, desperatum est, catervam manûs tuæ invenisti, propterea non ægrotásti.*

Iteratur (1.) Ellipsis: *Desperatum est*, subaudi, *cor meum*, Eccles. 2. v. 20. (2.) Metaphora: *Catervam manus tuæ*, h. e. *Assyrios*, qui tibi ad manum præstò fuerunt; ubi Hebræum חיה, propriè *bestiam* significat, & tralatitiè *catervam*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 246. *Glass.* lib. 5. Philol. Sac. tract. 1. cap. 11. p. 317.

Vers. 12. *Ego indicabo justitiam tuam, & facta tua; & non proderunt tibi.*

*Ironia* est: nam populi Judaici *apostasiam & facinora gravissima*, per *antiphrasin* Jehovah vocat *Justitiam*. Jun. in Not. ad h. l. p. 686. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. p. 84.

Vers. 13. *In clamando te, liberent te congregationes tuæ, & omnes eos tollet ventus, auferet vanitas, &c.*

En (1.) *Ironicam concessionem*: Liberent te congregationes tuæ, q. d. *minime te possunt liberare* copiæ illæ alienorum, quas tibi adjunxisti. (2.) *Metonymiam adjuncti pro subjecto*: Auferet הבל *vanitas*, h. e. *halitus* seu *vapor*, qui citò evanescit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 52. & cap. 5. p. 84.

Vers. 16. *Spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.*

*Bucanus* Instit. p. 60. exinde colligit, *animam hominis ex nihilo à Deo creari*, quia *flatum ipsemet faciat.*

℞. (1.) Negatur id sequi: neque enim omne, quod *Deus ipsemet facit*, ex nihilo statim creat; cum & *corpus hominis* Deus faciat, *Iob.* 10. v. 9. quod tamen est ex *traduce*. (2.) Impertinenter locus hic allegatur: est enim prophetia de *Spiritu Sancto*, qui in festo Pentecostes sub *flatu ventoso* erat venturus. Sed quid hoc ad *immediatam animæ humanæ creationem*? (3.) Etsi per *flatus* intelligerentur *animæ hominum*, inde tamen plus non potest inferri, quàm *animarum conditorem esse Deum*: quomodo autem Deus animas condat, an per *creationem ex nihilo*, an verò per *propagationem ex anima primi hominis*, non indicatur. *Bellarmin.* l. 4. de amiss. grat. & stat. peccat. c. 11. *Thumm.* in controv. de ort. anim. ration. p. 16.-20. *Dannhauv.* in Colleg. Psycholog. disp. 6. theor. 2. p. 177. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 181. seq.

Vers. 19. *Creo fructum labiorum, pacem pacem; longinquo & propinquo; dixit Dominus; & sanavi eum.*

Reperitur hoc loco (1.) *Metaphora*: tum quia *creare* notat *magnificentissimè ac potentissimè efficere*: tum quia *verbum prædicatum* dicitur *fructus labiorum*. Chaldæus Hebræum ניב *fructum*, reddit מִלִּין, *sermonem*. (2.) *Epizeuxis*: שָׁלוֹם שָׁלוֹם, *pacem pacem*; h. e. *summam pacem*. (3.) *Enallage numeri* singularis; *longinquo & propinquo*, pro plurali; *longinquis & propinquis*, q. d. æquè *alienigenis*; ac *Judæis* ipsis; *Actor.* 2. v. 39. & *Ephes.* 2. v. 17. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 247. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 687. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 289.

Vers. 21. *Non est pax impiis; dicit Deus meus.*

I. *Zanchius* in Miscell. p. 285. negat, *homines reprobos unquam per fidem accepisse peccatorum suorum remissionem*; quòd *nunquam habeant pacem apud Deum.*

℞. Dictum Esaiæ loquitur de impijs, *quatenus tales sunt*: at nos reprobis, non *quatenus student peccatis*, tribuimus pacem conscientiæ, sed quatenus *ad tempus sunt ad Deum conversi & justificati*; Hebr. 10. v. 25. Ita Saul, reprobus licet, ad tempus habebat pacem conscientiæ cum Deo; 1. *Sam.* 18. v. 12. *Feuverb.* fasc. 2. Dissert. Theol. disp. 6. thes. 100. p. 265. seq.

II. Argumentum *Papistarum* pro *fœdifragio* vide solutum in Vindic. *Esa.* 48. v. 22.

CAP. LIIX. v. 1. *Clama ex gutture, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.*

*Monachi* censuerunt, *concionatori utendum esse voce Stentorea*, quòd *cum Deus jubeat clamare ex gutture, ac instar tubæ vocem suam exaltare.*

℞. (1.) N. C. neque enim *Stentoreum clamorem*, sed *zelum justum* præcepto isto requirit Deus; ne *frigidè* scilicet, sed *decenti cum gravitate*, *ardore forti*; & *animosa contentione* sermones suos Propheta habeat; qua ratione & Baptista *vox clamantis* dicitur; *Esa.* 40. v. 3. *Matth.* 3. v. 3. *Ioh.* 1. v. 23. (2.) *Certo quidem in casu, ampliq; in templis* μεγαλοφωνία & *vociferatio* ejusmodi fieri potest ac debet, sed non in *omnibus concionibus*, & in *omnibus*

*templis*

*templis*, cum vox *naturalis* maximè sit audibilis, *Rebhan.* in Concionat. cap. 16. p. 708. seq.

Vers. 4. *Ecce ad contentionem & jurgium jejunatis, & ad percutiendum pugnô improbitatis: non jejunate sicut hodie, ut efferatis in excelsum vocem vestram.*

§. 1. Præfixum ל notat *causam finalem*: לְרִיב, *ad contentionem*, &c. h. e. *ut ad litigia otium habeatis.* §. 2. *Pugnô improbitatis*, id est, *improbissimè.* §. 3. כַיּוֹם *sicut hodie*, i. e. *hoc tempore*, Jun. in Not. ad h. l. p. 687. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 5. m. 2. p. 437. & lib. 4. tract. 2. observ. 6. m. 4. p. 676.

Vers. 5. *Nunquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere, quasi circulum, caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis jejunium, & diem benevolentiæ Domino?*

I. Verba hæc continent (1.) *Synecdochen partis pro toto*: Affligere hominem *animam suam*, h. e. *seipsum*. (2.) *Hebraismum*: יוֹם רָצוֹן, *diem benevolentiæ*, i. e. *acceptum*. Jun. in Not. ad h. l. p. 687. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 17. m. 1. p. 459.

II. *Jejunium*, cui opinio *meriti, cultûs, justitiæ aut satisfactionis pro peccato* affingitur, *Deo non est gratum & acceptum*: tale enim *Deus in Judæis improbat*.

*Gretserus* in Apolog. pro Discipl. l. 1. p. 63. reponit, hoc ipsum ex isto Esaiæ loco probari minimè posse, cum ibi non *jejunium ipsum*, sed *circumstantiæ quibusdam vestitum*, nempe propter *jejunatorum scelera*, rejiciatur.

℞. Fatemur, Prophetam ibi *ipsum jejunium per se*, ceu superstitiosum ritum, non improbare, (siquidem à Deo ipso Judæis institutum erat, *Levit.* 23. v. 27. & 29.) Sed *illius abusum*, tum propter *pravam fiduciam*, quia in ipso opere operato, absque pœnitentia, cultum Dei constituebant, v. 2. & 4. tum etiam propter *additiones asperiores*, de quibus nihil in lege præceptum erat, v. 3. & 5. Non eos enim tantùm damnat, qui *sine omni vitæ sceleratæ emendatione* jejunabant, v. 4. sed & qui *jejunio suo, tanquam operi meritorio, confidebant*, v. 2. Non potest autem ovum ovo magis respondere, quam si *jejunantes* nostris *Papistis*, qui cum per septimanas aliquot *Bacchanalia* vixerunt, per diem deinceps unum atque alterum, incurvant, quasi juncum, caput suum, saccum & cinerem sternunt, & flagellis exasperatis animas suas affligunt, atque hanc vocant *diem acceptabilem Domino*. Chemnit. par. 4. Exam. Concil. Trid. tract. de jejun. p. 748. b. *Balduin.* in Exam. Apolog. Schopp. p. 424. seq. *Zeaman.* in carnif. Esawit. pag. 449. 450. 457. seq.

Vers. 8. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet te; clamabis, & dicet: Ecce adsum.*

*Papistæ* opinantur, *hominem operibus misericordiæ posse bona temporalia & æterna promereri apud Deum, quòd is ipse mereatur precum exauditionem, gloriæ divinæ participationem, &c.*

℞. Innuitur hoc in loco non *meritum* aliquod bonorum temporalium & æternorum, sed *compensatio quædam gratuita* operum misericordiæ, veram pœnitentiam subsecutorum, cujus principalior pars, *fides*, in promissionis verbo, bonis istis potitur, *Hun.* tom. 1. Oper. Lat. p. 639.

Vers. 10. *Si depromseris famelico animam tuam, & animam afflictam satiaveris; tum orietur in tenebris lux tua, & caligo tua, sicut meridies.*

Jesaias utitur (1.) *Antanaclasi*: nam vox נֶפֶשׁ, *anima*, priori membro *liberale donum* seu *beneficentiam, ex hilari animo profectam*, metonymicè significat; posteriori autem *hominem*, synecdochicè. (2.) *Metaphorâ*: Orietur in *tenebris lux tua*, &c. h. e. nulla tanta adversitatum caligo futura est, quin in pace & lætitia in Domino veluti luce perfruaris, v. 11. seq. Ubi *tenebras* pro *adversitate*, & *lucem* pro *prosperitate, indeq; exortâ mentis lætitiâ* accipit. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 688. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 229. & tract. 2. cap. 3. p. 529.

Vers. 11. *Et ducet te Dominus semper, & exsatiabit in ariditatibus animam tuam*, &c.

Iteratur (1.) *Hebraismus*: בְּצַחְצָחוֹת, *in ariditatibus*, h. e. in *summa ariditate*. (2.) *Synecdoche partis pro toto*: *Animam tuam*, i. e. *teipsum*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 24. p. 89.

CAP. LIX. v. 2. *Peccata vestra dividunt inter vos & me*, &c.

I. *Beza* par. 2. Resp. ad acta Colloq. Mompelg. p. 219. statuit, *solam incredulitatem non damnare*, cum *singula peccata sint damnationis æternæ causa*, utpote *divisionem inter Deum & homines facientia*.

℞. Fatemur, *singula peccata* esse causam damnationis, sed *mediatam*: nam causa damnationis *immediata* est sola *incredulitas*, Marc. 16. v. 16. Joh. 3. v. 18. &c. *Tarnov.* in Comm. Joh. c. 3. par. 1. q. 33. obj. 9. p. 318.

II. *Zanchius* in Volum. tract. Theol. p. 688. autumat, *Ecclesiam per excommunicationem non separare excommunicatum à Deo*, quia *contumaciter peccans ipso opere maligno jamdum separatus sit à Deo*; hominem autem separatum à Deo non posse ampliùs separari.

℞. Homo, per peccatum ab *interna* cum Deo unione separatus, per excommunicationem *amplius separatur* à Deo, cum privatur divini verbi publica auditione, Sacramentorum usurpatione, precum communione, sanctorum hominum familiari conversatione. His enim qui gaudet medijs, adhuc est in *externa Ecclesiæ societate*, & ea parte cum Deo conjunctus: at cui hæc eripiuntur, planè *gentilis* est, *Ephes.* 2. v. 12. imò infelicior est homine, *nunquam adducto ad Dei & Christi agnitionem*, 2. *Petr.* 2. v. 20. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Discipl. Eccles. c. 5. q. 9. p. 1008. seq.

Vers. 3. *Manus vestræ pollutæ sunt sanguine*, &c.

Argumentum nostratium, contra *cruentam illam proprij corporis flagellationem*, in papatu receptam, vide defensum in vindic. *Esa.* 1. v. 15. m. 3.

Vers. 5. *Ova aspidis ruperunt & telas araneæ texent*, &c.

*Propheta* adhibet (1.) *Metaphoram*: tum quia *ova aspidis*, ex quibus vipera erumpit, ad figurandam *animorum perversitatem & malitiam* introducit; tum quia *aranearum telis* conatuum pravorum *vanitatem* designat. (2.) *Enallagen temporis* præteriti, *ruperunt*, & futuri, *texent*, pro præsenti, *rumpunt* & *texunt*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 248. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 21. p. 329. & 350.

Verſ. 9. *Expectabimus ad lucem, & ecce tenebræ: ſplendores, in caliginibus ambulabimus.*

Occurrit (1.) *Enallage temporis* futuri, *expectabimus* & *ambulabimus*, pro præſenti, *expectamus* & *ambulamus*. (2.) *Metaphora*: uti enim *lucis* nomine *proſperitas*, ita per *tenebras* omnis generis *adverſitas* ſignificatur. (3.) *Ellipſis* vocularum ex præcedente membro repetendarum: *Splendores*, ſcil. *expectamus*, *& ecce* in caliginibus &c. (4.) *Hebraiſmus*: לנגהות באפלות, *ſplendores in caliginibus* h. e. *ſummum ſplendorem* in *ſumma caligine*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 249. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 688. *Glaſſ.* lib. 3. Phil. Sac. tract. 1. can. 24 p. 89. & lib. 5. tract. 1. cap. 10. p 229.

Verſ. 14. *Et averſum eſt retrorſum jus, & juſtitia à longè ſtetit: quia impegit in platea veritas, & æquitas non poteſt ingredi.*

In verſu hoc proponitur (1.) *Proſopopœia virtutis & pietatis* pulcerrima, quâ *raritas ejus inter homines* innuitur. (2.) Ellipſis: *Non poteſt ingredi*, ſubint. ex membro præcedente, *per plateam*, i. e. quia ne in *publico* quidem veritatem & æquitatē colimus, ut ſeq. verſus cōfirmat. *Vatablus* in Annot. ad h. l. ſubaudit, *congregationem noſtram*. Jun. in Not. ad h. l. p. 688. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1, cap. 9. p 213.

Verſ. 16. *Vidit Deus, quia non eſt vir, & admiratus eſt, quia non eſt, qui occurrat.*

*Vorſtius* tract. de Deo & attrib. divin. p. 271. impugnat *Dei omniſcientiam*, pro quo facere videtur, *Deum hic dici fuiſſe admiratum*: admirationis enim cauſa eſt *ignoratio*.

℞. Admiratio *propriè* Deo non attribuitur, quaſi ignoraret, non eſſe virum, qui occurrat; ſed *metaphoricè*: Scriptura enim accommodat ſe captui noſtro, non ſecus ac cum Deo *pœnitentiam* attribuit. *Arcular.* in Comm. Eſa p. 760.

Verſ. 17. *Et induit juſtitiam, ſicut loricā, & galeā &c.*

Ἀνθρωποπαθεια eſt: *Chriſtus* enim (interventor, v. 16. & redemptor, v. 20) *gloriâ* DEI, in defenſione ſuorum, & ultione adverſus hoſtes, quaſi *amictus*, pulcra hypotypoſi proponitur, deſumtâ metaphorâ ab *heroe*, armis indutô, & in ar[e]nam adverſus hoſtes deſcendente. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap 7. p. 160. ſeq.

Verſ. 19. *Cum venerit, veluti fluvius, hoſtis, Spiritus Domini vexillans eum.*

Redit huc (1.) *Metaphora*, quâ *aquæ exundantes* comparantur cum *hoſtibus Eccleſiæ*, ut *Pſal.* 124. v. 4. ſeq. (2.) Ἀνθρωποπαθεια: nam *Spiritus Domini* dicitur *vexillans Chriſtum*, h. e. efficiens, ut Chriſtus ſit illud vexillum populorum, ſeu ut in Chriſto, ejusque agnitione, ceu fundamento, Eccleſia colligatur, ſicut ad erectum *vexillum* milites conſcribuntur & aggregantur. *Vatabl.* in Annot ad h. l. p. 250. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 689. *Glaſſ.* lib. 5. Philol Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 162.

Verſ. 21. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & usq; in ſempiternū.*

I. *Stapletonus* in Prompt. Cathol. fer. 3. Pentec. §. 1. hinc probat *perpetuam & continuam Eccleſiæ Paſtorum ſucceſſionem*, quòd *Spiritus Dei non ſit receſſurus de Eccleſiæ ſemine*, i. e. de *Paſtoribus*, *eorumque ſucceſſoribus*.

℞. Promiſſio hæc non de *ſolis Paſtoribus* accipienda eſt, ſed de *tota Eccleſia*: quo fit, ut *miniſterio etiam ceſſante*, nihilominus promiſſio non expiret, in aliis quippe ſe exerens, qui licèt *occultè*, in vera adhuc fide conſtantes perſeverant. *Hunn.* in Demōſtr, Miniſter. Lutheran. p. 170. & ſeq.

II. *Papiſtæ* ex eodem fundamento inferunt, *Eccleſiam viſibilem in fide non poſſe errare*, alioqui *Spiritus Sanctus ſuo non defunctus fuiſſet officio: receſſiſſet enim ab Eccleſia, & pervolutari paſſus fuiſſet eam erroribus.*

℞. (1.) Propheta loquitur de *fœdere Dei*, quod eſt perpetuum: id autem pertinet ad Eccleſiam *catholicam & internam* ſimpliciter; ad *externam & particularem* ſecundùm quid, quatenus nempe *in illa ſunt electi Dei filii*, qui in timore Dei ad agnitionem ſalvificam Chriſti ſeriis gemitibus aſpirant, & mediis ad ſalutem comparatis & oſtenſis nituntur. In medio enim errore *viſibilis* Eccleſiæ Deo gignūtur liberi *electi*, Matth. 24. v. 24 (2.) Si promiſſio hæc *ſimpliciter facta fuiſſet Eccleſiæ viſibili*, tum ſequeretur, Deum promiſſis non ſtetiſſe: ſiquidem, v. 19. præcedente promiſſio fit etiam iis, *qui ſunt in Oriente*; Eccleſiæ verò *Orientales* dudum miſerrimè conciderunt. (3.) Neque inde *Spiritus Sanctus in officio ſuo ſegnis argui poteſt*: nam vel maximè vigilat, ne *electi Dei filii*, unâ cum reliqua errantium multitudine, in errores, *fidei fundamentum evertentes*, inducantur; ſed ut ſermo veritatis (præcipuè qui ad *ſalutis fundamentum* propriè pertinet) penes ipſos maneat. Itaque nequaquam hinc legitimè infertur, *Eccleſiam viſibilem nunquam in errores prolabi poſſe*. Hunn tom. 1. oper. Lat. p. 1304. ſeq. *Oſiād.* in Ench. cōtrov. Papiſt c. 7. q. 3 obj. 4 p. 48. *Scharp.* tom 2. Curſ. Theol. art. de Eccleſ. controv. 3. obj. 10. p. 1800. *Cham.* tom. 5. Panſtr. l. 1. c. 17. §. 3. obj. 5. p. 78 ſeq.

III. *Semper eſt aliqua Dei Eccleſia in his terris*: ſemper enim ſunt, *in quibus eſt Dei Spiritus, ejusque verbum*, (ſive pauci illi ſint, ſive multi) juxta divinam hanc promiſſionem.

*Nicolaides* in Defenſ. tract. de Eccleſ. c. 4. p. 113. ſeq excipit, non de ulla Eccleſia verba ita intelligi poſſe, ut, *qualis tandem illa Eccleſia futura ſit*, Spiritus tamē Dei ab eâ non ſit receſſurus; ſed hunc ſenſum videri eſſe iſtorum verborum, Eccleſiæ, *quamdiu Eccleſia futura eſſet*, non defuturum unquam Spiritum Dei: hoc enim tôtum, an ſcilicet *homines Eccleſia Dei eſſe velint*, penes eos eſſe, Deum voluiſſe.

℞. (1) Non dicimus, Eccleſiam, *utut ſe gerat*, manſuram tamen Dei Eccleſiam; ſed aſſerimus, pertinere illam promiſſionem ad Eccleſiam, *verbo Dei obedientem*, cui Deus nunquam ſuo deeſt ſpiritu. (2.) Nec tamen *conditionata duntaxat* eſt promiſſio, ſed ſimul pollicetur Deus, *ſemper ſe Eccleſiam ſervaturum in terris amodo usque in ſempiternum*, ſi non in Aſia, certè in Europa, vel Africa, vel alibi, & ſi nō hîc, ibi tamen. *Thumm.* in Impiet. Photin. pag. 529. ſeq.

Cap. LX. v. 1. *Surge, luce, quia venit lux tua, & gloria Domini ſuper te orta eſt.*

Propheta utitur (1.) *Metaphorâ*, quâ Eccleſiam Judaicam jubet *lucere*, h. e. lucernam ſive *facem Evangelii Gentibus præferre*. (2.) Ἀνθρωποπαθεια: *Chriſtum* enim vocat *lucem*, ratione *officii*, quod eſt, *illuminare homines*, Johan 1. v. 9. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 689. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 176.

Verſ. 2. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur.*

*Jacobus ad Portum* in Defenſ. Orthod. Fid. c. 29. p. 363. negat, *ſalutis gratiam omnibus hominibus à Deo offerri*, quia *hoc ſpeciale promittatur Eccleſiæ donum, quòd ſuper ipſo orietur Dominus, & gloria ejus illic conſpicua erit.*

℞. Sermo est de *ortu Messiæ ex Iudæis*, quibus *donum hoc fuit singulare*, Johan. 4. v. 22. veruntamen ad *Gentes* quoque *regnum Messiæ* pervenit, ut vel ipse *Esaias* testatur, v. 3. *Fevrerb.* fasc. 3. disp. 1. thes. 40. *Tungerlar.* par. 1. Promtuar. Evangel. p. 755.

Vers. 3. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.*

*Papistæ* nugantur, *Magos illos*, Matth. 2. v. 1. *fuisse Reges*: ita enim disertè hîc appellari.

℞. *Ad literam* & *in specie* hîc non est sermo de *Magis*, Jesulum visitantibus Bethlehemi; sed in *genere* agitur de *conversione Gentium & Regum ad Christum*, quæ tandem *post Christi ascensionem in cælum* facta est. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 123. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 16. c. 11. § 3. p. 340.

Vers. 5. *Tunc videbis & splendebis, & pavebit & dilatabitur cor tuum, quando convertetur ad te multitudo maris, fortitudo gentiũ venient tibi.*

Verba hæc exhibent (1.) Metaphoram: *Splendebis*, h. e. *lætitiâ impleberis*, Chaldæo interprete, quem R. *Kimchi* sequitur. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 689. magis placet *confluendi* significatio, metaphorâ à *torrentibus* ductâ. Item *dilatari cor* pro *exhilarari* est. (2.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: Multitudo *maris*, h. e. *gentium*, maris accolarum, uti explicatio statim subjungitur: tum *adjuncti* pro *subjecto*, quia *fortitudo* pro *copiis* est. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 37. cap. 10. p. 231. & cap. 12. p. 386.

Vers. 6. *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, &c.*

Propheta Evangelistæ repugnare videtur: *ille* enim refert, Reges, Christo aurum & thus deferentes, venisse de *Saba*, adeoque à *meridie*; *hic* verò, *Matth.* 2. v. 1. narrat, eos fuisse ex *Oriente*, atque adeò venisse de *Persia*.

℞. Sensu *proprio* & κατὰ τὸ ῥητὸν prophetia hæc non complectitur *Magos istos*, ob causam jam monstratam; sensu autem *tropico*, id est, quatenus per *synecdochen speciei* sub hominibus *nationum*, quæ hîc exprimuntur, *omnes promiscuè gentes*, ad Christum convertendæ, comprehenduntur, utique prophetia hæc ad *Magos orientales* referri potest & debet. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 311.

Vers. 10. *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi.*

I. *Bellarminus* l. 3. de cult. Sanctor. c. 6. arg. 3. suadet *templa magnificentissima extrui & ornari*: id enim *Prophetam prædixisse futurum in Ecclesia Christiana, in terris existente.*

℞. Hîc nihil habetur de *sumtuosissima templorum structura & ornatu*, sed sermo est de *ministris Ecclesiæ*, qui docendo & scribendo confirmabunt Ecclesiam in pura & cælesti doctrina; quam parte *Reges* quoque operam suam conferent ad juvandam Ecclesiam Dei. *Osiand.* tom. 2. Paraphras. Bibl. p. 124.

II. *Papistæ* negant, *Principes Christianos in regimine Ecclesiastico partes aliquas habere*, quòd *eorum sit, Ecclesiæ ministrare, non imperare.*

℞. Concedo, Reges non *imperaturos Ecclesiis*: si qui verò hoc faciunt, abutuntur suo jure. Tollatur itaque *abusus*, relicto vero & legitimo *usu*, qui est, *disponere circa cultum, defendere Ecclesiam, &c. Vestring.* in Discurs. Theol. de potest. Eccles. thes. 31. obj. 1.

Vers. 11. *Et aperient portas tuas jugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur.*

I. Reperitur hoc loco (1.) *Hebraismus*: וּפִתְּחוּ, *& aperient*, h. e. *apertas tenebunt*. (2.) *Ellipsis* nominis: *Apertas tenebunt*, scil. *ministri Ecclesiæ*, quorum operâ Deus utitur, ut singulis horis animæ lucrifiant Christo, & intromittantur ad Ecclesiam. *Iun.* in Not ad h. l. p. 689. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 3 m. 2. n. 1. p. 236.

II. *Pazmannus* in Hodeg. l. 8. c. 7. negat, *Ecclesiam esse invisibilem, cum illius portæ semper pateant, ut ad eandem ingredi possint omnes Gentes*: gentes autem intrare non posse, si certò cognoscere nequeant, ubi sit Christi civitas.

℞. Propheta describit claritatem Ecclesiæ N. T. quæ tempore *Messiæ* per doctrinam Evangelii futura erat. Hujus portæ semper sunt apertæ: Gentibus enim semper patet accessus ad Ecclesiam. Non autem sequitur, quòd *fides electorum semper sit conspicua*. Imprimis verò vaticinium illud impletum est temporibus *Apostolorum*, qui, cum Evangelium in universo terrarum orbe prædicarent, quotidie fiebat accessus gentilium ad Ecclesiam. At quanquam *primis* N. T. *temporibus* portæ Ecclesiarum *particularium* ita apertæ fuerunt, ut magnus subinde Gentium accessus fieret; non tamen inde sequitur, quòd *perpetuo tempore* N. T. tanta sit Ecclesiæ claritas futura: contrarium enim comprimis patet ex *Apoc.* 12. v. 7. in quem locum fatentur *Romanenses*, fieri posse, ut Ecclesia aliquando non habeat *publicum splendorem, publicum statum & regimen*, nec *libera Sanctorum exercitia*. Baldum. in Phosph. Cathol. contr. Pazmann. l. 8. cap. 7. pag. 777. 778. seq.

II. *Pazmannus* ibid. statuit, *notam Ecclesiæ esse*, quòd *semper cognosci queat*, adeò ut *portas semper pandas habeat, ut omnes nationes ad eam pervenire possint*; quæcunque autem Ecclesia non semper fuit agnita ab *hominibus*, veram esse non posse.

℞. (1.) Concedimus quidem, *portas Ecclesiæ semper esse pandas, Deumque semper aliquos ex diversis nationibus ad eam vocare*; sed non est necesse, ut *semper omnibus sit conspicua*: quandoquidem tempore Anti-Christi *Ecclesiam latituram*, sacræ docent litteræ. (2.) Falsum est, omnem Ecclesiam, *quæ non semper fuit agnita ab hominibus*, veram esse non posse: nam *soli Deo* nota erant illa *septem millia virorum*, qui genua non sunt incurvata ante Baal, 1. *Reg.* 19. v. 18. ergóne non erant vera Ecclesia? (3.) Neque nota illa est *vera & interna* nota veræ Ecclesiæ; sed *externum quoddam accidens*: quia etiam *synagoga Satanæ* bipatentes portæ sunt, per quas quotidie multi ingrediuntur, *Matth.* 7. v. 13. *Balduin.* d. l. c. 13. p. 809.

Vers. 12. *Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit, & Gentes solitudine vastabuntur.*

I. *Pontificii* quidam docuerunt, *terras infidelium* (propterea saltem, quòd infideles sunt) *à fidelibus licitè occupari posse*, quia *gens & regnum, quod non servierit Ecclesiæ, sit periturum, & solitudine vastandum.*

℞. Esaias nequaquam docet, *terras infidelium ab Ecclesia esse occupandas, eosque propter infidelitatem exterminandos*; sed solùm docet, *gentem eam, quæ erit extra Ecclesiam, non posse salvari*. Becan. in Theol Schol. par. 2. tom. 2. tract. 1. c. 13. q. 6. n. 2 & 11. p. 203. & 205.

II. *Pazmannus* in Hodeg. lib. 8. c. 7. inficias it, *veram Ecclesiam esse invisibilem*, cum *periturus sit, qui non servierit ei*: non autem posse serviri, quem cognoscere nequeamus.

℞. (1.) Etiã *Christus* jam nobis non videtur, 1. *Petr.* 1. v. 8. & tamen ipsi servire possumus ac debemus, (2.) Non negamus, Ecclesiam *vocatorum* esse visibilem

bilem in mundo, sed non Ecclesiam *electorum*: nam quinam vocati sint *electi Dei Filii*, externo adspectu dijudicari non potest. *Balduin.* in Phosph. Cathol. l. 8. c. 7. p. 777. seq.

Vers. 13. *Adornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.*

I. Ἀνθρωποπάθεια est: *Ecclesia* enim, per verbum salvanda, *locus pedum* DEI humanitus dicitur, quia quasi in ea ambulat, & suam ipsi gratiam gloriamque exhibet. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 115.

II. *Bellarminus* l. 3. de Cult. Sanctor. c. 6. propos. 1. arg. 3. disputat, *templa Dei ingentibus sumptibus licitè posse ornari*, quòd *id in* N. T. *futurum laudet Propheta*.

℞. (1.) Per *locum sanctitatis divinæ* non intelligitur *templum aliquod lapideum* N. T. sed *Ecclesia Christi*, in qua ipse honoratur. (2.) Insuper dictum hoc per fallaciam *figuræ dictionis* adulteratur: quia prædicitur *gloria Ecclesiæ* N. T. quam Reges & Principes magnificentiâ suâ adjutum ibunt. Sed ex *generali hoc ornatu* malè colligitur *specialis hypothesis de crucibus, statuis, anathematis, &c. Cham.* tom. 5. Panstr. l. 5. c. 8. §. 33. seq. obj. 3. p. 209.

III. *Papistæ* quidam exinde probare conantur *votivas peregrinationes ad terram sanctā*, quia *illa sit locus pedum Christi*, qui *peregrinantibus* glorificandus dicatur.

℞. (1.) *Bellarminus*, qui l. 2. de Beatit. Sanct. cap. 3. studiosè conquisivit, quæcunque specie aliqua *peregrinationes illas religiosas* probare possent, hoc testimonio non utitur. (2.) *Franciscus Forerius* annotat, locum hunc non de *civitate Hierosolyma*, vel *alio certo loco* agere, sed de *tota* N. T. *Ecclesia*, in qua Christus habitat specialiter per gratiam, ut habet *Lyra*, & in ea ipse homines sanctificat, ut ait *Hector Pintus* in h. l. Eodem modo exponunt *Cornelius à Lapide*, & *Iacobus Tirinus* Jesuitæ in Comm. illius loci. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. art. 10. cap. 5. arg. 2. pag. 755. seq.

Vers. 15. *Pro esse te derelictam & exosam, & non transiens, contra disponam te excellentia seculi, gaudium generationis & generationis.*

Offert se (1). Hypallage: *Disponam te excellentia seculi*, h. e. *disponam tibi excellentiam perpetuam.* (2.) *Hebraismus*: Gaudium *generationis & generationis*, i. e. *cujusque* generationis. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 690.

Vers. 16. *Scies, quia ego Dominus salvans te, & redempter tuus fortis Iacob.*

*Photiniani* negant, nomine *redemptoris*, Iob. 19. v. 5. notari *Christum*, cum nomen *redemptoris* hic ipsi quoque *Patri* tribuatur.

℞. *Christus* omnino hoc in loco innuitur, non excluditur: quia enim de ipsa *salvatione* est sermo, & *redemptione*, quæ non nisi per *Christum* facta; cur non versum hunc de *secunda Trinitatis persona* intelligeremus? *Meisner.* dec. 3. anthrop. Sacr. disp. 5. thes. 40. p. 235. seq.

Vers. 17. *Pro ære adducam aurum, & pro ferro adducam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, & imponam præfecturam tuam pacis, & exactores tuos justitia.*

Fit hic (1.) *Metaphora*: nam *permutatione auri pro ære, argenti pro ferro, æris, pro lignis, ferri pro lapidibus*, restauratio per *Messiam* futura significatur. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: quia *præfectura* pro *præfectis* ponitur, q. d. dabo tibi homines, qui præficientur tibi, amantissimos pacis & justitiæ. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 251. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 691. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 282.

Vers. 19. *Non erit tibi ampliùs Sol in lucem diei, & in splendorem Luna non illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem seculi, & DEUS tuus in gloriam tuam.*

In versu hoc habetur (1.) *Ellipsis* nominis, ex nomine *opposito* eruendi: *In splendorem*, scil. *noctis*; quæ vox in altera voce *diei* latet. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim dicitur *lux electis*, quâ *æterna in vita cælesti glorificatio* innuitur, & *Apoc.* 22. v. 5. ad *vitam æternam* refertur. *Iun.* in Bibl. h. l. pag. 690. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. pag. 176. & cap. 10. pag. 230.

Vers. 20. *Non occidet ultrà Sol tuus, & Luna tua non deficiet; quia Dominus erit tibi in lucem seculi, & finientur dies luctûs tui.*

Iteratur (1.) *Metaphora*, quâ *Sol & Luna*, indesinenter splendentes, *æternam beatitudinem* denotant. Chaldæus verba illa de *Sole & Luna* non ineleganter transferendo exponit: *Non abolebitur ampliùs regnum tuum, & gloria tua non transferetur. Solis lux* nota *prosperitatis* est, igitur è contrario *Solis occasus*, & *Lunæ obscuratio* metaphoricè *calamitates, mærores & ærumnas* significat. (2.) Ἀνθρωποπάθεια, quâ DEUS *lux* dicitur, h. e. *æterna electorum in cælis vita & glorificatio*, v. 19. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. pag. 176. & cap. 10. p. 224.

Vers. 21. *Et populus tuus omnes justi ipsi, in seculum hæreditabunt terram, surculus plantationum mearum, opus manuum mearum, ad glorificandum me.*

Continuatur (1.) *Metaphora*: nam נֵצֶר *surculus plantationis* DEI vocatur *Ecclesia*, quia singulariter eam (Christo vitæ arbori, quasi implantatam) amat, curat, Spiritu suo vegetat, confortat, custodit, tandemq; æternùm salvat. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: *manus* enim DEO humanitus tributæ, *potentiam ejus* denotant, exserentem se in *potentissima operatione* quadam, puta *creatione*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. pag. 110. & cap. 11. pag. 287.

Cap. LXI. v. 1. *Spiritus Domini Domini, super me, ea propter unxit Dominus me ad evangelizandum mansuetis; misit me ad alligandum confractos corde, ad prædicandum captivis indulgentiam, & vinctis apertionem apertionem.*

I. Occurrit (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: verbô enim *ungendi* notatur *plenitudo vocationis, & Spiritûs collatio sine mensura facta*, Psal. 45. v. 8. & *Iohan.* 1. v. 16. (2.) *Metaphora*: Ad *alligandum confractos corde*, h. e. ut *consoler & confirmem eos*, qui ob tardum meum adventum penè de salute sua animum despondent; translatione sumta à *Chirurgis*, qui fasciolis suis fracta & contusa alligant, sanitatis causâ. (3.) *Hebraismus*: פְּקַח־קוֹחַ, *apertionem apertionem*,

i.e. *omnimodam apertionem.* Scribitur ut duæ dictiones, sed est tantùm una, constans ex geminatis duabus literis radicalibus, פְּקַח־קוֹחַ, *apertus.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 252. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 690. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 6. p. 59.

II. *Anonymus* ille Semijudæus in tract. de fundam. relig. Christ. m. 2. asserit, locum hunc, *Luc.* 4. v. 21. *à Iesu Nazareno perperam allegari,* quasi vaticinium esset de *Christo*, cum tamen *Propheta de seipso loquatur.*

℞. Non est sermo hic de *Esaia*, sed de *Christo.* Nam (1.) non *Esaias*, sed *Christus*, est ab *ipso Iehova* unctus; & quidem (2.) non *oleô terrestri*, sed *Spiritu Sancto*, Psal. 45. v. 5. (3.) neq; *Esaias*, sed solus *Christus* præstat illa *beneficia Ecclesiæ*, quæ hic præco se præstiturum promittit.

Excipit 1. idem *Anonymus* ibid. de nulla alia re, quàm de *captivitate Babylonica* eo in loco agi; ideoque ad *Christum* non pertinere.

℞. Verba Prophetæ non loquuntur de *liberatione ex captivitate Babylonica.* Quandoquidem (1.) promittunt *sempiternum gaudium*, v. 7. quale non peperit *temporaria illa liberatio.* (2.) In hoc Esaiæ vaticinio Dominus dicitur propagaturus justitiam ad *omnes Gentes*, v. 11. id quod beneficium *spirituale* est, in cujus societatem etiam *Gentes* venire debent. At *liberatio ex captivitate Babylonica* est bonum *corporale*, ad *Iudæos* tantùm pertinens, & nullo modo *Gentes* includens.

2. *Calvinus* in Coment. h. l. non repugnare, quin *Propheta* quoque, qui *a Domino unctus*, h. e. *donis necessariis à Deo instructus*, est, conveniat hæc sententia.

℞. (1.) Omnino repugnat, vel *Iunio* exertis verbis fatente in Bibl. h. l. pag. 690. sententiam hanc *Esaiæ* convenire: siquidem *effecta* ibidem recensita, vel *Pareo* teste, non possunt nisi de beneficiis *Messiæ* intelligi: quomodo igitur *Esaiæ* convenient? (2.) Christus, *Luc.* 4. v. 21. in *se solo* vaticinium illud impletum esse ait; unde sanè vel eodem *Pareo* fatente, firmiter concluditur, id non impletum esse in *Propheta Esaia.* (3.) *Unctum esse Spiritu Sancto* plus est, quàm *donis necessariis à Deo instructum* esse. *Hoc* enim aliis præter Christum convenit; *illud* verò Christo præ consortibus, *Hebr.* 1. v. 9.

3. *Pareus* in Calvin. Orthod. non censere Calvinum, quasi *effecta ipsa ullo modo Esaiæ conveniant*, sed quòd *Esaiæ*, Christi personam sustinentis, *ministerio hæc beneficia promulgentur*, à solo *Christo* reipsa præstanda, & in N. T. complenda, cui operam suam in beneficiis illis publicandis *Propheta* impendat.

℞. *Ministerialis illa impletio* non potest hîc locum habere; alioqui Esaias non *Messiæ* beneficia annunciaret, sed *sua*, hoc sensu: *Spiritus Domini super me* (Esaiam Prophetam) *eò quod Dominus unxerit me* (Esaiam) *ad prædicandum mansuetis misit me* (Prophetam) *ut mederer* (ego Esaias) *contritis corde*, & sic consequenter. Quandoquidem in *prima persona* is, qui sub initium capitis loqui cœpit, ad finem usque periodi sermonem suum protendit. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 663. 974.-978. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 111. p. 725.-728.

III. *Bellarminus* l. 1. de Indulg. cap. 1. nugatur, *per indulgentias Papales relaxari pœnas pro peccatis debitas*; siquidem *illa captivis erant prædicanda.*

℞. Hoc non facit pro *indulgentiis Papalibus.* Etenim (1.) Hebræum דְּרוֹר non *indulgentiam*, sed *libertatem* notat, *Aria* teste: *hæc* autem quid ad *indulgentias Papales*? (2.) Sed etsi vocabulum *indulgentiæ* hoc loco haberetur, longè tamen alio sensu & significatu, quàm in hac quæstione à Pontificiis, usurpatur. *Indulgentia* enim apud Esaiam non est *remissio pœnarum temporalium*, vel quas Confessionarius imponit, vel sacri canones injungunt; sed est *gratuita Dei miseratio*, Esa. 63. v. 7. & Judith. 8. v. 12. (3.) Christus vaticinium hoc non refert ad *indulgentias Papales*, sed ad *seipsum*, & *suum officium*, Luc. 4. v. 21. Ipse enim *veras indulgentias* sangvine suo nobis acquisivit, quas annunciandas curat. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontif. cap. 25. q. 5. obj. 4. p. 343. seq. *Gisen.* de Papism. disp. 35. thes. 31. & 32. p. 625. seq.

Vers. 2. *Ad proclamandum annum benevolentiæ Domino, & diem ultionis DEO nostro, ad consolandum omnes lugentes.*

I. Christus utitur (1.) *Synecdoche partis pro toto*: nam *annus* pro *tempore* est. (2.) *Hebraismô*: Annum *benevolentiæ*, h. e. *acceptum.* Jun. in Not. ad h. l. p. 690. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 17. m. 3. p. 464.

II. *Valentiniani* olim docuerunt, *Christum uno tantùm anno publicè prædicâsse*, quoniam *idipsum prædixerit Esaias.*

℞. Esaias non dixit, *Christum uno tantùm anno esse prædicaturum*, tum quia ipse non facit mentionem *unius anni*, tum quia Christus Hierosolymæ *Pascha ter* celebravit, *Ioh.* 2. v. 13. c. 6. v. 4. c. 12. v. 1. quod *uno anno* fieri non potuit; verùm *universum prædicationis Christi tempus* vocatur *annus acceptus Domino*, interprete ipso *Christo*, Luc. 4. v. 19. *Iren.* lib. 2. contr. Hæres. c. 38. *Flacc.* Cent. 2. Magdeb. c. 5. p. 92. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Servat. Christ. c. 1. sect. 10. q. un. obj. 3. p. 857. seq.

III. *Anabaptistæ* exinde *communionem bonorum* comprobant: quia enim *nos obtinemus nunc verum annum Iubilæum Domini a Christo prædicatum, ideo decere nos typum illum Iubilæi complere, dum communionem observamus bonorum.*

℞. Falsa est *typi hujus* allegatio: Propheta enim non loquitur de *terrenorum bonorum communione*, sed de *Evangelii prædicatione*, id est, gratuita peccatorum remissione, ipso *Christo* interprete, *Matth.* 11. v. 5. *Osiand.* in Enchir. controv. Anabapt. c. 7. q. 2. obj. 22. p. 164. seq.

Vers. 3. *Ad ponendum lugentibus Zionis, ad dandum eis gloriam pro cinere, oleum lætitiæ pro planctu, amictum laudis pro spiritu constricto, & vocabuntur eis arbores justitiæ, plantatio Domini, ad glorificandum.*

Offert se (1.) *Ellipsis* nominis: *Ad ponendum*, scil. *consolationem*, ex v. 2. (2.) *Paronomasia* per *Metathesin* Cabbalisticam: *Ad dandum eis* פְּאֵר תַּחַת אֵפֶר, *gloriam pro cinere.* (3.) *Metonymia adjuncti pro subjecto*: Pro *cinere*, i. e. *luctu*, à *signo.* (4.) *Pleonasmus*: nam לָהֶם *eis*, post verbum וְקֹרָא, *vocabuntur*, redundat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 252. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 690. *Glass.* lib. 2. par. 1. tract. 2. sect. 3. art. 7. m. 1. p. 438. & lib. 5. tract. 2. cap. 2. p. 523.

Vers. 6. *Et vos Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis: potentiam gentium comedetis, & in gloria eorum efferetis vos.*

I. In

I. In textu hoc reperitur (1.) *Hebraismus*: יֵאָמֵר לָכֶם, *dicetur vobis*, h. e. *dicemini*. Item: תִּתְיַמָּרוּ, *efferetis vos*; ut י pro א per ἀντίστοιχον sit positum. Quidam propria verbi אמר significatione retenta, vertunt, *summè prædicabitis*. (2.) *Allegoria*, quâ ad *Levitas*, *eorumque ministerium* alluditur, dum de beneficiis, Ecclesiæ Christi præstandis, salute ab omnibus inimicis, vitâ & gloriâ æternâ sermo est, v. 7. 8. 9. (3.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: חֵיל enim, *potentia*, pro *opibus*, in quibus hominum potentia consistit, accipitur. (4.) *Synecdoche species* pro *genere*: nam *comedere*, est, *frui*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 252. *Jun.* in eund. loc. pag. 690. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 30. p. 331. & lib. 5. tract. 1. cap. 20. p. 497.

II. *Papistæ* verba hæc allegant, pro stabiliendo *externo Sacrificio*, quod sit *Missa*, cum in N. T. dicantur esse *Sacerdotes*, quorum esse sit referri ad *sacrificium*.

℞. Esaias non loquitur de ministris Ecclesiæ *singulariter*, sed *communiter* de omnibus fidelibus, qua de re, 1. *Petr.* 2. vers. 9. & *Apoc.* 1. vers. 6. Nam apud Esaiam, qui non sunt *Sacerdotes* appellandi, illi dicuntur *alieni*, & *filii peregrinorum*, v. 5. Itaque distingvit *hos Sacerdotes*, non à reliquo *populo Christiano*, sed à reliquo *mundo*. Cham. tom. 5. Panstr. supplem. c. 10. de Sacrif. Miss. §. 20. p. 42. seq.

Vers. 9. *Et fœdus perpetuum feriam cũ eis: & scietur in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*

*Bellarminus* l. 3. de Eccles. milit. c. 13. arg. 2 exinde colligit, *Ecclesiam visibilem non posse deficere*, quia *cum ipsa Deus fœdus pepigerit*, ita ut *omnes, qui viderint eam, cogniturі sint, quod sit semen Dei*.

℞. (1.) Promissio hæc fœderalis *præcisè* non ad *Ecclesias particulares*, sed ad *Ecclesiam Catholicam* pertinet, ut quæ veritatem verbi cœlestis conservat, *Esa.* 59. vers. 21. Unde *Iacobus Tirinus* in comm. h. l. ad *fideles*, spirituales Apostolorum filios, promissionem illam cestringit, ad quos etiam *propriè* illa merces pertinet. vers. 7. & 8. (2.) Propheta non loquitur de *Ecclesia absolutè*, sed de *Ecclesia Christiana comparatè*, quæ respectu *Judaica*, Apostolorum ministeriô, ampla sit futura. Sed ex eo non sequitur, *semper in suo splendore visibilem Ecclesiam fore*: neque enim ex animo removendæ sunt prædictiones aliæ de *miserrimo Ecclesiæ statu* sub Antichristo. (3.) Prædicit Propheta, Ecclesiam tempore N. T. in Gentibus esse propagandam, ut omnes, qui hoc viderint, cognoscant, hoc esse semen, cui benedixit Deus: nec inde tamen sequitur, *omnes semper esse visuros* benedictum illud Dei semen. *Gerhard.* tom. 5. LL. CC. loc. 25. de Eccles. §. 97. obj. 4. p. 764. seq. & in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. p. 1120. arg 5. *Scharp.* tom. 2. Curs. Theol. p. 1784. obj. 5.

Vers. 10. *Quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.*

*Becanus* de Judic. controv. relig Christ. p. 59. *Scripturam sacram accusat obscuritatis*, quòd ipsa *Christum nominet sponsum & sponsam*, id est, *caput, & corpus*.

℞. Miror hoc asserere Becanum: neque enim Christus *nominatur sponsus & sponsa*, sed *comparatur saltem*, propter ornatum & decorem vestimentorum justitiæ & salutis, *sponso ac sponsæ*, coronâ & monilibus decoratis, uti expressè indicat adverbium similitudinis כ, *quasi*, ut Vulgata, vel, ut Arias reddidit, *tanquam*. Aliud vero est, *conferri sponso & sponsæ*; & aliud, *vocari sponsum & sponsam*. Garth. de Judic. controv. relig. Christ. p. 104. seq.

Vers. 11. *Sicut terra profert germen suum*, צִמְחָהּ, &c.

Quidam volunt, nomen צֶמַח esse *fœmininum*, quoniam habeat hoc loco affixum *fœmininum* הּ.

℞. (1.) Affixum pronomen הּ nullo modo referri potest ad genus nominis צֶמַח, sed ad nomen præcedens, אֶרֶץ, *terra*, quippe quod in *fœminino* genere alibi quoqoe frequentatur, ut *Gen.* 1. v. 2. & hoc ipso Esaiæ loco construitur cum fœminino verbo, תוֹצִיא, *proferet*. Etenim pronomina affixa apud Hebræos non mutuantur genus suum ex nomine, *cui immediatè appendent*; sed ex *alio præcedente*, ad quod nempe sensu suo referuntur: ut hoc eodem loco fœmininum הָ in dictione, זֵרוּעֶיהָ, *semina sua*, connectitur quidem cum *plurali*, & tamen inde non efficitur plurale illud nomen constitui genere *fœminino*. Est enim & manet nomen hoc, זֵרוּעַ, *masculinum*, ut patet ex *Levit.* 11. v. 37. ubi construitur cum *masculino* verbo, יִזָּרֵעַ, *feretur*. Verùm respicit genus pronominis הָ in dictione, זֵרוּעֶיהָ, ad *præcedens* fœmininum, גַּנָּה, *hortus*. Sic *Iudic.* 13. v. 6. identidem *fœmininum* הּ cõnectitur quidem cum nomine איש, *maritus*; & tamen non propterea nomen אִישׁ est generis *fœminini*. (2.) Si maximè הּ in dictione, צִמְחָהּ, deberet destitui omni *Mappik* (qualẽ tamen scriptionem nollum, quod equidem viderim, exemplar, hoc loco exhibet) ut sic nõ pro *pronomine affixo*, sed pro ה *heemantico*, Fœminini notâ, accipi deberet; tamen non protinus inde efficeretur, etiam *masculinam* formam צֶמַח recipere in se genus *fœmineum*: Ut tametsi רִשְׁעָה, *impietas*, est nomen generis *fœminini*, *Prov.* 13. v. 6. tamen nulla est consequentia, idem genus recipi etiam in *masculea* forma, רֶשַׁע: contrarium enim constanter ostendit usus, ceu 1. *Sam.* 24. v. 13. & alibi *Gibel.* in Expos. Jerem. 33. vers. 16. pag. 102. 103. seq.

Cap. LXII. v. 2. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini declarabit illud.*

I. Jesaias adhibet (1.) Hebraismum: *Vocabitur tibi nomen novum*, pro *vocaberis nomine novo*. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: nam *os* DEO tribuit, quô *Deus volens*, seu in abstracto, *Dei voluntas* intelligitur. (3.) *Pleonasmum*: τὸ *illud* enim abundat. *Ariam.* par. 4. Bibl. pag 40. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 253. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 107.

II. Nonnulli censent, nomen JESU *ab Angelo* in N. T. *primùm fuisse revelatum*, quia *Christus novo nomine in* N. T. *à Deo sit vocandus*.

℞. *Propriè ac principaliter* ibi non de *Christo*, sed de *Ecclesia* N. T. agitur, cui novum nomen Deus promittit, quod cujusmodi sit, v. 4. explicat. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 789. *Gerhard.* in Exeg. loc. 4. de Christ. §. 10. p. 1118.

Vers. 4. *Non dicetur tibi ultrà, derelicta, & terra tua non dicetur ampliùs, desolata; sed tibi vocabitur, complacentia mea in ea, & terra tua maritata, quia complacuit Dominus in te, & terra tua maritabitur.*

Verba hæc continent (1.) *Hebraismum*. Non *dicetur tibi*, h. e. non *diceris* vel *eris*; Hebræis enim

enim *dici* & *vocari*, idem est ac, *esse*. (2.) *Metaphoram*: siquidem *terra Zionis*, i. e. *Ecclesia*, dicitur בְּעוּלָה *maritata*, h. e. *inhabitata*, translatione sumta ab *uxore*, quæ viro cohabitat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 253. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 18. pag. 876. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 367.

Vers. 6. *Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.*

*Pazmannus* in Hodeg. argutatur, *Ecclesiam esse visibilem*, quòd *illius pastores in perpetuum sint populum recturi & informaturi.*

℞. Ex hoc loco rectè concluditur, Ecclesiam ratione *pastorum & auditorum* esse visibilem, qui utique se invicem agnoscent: quinam autem inter eos verè sint *sancti & electi*, ex *externo aspectu* dijudicari non potest. *Balduin.* in Phosph. Cathol. cōtr. Pazm. l. 8. c. 7. p. 778.

Vers. 11. *Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, &c.*

I. *Humblaus* in Epitom. de V. D. c. 8. §. 9. opinatur, *textum Hebræum esse corruptum*, cùm vulgata Editio, LXX. Interpretes, & Chaldæus Paraphrastes habeant, *Salvator tuus*; & Hieronymus testetur, suo tempore in Hebræo textu lectum, *Iesus*, id est, *Servator*: sed jam mutatis punctis Judæi legant, *salus tua*, quam salutem referant ad *Deum Patrem*, non ad *Christum*; imò ex iis quidam contendant legendum esse, *salvatus tuus*, teste *Galatino* l. 6. de Arcan. Cathol. Verit. c. 1.

℞. (1.) N. C. tum quia non ex fide *versionum* æstimanda est fides *textûs*, sed contrà ex fide *textûs* fides *versionum*, quemadmodum ex *fonte* rivuli: tum quia aliàs non in *punctis* solùm, uti vult Jesuita, sed in *tota dictione*, & ita etiam in *literis*, corruptio facta esset, *Salvatorem* enim vox Hebræa מוֹשִׁיעַ significat, quemadmodum *salutem* יֶשַׁע. (2.) Nego, Autores ipsos aliter *legisse*, sed tantùm aliter *esse interpretatos*. Nam quia de *Christo* sermonem hîc esse viderunt, ideo, ut res esset apertior, reddiderunt, *Salvatorem*, sensum potiùs exprimentes, quàm *vocem*. Ita *Latinus* Interpres eandem vocem יֶשַׁע. *Esa.* 45 v. 8. vertit *Salvatorem*, sine ulla tamen *loci depravatione*; & hoc ipso in loco *Chaldæus* Paraphrastes Hebræum בָּא reddit, *revelatur*, LXX. *adest*, Vulgata, *venit*, nimirum quia idem *sensus*, non quòd non legerint, בָּא. Scilicet tam proxima sunt vocabula, *salus tua*, & *salvator tuus*, quàm proxima sunt, *venit*, & *revelatur*, & *adest*. (3.) Quòd notat, Hieronymum testari, suo tempore lectum, *Iesus*, impostura est. Hoc ille tantùm: *Ecce Salvator tuus venit, qui in Hebraico dicitur Iesus.* Quæ verba non significant *ita lectum*, sed tantùm *designari eum*, cui nomen sit, *Iesus*, nempe à *salvando*: nam *Iesus*, יֵשׁוּעַ, (habens sub י *zere*, & sub ע *patach*) est nomen *proprium*. Non ignorabat autem Hieronymus, non ferre syntaxin Hebræam, ut dicatur *Iesus tuus*. (4.) Judæos *salutem Hierosolymæ* referre ad *Deum Patrem*, non ad *Christum*, id vitium est *interpretationis*, non autem ulla *literæ corruptio*. Interpretatio autem æquè *Salvatorem* torquere potest: nam quid est, quò minùs dicant, *ecce Salvator tuus venit*, nempe *Deus Pater*? Nam alibi etiā nomen *Salvatoris* de Deo Patre usurpari dicūt, *Esa.* 43. v. 3. 11. &c. (5.) *Galatinus* non *quosdam* nominavit, qui *Salvatum* dicerent, sed unicum R. *Barchiam*. Quid verò *unus*, ut *plures* accusentur? (6.) Quanquam *Salvatus* magis est in versione *Galatini*, quàm in verbis *Barchiæ*: nam verba Hebræa sic recitantur, ut nunc habemus, nempe יִשְׁעֵךְ, quod nulla ratio mutare potest in *Salvatum tuum*, sed in *salutem tuam*, ceu *Arias* vertit. *Salvatus* enim in *Hebræo* non est יֶשַׁע, sed נוֹשָׁע, in Niphal, ut ex *Zachar.* 9. v. 9. apparet. Interim viderit *Galatinus*, quantum meruerit fidei. Cham. tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 22.-26. p. 219. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. obj. 54. p. 153.-155.

II. Argumentum *Papistarum*, pro *bonorum operum merito*, vide solutum in Vindic. *Esa.* 40. v. 10.

Cap. LXIII. v. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctus rubeis vestibus de Botzra, iste formosus in stola, &c.*

I. *Calvinus* in Comm. h. l. p. 602. negat, sermonem hîc esse de *Christo*, cùm Propheta *simpliciter de ipso Deo* hæc pronunciet.

℞. Omnino de *Christo* hîc sermo est: nam (1.) encomiū hoc (*decorus ille in amictu suo, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*) sensu ad amussim correspondet iis, quæ de *Christo* leguntur, *Psal* 45. v. 3. 4. 5. (2.) Johannes, *Apoc.* 19. v. 13. testatur, vaticinium hoc in *Christo* esse impletum: itaque ad *Christum* violenter non torquetur à Christianis.

*Paræus* in Calvin. Orthod. regerit, sententiam Calvini non carere ratione, quia nisi victorem istū *Iehovam* esse concedatur, non evincamus hinc *Christum esse Iehovam*, ut maximè constet *hunc victorem esse Christum*.

℞. Maximè asseveramus, *verum Iehovam* hîc describi: quæstio verò est, num *Iehova iste* sit Jehovah *absolutè* sic dictus, an verò Jehovah *relatè* sic nominatus *Filius*? Ubi quidem *prius* asserit Calvinus, *posterius* autem Christiani: Is enim nobis ceu digitò notatur Jehovah, *qui in passione sua calcavit torcular iræ divinæ*, id est, *definitè Filius*. Hunn. tom. 2. Oper. Lat. pag. 778. seq. *Glass.* l. 2. Philol. Sacr. par. 1. tract. 2. sect. 4. art. 7. can. 1. p. 468.

II. *Tarnovius* in Exerc. Bibl. p. 132. autumat, nō agi hoc loco de *Christo patiente*, quod *in passione* Christus non venerit ex *Edomæa*, neque ex metropoli ejus *Botzra*.

℞. Neque in *resurrectione sua victoriosa* ex Edomæa, ejusve metropoli Botzra Christus venit, si *Edomæam & Botzram* propriè accipi velis; sed ex *sepulchro*. Oportet igitur *Edomæam* hoc loco sumi *synecdochicè*, pro *regione hostium Ecclesiæ*. Edomæa autem potiùs, quàm alia ulla regio nominatur, cumprimis *gravissimæ ac hereditariæ hostilitatis* nomine, ut ex *Psal.* 137. v. 7. & *Thren.* 4. v. 21. patet. *Iun.* in schol. Bibl. h. l. p. 691. seq. num. 2.

Vers. 2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?*

*Fevardentius* l. 6. Theomach. c. 11. contendit, *Christum in ascensione sua ad cælos retinuisse cicatrices vulnerum*, quoniam *ipsum Angeli mirati fuerint cruentum ascendentem ad Patrem*. Hieronymo interprete.

℞. (1.) Negamus, *Angelos hîc introduci mirantes Christum, cruentum ad Patrem adscendentem*; verùm *Ecclesia* ex Christo quærit, cur vestem gerat *cruentam*, similem vestimento eorum, qui tempore vindemiæ uvas calcant, præsertim *rubellas*? (2.) Etiamsi concedamus, de *Christo*, *cruente ad Patrem ascendente*, locum esse intelligendum, tamen

men negamus consequentiam, tum quia *cicatricum* nulla in eo mentio, uti nec apud Hieronymum; de quibus tamen quæstio est: tum quia oporteret *sanguine fluere adhuc plagas*, quia *cruentus*. Qua quidem ratione, nullæ *cicatrices* essent, sed *vulnera*: nam *cicatrix* vulnus est obductū. *Cham.* tom 2. Panstr. l. 5. c. 21. § 5. & 7. p. 99.

Vers. 3. *Torcular calcavi solus, & de populis non est vir mecum, calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.*

I. In verbo, אֶגְאָלְתִּי, *inquinavi*, א pro ה positum est pro הִגְאַלְתִּי (in Hiphil) formâ Chaldaicâ, ut in אֶתְחַבַּר *consociavit se*, 2. *Paral.* 20. v. 35. pro הִתְחַבַּר. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 31 p. 332.

II. *Tarnovius* in Exerc. Bibl. p. 133. inficias it, *Christum hic intelligi pati*, quòd *torcular calcare* dicatur: qui autem *torcular calcat*, eum non *pati*, sed *agere*.

℟. Phrasis hæc, *Christum torcular calcâsse*, ita explicatur, *Apoc.* 19. v. 15. quòd calcaverit torcular *vini furoris Dei omnipotentis*, h. e. ut generis humani mediator, peccata nostra in corpore suo tulerit, 1. Petr. 2 v. 24. atque hinc *grave pondus iræ divinæ*, peccatis nostris debitæ, senserit, *Matth.* 26. v. 37. conquerens se à Deo derelictum, *Matth* 27. v. 46. Annúm verò hoc est *pati*? Gerhard. in Harm. Evang. de Christ. pass. p. 754. seq.

III. Nec *Maria*, nec ullus alius *Sanctus*, in opere *redemptionis & satisfactionis pro peccatis nostris*, Christo cooperatus est: Christus enim *solus torcular calcavit*.

Papistæ excipiunt 1. non fuisse quidem *virum* cum Christo, quando torcular calcavit, sed *mulierem* unà cum ipso fuisse, quæ omnia vulnera, quæ ipse suscepit in *corpore*, susceperit in *corde*. Mariale l. 1. c. 5. edit. Argent. ann 1493.

℟. Effugium hoc nullum est: (1.) enim exclusiva μονώτης omnium omnino hominum cooperationem excludit. (2.) *Arias*, verba hæc, *& non vir mecum*, ita interpretatur: *Et non est quisquam mecum*, h. e *nemo hominum* me adjuvit; in quo sensu *distributivo* איש quoque accipitur, *Psal.* 1. v. 1. ubi *mulier* includitur.

2. Christum quidem *solum esse redemptorem propriè*, Sanctos verò redemptores nostros *largô modô*, ut qui solverint pro nobis debitum parvi momenti. *Bellarm.* de Indulg. p. 33.

℟. Christus in hoc officio satisfactionis *unicè* designatur redemptor, adeò ut nemo fuerit, qui ipsum adjuverit, v. 5. neque in ullo alio salus sit. *Actor.* 4. v. 12. ideoque in officio illo *nemo extra Christum* dici potest redemptor, sive *propriè*, sive *largè*. Solus enim Christus nos ex captivitate Satanæ liberavit, & justitiæ divinæ pro universo debito, sive *magno* sive *parvo*, satisfecit.

3. Satisfactionem *Christi*, & *Sanctorum* non esse opponenda; cùm *ipsorum* opera omnem vim satisfaciendi & merendi à *Christi* satisfactione accipiant.

℟. Nugæ hæ sunt. Nam (1.) Scriptura *hunc usum meriti Christi* planè ignorat. (2.) Sequeretur, *Christi satisfactionem fuisse imperfectam*, cum opus habeat *additamentô meritorum alienorum*. (3.) In *propria causa* Sancti essent mediatores, si ipsorum opera forent satisfactoria, non tantùm pro *suis*, sed etiam *aliorum* debitis. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 1509. *Meisner.* dec. 3. Anthrop. sacr. disp. 4. thes. 171. p. 193. seq. *Gerhard.* l. c.

III *Chamier* tom. 2. Panstr. l. 5. c. 21. §. 6. p. 99. arbitratur, locum hunc non pertinere ad *Christi passionem*, cum agatur de *furore ejus, cujus vestimenta rubra sunt*: at eum furorem in *Christo* nullum fuisse, *primo quidem adventu*.

℟. Nomine *furoris* hîc *zelus divinus* notatur; quo Christus incitatus, opus redemptionis suscepit, & feliciter perégit: fatemur enim, *furorem* in Christo *propriè* nullum fuisse; *primo* quidem adventu.

Instat 1. *Paræus* in Calvin. Orthod. hunc victorem dici calcantem hostes in ira *sua*, cum tamen Christus hostes calcaverit in ira, non *sua*, sed *Dei Patris*.

℟. Quasi verò contra hostes illos non *eadem sit & Patris & Filii ira*: nam & irâ *Patris*, & irâ *Christi* calcantur hostes.

2. *Chamier* l. c. rubra esse vestimenta sangvine, non *ejus, cujus erant*; sed eorum, *qui erant conculcati*: in passione autem sua Christum habuisse vestem conspersam *suo*, non *alieno* sangvine.

℟. (1.) In Hebræo non habetur *sangvis*, hostibus calcatis attributus; sed נֵצַח, quod, *Buxtorfio* in Lex Hebr. p. 477. interprete, significat *robur*: unde Lutherus reddit, das Vermügen. (2.) Etsi verò *sangvis hostium* hîc legeretur, nihil tamen efficeret Adversarius. Quemadmodū enim Christus *sua* morte nostram deglutivit mortē: sic *suum* fundendo sanguinē, hostes nostros ita calcavit, ut illorum *quasi sangvine* (loquendo κατὰ ἀνθρωποπάθειαν, quâ *figurâ* palam hîc utitur Esaias) vicissim aspergeretur. Atque hic Christi sangvis diverso respectu & *hostibus* & *Christo* tribui potest: *illis*, tanquā vulnerum Christi autoribus; *huic*, quatenus ex corpore ejus manavit.

3. *Tarnovius* ibid. illo sangvine vestimenta dici *contaminata*, Christum verò sanguine *suo* non *contaminare* nos, sed *mundare*.

℟. Continuatur comparatio: at in comparationibus non necesse est, *singulas partes* exquisitè congruere; sed satis est, si in *scopo & præcipuis membris* collatio respondeat. Est autem hoc loco sumpta comparatio à *præliis externis*, in quibus victores non rarò *hostium cæsorum sangvine fœdantur*: Ita Christus, *peccata nostra suscipiendo*, seipsum contaminavit; est enim pro *piaculo & maledicto* habitus, *Esa.* 53. v. 4. *Gal.* 3. v. 13. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 781. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 799. *Döling.* de Antichrist. l. 3. c. 40. p. 448. seq.

Vers. 4. *Dies enim vindictæ in corde meo, & annus redemptionis meæ venit.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: nam *cor* pro *animo* est. (2.) *Synecdoche partis pro toto*: quia *annus* pro *tempore* ponitur. *Inn.* in Not. ad h. l. pag. 692. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 17. m. 5 p. 464.

II. *Tarnovius* in Exerc. Bibl. p 132. sentit, non agi hîc de Christo *patiente*, ut *qui vindictam de terrenis hostibus suis sumpserit*.

℟. (1.) *Hostes hi* non sunt *terreni*, sed *spirituales*, ut peccatum, Diabolus, mors, infernus: hi enim sunt *principaliter* illi hostes, de quibus Christus vindictam sumpsit, *Ose.* 13. v. 14. (2.) Esaias ait, *annum redemptionis venisse*, quo ipso notatur adventus Christi in carnem, *redemptioni generis humani* divinitus destinatus, *Gal.* 4. v. 4. quæ Christi sangvine effuso peracta est, *Actor.* 20. vers. 28.

*Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 781. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 797.

Vers. 5. *Circumspexi, & non erat auxiliator; quæsivi, & non fuit qui adjuvaret: & salvavit mihi brachium meum, & excandescentia mea ipsa fulcivit me.*

I. Argumentum nostratium, pro *exclusione Sanctorum in opere Christi mediatorio*, vide ab exceptionibus *Papisticis* vindicatum in Vindic. *Esa.* 63. v. 3. m. 3.

II. *Tarnovius* l. c. statuit, non agi hîc de Christo *patiente*, cum in passione sua Christus non tam *suâ excandescentiâ se fulciverit*, quàm *Patris iram senserit*.

℞. (1.) Hebræum חֵמָה, *Aria* interprete, significat *æstum*, à חָמַם *æstuavit, incaluit*; quo *zelus* redimendi genus humanum notatur: nam eo inflam̃atus Christus *spiritualem* hanc inivit pugnam. (2.) Utrumque de Christo *patiente* verum est, nempe ipsum *Patris iram sensisse*, seque *potentiâ suâ atque zelô fulcivisse*, ne tanto sub onere succumberet. *Arcular.* in Comm. Esa. p. 798.

Vers. 6. *Conculcavi populos in furore meo, & inebriavi eos indignatione mea, & in terram dejeci virtutem eorum.*

*Tarnovius* ibid. instat, non esse sermonem hoc loco de Christo *patiente*, quòd *populos* conculcâsse is dicatur, i. e. hostes *terrenos*, quos in terram dejecerit.

℞. (1.) Hebræum נֵצַח notat res *collectivas*, ut *Prov.* 30. v. 25. *Joel.* 2. v. 2. annotante *Buxtorffio* in Lexic. Hebr. p. 556. videlicet *colluviem hostium spiritualium*, quos in passione sua Christus vicit. (2.) Non sequitur, *hostes esse terrenos, quos Christus in terram dejecit*. Nam & *Diabolus cum Angelis suis* dejectus dicitur in terram, *Apoc.* 12. v. 9. quis verò negaret, *ipsos esse hostes spirituales*? (3.) Phrasi illa notatur, Christum *prostravisse omnem hostium potentiam*; id quod etiam *spiritualibus* hostibus obtingere potest. *Osiand.* in Paraphr. Bibl. tom. 2. pag. 128. seq.

Vers. 8. *Dixit Jehovah: verè populus meus est, filii non mendaces; & factus est Salvator.*

Esaias sibi contradicere videtur; hîc enim Israelitas vocat filios Dei *non mendaces*; at c. 30. v. 9. eos vocat *mendaces* Dei filios.

℞. Nulla utrobique est pugna. Nam (1.) non de *iisdem*, sed de *diversis* subjectis loquitur Esaias: siquidem c. 30. v. 9. loquitur de *Judæis sui temporis*, ut ex v. 10. patet; at c. 63. v. 8. de *Israeliticis antiquioribus*. (2.) In Hebræo Israelitæ non dicuntur filij *non mendaces*, sed, *Aria* interprete, filii, *qui non mentientur*. Quasi dicat Deus: *Non erunt tam impii atque impudentes, ut degenerent à me*; id quod *humanitus* dictum, *Jun.* in Schol. Bibl. h. l. p. 692. n. 19.

Vers. 9. & 10. *Angelus faciei ejus salvavit eos, &c. & irasci fecerunt Spiritum Sanctum ejus, &c.*

I. *In una essentia divina sunt tres personæ*: nempe *Jehovah* Pater, *Angelus faciei ejus* Filius, *Spiritus Sanctus ejus*; quarum una ab altera *realiter* distinguitur notâ *personali*, EJUS.

*Smalcius* contr. Franz. p. 13. seq. excipit 1. exinde probari non posse, *Angelum faciei Jehova* esse *Filium Dei*, sed potiùs sermonem esse de *uno ex Angelis Jehovæ, qui solent in oculos illius stare, expectãtes, quid jubeat*. Rationem dat *Enjedinus* in Explic. locor. V. & N. T. hanc, quia nullibi in V. T. *Messias* fuerit vocatus *Angelus*.

℞. (1.) Nomine *Angeli faciei Jehova* non potest intelligi *creatus aliquis Angelus*, cum *illi ipsi* Esaias opera tribuat *merè & verè divina*, videlicet *salvare, redimere, portare populum Israel.* v. 9. at nullus afferri potest Scripturæ locus, in quo *creati Angeli* dicantur *Angeli faciei Jehova*, qui *salvent, redimant*, & *portent populum Israel.* (2.) Ex iisdem operibus, quæ *huic Angelo* tribuuntur, palam constat, *illum ipsum esse Filium Dei*: est enim יֵשׁוּעַ, *Salvator*, Matth. 1. v. 21. & גֹּאֵל, *redẽptor*, 1. Petr. 1. v. 18. seq. *portásque omnia verbô potentiæ suæ*, Hebr. 1. v. 3. (3.) *Messias* omnino in Scripturis V. T. vocatus fuit *Angelus*: nam *Mal.* 3. v. 1. *Angelus fœderis* vocatur ille, cujus præcursor Johannes prædicatur, *Matth.* 11. v. 10. Hoc autem loco dicitur *Angelus faciei Jehova*, tum quia est εἰκὼν ἀοράτου Θεοῦ, *substantialis imago Patris*, Coloss. 1. v. 15. per quem Patrem cognoscimus, sicut per *faciem* cognoscere hominem solemus, *Johan.* 14. v. 9. seq. tum quia est ille, qui visibili specie, columnâ scil. nubis & ignis, Israelitas in deserto duxit, & *faciem Jehova quasi conspicuam populo fecit*, ut ex *Exod.* 23. v. 20. patet, id quod *Jehova* ipsi adscribitur, *Exod.* 14. v. 24.

2. Etiamsi is *Angelus esset Christus, Dei Filius*; ipsum tamen non *eundem esse Deum, qui Pater est*, cùm esse *Angelum faciei Dei* procul dubio aliquid *longè minùs* denotet.

℞. (1.) Plus infert Adversarius, quàm debebat: hoc enim tantùm sequitur, Angelum illum faciei esse *aliam personam* à Patre mittente, quia mittens & missus sunt distinctæ personæ; nequaquam verò inferri potest, Angelum illum faciei esse *alium Deum*. Negari enim non potest, loqui Esaiam de illo Angelo, *qui apparuit Mosi in rubo*, Exod. 3. v. 2. is verò Angelus est *verus Deus*, quia in *illius nomine Moses moribundus benedixit tribui Joseph*, Deut. 33. v. 16. (2.) Missio quidem *authoritativa* pugnat cum essentiæ unitate (est enim *inferioris à superiori*) sed non *dispensativa*, quippe quæ est *æqualis ab æquali*. Nec potest Smalcius hoc negare, cùm & ipse cum sociis suis videri velit Patris & Filii æqualitatem ratione *honoris & dignitatis* asserere, atque interim negare nequeat, Filium à Patre in mundo esse missum. Non igitur hæc est catholica propositio, quòd *semper legatus sit minor legante*.

3. Ex operibus illis, *Angelo faciei Jehova* attributis, non posse colligi, *ipsum esse Deum*: Quid enim (inquit p. 15.) usitatius est in sacris literis eo, quòd aliquid jam *Deo* tribuitur, jam *aliis*, per quos aliquid efficit Deus, *diverso* scilicet respectu, & *diversa* ratione.

℞. Hoc quidem concedimus de effectis, *diversa ratione* consideratis; ut *Deus* educit populum ex Ægypto, & *Moses* educit eundem ex Ægypto: *ille* faciens mira, & cogens Ægyptios dimittere populum, *hic* pronunciando mira & voluntatem Domini. At in nostro exemplo, *Angelus faciei Jehova* conjungitur *æqualiter* cum vero Deo in operibus *merè divinis*, tanquam causa *principalis*: ideoque *Angelum illum* necesse est esse cum Patre *eundem verum Deum*.

4. Ex hoc loco probari non posse, *Spiritum Sanctum esse personam* à Patre distinctam.

℞. Utique exinde probari potest: nam (1.) eo ipso, quo Spiritus Sanctus dicitur esse *Spiritus Dei*, distingvitur à *Deo*, non quidem *essentialiter*, ideoque *personaliter*. (2.) Spiritui Sancto *propria personæ propriè* tribuuntur: siquidem in eo Esaias *invocat*, eundemque *Israelitæ exacerbârunt*, adeò ut

*contra eos pugnaret*, v. 10. quæ omnia *personæ* sunt propria.

5. Ex eo, quòd Spiritus Sanctus *Dei* vel *Jehova* Spiritus appellatur, necessario concludi posse, eum non esse *eundem Deum*, cujus Spiritus est.

℞. Apostata ludit æquivocatione in voce *Deus*, quæ interdum sumitur οὐσιωδῶς, interdum verò ὑποστατικῶς. Cum igitur Spiritus Sanctus *Dei Spiritus* dicitur; nomen *Dei* non οὐσιωδῶς, sed ὑποστατικῶς accipitur & rectè inde infertur, Spiritum Sanctum non esse *eandem personam Patris*; non verò, eundem non esse *unum cum Patre Deum*. Et qua fronte negare poterit Smalcius, *Spiritum Sanctum esse eundem cum Patre Deum*, cum Spiritum Sanctum Photiniani appellent *Dei virtutem*, ac negent ipsum esse *creaturam*. Ergo Spiritus Sanctus secundùm rem est *idem cum Deo*, & *ipse Creator*; cum inter Deum & creaturam nihil detur, adeò ut, quicquid est, aut sit *Deus*, aut *creatura*.

4. Probari non posse, per vocem *Jehovah* Deum *Patrem* significari, cum ex mente Trinitariorum *Jehovah* plerumque sit alius, quàm *Deus Pater*, id est, Deus ille *trinus & unus*; cujus Spiritus qui est, cum non posse esse Deum illum *trinum & unum*.

℞. (1.) Hoc loco *Jehovah* necessariò accipitur *personaliter*, quia opponitur reliquis *personis*. (2.) Vidit Smalcius ipse, hanc suam exceptionem esse ex *particularibus* desumptam, quæ nihil concludunt; unde ascribit vocabulum PLERUMQUE. (3) Spiritus Sanctus non est aut dicitur Spiritus *Trinitatis*, sed *Patris*: unde nec est *Trinitas*, sed *persona in Trinitate*.

7. Neque exinde probari posse, *hos tres* (Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum) *esse unam Dei essentiam*.

℞. Trium horum vera *divinitas* antea probata fuit ex attributis *verè divinis*, quæ Patri, Filio ac Spiritui Sancto competunt: unde firmiter concluditur, *hos tres esse unam Dei essentiam*, quia *unus numerô Deus* est. *Franz*. disp. 1. Vindic. contra Smalc. thes. 115.-131. & in Schol. Sacrif. disp. 14. thes. 132.-141. *Gerhard*. in Exeg. loc. 3. de SS. Trinit. §. 142.-146. p. 1075.-1080. *Jacob. Martin*. l. 2. de trib. Eloh. c. 20. p. 136.-147. *Thumm*. in ἀποδείξ. SS. Trinit. p. 50. 63. seq. *Stegm*. in Antiphotin. disp. 4. q. 3. arg. 1. p. 41. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 103.

II. Ἄθεοι inficias eunt, *DEUM semper esse beatum*, quòd dicatur *ab hominibus dolore affici*.

℞. Hoc de *Deo* intelligendum est, non *propriè*, secundùm *affectum*; internus enim *dolor* in Deo non est: verùm *metaphoricè*, secundùm *effectum*, dum peccatores, à quibus offenditur, substractâ suâ gratiâ, severè Deus punit. Itaque sensus est: Israelitæ talia contra propriam conscientiã perpetrârunt, ut Spiritus Sanctus meritò *gratiâ suâ eos deseruerit ac puniverit*. *Gravver*. Cent. 1. qq. Illustr. Theol. disp. 1. q. 10. thes. 4. *Gerhard*. in Exeg. loc. 2. de Deo. §. 311. pag. 914. & *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 118.

Vers. 11. *Recordatus est dierum seculi Mose populi sui*.

I. *Smalcius* in Catech. Racov. pag. 57. autumat, *dies seculi*, Mich. 5. vers. 2. idem notare, quod *dies antiquos*, cum & idipsum hoc loco notent.

℞. Est diversa utriusque loci ratio: siquidem apud *Esaiam* saltem habentur *dies seculi simpliciter*; at apud Micheam, *ante initium, ante dies seculi* junctim. *Illa* phrasi notatur *tempus antiquum*; hac verò *æternitas*, quæ ante omnes creaturas fuit. *Balduin*. in Refut. Catech. Arian. p. 120.

II. *Aben-Ezra* arguit, non ideò vocem *Jehovah* esse nomen *proprium*, quòd non ponatur in forma *regiminis* cum alio substantivo; siquidem nomen proprium מֹשֶׁה construatur cum עַמּוֹ *populi sui*.

℞. Est ἀσύνδετον (κατ' ἔλλειψιν τοῦ ו. ET,) quod *Arias* ita complet: *Recordatus est dierum seculi Moseh, & populi sui*; quale etiam reperitur, v. 10. *Versus est eis in inimicum, ipse pugnavit contra eos*. Ac res ipsa testatur, quòd Esaias non loquatur de populo, qui fuit tempore *Mosis*, is enim inobædiens; sed de *populo antiquiore*. Nullum etiam vestigium constructionis, vel in מֹשֶׁה, vel in toto contextu apparet. Quin imò (·.·) mutandum esset in (..) si esset positum in regimine. *Buxtorff*. lib. 2. Thesaur. c. 3. *Gerhard*. in Exeg. loc. 2. de Deo. §. 33. p. 629. *Glass*. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 7. not. 1. p. 693.

Vers. 16. *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: tu Domine Pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum*.

I. *Synecdoche* est *speciei* pro *genere*: hæc duo enim individua, *Abraham* & *Israel* pro *quibusvis piè defunctis Patribus* seu *Patriarchis* ponuntur. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 2. pag. 448.

II. *Sancti defuncti non nôrunt res nostras in his terris*, ac propterea *pro particularibus nostris necessitatibus sigillatim non orant*: ipsi enim *Desciunt & ignorant nos*.

Obvertit 1. *Salmeron* disp. 8. in 1. Tim. sensum esse, *cum olim Abraham & Israel consuevissent nobis suis precibus opitulari, & pro nobis intercedere, nunc autem ipsos videri nostrûm oblitos, &c*.

℞. (1.) Nihil hic est de *intercessione* Abrahæ & Israelis, sed de *ignorantia* eorum quoad *suos posteros*. Illam verò si *Salmero* ponit tanquam certam, cur disputat? si disputat, cur ponit pro certo? Annon hæc est manifestissima αἴτησις τοῦ ἐν ἀρχῇ. (2.) *Bellarminus* l. 1. de Beat. Sanct. c. 20. resp. ad 3. m. 4. fatetur, *Abrahamum & Israelem post discessum ex hac vita non cognovisse posteros suos, in his terris degentes*: quomodo igitur *pro illis sigillatim intercedere* potuerunt.

2. *Pazmannus* in Hodeg. non dicere Esaiam, Abraham *ignorat* nos, sed *ignoravit*.

℞. (1.) Lingva sancta non attendit illam *differentiam temporis*, ubi *præteritum* pro *præsenti*, & vicissim *præsens* pro *præterito* non rarò ponitur. (2.) Nec aliquod momentum esse potest in *tempore*. Si enim Sancti *olim* rerum nostrarum fuerunt ignari, non video, quomodo *jam* conscij esse possint?

3. *Becanus* de Invoc. Sãct. q. 5. p. 78. §. 48. nihil aliud ex hoc loco posse colligi ab Adversariis (quãtùm ad præsentem quæstionem) quàm quòd *Abraham & Jacob tunc temporis ignoraverint, quid in hac vita gereretur*; id quod, etsi concedatur, non sit contra Papistas, cùm Abraham & Jacob non fuerint tunc in *cælesti gloria*, sed in *Limbo*; nos autem hîc disputare de Sanctis, in *cælesti gloria* existentibus.

℞. (1.) Exceptio hæc nititur falsa hypothesi, quasi *Abraham & Jacob tunc temporis fuerint in Limbo quodam extra cælum*; cum tamen *tunc temporis fuerint in cælo*, *Matth*. 8. v. 11. & *Luc*. 16. v. 23.

(2.) Bec-

(2.) *Becanus* l. c. p. 40. non parum Esaiæ detrahit, quando scribit, *Sanctos* V. T. *in Limbo potuisse habere notitiam & particularium personarum, & particularium necessitatum ipsarum.* Atqui hoc de *Abrahamo & Iacobo* à Propheta expressè hoc loco negatur. (3.) Si *Patres in Limbo nesciverant posterorum suorum statum*, uti affirmat Jesuita; certè unâ liturâ expungenda erunt omnia argumenta, quæ pro *invocatione Sanctorum* è V. T. à Pontificiis proferuntur. (4.) Sic concludimus; *Sancti* V. T. ignorârunt statum viventium in his terris, ergo etiam *Sancti* N. T. eundem ignorant: nam *unus idemque* est animarum piarum, à corporibus separatarum, status in *utroque* Testamento; quia per fidem sectatæ vestigia *Abrahami*, in sinum ejus, qui æternæ beatitudinis & felicitatis locus est, recipiuntur.

4. *Becanus* ibid. Esaiam *incitare Deum in paternam clementiam*, quasi dicat: *Merito confugimus ad te ô Pater cælestis, quia Abraham & Iacob non possunt nos liberare.*

℟. (1.) Propheta non dicit: *Cum Abraham & Iacob nos non possint liberare, ideo ad te confugimus*; sed ita: *Ad te confugimus, quia Abraham & Iacob nos ignorant.* (2.) Becanus ipse *Sanctos defunctos facit impotentes*; cur igitur *eos vendicat opitulatores*, in omnibus necessitatibus invocandos, ut opem ferant?

5. *Bellarminus* l. 1. de Sanctor. beat. c. 20. resp. ad 3. m. 4. *naturaliter* mortuos non scire, quid viventes agant; scire verò res ipsorum, quatenus *à Deo iis manifestantur.*

℟. Inane est hoc subterfugium. Nam (1.) hoc ipsum probandum priùs, quàm asserendum, nempe *Deum Sanctis*, jam in statu beatitudinis constitutis, *revelare res & statum nostrum*: hanc enim hypothesin, quippe omni Scripturarum præsidio destitutam, *simpliciter* negamus. (2.) Ex *antithesi & oppositione* quilibet videt, *absolutè* asseri, quòd *Abraham & Israel* statum viventium in terris ignorent, & *solus Deus* eum sciat. Ergo dici nequit, quòd Abraham & Israel statum viventium ignoraverint *naturaliter*, sciverint verò *supernaturaliter* ex peculiari revelatione. (3.) Accuratè observa, Esaiam in precibus suis propterea à *Sanctis* ad *Deum* sese convertere, quia *ignorant, quæ in terris geruntur.* At si *naturalis* duntaxat notitiæ respectu ea ignorarent, interim ex *divina revelatione* eadem cognita haberent, non esset sufficiens ratio, cur ab *ipsis* ad *Deum* se Propheta converteret. Sufficit enim ad *Sanctorum invocationem*, ex hypothesi *Pontificia*, Sanctos scire, quid in terris agatur, si vel maximè *naturaliter* illud nesciant.

6. *Pistorius* in Hodeg. p. 267. verbum *nescire & ignorare*, hîc non accipi de *notitia*, sed de *affectu*, quasi dictum sit: Abraham *non curat nos*, Israel *non respicit nos*, sed *negligit*, propter *peccata nostra*.

℟. (1.) *Augustinus* lib. de Cur. pro mort. c. 13. locum hunc exponit de cognitione *propriè dicta*, in quam etiam sententiam *Bellarminus* descendit, *priori* non obscurè rejectâ (2.) Undénam scivit Esaias, *Abrahamum non curare populi Dei miserias*, si illas scivit? Hoccine de *Sanctis* cogitare, aut præsumere duntaxat, pium est? (3.) Ex interpretatione illa colligitur, *Abrahamum & Israelem erga posteros suos fuisse duriores & inhumaniores*, quàm *ipsum Deum*, ita ut potiùs ad *hunc* quàm ad *illos* Esaias confugere voluerit; id qood fundamentum *invocationis Sanctorum* subvertit. Nam Pontificii ideo *invocant Sanctos*, quia *illos erga se propensiores sperant, eorundemq; intercessione aditum ad Deum sibi patefieri* existimant. (4.) Rectissimè autem faciunt *Christiani*, qui exemplo *Esaiæ*, sine *Sanctis Mediatoribus*, rectà ad Deum confugiunt, ejusque auxilium implorant, innixi ipsius promissionibus, adeò ut illis ipsis *Mediatoribus* haudquaquam opus habeant. *Hutter.* in LL. Theol. p. 989. & 992. *Balduin.* in Phot ph. l. 13. c. 5. p. 1190. seq *Menzer.* disp. Antipistor. 6. thes. 64.-67. p. 342. seq. *Garth.* de Invoc Sanctor p. 69.-73. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 315. seq. p. 612.-616. & in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 2 p. 595. b. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 8. c. 3. § 39. seq. p. 137.

Vers. 17. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis, indurâsti cor nostrum, ne timeremus te?*

I. *Beza* par. 2. Resp. ad Act. Colloq. Mompelg. p. 180. arguit, *Deũ esse causam peccati*, quòd *errare fecerit Iudæos de viis suis, & induraverit cor eorum, ne timerent se.*

℟. Judæi *causam erroris sui* non refundunt in *ipsum Deum*, quasi *Deus efficaciter operatus esset in ius contumaciam*, aut *impulisset voluntates eorum ad rebellionem*, &c. hoc enim gravissimè refutant *Syracides*, c. 15. v. 11. & 12. & *Sohnius* tom. 2. Oper. pag. 674. sed agnoscunt, *justo Dei Iudicio* Spiritum Sanctum, cui contumaciter restiterunt, v. 10. à se ablatum esse, atque inde se in errores incidisse. Unde *Munsterus* verba Hebræa sic reddidit: *Quare permittis avelli cor nostrum a timore tuo?* Et Tremellius: *Quare sineres aberrare nos, Iehovah, à viis tuis?* Ostendunt igitur, verba *transitiva* apud Hebræos non semper significare *actionem efficacem*, sed sæpe pro subjecta materia *permissive* expoenda esse. Verus itaque sensus est: Quare *concederes* nos aberrare, destituendo scil. nos gratiæ tuæ adjutorio, & Satanæ potestati ob peccata nos tradendo. Confer *Psal.* 81. v. 13. & Act. 14. v. 16. *Chemnit.* par. 1. LL. Theol. loc. de Caus. peccat c. 4. obj. 2. p. 150. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 10. q. 2. obj. 1. p. 219. seq. *Gerhard.* tom. 2. LL. CC. loc. 9. de Provid. § 127. p. 139. *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 11. p. 257.

II. *Budovvetz.* in Gnom. apolog. Horolog. pag. 50. suspicatur, *Deum aliquos absolute velle errare, ut veram salutis viam invenire nequeant*, quòd *eos errare faciat de viis suis, eorundemque cor induret, ne ipsum timeant.*

℟. Nequaquam *Domino causam erroris atque indurationis imputant*, quasi Deus *efficaciter* in ipsis declinationem à via recta operatus sit; sed de *subtractione gratiæ* conqueruntur, quòd Deus miserationes suas, mentem illuminantes, & ad viam rectam ducentes, continuerit, v. 15. idque non ex *absoluto odio*, sed ex *justo judicio*, v. 10. *Hoe* tract. Anti-Calvin. p. 190. 191. seq.

Cap. LXIV. v. 1. *Utinam disrumperes cælos, & descenderes, &c.*

Nonnulli verba hæc habent pro *suspirio veterum, Messiam desiderantium*, ut disrumperet cælos, & descenderet.

℟. Hoc ipsum è textu difficulter probabitur. Nam (1.) ipse etiam Deus *Pater*, qui sanè incarnatus non est, compellatur. (2.) Liberatio potissimùm *temporalis* petitur: neque enim populus exaggerat illam Dei *redemtoris* erga genus humanum misericordiam, sed declarat Dei *liberantis* suum populum ex manu hostium potentiam, uti totus contextus diligenter ponderatus evincit, (3.)

Quando quæso illud, *à facie tua montes defluerent*, v. 1. completum in *Christi incarnatione*? Ita Tarnovius in Exerc. Bibl. p. 81. seq.

Verſ. 4. *A ſeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit Deus abſque te, quæ præpâraſti expectantibus te.*

I. Argumentum *Coſteri*, pro adſtruendo *regimine Sanctorum cælitum in his terris*, vide ſolutum in Vindic. 1. *Cor.* 2. v. 9.

II. *Autor Catechiſmi Racovienſis* vult, nomen *à ſeculo*, Prov. 8. v. 24. idem eſſe, ac *à diebus antiquis*; cùm & hoc loco ita accipiatur.

℞. Negatur id ſequi: nam illud, *à ſeculo*, cum *abſolute de Deo* dicitur, ſine reſpectu ad creaturas, tùm *puram-putam denotat æternitatem*, ut *Pſal.* 90. v. 2. cùm verò de *Deo* dicitur *cum reſpectu ad creaturas*, idem eſt ac, *à diebus antiquis*. Priori modo accipitur, *Prov.* 8. verſ. 24. poſteriori autem *hîc* apud Eſaiam. *Balduin.* in Refut. Catech. Arian. pag. 135. ſeq.

Verſ. 5. *Occurriſti lætanti, & facienti juſtitiam, in viis tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, & peccavimus, &c.*

I. *Hebraiſmus* eſt: Occurriſti *lætanti & facienti* juſtitiam, h. e. *lætanter & libenter* juſtitiam facienti. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 35. p. 346.

II. *Bellarminus* l. 4. de juſtif. c. 20. reſp. ad 4. obj. m. 3. colligit, Eſaiam v. 6. non loqui de *operibus juſtorum*, cum dicit, *juſtitias eſſe quaſi pannum menſtruatæ*; quoniam *ea muneretur*, non autem *ſordes & pannum menſtruatæ*.

℞. Quid tum? Illud ſcire intereſt, utrum ex *juſtitia* an ex *gratia*. Hoc cum non diſtinguat Sophiſta, nihil agit. Si muneret ex *juſtitia rigore*, admiſerim, ea nihil admixtum habere *defectûs*: at ſi ex *gratia*, ſecus. Tum verò juſti de ſuis operibus nō ita judicant, quomodo Deus ex *gratia*. Imò tùm ſe [illegible] ndemnant, cum Deus eos abſolvit. *Cham.* to [illegible]. Panſtr. l. 11. c. 18. §. 2. & 8. p. 174. ſeq.

III. *Bellarminus* ibid. m. 1. argutatur, Eſaiam v. 6. loqui in perſona *hominum ſceleratorum*, quia *Deus iratus eos deſeruerit*, ob peccata inſignia; Deum autem non *iraſci juſtis*, neque *eos deſerere*, verùm *impiis* id obtingere.

℞. (1.) Eſaias non loquitur de ſolis *impiis*: nam ipſe includit ſe eorum numero, qui *iratum Deum agnoſcunt, & peccata ſua confitentur*, teſte *Vulgata Editione* in argumento hujus capitis; id quod *impii*, animô vitam emendandi, non faciunt. (2.) Falſum eſt, *Deum non iraſci juſtis*: ſiquidem ex *Pſal.* 74. v. 1. & *Eſa.* 12. v. 1. conſtat, Deum interdum iraſci *ſuis*, id eſt, *juſtis*. Tantùm diſtinguendum, *iram Dei* aliàs *reprobationis* eſſe, quæ adverſus electos Dei filios nulla eſt unquam; aliàs *correptionis*, quæ *omnibus* communis, non *impiis* tantùm, ſed etiam *juſtis*: utriſque tamen propter peccata. [illegible].) Falſum quoque eſt, *Deum non deſerere juſtos*: contrarium enim liquet ex *Pſal.* 22. v. 2. & *Eſa.* 54. v. 7. Modò *deſertio temporalis* diſcernatur ab *æterna*. *Illa* eſt dilatio auxilij in immiſſa cruce; *hæc* verò omnimoda gratiæ privatio. *Hoc modo* Deus electos ſuos filios nunquam deſerit, ſed *illo* tantùm: ſiquidem eis interdum ad tempus auxilium differt, ut illorum fidem exploret. Et de *illa ipſa deſertione* Prophetam agere, totus loquitur contextus. *Menzer.* diſp. Antipiſt. 5. theſ. 289. pag. 311. *Thumm.* in Explic. termin. de Juſtif. p. 197. 199. ſeq. *Cham.* tom. 3. Panſtr. l. 11. c. 18. §. 2. & 6. p. 174. ſeq.

IV. *Bellarminus* l. 1. de Miſſ. c. 6. putat, *copulativam* ו, *Gen.* 14. v. 18. in *Vulgata editione* rectè fuiſſe redditam per *cauſalem*, enim; cùm & hîc *copulativa* ו apertiſſimè ponatur pro *cauſali* כי: Tu iratus es, *quia* peccavimus.

℞. (1.) *Vulgata, Pagninus & Arias* non *cauſaliter* reddiderunt per *enim*, ſed *copulativè* per ET. (2.) Licèt copulativa hîc *cauſaliter* poſita eſſet, *ibi* tamen ſimiliter fieri, unde probabitur? *Meiſner.* par. 2. Philoſ. ſobr. ſect. 1. cap. 3. q. 5. m. 2. pag. 418.

Verſ. 6. *Facti ſumus ut immundi omnes, & quaſi pannus menſtruatæ univerſa juſtitia noſtra.*

I. *Bona opera juſtorum ſunt impura & imperfecta*: univerſæ enim *juſtorum juſtitiæ* ſunt quaſi *pannus menſtruatæ*, nempe propter *adhærentem peccati immunditiem*.

*Bellarminus* l. 4. de Juſtif. cap. 20. reſp. ad 4. obj. reſpondet: 1. ſine dubio non eſſe Prophetam locutum de *juſtis*, ſed de *inſignibus peccatoribus*, quorum ob ſcelera tradenda eſſet civitas & totus populus in manus Regis Babylonis.

℞. Ultrò damus, non loqui Prophetam de *abſolutè & inhærenter juſtis*, uti nec de *ſceleratis peccatoribus* tantùm; ſed & de *peccatoribus reſipiſcentibus*, h. e. de *juſtis & fidelibus*: Nam (1.) *juſtitias haberè*, proprium eſt hominis *juſti*: juſtitia autem *ſcelera notoria* non admittit coram Deo. (2.) *Deum fiducialiter Patrem ſuum vocare*, v. 8. verè *fidelium* eſt, non autem *ſceleratè impiorum*. (3.) *Remiſſionem peccatorum à Deo petere*, v. 9. è *Pſal.* 32. v. 6. *ſanctorum* eſt omnium nota. (4.) *Bernhardus* ſerm. 5. de Verb. Eſa. & *Dionyſius Carthuſianus à Rikel* in Pſal. 142. verba Prophetæ exponunt de *juſtis*, ne quidem *Ezechia, Hieremia, Eſthera, Judithâ*, &c. exceptis: quia phraſes ſunt apertæ, *omnes nos*, & *Juſtitia noſtra*, id eſt, *Judæorum*. At hoc falſum, ſi excipiuntur *juſti*, eorumque *juſtitia*.

2. Morem eſſe Scripturæ, ut loquatur de *multis*, quaſi de *omnibus*, quem morem hîc Eſaias imitetur.

℞. *Frequentiſſimum* eſſe, non negaverim, ſed eſſe *perpetuum*, nego. Et hoc in loco eſſe, Jeſuita nunquam poterit oſtendere. *Omnes* certè peccaverant, *omnibus* etiam iratus erat Dominus; ideo & *omnes*, nemine excepto, ut immundi facti erant, &c.

3. Etiamſi Eſaias loqueretur de *omnibus*, id eſt, de *toto populo Judaico*; eum tamen non loqui de omnibus pro *omni tempore*, ſed ſolùm pro *eo tempore*, quo tradendi erant propter ſumma ipſorum ſcelera in captivitatem Babylonicam: at non ſequi, ſi *quodam tempore* totus populus fuit malus, ut *omni alio tempore* fuerit malus, & *omnia opera* ipſorum *ſemper* fuerint mala.

℞. (1.) Concedo, loqui Prophetam de *ſuo tempore*, ſed non de ſuo tempore *tantùm*; neque de *ſceleratis tantùm ſui temporis*, verùm etiam de *juſtis*, & quidem cum emphaſi. Nam *juſtitia noſtra* ſignificant, *quicquid in nobis juſtiſſimum eſt*. (2.) *Bernhardus* verba illa applicat *patribus*, in quibus ipſe fuit *Eſaias*; & *Carthuſianus* iis omnibus, *qui ſuas juſtitias allegârunt coram Deo*, quales fuerunt Ezechias, Jeremias, Eſther. Itaque axioma jam

fit

sit universale! *Omnium justorum justitia coram Deo sunt tanquam pannus menstruata.* Aut enim hoc verum *universaliter*, aut omnino falsum de *Esaia, Ezechia, Ieremia, Esthera.* ( .) Demus autem ex hypothesi, Prophetam *tantum de suo tempore* loqui; inde tamen sequeretur, *neminem justorum, adhuc tum superstitum* (nunquam enim tota interit Ecclesia) *illos suis operibus confisum esse*, sed *omnes illos pro immundis se suasque justitias agnovisse, & ad solam Dei misericordiam confugisse.* Atqui nos *illis* non sumus meliores, eodem *Bernhardo* fatente.

4. Non loqui Prophetam de *omnibus operibus*, quasi omnia essent peccata; sed tantùm de *ceremoniis legalibus, sacrificiis, neomeniis*, & similibus, quæ *illi impii* pro *justitiis* habebant: ideo non dicere Esaiam, *omnia opera*, sed *omnes justitias* esse quasi pannum menstruatæ.

℞. (1.) Usus est Propheta vocabulò צִדְקֹת, quod LXX. Interpp. *δικαιοσύνην*, Latinus *justitias* reddidit. Non puto autem ullum locum dari posse, quo eadem hæc vocabula usurpentur pro *ceremoniis*. (2.) *Universaliter* loquuntur Ecclesiæ membra: *Omnes justitiæ nostræ.* Non ergo *ceremoniales* saltem aut *forenses*, sed & *morales* immundas esse fatentur. (3.) Locus præsens à Papistis restringitur ad populum Judaicum, *in captivitate Babylonica jam constitutum*: eundem verò populum in *captivitate & terra peregrinâ* sacrificia Levitica obtulisse, legem ceremonialem observâsse, atque in hisce *justitiam* aliquam quæsivisse, è textu demonstrari non potest. (4.) Si opera quoque *ceremonialia* (quæ tantam perfectionem, sicut *moralia*, non requirunt, atque ob id etiam facilius præstari possunt) erant *imperfecta*, & *variis infirmitatibus contaminata*; quantò minùs impolluta & perfecta erunt opera bona *moralia*?

5. *Alphonsus à Castro* l. 11. contr. Hæres. verb. Opera, hæres. 1. *addit*, loqui Prophetam de justitia *legis*, sine fide in Christum; opera autem *fidei* non esse talia.

℞. (1.) Differentia justitiæ ex *lege*, & ex *fide*, non est in *operibus oppositis*, sed in *operibus* & *gratia*: nimirū quia justitia ex *lege* indicatur tantùm secūdùm *opera*; at justitia ex *fide* secundùm *gratiam*, quæ remittit peccata. Itaque *hæc* potest esse in peccatoribus, *illa* verò non potest. Nos autem nunc disputamus de justitia ex *operibus*: importuna igitur est transitio ad justitiam ex *fide*. (2.) Ex suprà dictis patet, *Carthusianum* aptâsse sententiam hanc *justis* V. T. *Ezechiæ, Hieremiæ, Esthera*; imò & *Bernhardus* operibus *Pauli*, quorum omnium opera erant etiam ipsa ex *fide*: neque enim ij destituebantur fide. Quarè *illorum* idem judi[c]ium cum iis, *quæ fiunt in* N. T.

6. *Costerus* in Enchir. cap. [illegible] pag. 245. ait, *non omnia piorum opera esse immunda*, cum *labores Pauli, passiones Martyrum, jejunia & orationes Sanctorum grata fuerint Deo.*

℞. (1.) Jesuita *ignorat elenchum*: quando enim dicimus, *omnia piorum opera bona esse immunda*, sensus non est, quòd *naturâ suâ* talia sint, sed quòd sint ratione *adjunctæ imperfectionis*, quia non *eâ perf[ecti]one* fiunt, quâ secundùm *legis præscriptum* fieri debebant. (2.) Labores Pauli, passiones Martyrum, jejunia & orationes Sanctorum grata fuerunt Deo, non secùndùm *rigorem justitiæ*, sed ex *gratia*: unde nec *perfecta* fuerunt coram Deo, quemadmodum agnoscit *Paulus*, 1. *Cor.* 4. v. 4.

7. *Schoppius* in Apolog. pro Bellarm. cōtr. Hunn. c. 28. p. 40. quærit, si *adulterium Davidis* fuit *panno menstruato* simile, & si omnes *Davidis justitiæ & obedientiæ* fuerint *panno menstruato* similes, quid inter ista duo diversorum operum genera sit *discriminis*?

℞. Magnum per omnem modum. Nam *adulterium Davidis* est, manetque sordidum & inquinatum opus, sive in foro *divini judicii*, sive in *judicio humanæ sapientiæ* æstimetur: *justitiæ* verò Davidis sunt, manentque bonæ, *ubicunque judicentur*, quamdiu nimirùm abest *opinio meriti*, quæ quàm primùm accedit, rem coram *hominum oculis* etiam pretiosissimam, coram *Deo* reddit non modo sordidam & sordidatam, sed & per omnem modum abominabilem. *Væ enim etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordia discusseris eam*, ait *Augustinus* l. 9. Confess. c. 13. *Balduin.* in Exam. Apolog. Schopp. p. 215. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 20. de Bon. Oper. §. 64. p. 119.-123. *Thumm.* in Explic. term. de justif. p. 197.-102. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 11. c. 18. §. 1. seqq. p. 174. seq. *Meyfart.* in Anticost. p. 490.-494.

II. *Nemo hominum potest facere opera supererogationis*: etenim *universæ eorum justitiæ immundæ sunt*, ideoque *legi divinæ examussim non respondent*; quomodo ergo *plus præstare possunt*, *quam lex requirit*?

*Bellarminus* l. 2. de Monach. c. 13. resp. ad arg. 3. m. 3. inde non confici, *omnia opera peccatoris necessariò esse peccata*, cum Isaias non comparet opera peccatorum *sordibus*, sed *panno sordidato*, in quo sunt partes *nitidæ*, & partes *maculatæ*.

℞. (1.) Non dicimus, *omnia opera hominis peccatoris formaliter esse peccata*, sed *omnem peccatorem, etiamsi justum, peccare in sua justitia*, id est, in *bono opere*, nimirum ob *sordium admixtionem*. (2.) In omni opere bono duo concurrunt: *εὐνομία*, quâ facimus aliquid *secundùm legem*, idque *suò mod[o]* nitidum & bonum est; & *ἀνομία*, quâ non [pl]ane *semper* facimus, nec *debita* perfectione, atque [in]de *sordidum* est, ipsumque opus bonum reddit coram Deo sordidum. Hic autem exhibet nobis Propheta luculentum specimen confessionis *justorum*, qui (ut loquitur *Bernhardus*) non minùs veraciter, quàm humiliter dicunt, *omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruata*. Gerhard. tom. 3. LL. CC. loc. 15. de Leg. Dei, §. 184. p. 293. seq. *Meyfart.* in Anticost. p. 492. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 11. c. 18. §. 8. p. 175.

Vers. 7. *Non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te; nam abscondisti faciem tuam à nobis, & dissolvisti nos in manu iniquitatis nostræ.*

I. In vers[u] hoc habetur (1.) *ἀνθρωποπάθεια*: nam DEUS dicitur *ab hominibus faciem suam abscondere*, h. e. *gratiam denegare, & iratum se exhibere*. (2.) *Pleonasmus*: In *manu iniquitatis nostræ*, h. e. in *iniquitate*, seu *propter iniquitatem nostram*. Glassl. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 149. Confer. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 105.

II. *Bellarminus* l. 4. de justif. cap. 20. resp. ad 4. obj. m. 2. contendit, loqui v. 6. Esaiam in persona *impiorum*, & non in persona *justorum*; quòd is conqueratur, *non esse, qui invocet nomen Domini*: at *justos Deum invocare*.

℞. (1.) N. C. Etenim *de impiis* quidem hic loquitur Esaias, sed non *in persona impiorum*, sed *in persona Ecclesiæ*. (2.) Invocabant sanè *justi* Deum, sed

sed non *soli*: nam etiam *scelerati Iudæi* invocabant, *Esa.* 59. vers. 13. at non *quomodo oportuit invocari.* Itaque *malè* invocabant: alii quidem plus, alii minus malè; sed omnes tamen *minus benè*, quàm oportuit. Et hoc significavit Esaias: quia *justi* nunquam se putant nimis peccata sua exaggerare. *Cham.* tom. 3. Panstr. lib. 11. cap. 18. §. 2. & 7. pag. 175.

Vers. 11. *Domus sanctificationis nostræ, & gloria nostra, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, &c.*

I. Propheta sibi non constare videtur: hic enim asserit, *templum Hierosolymitanum igne exustum esse*; cum tamen id demum *post centum circiter annos contigerit.*

℟. Est *enallage temporis*: cum enim Propheta templi Hierosolymitani exustionem *futuram* in spiritu prævideret, de ea perinde hic loquitur, quasi *jam facta* esset *Arcular.* in Comm Esa. p. 819.

II. Exceptionem *Bellarmini*, quâ probare vult, loqui Esaiam de *tempore captivitatis Babylonicæ*, vide solutam in Vindic. *Esa.* 64. v. 6. m. 1. n. 3.

Vers. 12. *An propter illas continebis te, Domine? silebis & affliges nos usque valdè?*

*Interrogatio* hæc æquipollet *enunciationi negativæ*, q. d. *ne quaso hoc facias, ne irascaris nobis ultra modum.* Deprecantur Judæi omnem omnino DEI iram *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 19. p. 479. seq.

Cap. LXV. v. 1. *Quæsitus sum ab iis, qui non interrogaverant: inventus sum ab iis, qui non quæsierant me.*

Propheta sibi *contradicere* videtur: dicit enim, *Deum a Gentibus fuisse quæsitum*, mox verò subdit, *ipsas Deum non quæsivisse.*

℟. Loquitur Esaias non tam de *re*, quàm de *modo rei.* Quæsiverunt utique Gentiles Deum, quando per *Evangelium* ipsis fuit annunciatus; cùm antea nihil de eo audiverant, ideoque eundem non quæsierant in *verbo*, sed in *idolis*, unde & evanuerunt in cogitationibus suis, *Rom.* 1. vers. 21. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. pag. 131. *Balduin.* in Comm. Rom. c. 10. par. 2. q. 7. p. 682.

Vers. 4. *Qui sedent in sepulcris, & in observatis morantur.*

*Arias Montanus* nũ. 22. inter *idiotismos Hebræa linguæ*, ponit, *participium præteriti nonnunquam actionem finitam & præteritam atque transactam notare*; ut hoc in loco: *In observatis morantur*, id est, *in iis, quæ jam observari desierunt.*

℟. Adductum exemplum regulæ non satis quadrare videtur. Verba enim ex *Hebræo* ita habent: *Sedentes in sepulcris, & in custodiis seu apud custodias pernoctant.* Per *sepulcra* necromantiæ intelligi videntur, de quibus *Deut.* 18. v. 11. *Esa.* 8. v. 19. Per *custodia* verò *idola*, quæ ita per contemptum vocantur, propterea quòd ipsa non custodiunt cultores suos, sed custodibus habent opus, *Esa.* 46. v. 7. contrà quàm se facere Deus prædicat, *Deut.* 32. v. 10. *Chaldæus* vertit: *Et cum cadaveribus hominum pernoctant*; quod R. *Salomo* approbat, addens, *cadavera* ideo vocari *custodita*, quia *ipsa fint quasi tradita in custodiam, ut non possint inde exire*, seu, ut alii, quia *à Necromantis custodiuntur, ut ab iis aliquid sciscitentur.* Aben-Ezra & Kimchi vertunt: *In vastitatibus*, juxta illud, *Esa* 1. v. 8. *Civitas desolata.* Quod si hæc interpretatio accipitur, non ex vi *participii*, sed ipsius *verbi* significatione locus hic explicandus est, & verbum נצר contrarias significationes habet, ut & *custodire*, & *desolare*, q. d. *minimè custodire*, *sed potius distruere*, notet: sicut & alia verba Hebræorum duplicem, eamque contrariam significationem obtinent, ut ex ברך constat, quòd & *benedicere* & *maledicere* significat. *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 4. can. 1. not. 2. pag. 407. seq.

Vers. 5. *Sanctificor te: isti fumus in naso meo, & ignis, &c.*

En (1.) *Ellipsin* particulæ, קְדַשְׁתִּיךָ pro קְדֻשְּׁתִּי מִמְּךָ *sanctior sum te*, ut habet *Arias*, vel ut Chaldæus, *mundus sum præ te.* (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Fumus in naso meo*, i. e. *ad iram provocant me.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 256. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 80.

Vers. 6. *Ecce scriptum est coram me, non tacebo sed reddam, & reddam in sinu eorum.*

Occurrit (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *scriptione*, DEO tributâ, *divina notitia* innuitur, translatione ab *hominibus* ductâ, qui, quæ reminisci volunt, in libro quodam vel charta annotant. (2.) *Metaphora*: quia *in sinum reddi* pro *quavis pænarum retributione* accipitur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 136. & cap. 12. p. 348.

Vers. 11. *Parantes turmæ mensam, & implentes numero libamen.*

*Synecdoche* est *generis pro specie*: nomine enim גד, *turma*, exercitus cælorum; & nomine מני, *numeri*, planetæ intelliguntur, ut qui Deorum locô habebantur olim, & ubique colebantur. *Ariam.* par. 4. Bibl. pag 42. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 9. m. 2. p. 795.

Vers. 12. *Et numerabo vos gladio, & omnes vos cæde corruetis, &c.*

Reperitur hoc loco (1.) *Paronomasia*: nam verbô מָנִיתִי *numerabo*, alluditur ad vocem מְנִי, *numeri*, v. 11. (2.) *Metonymia causæ pro effectu* quia *gladius* pro *cæde* ponitur; ita statim enim explicatur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 257. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 694. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 2. m. 3. p. 525.

Vers. 17. *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor.*

I. Versus hic exhibet (1.) *Metaphoram*: siquidẽ verbo *creandi* exprimitur *tota cœlestis administratio.* (2.) Hebraismum: *Non ascendent super cor*, i. e. *tradentur oblivioni.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 257. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 218.

II. *Papistæ* statuunt, *mundum in extremo die in statum saltem meliorem esse renovandum*, cùm *futurum sit novum cœlum, & nova terra.*

℟. (1.) Nomine *novi cœli* & *nova terra*, propriè non intelliguntur *corporei cœli*, & *corporea terra*, sed metaphoricè *habitaculum beatorum*, Apoc. 21. v. 1. & 2. 3. in quo habitat justitia, 2. *Petr.* 3. v. 13. Quia enim nos nihil præstantius animô concipere possimus, quàm *cœlum*, tot astrorum lampadibus exornatum, ac *terram*, tot arborum & fructuum speciebus decoratam: Scriptura igitur, per συγκατάβασιν nobis condescendens, verbis *hujus* seculi gloriam & felicitatem *futuri* seculi describit, ac duo hujus universi extrema, summum scilicet cælum, ac infimam terram nominat, in typo hujus mundi in quo nunc vivimus, μέλλουσαν illam οἰκουμένην, *Hebr.* 2. vers. 5. in qua æternùm victuri sumus, *utcunque* nobis adumbret. (2.) Non hic sermonem esse de innovatione *pristinè*



cœli,

*cœli*, & *pristina terra*, sed eorum potiùs *essentialem* notari interitum, in aprico est è textu: 1. quia dicuntur cœli *novi*, & terra *nova*; non cœli *renovati*, & terra *renovata*. 2. Cœli *creati*, non *immutati*, & terra *creata*, non *immutata*. 3. Ita ut *priorum* nulla sit futura recordatio. Hæc omnia nullatenus locum haberent, si *alteranda* duntaxat essent cœlum & terra. Alterabuntur & *nostra corpora*, novisque qualitatibus induentur electi: num autem propterea dici potest, *Deum creaturum novos homines, priores esse perituros, & non amplius futuros*? Non potest: quia *iidem* erunt homines, licet glorificati; & *mutatio qualitatum* non subinfert *non-existentiam Totius*. Meisner. par. 1. Philos. sobr. sect. 3. c. 3. q. 4. arg. 5. pag. 797. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 32. de Consumm. secul. §. 63. obj. 7. pag. 436. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Consumm. secul cap. 2. q. 3. obj. 5. pag. 7005. & 7007. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 269.

Vers. 18. *Ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum ejus gaudium*,

Iteratur *Metaphora*: nam sub typo *Ierusalem* regni & *Ecclesiæ Christi gloria* innuitur. Ejus igitur *restauratio*, & tota cœlestis administratio *creationis* voce exprimitur, ad Christi Regis omnipotentiam & fortissimam operationem indicandum. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 218.

Vers. 20. *Puer filius centum annorum morietur, & peccator filius centum annorum maledicetur.*

I. *Hebraismus* est: בֶּן־מֵאָה שָׁנָה, *filius centum annorum*, h. e. *natus centum annos*, quod *justum vitæ spatium* est, & *summa hominis ætas*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 3. p. 834.

II. Propheta sibi non constare videtur, quando hominem 100. annorum vocat *puerum* 100. annorum; cum homo, qui *centum attigit annos*, non sit *puer*.

℞. Per *puerum centum annorum* non intelligitur puer, ratione *ætatis*, sed ratione *insciliæ*, ut qui *puerilem inscitiam & cupiditates juveniles* ad extremā usque senectam retinet, nec toto vitæ tempore didicit ea, quæ ad salutem consequendam necessaria. *Arcular.* Comm. in Esa. p. 838.

Vers. 22. *Secundùm dies ligni vitæ, dies populi mei erunt, opera laborum eorum multiplicabuntur.*

*Iustinus* in Dialog cum Tryph. p. 240. pro *millenario Christi regno*, in his terris ante novissimum diem futuro, urget, *mille annos* in mysterio arcanè hic designari, *quos in Christi regno electi sint peracturi*: eorum enim *dies fore secundùm diem ligni vitæ*, qui sit sicut *mille anni*.

℞. (1.) In *Hebræo* non est nomen *vitæ*, sed *simpliciter* ponitur vox *ligni*, [illegible] intelligitur lignum præstantissimum cedrinum, quod cariem nunquam sentit, sed perpetuò durat. Cum ergo dies electorum [illegible] in, ut *dies ligni*; illud *nunquam finiendam istius felicitatis possessionem*, [illegible] indicat. (2) Propheta non de *terreno* quodam Christi regno, intra spacium *mille annorum* duraturo; sed de *cœlesti* Christi regno [illegible] testibus Petro, 2. *Petr.* 3. v. 13. & [illegible] *Apoc.* 21. v. 1. Unde Propheta, vers. 18. [illegible] ddit: *Gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum in his, quæ ego creo.* Ergo felicitas illa non terminabitur *mille annorum* spacio, sed in *omnem æternitatem* sese exporriget. (3.) In Hebræo habetur numerus *pluralis*, כִּימֵי, secundùm *dies*, qui non satis congruit conjecturæ, quod *uni diei* respondeant mille anni. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. de Consummat. Secul. §. 91. p. 4-8. 479. seq.

Vers. 24. *Antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam.*

I. *Prodicus* olim deliravit, non necesse esse, ut *pii ad Deum preces fundant*, cum *Deus exaudiat eos, antequam clament.*

℞. Negatur id sequi. nam hoc ipsum esset probandum, quòd Deus ideo non sit invocandus, quia promittat, *se piorum preces ope auxilioque suo antevertere velle.* Neque enim Deum *reprobare piorum preces*, sed *ipsis annuere*, statim immediatè subjuncta indicant verba: *Adhuc illis loquentibus ego audiam.* Exinde infertmus *Deum esse invocandum*, quia, nobis adhuc orantibus, velit audire; id quod & Christus promittit, *Ioh.* 16. v. 23. *Hutter.* in LL. Theol. loc. 31. de invocat. c. 1. q. 1. p. 905.

II. Promissio hæc DEI non videtur correspondere eventui: siquidem *Hiob* c. 30. v. [illegible] conqueritur, *se clamare ad Deum, nec tamen se à Deo exaudiri aut respici*; cum tamen Deus promittat, *se pios, etiam antequam clamant, exauditurum, & clamantes respecturum esse.*

℞. Impossibile est mentiri Deum, *Hebr.* 6. 18. ideò vi promissionis divinæ, *preces piorum semper exaudiuntur*, sed diversimodè; Interdum ita exaudit Deus, ut *statim satisfaciat voluntati nostræ*, quando nimirum videt, tempestivam inservire suæ gloriæ, & nostræ utilitati; quemadmodum *Hannæ* petenti dedit filium, 1. *Sam.* 1. v. 20. Regi *Salomonis* sapientiam, 1. *Reg.* 3. v. 11. Interdum *differt auxilium, sed non aufert*, ut nos in precibus ardentiores, opemque suam pluribus manifestiorem reddat, quemadmodum *Iobi & Tobiæ* preces exaudiræ fuerunt. Interdum *negat petita*, quia non videt nobis utile; ut *filiis Zebedæi sessionem ad dextram & sinistram in regno suo*, Matth. 20. vers. 23. Itaque promissio illa non *absolutè*, sed *restrictè* accipienda est, *si petitio sit secundum Dei voluntatem*, 1. Joh. 5. v. 14. *Balduin.* in Comm. 2. Corinth. c. 12. par. 1. q. 4. p. 669. & seq.

Vers. 25. *Lupus & agnus pascentur simul, & leo & bos comedent paleas, & serpentis pulvis panis ejus: non nocebunt neque occident in omnis monte sancto meo, dicit Dominus.*

Contra ovem [illegible] hoc [illegible] rentes, vide in Vindic. *Esa.* c. 11. [illegible] & [illegible] defi[illegible].

Cap. LXVI. v. 1. *Hæc dicit Dominus: Cœlum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum.*

I. *Anthropomorphitæ* delirârunt, *Deum esse corporeum*, cùm *ipsi attribuatur sedes & scabellum.*

℞. *Deo* attribuitur *sedes & scabellum*, non *propriè*, sed κατ' ἀνθρωποπάθειαν, nempe propter *autoritatem*, Flac. Cent. 4. Hist. Magdeb. c. 5. p. 374. *Arcul.* In Comm. Esa. p. 8[illegible] *Gravver.* Cent. 1. qq. Illustr. Theol. disp. 1. q. 4. thes. 5.

II. *Deus est omnipræsens in cœlo enim, tanquam in solio sedens, aliquam tamen suî partem* (ut per dictam ἀνθρωποπάθειαν loqui liceat) *exhibet etiam terra, quæ est scabellum ejus.*

*Vorstius* in Not. ad disp. [illegible] de Deo, p. 233. reponit, istud dictum potiùs *immensitati Dei* restagari, quia hic dicatur *substantialiter* in altissimo illo *cœlo*, tanquam in solio suo residere, sic tamen, ut *virtualiter* etiam se κατ' ἐνέργειαν suam in *terra* versetur.

℞. Non

℟. Non video, qua fronte hoc dicat Vorstius, nam certè *sedens in solio aliquo* non minùs *substantialiter* præsens est *scabello*, utpote ad quod pedes pertingunt, (quiutique ad *substantiam sedentis* pertinent) quàm *substantialiter* præsens est *solio* ipsi. Quo igitur jure Deo Vorstius negat præsentiam *substantialem in terra*, cum tamen ex eadem *sedendi* metaphora pedibus Deus pertingat terram: nequeenim longè abest ab unoquoque nostrûm, *Act.* 17. v. 17. *Scheibler*. l. 2. Oper. Metaphys. c. 3. n. 370. seq. p. 218. & seq.

III. *Thummius* in ταπεινωσ. p. 304. censet, *præsentiam Dei apud creaturas* non necessariò & essentialiter includere *operationem*, quoniam *Deus in solio sedens, pedibusque terram attingens*, nudè sine efficaci operatione, *præsens* introducatur.

℟. Phrasis ista Esaiæ non *nudam Dei adessentiam*, sed *operationem simul efficacem* in cœlo & in terra innuit. Præsentia enim Dei talis proponitur, cujus respectu in cœlo vel è cœlesti suo solio *potenter dominetur*, & in terra hostes ac creaturas sibi ceu scabellum *subigat*; quorum utique neutrum sine *potentissima atque efficacissima operatione* fieri potest. Unde *Augustinus* tom. 4. l. de Essent. divin. p. 971. illud *Dei sedere* exponit per *potenter præsidere* super omnem creaturam rationalem; & *Brentius* tom. 4. Comm. Bibl. pag. 852. Osiand. tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 134. *Chemnitius* lib. de Duab. Christ. natur. c. 7. p. 47. per *impletionem cæli ac terræ*. Theol. Saxon. in Apolog. contr. Tubing. pag. 481. sect. 3. cap. 4. *Feuverborn*. in Κενωσιγρ. sect. 7. c. 2. q. 5. p. 13.

IV. A'θεοι exinde colligunt, *mundum æternum duraturum*, quia *cælum sit Dei sedes, & terra scabellum pedum ejus*, quæ non sint destruenda, *ne Deus privetur sua sede & scabello*.

℟. Negatur illud sequi: neque enim Deus indiget *calo*, ut soliò, aut *terrâ*, tanquam pedum scabellò; cum nec *capiatur cælo*, 1. Reg. 8. vers. 27. nec *mensuretur ullare*, Esa. 40. v. 12. *Brochm*. tom. 2. Syst. Theol. art. de Consumm. secul c. 2. q. 2. obj. 8. p. 7003. seq.

V. *Bellarminus* l. 3. de incarnat. Verb. c. 12. arg. 1. probare conatur, *calum Dei*, in quod Christus ascendit, *esse calum aliquod corporeum*, adeoque *creatum calum*, quia dicatur *Dei sedes, terra opposita*.

℟. (1.) Nec illud inde sequitur: nam *calum* dicitur *sedes Dei* impropriè & ἀνθρωποπαθῶς, quoniam in illo *altissima majestatis suæ signa Deus erexit*, probandum verò erat, *Christum in aspectabile illud calum ascendisse*. (2.) Si *calum*, quod est sedes Dei, est corporeum, utique ipsa etiam *sedes Dei* erit corporea, quin & ille ipse, qui sedet in ea, *Deus*, corporeus erit. (3.) Cœlum *stellatum*, & *terra* opponuntur in Scripturis, ratione *situs*: at *Deus* & terra non *situs* causâ, sed ob dispa... *gloriam*, opponi consueverunt. Quando autem Esaias *calum* vocat *sedem Dei*, loquitur ibi de *visibilium calorum*, aliquando interiturorum, machina. *Hunn*. tom. 1. Oper. Lat. p. 422. *Hutter*. in Loc. Theol. pag. 195. *Brochm*. tom. 1. Syst. Theol. art. de Christ. Servat. c. 1. sect. 16. q. 1. obj. 7. p. 940. & 944.

VI. *Crocius* par. 1. Conversat. Pruten. p. 89. sustinet, *calum Dei non esse ubique*, cum *illud* tanquam *thronum*, Esaias discernat à *terrâ*, veluti *scabello*; alioqui thronus esset in scabello, & scabellum in throno.

℟. Nomine *cæli*, quod hoc loco contradistinguitur *terra*, non intelligitur id cælum, quod est *ipsius Dei proprium habitaculum*: siquidem *illud* in consummatione seculi penitus destruetur, 2. *Petr*. 3. v. 10. *hoc* autem *semper* durabit, sicut & *ab æterno* fuit.

*Zanchius* par. 1. de Oper. sex dier. l. 1. c. 4. pag. 62. instat, Prophetam distinguere inter *Deum*, & *Dei sedem*, quæ *calum*: *hoc* autem non esse ipsum *Deum*, ut qui non possit esse *sedes sui ipsius*.

℟. (1.) Animæ justorum dicuntur esse in *manu Dei*, Sap. 3. v. 1. num autem aliud est *Deus*, & aliud *manus Dei*? Ita 1. *Tim*. 6. v. 16. Apostolus docet, *Deum inhabitare lucem inaccessam*: num verò differunt *Deus*, & *lux illa Dei inaccessa*? (2.) concedimus libenter, *calum illud, quod Dei sedes* à Propheta dicitur, non esse *ipsum Deum*: quia verò Deus semper in *calo* fuit, etiam ante omnium rerum creationem, neque tamen erat *aliquid extra Deum*; certè neque *calum ejus* aliquid à Deo diversum fuisse consequitur. *Meisner*. par. 1. Philos. sobr. sect. 3. c. 4. q. 4. m. 2. art. 1. obj. 3. p. 841. & m. 3. pag. 861. *Brochm*. tom. 2. Syst. Theol. art. de Vit. ætern. cap. 2. q. 3. obj. 3. pag. 7058. & 7060.

VII. *Petrus Martyr* in libr. contr. Gardioer. par. 1. obj. 8. negat, *Christum, ut hominem, esse in S. Cœna*; quoniam *sedes Dei sit calum*, ubi solùm, *Christus homo cum Deo quærendus*.

℟. N. C. Nam licet cælum *stellatum* sit *sedes Dei*, tamen etiam *extra illud* Christus est: ascendit enim *supra omnes calos*, Ephes. 4. vers. 10. Eodem modo Deus in *calo* est, sed non *tantùm*: nam non longè abest ab unoquoque nostrûm, *Actor*. 17. v. 28. Itaque falsum est, Patrem & Christum non esse quærendum, nisi in *calo*. Bellarmin. l. 1. de Euchar. c. 14. resp. ad 1.

Vers. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

I. Propheta repugnare videtur Apostolo: *illo* enim asserit, Deum respicere ad pauperculum; *hic* verò negat, Deum respicere personas, *Rom*. 2. v. 11.

℟. Deus *cor* intuetur, *simplicemque ac candidum animum*; non *personam*, id est, *externam speciem sanctimoniæ*, qualitatem vitæ, operis aut conversationis, 1. *Sam*. 16. v. 7. *Walther*. in Harm. Script. Sacr. p. 312.

II. Argumenta *Bellarmini*, pro *contritionis terrore, liberaque actione*, vide soluta partim in Vindic. *Psal*. 34. v. 19. m. 1. partim in Vindic. *Psal*. 51. v. 19. m. 1.

Vers. 3. *Immolans bovem, interficiens virum: mactans agnum, decervicans canem; offerens munus, sanguinem porci; adolens thus, benedicens idolo: etiam isti elegerunt vias suas, & in abominationibus suis anima eorum complacuit*.

I. Propheta utitur (1.) *Ellipsi* particulæ comparativæ ו, *quasi* interficiens, *quasi* decervicans, *quasi* sanguinem porci, *quasi* benedicens idolo. (2.) *Synecdoche speciei pro genere*: nam *canem* pro *quovis animali, sacrificiis inepto*, ponit. (3.) *Metaphorà*: siquidem *via* notat *vitæ institutum, studia*, &c. *Jun*. in Not. ad h. l. p. 695. Confer *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 376.

II. Fundamentum Nostratium, contra *moralem operum infidelium bonitatem*, vide ab exceptione *Bellarmini* vindicatum in Vindic. *Prov*. 15. v. 8.

III. *Reformati* in Consens. Orthod. de S. Cœn. 8. volunt, *infideles* mixtos fidelibus, in *usu externo*

*terne Sacramenti Cœnæ* pervertere institutionem Christi, atque sic *bonorum ibidem oblatorum* haud fieri participes; sicut & in V. T. non instituto fine sacrificantes, *sacrificium* à Deo præceptum non offerre, sed aliud facere dicantur, ideoque Deo tam gratum fuerit, ac si quis *canem mactaret*.

R. (1.) Propheta loquitur de sacrificiis, quæ *contra ordinationem divinam* Deo offerebant, sicut verba immediatè sequentia testantur. Cum igitur non tantùm quoad *se*, *intus in animo* violaverint ordinaria sacra, sed & *contra expressam institutionem*, alio loco, & alio more, ad imitationem Gentium celebrârint, quàm à Deo instituta erant; ideoque non *Deo* sacrificare, sed *Dæmonius* immolare dicebantur. *Psal.* 106. v. 37. Nos autem loquimur de *legitima externa* celebratione Cœnæ Dominicæ, quæ juxta verba Testamēti ad memoriā mortis Christi celebratur: ut maximè *animo* quorundā prophani sint, *substantiam* tamen Sacramenti hujus integrā manere, etiā sine vera fide eò utentibus, sed illis ad judicium cedere. (2.) Ut maximè de sacrificiis intelligatur, *ab ipso Deo institutis*, & secundùm ipsius verbum *externè* legitimis ritibus celebratis; tamen quia sine *vera fide & vera pœnitentia* celebrabantur, id eam gratum, testatur Propheta, fuisse Deo, ac si quis *canem mactaret*. Nihilominus tamen *sacrificium* erat, quoad *substantialia*, saltem *offerenti* non fuit salutare, sed perniciosum: Sic quoque *externè* legitimum usum servans, secundùm institutionem Christi, Sacramentum integrum est, & permanet, ut maximè *infideli* corde accedenti non modò non prosit, sed ad horribile judicium cedat, 1. *Cor.* 11, v. 29. *Theolog. Wirtemberg.* in Refutat. Consens. Orthod. p. 603. seq.

Vers. 4. *Etiam ego eligam propter indificationes eorum, & formidines eorum adducam eis, eò quod vocavi, & non respondent, &c.*

Ecce (1.) Ἀνταναλάσιν, quâ eadem vox repetitur, diversa tamen significatione: nam v. 3. dixerat Deus, *Etiam illi* בָּחֲרוּ *elegerunt*; jam vers. 4. subdit, *Etiam ego* אֶבְחַר, *eligam*. Priori loco *electio & constitutio* ἐθελοθρησκείας intelligitur; posteriori, αἱ θρησκεῖαι *exquisitarum pœnarum immissio*. (2.) *Metonymiam adjuncti pro subjecto*: nam *formidines* ponuntur pro *rebus, quas formidant homines*, puta *malis imminentibus*. Jun. in Not. ad h. l. p. 695. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 3. p. 529.

Vers. 8. *An parietur terra die una? num nascetur gens vice una? quia parta est, etiam peperit Zion filios suos.*

§. 1. *Terra*, i. e. *populus*, metonymicè. §. 2. Causalis כִּי, *quia*, exponenda est adversativè, *veruntamen*: opponitur enim posterius priori. §. 3. *Zion* h. e. *Ecclesia*, metaphoricè. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 695. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 7. can. 12. not. un. p. 606.

Vers. 9. *Nunquid ego, qui alios parere facio, non generarem, dicit Dominus? Num ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, dicit Dominus?*

Novi quidam *Fanatici* delirârunt, in *certo* post hoc mundi seculo *renatos sanctam, & ab omni peccato immunem sobolem esse progenituros*: quòd *DEUS ipse, qui alios parere facit, sit generaturus*.

R. Dictum hoc ἀπροσδιονύσως allegatur: neque enim inibi sermo est de *carnali* generatione, sed de *spirituali* Sionis parturitione, hoc est, de maximis & admirandis *Ecclesiæ* N. T. *incrementis*, argumentò à *comparatis* sumpto, id est, à *majori ad minus*. quo rem, ut videbatur, impossibilem, divinæ virtuti perfacilem fore demonstrat Dominus. *Arcular.* in comm. Esa. pag. 851. *Gerhard.* par. 2. Dispp. Theol. contr. Fanat. disp. 2. thes. 3. p. 642.

Vers. 11. *Ut sugatis, & saturemini ab ubere consolationum ejus; ut mulgeatis, & delectemini à splendore gloriæ ejus.*

Observa (1.) Causalem לְמַעַן, UT, exponendam esse, *propterea quòd*, atque ita Chaldæus Paraphrastes, בְּדִיל, *propterea quòd* deliciamini &c. (2.) Eleganti *allegoriâ* seu metaphorâ *dulcissimam Evangelii consolationem*, quam in Ecclesia ex verbo Christi hauriunt credentes, *lactationi infantium* conferri. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 7. can. 20. m. 1. p. 625. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 365.

Vers. 12. *Et sugetis. super latus portabimini, & super genua oblectabimini.*

*Metaphora* est. nam *super latus portari*, & *super genua oblectari*, de *spirituali credentium lætitia in regno Christi* dicitur, translatione sumta à *ritu portationis & exhilarationis infantum*, qui super latus matrum portari, & super genua earum oblectari solent. Similem *allegoriam* de *lactatione infantum* cum *dulcissima Evangelii consolatione* collatā, vide evolutam in Vindic. *Esa.* 66. v. 11. m. 2. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. pag. 365. & 381.

Vers. 16. *In igne Dominus judicabit, & in gladio suo omnem carnem.*

*Barradius* tom. 3. Concord. Evang. lib. 9. c. 11. p. 590. autumat, *ignem præcessurum esse judicium extremum, quo justi sint purgandi*; quia *in igne Dominus judicaturus sit*.

R. (1.) Non de *justis tantùm*, sed de *omni carne*, Propheta loquitur. (2.) *Ignis* & *gladius* conjunguntur. Jam vero *gladius* non potest aliter ac *metaphoricè* hoc in loco accipi, pro *ultione Judicis*; ergo etiam *ignis* nomen *metaphoricè* accipiendum, pro *furore*. (3.) Si vel maximè *ignis materialis* hîc indicaretur, inde tamen concludi non posset, *ignem illum præcessurum esse judicium extremum*: Saltem enim Propheta dicit, *Dominum judicaturum esse in igne*. Gerhard. tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. [illegible]0. p. [illegible]5. seq.

Vers. 17. *Sanctificantes se & purificantes se in hortis post unam in medio, comedentes carnem porci, & abominationem & murem, &c.*

Offert se (1.) *Ellipsis* nominis: *Post unam*, scil. *piscinam*, i. e. *insignem & præcipuam*, quæ in loco peculiari est, in medio horti. (2.) *Allegoria*: nam *impietas*, DEO abominabilis, ab *esu animalium immundorum*, & lege DEI prohibitorum, *Levit.* 11. v. 7. & 29 describitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 259. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 20. p. 495.

Vers. 18. *Ego autem, opera eorum, & cogitationes eorum venient ad congregandum omnes gentes, &c.*

Concisa est locutio, וְאָנֹכִי, *ego autem*, quam Latini *ellipticè* efferunt, *de me autem*, vel plenè, *me quod attinet*. Ariasmontanus in Bibl. h. l. p. 43. subaudit verbum, *visitabo*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 259. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. can. 28. p. 98.

Vers. 19. *Omnes gentes & linguæ venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis signum.*

*Cotonus* lib. 3. Instit. Catech. c. 40. exinde probat, *Sacramenta quædam* N. T. *imprimere indelebilem in anima characterem*, quoniam *Deus signum aliquod promittat producere ad omnes gentes.*

℞. (1.) Quasi verò *signum illud* nihil aliud sit, quàm *character hic Sacramentalis*; cum tamen *Bellarminus* l. 2. de Effect. Sacram. c. 20. fateatur, per *hoc signum* intelligi posse signum *crucis*, aut *aliquid aliud*. Et quidem *Veteres* omnes illud ipsum interpretati sunt *signum crucis*, quo signati in Ezechiele non interficiuntur, sed *salvantur*, teste *Glossa Ordinaria* in h. l. Hoc autem non potest intelligi de *charactere*, qui manet etiam in *damnatis*, ex hypothesi Pontificia. (2.) *Emanuel à Sa signum* exponit *vexillum*. Vexillum autem nequit accommodari characteri Sacramentorum: nam *character* singulis apponitur, ut suum sit cuique; at *vexillum* unum omnibus proponitur, (3.) *Cornelius à Lapide* in Comm. h. l. cum adduxisset interpretationem de *charactere*, ejusque autorem *Bellarminum* allegâsset, subjungit: *Alii aptiùs per signum hoc accipiunt charismata Spiritus Sancti, ut linguas igneas datas Apostolis in Pentecoste; his enim signati sunt, &c. hoc signo gentes ad Christum converterunt.* At quid *characteri* cum *linguis igneis* commune? (4.) Aptissimè exponitur de *vexillo Evangelii*, ad quod omnes populi in N. T. congregari debuerunt, ut ex verbis statim sequentibus clarescit, & ex *Esa.* 11. v. 10. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Papist. c. 29. q. 6. obj. 3. pag. 529. seq. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 21. de Sacram. §. 99. p. 690. & in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. pag. 856. arg. 3. *Chem.* tom 4 Panstr. l. 2. c. 13. §. 2. 3. 4. 5. p. 48.

Vers. 21. *Assumam ex eis Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus.*

*Bellarminus* l. 1. de Miss. c. 9. arg. 4. pro *sacrificio Missæ* urget, in N T. esse *sacrificium externum*, quia in N. T. quidam constituantur *Sacerdotes Christi*, quorum officium est *sacrificare*.

℞. (1.) Bellarminus l. 3. de Pontif. Rom. c. 13. & lib. 1. de Miss. c. 17. fatetur, *ministros* N. T. nunquam vocari in Scripturis *Sacerdotes*, videlicet in *speciali* quadam significatione. Ergo etiam non offerunt *sacrificium aliquod externum propriè dictum*, sed ut *Sacerdotum* nomen cum reliquis fidelibus commune habent, ita quoque *sacrificia* cum ipsis habent communia, scilicet *spiritualia*. (2.) Verba Esaiæ non sunt accipienda *propriè & strictè*, aliàs enim sequeretur, adhuc durare *Sacerdotium Leviticum*, idque ex *Gentibus* esse constituendum, quia Propheta dicit. assumendos esse ex *eis* Sacerdotes *Leviticos*, (perperam enim Vulgata Latina legit, *Sacerdotes* ET *Levitas*, quæ copula in fontibus non extat) id quod absurdum: verùm *metaphoricè & figuratè* exponenda de *præconibus Evangelii*, qui Sacerdotibus *Leviticis* erant successuri. Prophetæ enim verbis V. T. vaticinantur de rebus N. T. *Hutter.* de Miss. contr. Bellarm. p. 189. & seq. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. p. 1206. arg. 15.

Vers. 23. *Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.*

*Petrus Cluniacensis* contr. Petrobrus. ex his verbis idem *Missæ sacrificium* extruere conatur, quòd *omnis caro sit adoratura coram facie Domini*, quod fit in *Missa*.

℞. Nihil hîc audis de *oblatione Christi*, per *Sacrificos* faciendâ; sed Esaias loquitur de *adoratione*; quæ absque *Christi oblatione* ab omnibus *fidelibus* peragi potest. *Flac.* in Histor. Magdæb. Cent. 12. c. 5. p. 837.

Vers. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

*Bellarminus* l. 6. de Amiss. grat. & stat. peccat. c. 4. arg. 1. exinde colligit, *parvulos*, sine *Baptismo decedentes*, non puniendos esse pœnâ *sensûs*, id est, non esse passuros pœnam *ignis materialis*; cum nullam passuri sint pœnam ex *morsu vermis*, hoc est, ex *conscientia mali operis animum pungente*; conjungi autem hîc *vermem* cum *igne*,

℞. (1.) Ignem inferni *materialem* futurum, faciliùs dici potest, quàm probari, cùm eo etiam Dæmones torqueantur, *Matth.* 25. v. 41. (2.) Falsum est, parvulos illos, si regno cælorum excludendi, non esse passuros pœnam ex *morsu vermis*: Vermem enim, *Hieronymo* teste in h. l. plerique accipiunt *conscientiam peccati*. Hæc verò cur non conveniat *infantium* animabus? Nam eæ sunt peccatrices: peccatô quidem *originali*, sed *propriê* tamen & *personali*, non autem *alienô*. Quare *vermis* malè definitur conscientia *mali operis*, quæ verba significant duntaxat peccata *actualia*; cum tamen *Veteres* ipsum latiùs explicârint. (3.) Nec sequitur: Infantes damnati nullos sentient morsus conscientiæ, propter peccata *actualia graviora*; ergo *planè nulla* sentient tormenta, cum infernus dicatur *locus tormentorum*, Luc. 16. v. 28. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 23. de Baptism. §. 243. pag. 1237. *Chem.* tom. 3. Panstr. l. 6. cap. 4. §. 4. & 5. pag. 83.

## VINDICIÆ PROPHETIÆ IEREMIÆ.

Cap. I. v. 2. *Quem fuit verbum Domini ad eum, in diebus Iosiæ filii Amon, Regis Iehudæ, in tertio decimo anno regnare ipsum.*

JEremias utitur (1.) Pleonasmo: *Quem ad eum*, h. e. *ad quem*, τῷ *eum* abundante. (2.) *Synecdoche partis* pro *toto*: In *diebus*, i. e. *temporibus*. (3.) *Enallage infinitivi* pro nomine: *Regnare* ipsum, h. e. *regiminis* ipsius, seu *quo regnavit*, ut habet Chaldæus. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 261. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 696. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 26. m. 3. p. 221.

Vers. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te; & antequam exires de vulva, sanctificavi te, & Prophetam in Gentibus dedi te.*

I. *Metonymia* est *causa* pro *effecto*: nam nosse, de DEO usurpatum, *specialem ejus providentiam, amorem & curam paternam* notat. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. pag. 13.

II. R. *Menasseh* in Problem. de Creat. exinde probare nititur, *animas omnes esse in principio mundi creatas, nec habere initium simul cum corpore*, eò quòd DEUS *Ieremiam noverit*, prius-

*priusquam ipsum formaret; & antequam exiret de vulva, eundem sanctificarit.*

℞. Textus hic loquitur de *solo Ieremia*, non verò de *hominibus omnibus*. Itaque ab *unius illius formatione* ad *reliquos omnes* concludere non licet. Nihil verò aliud dicit Jehovah, quàm quòd in formationis processu *animam Ieremiæ peculiari sapientia donaverit*, non secus ac cum *Iohanne Baptista*, egit, *Luc.* 1. v. 15. quæ tamen nullis modis *præexistentiam animarum* evincunt. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. class. 4. obj. 2. p. 709.

III. *Bellarminus* l. 4. de Amiss. grat. & stat. peccat. c. 15. vult, *homines quosdam in ipsa alvo materna à peccato originali fuisse purgatos*; cum *Ieremias fuerit sanctificatus, antequam exiret de utero.*

℞. N. C. Nam Jeremias à Deo in utero materno fuit sanctificatus, non ut *esset sine peccato*, sed ut *esset ministerio verbi aptus atque appositus*. Reinecc. tom. 3. Panopl. c. 15. p. 132.

IV. *Petrus Martyr* in Genes. p. 178. statuit, *infantes fidelium*, etiam ante Baptismi usum, *esse sanctos*, quòd *Ieremias adhuc in utero materno fuerit à Deo sanctificatus.*

℞. (1) Mirum est, Martyrem pro sancta infantum fidelium, etiam ante Baptismi usum, nativitate, exemplum *Jeremiæ* urgere; cum tamen exemplum *Iohannis Baptistæ*, in utero materno fide Messiam recipientis, ut *singulare & miraculosum* rejiciat? (2.) Jeremias dicitur in utero adhuc materno sanctificatus, non quòd *sanctus fuerit naturâ*, sed quòd *ad ministerium verbi fuerit destinatus*, Augustinô Epist. 57. & Bullingerô sup. Jerem. 2. interpretibus. (3.) Nec credo, Martyrem etiam hoc velle, quòd *infantes ante Baptismum ordinentur ministri Ecclesiæ*, propter nativitatem ex sanctis parentibus. *Finck.* tom. 5. Giess. disp. 13. pag. 393. & seq.

V. *Infantes sunt capaces fidei*: nam *Ieremiam sanctificavit Dominus in utero matris.*

*Smalcius* contr. Franz. fol. 161. respondet, quòd *sanctificatus ab utero matris* possit esse aliquis, nempe *Deo*, etiamsi *nulla fide tunc sit præditus*, cùm *sanctificatio* illa nihil sit aliud, quàm immutabilis ad aliquod opus insigne exequendum *separatio & destinatio.*

℞. Etsi hoc non negamus, tamen interea ante nativitatem *magnorum* & *singularium* ingeniorum dona sese exerentia (ut in *Iacobo, Esavo, Pheres, Zera, Iohanne Baptista*) testantur, quòd non sit illa *nuda destinatio*, citra aliquas *speciales operationes divinas*, quales etiam in fide infantum contingunt. Quia igitur Deus Prophetam Jeremiam inde à pueris ita sanctificavit, ut simul *eum custodierit, ne in ejusmodi incideret delicta, unde prophetia ipsius tandem contemni posset*; certè illud sine motu *singulari Spiritus Sancti* fieri non potuit. *Franz.* in Vindic. disp 6. thes. 89. & disp. 11. thes. 45.

VI. *Victorinus Martyr* in c. 11. Apocal. censuit, *Jeremiam nondum mortuum in Paradiso adhuc vivere, ut inde in fine seculi veniat, prædicaturus Gentibus pœnitentiam, & ab Antichristo occidendus*; quoniam *ejus mors non invenitur*, neque *in Gentibus Propheta fuerit*: verbum autem Domini necessariò implendum esse, ut, quod promisit exhibere, *in Gentibus Propheta sit.*

℞. (1.) Hanc *Victorini* opinionem damnat *Hilarius* in Matth. 20. tanquam erroneam. (2.) Neque sequitur, *Ieremiam adhuc vivere*, quòd *ejus mors non invenitur*: nam & *Esaiæ* & aliorum Prophetarum mors in Scripturis non invenitur, nemo tamen statuit, eos adhuc vivere. *Iosephus* l. 10. Antiq. Judaic. c. 11. scribit, *Ieremiam Prophetam ab Haphra Ægypti Rege ad Taphnas lapidibus obrutum fuisse.* (3.) *Sixtus Senensis* lib. 6. Biblioth. Sanct. annot. 346. rectè respondet, oraculum illud divinum, *Prophetam in Gentibus posui te*, non sic accipiendum esse, quasi Deus Jeremiam missurus esset extra Judæam, ad prophetandum & prædicandum, *in regiones Gentium*; sed quòd de *Gentium factis* prophetare deberet: prædixit enim *Assyriorum* victorias adversus Israel, & ipsorum quoque regni excidium. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 58. p. 90. seq.

Vers. 9. *Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo.*

*Textus Hebraicus* V. T. *est in Ecclesia authenticus*: est enim θεόπνευστ☉, h. e. *divinitus inspiratus Prophetis*, ut hoc loco *Ieremiæ.*

*Papistæ* regerunt, id duntaxat ad *vivam vocem*, non autem ad *Scripturam* esse referendum.

℞. Non tantùm ad *vivam vocem* locus iste Propheticus pertinet, sed & ad *scripta*: siquidē Jeremias verba Dei jubetur *scribere in libro*, Jerem. 30. v. 2. & c. 36. v. 2. *Chem.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 4. §. 5. seq. p. 210.

Vers. 10. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.*

I. Verba hæc exhibent (1.) *Metaphoram*: quia *plantare* accipitur pro *benedicere & felicitate donare*, sicut è contrario *evellere* pro *benedictionem auferre & punire.* (2.) *Hebraismum*: Ut *evellas & plantes*, h. e. ut *aliis ruinam*, aliis *incolumitatem prædicatione verbi à me testatam facias*; Ubi *Propheta*, DEI administer id dicitur facere, quod *Deus* verbò ipsius prædicit & præstat. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 697. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 15. p. 268. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 290.

II. *Carerius* lib. 1. de Potest. Rom. Pontif. c. 3. p. 104. num. 16. nugatur, *Pontificem Romanum habere potestatem temporalem in Reges, eos puniendi & exauctorandi, si mali fuerint*; quia hoc (*Ecce constitui te super gentes & regna*, &c.) Propheta Jeremias in persona *Christi* ad *Romanum Pontificem* locutus fuerit.

℞. Verba Prophetæ nihil fastûs hujusmodi sonant. Etenim (1.) illa concernunt in individuo *Ieremiam*, non *Pontificem Romanum*: aut si hoc, probet Carerius. (2.) *Evulsio illa & plantatio* fieri debebat *gladio oris*, non *ore gladii*: siquidem, *Bernhardo* teste lib. 2. Consid. ad Eugen. verba Prophetæ *ministerium verbi* sonant, non *dominium politicum in regna & Reges.* (3.) Neque *practice realis* evulsio ac plantatio Prophetæ mandatur, ut *ipse vi pœnas temporales exigat*; sed *verbalis* duntaxat, nempe ut aliis salutem, aliis ruinam *denunciet*: sicut passim in Scriptura *ministri Dei* dicuntur *facere*, quod Deus verbo ipsorum prædicit & præstat, ut videre est ex *Exod.* 7. v. 17. *Esa.* 6. v. 10. &c. *Höpfner.* in Saxon. Evangel. contr. Cutsem. Sect. 2. par. 2. c. 3 p. 250 seqq.

Vers. 12. *Et dixit Dominus ad me: Bonificâsti videndo, quia amygdalabo super verbum meum, ad faciendum illud.*

Offert se (1.) *Hebraismus*: הֵיטַבְתָּ לִרְאוֹת, *bonificâsti videndo*, i. e. *bene vidisti*, seu *videndo exactè judi-*

*judicasti.* (2.) *Paronomasia*: nam v. 11. Jeremias dixerat, se vidisse baculum שָׁקֵד, *amygdali*; ad quod alludit Dominus, dicens, שֹׁקֵד *amygdalabo* (ut ita vertere liceat verbum ex conjugato nomine) h.e. *maturabo* verbum meum exequendi, ut *cito amygdalus floret*, q. d. celeriter, & priusquam putant, vindictam sumam de populo meo. Jam enim maturi erant pœnis immittendis. De *amygdalo* ex Plin. lib. 6. Histor. natur. c. 25. constat, quòd *hyeme concipiat, exoriente Aquila, floreat prima omnium mense Ianuario, Martio verò pomum maturet*: unde illam à *maturandi celeritate* Hebræi nominarunt. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 263. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 697. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 36. p. 348. & lib. 5. tract. 2. cap. 2. pag. 523. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. art. 1. class. 2. n. 2. p. 706. seq.

Vers. 13. *Ollam succensam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis.*

*Papistæ*, ad sufflandum suum *Purgatorium*, urgent, Jeremiam vidisse *ollam succensam à facie Aquilonis*: at *hanc ollam esse Purgatorium.*

℞. (1.) In *Hebræo* non est, *olla succensa*, sed *olla ebulliens*, ut notat *Arias* in margine hujus loci, & in textu interlineari vocem, נָפוּחַ, vertit, *exsufflatam*, à radice, נָפַח, *efflavit*, (2.) Nomine *ollæ ebullientis*, non *Purgatorium*, sed *Babylon* intelligitur, ubi Judæi, quibus Babylonii erant Aquilonares, excruciandi forent; id quod patet tum ex v. 14. tum ex *Ezech.* 11. v. 3. & 7. quod ipsum *Hieronymus*, *Theodoretus*, & *Lyranus* in Jerem. asseverant. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. §. 244. obj. 8. p. 451. *Thumm.* de Purgat. p. 115. seq. *Scharp.* tom. 2. Curs. Theol. p. 2011. obj. 16.

Cap. II. v. 3. *Sanctitas fuit Israel Domino, primitiæ proventus ejus: quotquot comedebant illum, rei efficiebantur, &c.*

*Metaphora* est. Nam (1.) *Iudæorum populus* dicuntur *primitiæ proventûs Domini*, h. e. *consecratus ipsi & selectus ex omnibus mundi populis*, ut *primitiæ* ex omnibus fructibus agri sunt sanctæ Domino. (2.) Quemadmodum, qui primitias DEO oblatas, & sacrum proventum intervertit, reus est, & pœnas luit, ex lege *Levit.* 5. v. 15. ita rei peracti sunt, & pœnas pependerunt inimici populi Israelis; ut *Ægyptus*, *Amalekita*, *Sihon*, *Og*, *Midianita*, *Chananæi* &c. qui sanctas illas DEI primitias *comederunt*, h.e. populum ejus *perdere ac pessundare* non sunt veriti. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 697. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 13. p. 430.

Vers. 5. *Ambulaverunt patres vestri post vanitatem, &c.*

*Metonymia* est *adjuncti pro subjecto*: Post הַהֶבֶל *vanitatem*, h.e. *vanissima idola*. Chaldæus: טָעֲוָתָא, *idola ipsa*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 263. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 51.

Vers. 8. *Prophetæ prophetârunt per Baal, & post non proderunt, ambulaverunt.*

En (1.) *Ellipsin* antecedentis & relativi: *Et post* (idola, quæ) *non* &c. (2.) *Enallagen* temporis futuri, *proderunt*, pro præterito, *profuerunt*, i. e. *inutilia*. (3.) *Metaphoram*: quia *ambulare de vita actionibus* usurpatur. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 45. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 23. p. 215. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 376.

Vers. 11. *An mutavit gens Deos, quamvis ipsi non sint Dii: & populus meus mutavit gloriam suam in non proderit.*

I. In versu hoc videre est (1.) *Pleonasmum*: nam verbo, הֵימִיר, *mutavit*, jod per Epenthesin insertum est & abundat, ut sit pro הֵמִר. (2.) *Ellipsin* antecedentis & relativi: (*In* idolum, quod) *non prodest*, seu *idolum inutile*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 23. p. 215. & tract. 3. can. 31. p. 334.

II. *Porchetus* in Victor. advers. Judæ. c. 15. accusat *Iudæos*, quòd *Scripturam* V. T. *alicubi mutaverint*, ut hoc in loco, *suam* pro *meam*.

℞. Nulla hîc est mutatio: non tantùm enim *Hebræi* Codices constanter legunt, *suam*; sed & LXX. Interpretes ac *Latina* Editio. Unde igitur *Porchetus* habet, pronomen, *meam*, mutatum esse in, *suam*? Quin imò nulla mutatione fuit opus, cum per כְּבוֹדוֹ, *gloriam suam* (populi Israelitici) æquè *verus Israelis Deus* intelligatur, ac si כְּבוֹדִי, *gloria mea*, esset scriptum. Sensus enim est: *Gloriam suam*, i.e. *Deum verum, in quo gloriari poterat*. Vatablo interprete in Annot. h.l. p. 263. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. par. 2. sect. 1. art. 2. obj. 13. p. 53. seq. & sect. 2. obj. 65. p. 155. Cham. tom. 1. Panstr. l. 12. c. 11. §. 2. & 18. p. 216. seq.

III. Quidam ex *Eusebio* lib. 10. Demonstrat. Evangel. c. 5. suspicantur, vaticinium illud de *emto agro, ex precio proditionis Iudæ dato*, (cujus mentio *Matth.* 27. v. 9. habetur) *malitiâ Iudæorum ex textu Hebræo sublatum esse*, cum olim in *hoc Jeremiæ loco* extiterit.

℞. Vana est suspicio: Matthæus enim respicit partim ad *Jerem.* 32. partim ad *Zachar.* 11. Nulla ergo hic textûs depravatio. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. post obj. 82. m. 6. pag. 174. & tract. 2. par. 2. sect. 2. circ. obj. 3. p. 221. & 224.

Vers. 13. *Nam duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquarum viventium, ad effodiendum sibi cisternas, cisternas fractas, quæ non continebunt aquas.*

I. Occurrit (1.) Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim dicitur מְקוֹר, *fons aquarum viventium*, quia *omnis vitæ & refectionis*, tum in hac, tum in altera vita, autor est indeficiens. (2.) *Metaphora*: tum quia *aquæ viventes* pro *jugiter scaturientibus fluentibusque* usurpantur, tum quia *cisternæ fractæ* (ex quibus ruptis aqua egreditur, sicut ingressa est, & fallit opinionem hominû, aquas desiderantium) *idololatriam*, & *peccatorum quorumvis sentinam* denotant, ac opponuntur DEO *fonti perenni aquarum viventium*. (3.) *Enallage temporis* futuri, *continebunt*, pro præsenti, *continent*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 45. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 182. cap. 10. pag. 263. seq. cap. 12. p. 352.

II. *Cajetanus* sensit, *peccatum includere duo mala*, nempe *aversionem a Deo*, quæ sit aliquid *privativum*; & *conversionem ad creaturam*, quæ sit aliquid *positivum*: utrumque autem *malum* esse, Propheta docente. *Becanus* in Theol. Schol. par. 1. tom. 1. tract. 1. c. 5. q. 1. n. 9. p. 98. respondet, Jeremiam non loqui de *aversione & conversione*, quæ sint in *uno peccato*; sed de *duobus peccatis Iudæorum*: alterum est, quòd *legem & cultum veri Dei neglexerint*; alterum, quòd *cultores falsorum Deorum effecti sint.*

Vers. 16. *Etiam filii Noph & Dophna depascent te vertice.*

Ecce (1.) *Hebraismum*: בְּנֵי־נֹף, *filii Noph*, h. e. *Nophi incolæ* seu *Nophæi*. (2.) *Enallagen temporis* futuri, *depascent*, pro præsenti, *depascunt*. (3.) *Prosopopœiam*: *Depascent te verticem*, i.e. *oram tribûs Iudæ meridianam*: nam regio vel populus totus corpori comparatur, ut *Deut.* 33. v. 12. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 698. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. can. 5. m. 4. p. 135.

Verſ. 18. *Et nunc quid tibi in via Ægypti, ad bibendum aquas Sichor? & quid tibi in via Aſſur, ad bibendum aquas fluminis?*

Eſt hic (1.) *Metaphora*: nam *bibere aquas Sichor & fluminis* (Euphratis) Judæi dicuntur, h. e. *in Ægyptiis & Aſſyriis, quorum ea flumina ſunt, fiduciam collocare, & fruitionem, auxilii eorum expetere*; quem ſenſum *Chaldæus* claris verbis exprimit. (2.) *Metonymia adjuncti pro ſubjecto*: quia *flumina*, Sichor, i. e. *Nilus* & *Euphrates*, pro *regionibus accolis*, quas illa perfluunt, ponuntur. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 2. p. 56. & cap. 12. p. 374 ſeq.

Verſ. 20. *Quia à ſeculo fregi jugum tuum, rupi vincula tua, & dixiſti: Non ſerviam; tamen ſuper omnem collem ſublimem, & ſub omni arbore frondoſa tu peragras ſcortans.*

Nota (1.) *Hebraiſmum*: מעולם, *à ſeculo*, i. e. *jam olim*. (2.) *Metaphoram*: quia *jugum* cum *vinculis* notat *ſervitutem & oppreſſionem duriſſimam*; & *ſcortari*, eſt, *idola colere*, Chaldæo interprete. (3.) Ellipſin: *Non ſerviam*, ſcil. *Domino alteri*, idolis. *Exod.* 19. v. 15. *Ieſa.* 24. v. 21. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 264. *Jun.* ibid. p. 698. *Glaſſ.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. c. 11. p. 326. c. 12. p. 383.

Verſ. 21. *Et ego plantaveram te vitem totam ipſam, ſemen veritatis: & quomodo mutata es mihi in ſarmenta vitis alienæ?*

*Metaphora* eſt *vitis benè plantatæ* & *malè corruptæ*, quâ *populus Iſraeliticus* intelligitur, in terram Chanaan introductus, & in populum DEI adſcitus, ut ipſi, in juſtitia & pietate conſtanter ſerviret; verùm degener ille factus eſt, & turpi idololatria atque impietate Deum offendit. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 296.

Verſ. 27. *Dicentes ligno: Pater meus tu; & lapidi: Tu genuiſti me, &c.*

*Metonymia* eſt *materiæ* pro *materiato*: nam *lignum* pro *idolo ligneo*; & *lapis* pro *idolo lapideo* accipitur. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 20. ſeq.

Verſ. 29. *Omnes dereliquiſtis me dicit Dominus.*

*Donatiſtæ*, referente Auguſtino lib. de Unit. Eccleſ. c. 12. finxerūt, *veram Eccleſiam penitus olim defeciſſe*, cum & tempore *Ieremiæ* ipſa dicatur *Dominum dereliquiſſe*.

℞. Querela iſta Prophetica non ita *abſolutè & ſimpliciter*, ſed *ſynecdochicè* eſt intelligenda. Quoniam enim *comparatione* aliqua impiorum ad pios inſtitutâ, tanta *illorum* deprehenditur copia, ut vix *pii* ulli appareant; ideo Scriptura unâ *impiorum* notatione *totum populum* reprehendit, licèt in eo ſint *electi & pii*, ſed pauciſſimi, qua de re confer *Pſal.* 12. v. 1. & 6. *Ezech.* 3. v. 7. & c. 9. v. 4. *Hutter.* in LL. Theol. p. 521. b.

Verſ. 30. *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt, comedit gladius veſter Prophetas veſtros, tanquam leo corruptor.*

I. *Proſopopœia* eſt: *comedere* enim tribuitur *gladio inſtrumento*, q. d. *homicidæ fuiſtis Prophetarum*, ut *Aſa, Joaſi, Manaſſis* temporibus antè factum erat. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 699. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 203.

II. *Gretſerus* l. 1. de Diſcipl. c. 7. pro *voluntaria corporis proprii flagellatione* urget, *Deum percuſſiſſe Judæos*, hos verò *diſciplinam illam* non recepiſſe.

℞. (1.) Nihil hic habetur de *voluntaria proprii corporis flagellatione*, ſed de *cruce & caſtigatione à Deo immiſſa* Jeremias loquitur, ut ex contextu patet. (2.) Neque ex voce *παιδείας* aut *diſciplina* flagellatio illa colligi poteſt: tum quia in Hebræo eſt מוסר, quod *Arias* vertit caſtigationem; tum quia impoſterum inſcriptionem librorum Xenophontis *περὶ παιδείας Κύρου* Jeſuitam interpretari oportebit de *voluntaria Cyri flagellatione*. Zeamann. in Carnif. Eſavvit p. 94.

Verſ. 31. *Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraeli? num terra caliginis Dei?*

*Arias* in margine h. l. notat, nomen, אל, *Dei*, eſſe *epentheticum*, unde reddit, *valdè*, cum adjectivo, *tenebroſa*, adeò ut *terra caliginis Dei* ſit *terra tenebroſa* ſive *caliginoſa valdè*, h. e. *maxima caliginis*.

℞. Nomen DEI hic non *epitaticè*, ſed *propriè* accipitur: nam *terra caliginis Dei* eſt *maximè tenebricoſa*, Deo præternaturales immittente tenebras, ſicut in *Ægypto* factum, *Exod.* 10. v. 21. ſeqq. *Glaſſ.* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. can. 17. m. 3. p. 63. & 66.

Verſ. 37. *Etiam ab hoc egredieris, & manus tuæ ſuper caput tuum, &c.*

Verba hæc continent (1.) *Pleonaſmum*: abundat enim particula את in voce מאת, *ab hoc*, ſcil. *Ægypto*, ſeu *Rege Ægyptiorum*. (2.) *Metonymiam adjuncti* pro *ſubjecto*: nam *manus ſuper caput eſſe*, pro *dolere, & calamitatibus ac triſtitia obrutum eſſe*, accipitur; id enim *ſignum hujus* eſt, ut ex 2. *Sam.* 13. v. 19. patet. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 6. can. 16. not. 1. p. 565. & lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 71.

Cap. III. v. 1. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.*

*Fœdus gratiæ divinæ, in Baptiſmo nobiſcum initum, nunquam ita frangitur, quin poſſimus ad illud redire, idque renovare*: idipſum enim comparatur *fœderi conjugali*. Quemadmodum igitur maritus uxorem, quam in adulterio deprehenſam bono jure repudiare poterat, retinens verò, non ad aliud, quàm *conjugii ſemel contracti fœdus* revocat: ita Deus ſponſam adulteram, cum amatoribus multis fornicantem, non ad aliud, quàm ad *ſemel initum ſpiritualis conjugii pactum* reverti jubet.

*Bellarminus* l. 1. de Sacram. Baptiſm. c. 18. reſp. ad 3. arg. excipit, quòd locus iſte doceat, Deum *recipere homines* ad gratiam, ſi redeant; ſed non doceat, recipere *eodem modo & per eadem inſtrumenta*, quibus antea recepit.

℞. Si per *eundem modum*, & per *eadem inſtrumenta*, intelligit Bellarminus *Baptiſmi iterationem*, negamus & nos, *eodem modo* & per *eadem inſtrumenta* lapſos poſt Baptiſmum in gratiam Dei recipi: Sin verò intelligit, *gratis in Baptiſmo ex opere operato* remitti peccata, poſt Baptiſmum autem *noſtris operibus & ſatisfactionibus* eorum remiſſionem promerendam, dicimus, ut eadem eſt *Dei miſericordia*, in Baptiſmo & poſt Baptiſmum remittentis peccata; ut idem eſt *Chriſti meritum*, propter quod Deus peccata remittit; ut idem eſt *verbum Evangelii*, in quo gratuitam peccatorum remiſſionem Deus offert, exhibet, & annunciat: ita quoq; ex *parte noſtra* unum idemq; eſſe mediū, quo in Baptiſmo & poſt Baptiſmum remiſſionē peccatorum cōſequimur, videlicet *fidē in Chriſtum*, cujus anteambulo contritio, pediſſequa verò bona opera. Emphaſin dicti Prophetici in argumenti noſtri ἰσχυρίᾳ expoſuimus. Deus ſponſam adulteram, cum multis amatoribus fornicatam, non ad aliud,

quàm

quâm ad *semel unum spiritualis conjugii pactum* reverti jubet. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 23. de S. Baptism. §. 156. seq. p. 1092. 1095. seq.

Vers. 3. *Et frons meretricis mulieris fuit tibi, renuisti erubescere.*

Propheta utitur (1.) *Prosopopeiâ*, quâ *populum Iudaicũ, ut mulierem fornicariã* proponit. (2.) *Metonymiâ adjuncti* pro *subjecto*: nam *frontem meretricis habere*, est, *summè impudentem & pervicacem esse*; siquidem *meretricis impudentia & pervicacia* vel in *fronte* signata conspicitur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 70. cap. 9. p. 205. cap. 12. p. 339.

Vers. 4. *Nonne ex nunc vocâsti me: Pater meus, dux pueritiæ meæ tu es?*

Offert se (1.) *Hebraismus*: מֵעַתָּה, *ex nunc*, i. e. *ab hoc tempore*. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *vocâsti*, pro futuro, *vocabis*. (3.) *Metaphora*: vox enim *pueritia* tempora *priora & antiquiora* designat, sicut *pueritia* prior est *adolescentia & senectute*. Intelligitur autem *tempus egressionis ex Ægypto*, ubi à DEO & de DEO, *pueri* instar, populus Israel fuit informatus. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 266. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 365.

Vers. 5. *Ecce locuta es, & fecisti mala, & potuisti.*

I. Conjunctio ו, ET, significationem habet *adverbii quãtitatis*, ut sit pro כַּאֲשֶׁר, *quantum*: וַתּוּכָל, *& potuisti*, h. e. *quantum potuisti*. R. Kimchi: *In omni potentia tua.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 266. *Glass.* lib 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 7. m. 3. n. 2. p. 690.

II. *Papistæ* contendunt, *hominem non-renatum posse se ad Deum convertere*, quia *possit facere mala*.

℟. Inepta est consecutio: nam Adversarii scire debebant, hoc loco *contraria* non esse *pariter integra*. Æquè se habet hæc argumentatio; *contraxit debitum*, ergo id *potest solvere*; quod falsum, *Matth.* 18. v. 25. Gravver. par. 7. Prel. in A. C. pag. 303. *Osiand.* in Enchir. controv. Papist. c. 9. q. 1. obj. 8. p. 76.

Vers. 9. *Et fuit à voce scortationis suæ, & contaminavit terram: nam mœchata est cum lapide & ligno.*

In versu hoc apparet (1.) *Hebraismus*: מִקֹּל זְנוּתָהּ, *à voce scortationis suæ*, h. e. *præ famosa scortatione sua*. (2.) *Metaphora*: nam, *scortari* & *mœchari*, est, *idololatriam exercere*. (3.) *Metonymia materiæ* pro *materiato*: quia *lapis* & *lignum* sumuntur pro *idolis*, *ex lapide & ligno sculptis*. Jun. in Not. ad h. l. p. 700. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 20. seq. cap. 12. p. 383.

Vers. 11. *Et dixit Dominus ad me: Iustificavit animam suam aversa Israel, præ perfida Iehudah.*

Iteratur (1.) *Synecdoche partis* pro *toto*: Justificavit *animam suam*, h. e. *seipsam*. (2.) *Hebraismus*: צִדְּקָה, *justificavit præ Iehuda*, h. e. *justior fuit*, aut potius, *minus justa*, quàm *Iehudah*. (3.) *Prosopopœia*: nam *populus Israeliticus* ut *aversa mulier*, & *populus Iudaicus* ut *perfida fœmina* proponitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 267. *Iun.* in Not. ad eũd. loc. p. 700. & *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 24. m. 5. p. 324.

Vers. 12. *Non irascar in perpetuum, dicit Dominus.*

Jeremias Baptistæ repugnare videtur: *ille* enim dicit, Dominum non irasci in perpetuum; *hic* verò, *Ioh.* 3. v. 36. asserit, iram Dei manere super impium.

℟. Non semper Deus irascitur *sc. timentibus & resipiscentibus*; secus illis, qui *in impietate perseverant*. Walther. in Harm. Script. Sacr. §. 171. pag. 312.

Vers. 15. *Dabo vobis pastores secundùm cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ.*

*Bellarminus* l. 1. de Concil. c. 15. arg. 1. probare nititur, *solis Episcopis & Prælatis majoribus jus esse, ut in Conciliis sententiam dicant*; cum *illi ipsi à Deo constituti sint pastores, qui pascant populum scientiâ & doctrinâ.*

℟. (1.) Si soli illi ad sententiam in Conciliis dicendam idonei sunt, qui *pascunt & docent*, neutrum de *Episcopis Papalibus* affirmari potest, ut qui neque *pascunt*, neque *docent*. (2.) Neque propterea instituuntur Concilia, ut *ibi pascantur oves*, id quod fit *sacris concionibus*, & *legitimis Sacramentorum administrationibus*; sed potiùs, ut *pabula à veneno repurgentur, & lupi ab ovili repellantur*. (3.) Sermo est hîc non de *pastoribus ordinariis*, sed de *pastoribus extraordinariis*, nimirum de *Apostolis*, qui Evangelium in toto terrarum orbe prædicare debebant. (4.) Et si maximè ad *quosvis pastores* extendatur, nihil tamen hinc sequitur aliud, quàm *munus esse pastoris, docere*; id quod nemo nostratium negat. Nulla verò sequela est: *Soli pastores docent ordinariè*, ergo & *soli jus habent ferendi leges Ecclesiasticas in Conciliis*. (5.) Jeremias vaticinatur de iis pastoribus, non *qui juxta cor suum docent*, hos enim non vult audiri Dominus, *Ierem.* 23. v. 16. sed *qui doceant juxta cor & voluntatem Dei*, in verbo revelato expressam, *Deut.* 30. v. 12. *Rom.* 10. v. 6. &c. *Reinecc.* tom. 2. Panopl. c. 19. p. 92. b. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Papist. c. 11. q. 2. obj. 1. pag. 519. *Affelmer.* lib. 4. de Legib. sect. 2. art. 1. q. 1. assert. 1. obj. 1. p. 440. seq. *Cham.* tom. 5. Panstr. l. 3. c. 6. §. 1. & 2. p. 132.

Vers. 16. *In diebus illis, ait Iehovah, non dicent ultrà: Arca testamenti Iehovæ, nec ascendet super cor, neque recordabuntur illius, neque requirent, nec sacrificabitur ultrà.*

*Messias jamdudum, ante annos sesquimille, venit*: nam circa adventum *illius* ceremoniæ *Leviticæ & sacrificia* debebant cessare & abrogari, Jeremia hîc prædicente. cui prædictioni exactè respondit eventus; siquidem *ceremoniæ istæ* dudum ante *annos sesquimille* cessaverunt & abrogatæ sunt.

Respondent *Rabbini*, verbum יֵעָשֶׂה notare certam circumstantiam, nempe *assumptionem arcæ fœderis in militiam*.

℟. Inane hoc est figmentum: (1.) enim nullum vestigium hujus rei ex textu nostro ostendi potest. (2.) Verbum עָשָׂה *propriè* significat, *ordinate facere, parare, adornare*, (ex qua significatione *sacrificiis* tribuitur) ut rectè ex *Forstero* observat *Chemnitius* par. 1. LL. Theol. loc. 4. de Creat. c. 1. p. 113. & agnoscit ipse R. *David Kimchi* in libr. *Schoraschim*, exponens inter cætera per חם & שׂוּם, item per verbum הֵכִין. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 9. thes. 3. & 4. p. 198. seq. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 32. p. 160. seq.

Vers. 23. *Verè in vanum à collibus, multitudine montium &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *colles & montes* sumuntur pro

pro *idolis, quæ in collibus & montibus colebantur*. (2.) *Ellipsis* tum præpositionis מ. A. ex nomine præcedenti repetendæ, *à multitudine*; tum verbi passivi, *à multitudine montium*, scil. *expectatur*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 268. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 700. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 38.

Vers. 24. *Et pudor comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra, pecus eorum, & bovem eorum, &c.*

Est hic (1.) *Metonymia* tum *effecti* pro *causa*, quia *pudor* sumitur pro *Baale*, qui pudore affecit suos cultores; tum *causæ* pro *effecto*, quoniam *labor* accipitur pro *rebus labore partis*. (2.) *Metaphora*: nam *comedere*, est, *consumere*. (3. *Enallage numero* singularis, *pecus* & *bovem*, pro plurali, *pecudes* & *boves*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 47. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 701. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. p. 12. & cap. 2. m. 3. p. 26.

Cap. IV. v. 1. *Si vis converti, Israel, non ejicieris, &c.*

*Papistæ* incrustant, *hominem Deo cooperari posse in sui conversione*, quòd *ipse converti queat, si modo velit.*

℞. Indicatur quidem *conditio & medium*, sed non *medii principium*: itaque à *conditione* ad *liberum arbitrium* N. V. C. Tum quoque respicitur ad *liberam mediorum divinitus constitutorum & ordinatorum usurpationem*. Non enim Deus *immediatè*, sed *mediatè* hominem convertit. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 4. art. 1. obj. 4. p. 709.

Vers. 2. *Et jurabis: Vivit Dominus, &c.*

Ἐναντιοφανὲς oritur: *Iurabis*; at *omnino non jurabis*, Matth. 5. v. 34.

℞. *Ieremias* loquitur de *juramento legitimo*, quod fit per Creatorem, in causa gravi, jussu Magistratûs civilis; tùm enim nemo rectius nisi Deus assumitur in veritatis testimonium, Hebr. 6. vers. 16. *Christus* autem loquitur de *juramento temerario*, quod fit per creaturam, in re levi, & modo hypocritico; & hoc solùm improbat. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. class. 2. n. 8. p. 707.

Vers. 3. *Sic dixit Dominus viro Iehudah, & Ierusalem: Arate vobis arvum, & ne seminetis ad spinas.*

*Metaphora* est. Nam (1.) Verbô *arationis* vera *pœnitentia & pietatis cultura* intelligitur, ratione ducta ab *arationis fine & effectu*, qui est, *spinas, tribulos, & malarum herbarum radices evellere ac interimere, & ad ferendos fructus agrum ritè disponere*. (2) *Seminare ad spinas*, descriptio *impietatis* est, ut ex *Matth.* 13. v. 7. & 22. patet. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. 1 cap. 11. p. 291. & 306.

Vers. 6. *Malum ego adduco ab Aquilone, &c.*

Putant aliqui, *Turcas per Poloniam Aquilonarem aliquando Ecclesiis Germanicis ingruituros*, quòd Deus minetur, se *malum ab Aquilone* adducturum esse.

℞. N. C. Propheta enim loquitur de *istis Regibus tunc Aquilonaribus*, qui *Iudæam* infestârunt, sicut patet ex collatione c. 1. v. 14. Quod si quis omnino ad *Turcas* referre velit vaticinium istud, faciat cum præmunitione in hunc modum: Sicut olim *Iudæis* Jeremias prædixit malum ab Aquilone; ita o[illegible]s per *analogiam* quandam hodie *Germanis* ex eodem loco metuere necessum habemus. *Franz.* tract. de interpr. Scrip. orac. 98. p. 912. seq.

Vers. 10. *Et dixi: Ahah Domine Domine, utique seducendo seduxisti populum istum & Ierusalem, dicendo: Pax erit vobis, & pertigit gladius usque ad animam.*

Occurrit (1.) *Epizeuxis*, Hebræis frequentata: *Seducendo seduxisti*, h. e. *planè seduxisti*. (2.) Hebraismus: *Seduxisti*, i. e. *ostendisti & declarâsti* (immissis scil. pœnis publicis) *populum hunc seductum esse*, videl. per *pseudoprophetas*, qui cùm Satanæ ministrarent, perversè tamen obtendebant nomen DEI, c. 6 v. 14. c. 7. v. 4. 10. cap. 23. v. 1. Lutherus: **Du hast diesem Volck und Jerusalem weit fehlen lassen**/ ut scil. *agnoscant & videant, se miserè seductos esse*. (3.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *Ierusalem* pro *incolis Ierusalemitanis* Ponitur. (4.) Paræmia: *Gladius pertigit usque ad animam*, h. e. *grassatur per populum*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 269. *Iun.* in not. ad eund. loc. p. 701. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 3. can. 15 p. 268.

Vers. 16. *Ecce audire facite super Ierusalem custodes, &c.*

*Metaphora* est: nam *exercitus Nebucadnezaris* נֹצְרִים, *custodes* dicuntur, & quidem tacita ὑπαρνίξει (quippe cujus nominis posterior pars ab eadem radice נצר est) ut qui suo bonô verè *custodes* erant, observantes nimirum agros, ne quid effugiat, aut eripiatur sibi, instar *venatorum*, qui in ambitu sylvæ diligenter omnes transitus observant, ne feræ è sylvis in patentes campos erumpant, ut ex v. 17. apparet. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 91. & cap. 22. p. 514.

Vers. 19. *Viscera mea, viscera mea doleo, parietes cordis mei, tumultuatur mihi cor meum, &c.*

Iteratur (1.) *Epizeuxis*: ad exprimendam enim hujus χετλιασμοῦ *vehementiam*, verba hæc, *viscera mea*, Propheta repetit, ut ferè *lugentes* faciunt. (2.) *Metaphora*: nam *præcordia & ipsa latera*, in quibus sub hypochondriis in magno mœrore dolor sentitur, dicuntur *cordis parietes*, quia sunt ferè cordi conjuncta. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 270. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 702. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 388.

Vers. 20. *Repente vastata sunt tentoria mea, subito cortina mea.*

*Metonymia* est *materiæ* pro *materiato*: nam *cortina* pro *tentoriis*, ex cortinis factis accipiuntur, & *synecdochicè* pro *populi habitationibus*, quæ *tentoria* dicuntur, quòd *facillimè subjugata fuerint* Chaldæus interpretatur *urbes terræ sanctæ*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 270. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 702. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 19.

Vers. 29. *A voce equitis & jacientis arcu fugit omnis urbs, venerunt in ipsas nubes, & ad rupes ascenderunt, &c.*

Jeremias adhibet (1.) *Enallagen numeri* singularis, *equitis* & *jacientis*, pro plurali, *equitum* & *jacientium*. (2.) *Ellipsin* nominis: *jacientis*, scil. *sagittas*, i. e. *sagittarii*. (3.) *Metonymiam subjecti* pro adjuncto: *Urbs*, h. e. *incola urbis*. (4.) Hyperbolem: *Venerunt* בֶּעָבִים *in ipsas nubes*, h. e. *in loca prealta & ardua*, ut consulant vitæ suæ, juxta *Kimchium*, siquidem super *montes altissimos* requiescere videntur nubes. *Ariamontanus* par. 4. Bibl. p. 49. vertit *condensa*, i. e. *sylvas densas*, ut sit ab עָבָה *densus fuit*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 270. *Iun.* in Not. ad eund loc. pag. 702. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. pag. 41. & cap. 19. p. 470.

Verſ. 30. *Et tu vaſtata quid facies? quòd indues te coccinô, quòd ornabis te ornatu auri, quod lucorabis fucô oculos tuos, in vanum decorabis te, reſpuerunt te amaſii, animam tuam quærent.*

Verba hæc exhibent (1.) *Proſopopœiam*: ſiquidem *Synagoga Iſraelis* ut *mulier*, fuco meretricio depicta, proponitur. (2.) *Enallagen* partim *generis*, quia pronomen fœmininum eſt, participium verò maſculinum, וְאַתְּ שָׁדוּד, *& te vaſtatus*; partim *temporis* futuri, *facies, indues, lacerabis, decorabis, quærent*, & præteriti, *reſpuerũt*, pro præſenti, *facis, induis, laceras, decoras, reſpuunt, quærunt*; partim *nominis* ſubſtantivi in genitivo, *auri*, pro adjectivo, *aureo*. (3.) *Metonymiam cauſa* pro *effectu*: nam *animus* pro *vita* eſt. *Ariam*. par. 4. Bibl. p. 48. *Iun.* in Not. ad h. l. p 702. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 4. can. 30. p. 423. & lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 205.

Cap. V. v. 1. *Ut inveniatis virum facientem Iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.*

I. *Metaphora* eſt: nam אִישׁ *vir* ſignificat *ſapientem & eorum DEô eximium*; unde ſubjicitur, *facientem judicium, & quærentem fidem*. Chaldæus: *Virum, cui ſunt bona opera*. Glaſſ. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12 p. 364.

II. *Papiſtæ* exinde inferunt, *homines operibus ſuis mereri juſtitiam & ſalutem*, quoniam *Deus hominibus judicium facientibus, & fidem quærentibus velit eſſe propitius.*

℞. Ipſe textus præbet ſolutionem. Totum enim hoc caput eſt *denunciatio pœnarum temporalium*; in qua tamen Deus promittit, *ſe velle propitium eſſe*, hoc eſt, vel *remittere*, vel *mitigare pœnas*, ſi ipſi Judæi à peccatis ſuis deſiſtant. Unde addit v. 7. *Super quo propitius ero vobis? cum filii tui me dereliquant, & jurent ſuper his, qui non ſunt Dii*, hoc eſt, cum *cumulent peccata, & in iis perſeverent*. Sed ſi aliqui futuri eſſent, qui *facerent judicium & juſtitiam*, ſicque converterentur à viis ſuis malis, tum propter paucos illos bonos Deus promittit, ſe *pœnas mitigaturum*. Sicut *Gen.* 18. v. 26. Deus Abrahamo dicit: *Si invenero Sodomis quinquaginta juſtos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.* Chemnit. par. 3. LL. Theol. p. 97. ſeq.

Verſ. 3. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam.*

Argumentum *Gretſeri*, pro *voluntaria proprii corporis flagellatione*, vide ſolutum in Vindic. *Ierem.* 2. v. 30.

Verſ. 5. *Ibo mihi ad magnates, & alloquar eos, quoniam ipſi nôrunt viam Domini, jus Dei ſui: veruntamen ipſi ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula.*

Propheta utitur (1.) *Pleonaſmô*: nam τὸ *mihi* redundat. (2.) Ἀνθρωποπαθείᾳ: ſiquidem *via Domini* ſignificat *doctrinam cœleſtem*. (3.) *Metaphora*: nomine enim *jugi & vinculorum* (quibus jugum alligari ſolet) intelligit DEI *legem & diſciplinam*, ſicut *jugo* boves alligati, ad certam agendi laborandique rationem aſſueſiunt. Chaldæus *Sed ipſi ſimul rebellarunt à Lege, receſſerunt à doctrina.* Jun. in Not. ad h. l. p. 702. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. pag. 185. & cap. 11. p. 326.

Verſ. 6 *Idcirco percuſſit eos leo è ſylva, lupus veſperarum vaſtabit eos, pardus obſervat urbes eorum, &c.*

Iteratur (1.) *Enallage* tum *temporis* præteriti, *percuſſit*, & præſentis, *obſervat*, pro futuro, *percutiet* & *obſervabit*; tum *nominis* ſubſtantivi, *veſperarum*, pro adjectivo, *veſpertinus*. (2.) *Metaphora*: nam *exercitus Nebucadnezaris* confertur *leoni*, ob truculentiam; *lupo*, ob rapacitatem; *pardo*, ob ſagacitatem. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 271. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 8. m. 2. p. 34. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 322. ſeq.

Verſ. 8. *Unusquisque ad uxorem proximi ſui hinniebat, ut equi ſaturati.*

*In V. T. æquè pro adulterio habita fuit aliena uxoris adſpectio cum concupiſcentia*: Propheta enim damnat Judæos, *inſtar equorum ſaturatorum ad uxorem proximi ſui hinnientes*; id quod veſtigium eſt damnatæ illius *concupiſcentiæ*.

*Smalcius* contr. Franz. diſp. alter. de Bon. Oper. fol. 247. regerit 1. fuiſſe reſponſum ex *Propheta*, & non ex *Moſe*.

℞. Id perinde eſt: quomodo enim illud non comprehenderetur in *lege Moſis* Synecdochicè, quod *Propheta* proponit *exegeticè*? In Lege autem *zelotypiæ* adulteria interna ſimul comprehendi, ex *Numer.* 5. v. 12. ſeqq. conſtat.

2. Nihil aliud ſequi, quàm Prophetam *reprehendiſſe* tale quid, non verò quòd *interdixerit*.

℞. Utrumque ſequitur: nam ſi *improbatum fuit* à Propheta, non alia de cauſa improbatum fuit, quàm quòd *generaliter* cum aliis *interdictum* fuit.

3. Non aliud ſequi, quàm quòd illud fuerit pro *malo* habitum, non verò, quòd pro *adulterio* habitum.

℞. Omninò in *judicio Dei* pro *adulterio* fuit habitum: Idipſum enim Propheta reprehendit, tanquam in Decalogi præceptũ de *non mœchando* impingens.

4. Etiamſi concedatur, eſſe pro *adulterio* habitum, quòd tamen nondum ſequatur, æque atque *externum fuiſſe punitum*.

℞. Illud *arcanum* æquè atque *invidia arcana* fuit punitum divinitus per maledictionem, *Deut.* 27. v. ult.

5. Etiamſi tale quid *punitum* fuiſſet, quòd tamen non ſufficiat diſputare *collectionibus*, ſed quòd afferenda ſint *expreſſa interdictio*.

℞. *Smalcius* diſp. ead. contr. Franz. fol. 241. expreſsè ſcripſit ad marginem hæc verba: *Scriptura id dicit, quod ex ea colligitur.* Quâ igitur fronte *collectiones, ex Scriptura petitas*, rejicit? Et quidem *Moſis leges* ſine *collectionibus* non poſſunt explicari, ut nec *præcepta Decalogi*: ſiquidem per *unam ſpeciem* Deus docet judicare de aliis ſimilibus omnibus, ſtudioſè ſectatus brevitatem, ut memoriam plus juvaret omnium. *Franz.* diſp. 8. Vindic. contr. Smalc. theſ. 65.

Verſ. 13. *Et Prophetæ erunt in ventum, & ſermo non in eis, &c.*

*Metaphora* eſt: nam *eſſe in ventum*, ſignificat, *in vanum abire*. Chaldæus vertit, לְלַמָּא, *in vanum ſeu nihilum*. Glaſſ. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 247.

Verſ. 15. *Ecce ego adduco ſuper vos gentem de longinquo, ô domus Iſrael, ait Dominus, gens robuſta ipſa, gens a ſeculo ipſa, gens non cognoſces linguam ejus, & non audies, quid loquatur.*

Continuatur (1.) *Enallage temporis* præſentis, *adduco*, pro futuro, *adducam*. (2.) *Metonymia ſubjecti* pro *adjuncto*: nam *domus Iſrael* pro *populo, ex familia Iſraelis orto*, accipitur. (3.) *Synecdoche to-*

*the totius* pro *parte*: siquidem *Babylonii* dicuntur גּוֹי מֵעוֹלָם, *gens à seculo*, h.e. *antiquissima*, cujus Monarchia & Respublica jam olim fuit aliarum princeps, *Genes.* 10.v.10. (4.) *Metaphora*, quâ *audire* notat *intelligere*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 273. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 360. & cap. 16. m. 4. p. 458.

Vers. 22. *Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non prætoribis.*

Argumentum *Veterum* quorundam, pro *elevatione maris supra terra*, vide solutum in Vindic. *Prov.* 8.v.29.

Vers. 28 *Impinguati sunt, nituere, etiam transierunt verba mali, &c.*

*Prosopopœia* est, quâ *verba mali transire* dicuntur, h.e. *superare, rerum potiri* &c. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract 1. cap. 9. p. 204. m. 4.

Vers. 31. *Prophetæ prophetaverunt in falsitate, & Sacerdotes dominabuntur super manus horum, & populus meus dilexerunt sic, & quid facietis in extremitate hujus?*

Reperitur hoc loco (1. *Enallage temporis* tum præteriti, *prophetaverunt* & *dilexerunt*, tum futuri, *dominabuntur*, pro præsenti, *prophetant, dominantur, diligunt*. (2.) *Hebraismus*: בַּשֶּׁקֶר *in falsitate*, i.e. *falso*: אָהֲבוּ כֵן, *dilexerunt sic*, h.e. *delectantur hisce*: לְאַחֲרִיתָהּ, *in extremitate hujus*, i. e. *tandem*. (3.) *Metonymia causæ pro effectu*. nam *manus* pro *opera & consilio* ponuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag 273. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 703. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 29. not. 2. p. 512.

Cap. VI. v. 1. *Fugite Filii Benjamin è medio Ierusalem, & in Thecoa clangite buccinâ, & super Bethcherem elevate facem: quia malum visum est ab Aquilone, & contritio magna.*

I. Jeremias usurpat (1.) *Synecdochen partis* pro toto: *Filii Benjamin* seu *Benjaminitæ*, h.e. *Iudæi omnes*. (2.) *Pleonasmum*: *E medio Ierusalem*, pro, è *Ierusalem*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 273. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 703. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap 17. m. 1. p. 463.

II. Rationem nonnullorum pro *adventu Turcarum in Ecclesias Germanicas per Poloniam Aquilonarem*, vide protritam in Vindic. *Ierem.* 4. v. 6.

Vers. 8. *Erudire ô Ierusalem, ne luxetur anima mea à te, &c.*

Ἀνθρωποπάθεια est: Ne תֵּקַע *luxetur anima mea a te*, q.d. ne tanquam luxatum aut elisum membrum discedat âbs te, & tu abscindaris ab illa, tanquam abalienatum membrum. Phrasi hac metaphorica optimè *communio DEI cum fidelibus* exprimitur, ut *Ezech.* 23. v. 18. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 274. explicat: *Ne cogar desinere te amare*; acceptâ *anima* pro *amore & favore*. Jun. in Not. ad h. l. p. 704. *Glass.* lib. 5. Philol. Sa[…] tract. 1. cap. 7. p. 147.

Vers. 13. *A Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium.*

*Pontifex cum universali Sacerdotum & doctorum Concilio in doctrina fidei potest errare*: siquidem tempore Jeremiæ *Pontifex, cunctique Sacerdotes ac Prophetæ mendacium fecerunt.*

*Gretse[r]us* in Colloq. Ratisbon. sess. 2. p. 61. & in not. ad thes. Hunn. de ineund. colloq. p. 195. excipit 1. lo[cu]m istum, licèt *generaliter* sonet, tamen *generaliter* non esse accipiendum, sed cum *exceptione nonnullorum*.

℞. Querela Jeremiæ *generalis* est de errore *omnium Sacerdotum & Prophetarum*: siquidem facit distributionem *omnium Doctorum Ecclesiæ* in *Prophetas* & *Sacerdotes*. Non ergo de *nonnullis*, sed de *omnibus* Sacerdotibus ac Prophetis querelam suam instituit Propheta.

2. Sacerdotes illos Judaicæ Ecclesiæ non *fide*, sed *facto* errâsse, facientes mendacium.

℞. Utroque modo erraverunt: erat enim disputatio de veritate promissionu[m] & comminationum divinarum, deque tota Hierarchia visibilis ministerii. In *hac* aliud docebant Pontifices, aliud Hieremias, *Ierem.* 8. v. 10. Hic duo sunt judicia *contraria*, & duæ definitiones *contrariæ*: unam erroneam fuisse necesse est, sive *Pontificum*, sive *Ieremiæ*.

3. Pontifices non *definivisse*, nec potuisse *definire*, quòd Deus repudiaturus esset Ecclesiam.

℞. Adversarius ignorat elenchum: neque enim erat de *illa* quæstio, sed de *visibili isto ministerio*, quod in singularitate sua & loco putabant in æternum duraturum, *Ierem.* 7. v. 4. & cap. 18. v. 18. Disputabant verò *Pontifices*, illud esse incorruptum, *Ieremias* corruptum.

4. Si omnino concedatur, Pontifices illos *fide* erraße, errorem fuisse *privatum*, non *publicum*.

℞. Omnino *publicus* erat error: nam *publicè* eum docebant, definiebantque Pontifices; hunc *publicè* & *definitivè* refutabat Hieremias. *Libav.* par. 2. Anal. Colloq. Ratisb. p. 421. *Balduin.* in Posphor. Cathol. contr. Pazman. l. 8. c. 5. pag. 764. seq

Vers. 14. *Et curabant contritionem populi mei secundum leviculum, dicendo: Pax pax; & non pax.*

In versu hoc habetur (1.) *Metaphora*, quâ verbum *curandi* de *administris verbi divini* (quorum est, peccata hominum voce divinæ leg[is] in[]dicare & arguere, *Iesa.* 58. v. 1.) eleganter usurpatur, cum *curationis spiritualis* initium sit, *morbi malique ostensio ac manifestatio*. Additur vero, *secundum leviculum*, h.e. secundùm *curationem mali leviculi*, veluti scil. *afflatu* vel *palpitatione* casus puerorum leviculi curantur, cum tamen gravissima & planè mortifera sint populi mala, quibus accuratâ reprehensionum divinarum curâ opus est. (2.) Epizeuxis: *Pax pax*, h.e. *omnimoda pax* Jun. in Not. ad h. l pag. [70]4. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 353.

Vers. 15. *Pudore affecti sunt, cum abominationes fecerunt? etiam erubescendo non erubuerunt, etiam ignominiâ afficere non noverunt: quamobrem cadent inter cadentes in tempore, visitabo eos, &c.*

Iteratur (1.) *Ellipsis* tum *interrogativi* ה: הֹבִישׁוּ (num) *pudore affecti sunt, &c.* h.e. *an unquam prophetæ isti populum reprehenderunt maleficiorum nomine?* tum *relativi* אֲשֶׁר. *In tempore*, quo *visitabo*, &c. (2. Epizeuxis: *Erubescendo non erubuerunt*, i. e. *prorsus non erubuerunt*. (3.) *Metaphora*: nam *cadere* idem est ac *interire*. (4.) Ἀνθρωποπάθεια, qua realis exhibitio iræ & suppliciis divini per D[E]I *visitationem* innuitur. *Artom.* par. 4. Bibl. p. 49. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 704. *Glass.* lib. 4. Philol. [S]acr tract. 1. observ. 1. not. 3. p. [6]16.

Vers. 16. [St]ate *super vias, & videte, [&] interrogate de semitis antiquis, quæ sit bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigeria animabus vestris.*

*Conse-*

*Cutsemius* in Saxon. Cathol. persuadere conatur *Electori Saxoniæ, ut religionem Papisticam recipiat, cum in semitis antiquis ambulandum sit.*

℞. Jeremias non jubet *in omnibus antiquis viis* ambulare, sed in *primis antiquis*, quas ab antiquo signat *verbum Dei*, quasque *sancti antiqui*, id est, Patriarchæ & Prophetæ veteres calcârunt: nam *novantiquas* semitas, in quibus *diu* quidem, non tamen *ab initio* ambulaverunt Judæi, Deus respuit, *Jerem.* 9. v. 14. *Hopfner.* in Saxon. Evangel. sect. 3. par. 1. c. 2. p. 379. seq.

Vers. 20. *Holocaustomata vestra non sunt accepta, & victima vestra non placuerunt mihi.*

Controversias hujus loci vide decisas partim in Vindic. *Psal.* 51. v. 18. partim in Vindic. *Prov.* 15. v. 8.

Vers. 28. *Omnes ipsi sunt contumaces contumacium, &c.*

*Hebraismus* est: סָרֵי סוֹרְרִים, *contumaces contumacium*, h. e. *contumacissimi. Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 32. p. 117.

Vers. 29. *In vanum conflavit conflando, & mali non sunt avulsi.*

Continuatur (1.) Epizeuxis: *Conflavit conflando*, i. e. *indesinenter conflavit.* (2.) *Ellipsis* nominis: *Conflavit conflando* conflator; quæ vox ex voce conjugata eruenda est, & *Deum*, summum opificem, vel *administros ejus* denotat. *Iun.* in Not. ad h. loc. p. 704. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 5. m. 1. p. 712.

Vers. 30. *Argentum reprobatum vocârunt eos, quia reprobavit Dominus in eos.*

In textu hoc deprehenditur (1.) *Metaphora*; quâ rebellis Judæorum *argentum reprobatum* vocitandum esse dicitur, q. d. *nimis corruptum*, & *proinde reprobatione dignum.* (2.) *Enallage* indicativi pro imperativo: *Vocârunt*, i. e. *vocate*: nisi κατ' ἔλλειψιν subintelligantur *propheta.* (3.) *Pleonasmus* præpositionis ב, IN: בָּהֶם, *in eos*, pro *eos. Arias.* par. 4. Bibl. pag. 50. *Vatabl.* in Annot. ad hunc loc. pag. 276. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. pag. 281.

CAP. VII. v. 3. *Sic dixit Dominus exercituum Deus Israel: Bonificate vias vestras, & studia vestra; inde habitare faciam vos in loco isto.*

Propheta utitur (1.) *Metaphorâ*: nam *viarum* nomine intelligit *actiones vitæ.* (2.) *Hebraismo*: וַאֲשַׁכְּנָה, & *habitare faciam*, h. e. *porrò conservabo vos in habitatione vestra, in loco hoc, ut non deportemini ex illo*, ut R. *Kimchi* rectè explicat. Sic v. 7. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 4. p. 241. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 376.

Vers. 4. *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini.*

I. *Smalcius* contr. Schopper. de Trinit. p. 13. autumat, in locis, *Num.* 6. v. 24. 25. 26. & *Esa.* 6. v. 3. trinam *Jehova & Sancti* repetitionem non innuere *Trinitatem personarum divinarum*, sed *benedictionis perfectionem*, & *sanctitatis constantem assertionem*: cum & hîc *trina ista repetitio* adhibeatur tantum *majoris & absoluta assertionis* gratiâ, non verò ob *triplicitatem rei*, cujus ibidem fit mentio.

℞. In hoc loco quandam *pluralitatis* significationem contineri, patet (1.) ex pronomine plurali, הֵמָּה, quod *Arias* reddidit, *ipsi*, & in margine apposuit verbum plurale, *sunt.* (2.) Ex nomine הֵיכַל ter repetito, in quo pluralitas illa referri potest ad *tres templi* partes: *Atrium*, sive locum populi; *sanctum*, in quod Sacerdotes quotidie ingrediebantur; & *sanctum sanctorum*, in quod summus Pontifex semel in anno ingrediebatur. (3.) Ex nomine יְהוָה ter repetito, cui *templum* assignatur: templum autem illud *toti Trinitati* attribuitur, ut *Patri*, Luc. 2. v. 49. *Filio*, Malach. 3. v. 1. & *Spiritui Sancto*, per analogiam, 1. Cor. 3. v. 16. Quocirca & hîc *veritatis asseveratio*, conjuncta cum singulari emphasi, stare potest cum *Trinitatis* probatione, quippe quæ illius emphasis fundamentum est. *Iac. Mart.* l. 2. de trib. Eloh. c. 39. p. 359. seq. *Gerhard.* par. 2. Dispp. Theol. p. 1222. 1227. seq.

II. *Templa in Papatu adeò luxuriosè & sumtuosè non erant extruenda*: improbatur enim a Deo, tanquam κακοζηλία Judæorum, *magnifico suo templo nixorum*, deque *eo tam superbè gloriantium.*

*Bellarminus* l. 3. de Cult. Sanctor. c. 6. respondet, à Propheta eo loco argui Judæos, qui confidentes in *externo templo*, putabât apud se esse Deum, & se diligi à Deo, nec ventura esse ea mala, quæ prædicebantur à Prophetis, quia *templum Dei apud se haberent*; etiamsi ipsi interim malè vivendo essent *templa Diaboli*: nihil autem efficere istam reprehensionem adversum *ædificationem, ornatumq; templorum*, quia etsi reprehenditur nimia fiducia in *externo templorũ cultu*, præsertim cum negligitur *cultus animi*: tamen non propterea non esse *ædificanda atq; exornanda templa* ad honorem Dei, & Sanctorum memoriam.

℞. Hæc ipsa quoque *fiducia* à Pontificiis hodie collocatur in suis templis, *magnificè & sumtuosè exornatis*. Putant enim propter ædificationem *magnificorum templorum*, eorumq; ornamenta, *se diligi à Deo*; preces quoque suas *faciliùs ibi a Deo exaudiri*, quàm alibi: itemque his magnificis templis atque ornamentis *devotionem majorem in animis hominum excitari, &c.* Hanc ergo confidentiam Propheta in *Pontificiis* hodie quoque arguit, atque ita adhuc argumentum nostrum firmum manet. *Himmel.* tract. de Natur. Relig. Invoc. p. 941.

III. *Papistæ* minùs rectè faciunt, toties ingeminantes, *Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia*: Judæos enim hac in parte imitantur, qui vociferabantur contra Jeremiam: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini.*

*Pistor.* in Hodeg. p. 132. seq. reponit, 1. *Judæos* locutos de *certo quodam ac definito templo*; nempe *Hierosolymitano*, quod Deus ipse tandem abjecerit; *Pontificios* autem non vociferari, *Ecclesia Romana*, sed *Ecclesia Christi, Ecclesia Christi*, quæ perpetuò mansura sit.

℞. (1.) Quò ruis Apostata, cum Ecclesiam *Romanam* ab Ecclesia *Christi* distinguis? Certè enim *Papæ* Ecclesia non est *Christi* Ecclesia, sicut *Papa* non est *Christus*. (2.) Si Papistæ non vociferantur, *Ecclesia Romana, Ecclesia Romana*: quid ergo jactitant *cathedram Petri*, quam non nisi *Romæ* esse fingunt, à qua veritas deficere non possit? Itemque, cur in uno *Papa Romano* fundamentum ponunt veritatis? Clamant enim, *solum Papam*, etiam sine Concilio, sufficere ad veritatis determinationem.

2. Non eandem esse mentem *Judæorum*, & *Pontificiorum*, ideoque *hos* cum *illis* non comparandos.

℞. Eandem hîc esse mentem *Judæorum* & *Pontificiorum*, ita paucis ostendo: Ut veritati Propheticæ prædictionis opponebant *Judæi* ingeminationem *templi Hierosol.* quasi non posset vastari, propter divinas illas splendidas promissiones; sic *Papistæ* veritati Evangelicæ, ex sacris Scripturis confirmatæ, opponunt *Ecclesiam Romanam*, quasi non possit errare, propter splendidas promissiones. Par utrobique ratio. Itaque falsum est, quod Pistorius hîc regerit.

*Heilbrunn.* in Colloq. Ratisb. sess. 2. p. 58. *Meisner.* disp. Antipistor. 4. thes. 157. - 161. p. 182. seq.

Vers. 11. *Nunquid spelunca latronum facta est domus hæc, quæ invocatum est nomen meum super ea in oculis vestris? Etiam ego ecce vidi, dixit Dominus.*

Offertur (1.) *Metaphora:* nam *templum Hierosolymitanum* dicitur *spelunca latronum*, ob *falsam doctrinam*, & *perversam vitam*, quorum utrumque *spirituale latrocinium* est. Ut enim in speluncas suas recipiunt sese latrones, cædibus perpetratis: sic Judæi post peractum Baalis cultum, & scelera etiam gravissima, non erubuerunt venire in illam Dei domum, quasi ipsorum Deus ignarus esset. (2.) Hebraismus: *Quæ invocatum est nomen meum super ea*, h. e. *quæ de nomine meo appellata est*, ut *mea domus* dicatur. (3.) *Synchysis*; quia vox, *in oculis vestris* ex membro altero in primum collocanda est: *Nunquid spelunca latronũ facta* in oculis vestris *domus hæc &c.* (4.) *Enallage temporis* præteriti, *vidi*, pro præsenti, *video*, i. e. *exactè scio. Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 277. *Jun.* ibid. p. 705. *Glass.* l. 5. Phil. Sacr. tr. 1. c. 10. p. 275.

Vers. 16. *Noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.*

I. *Novatiani* spem *veniæ relapsis in culpam gravem* denegârunt, quòd *Deus nolit, Jeremiam orare pro Judæis, in atrocia peccata prolapsis.*

℞. Deus non vetat, orari pro *conversione peccantium, & pro culpæ condonatione per fidem in Messiam* [id enim Deus vult fieri, & exauditionem promisit] sed saltem orari pro *pœna illa temporali*, deportatione nimirum in Babyloniam, *obstinatis & pervicacibus Judæis remittenda*, ut ex v. 15. præcedente manifestum est. *Feuverb.* Dissert. de Peccat. in Spirit. S. c. 3. p. 16. 18. 19.

II. *Scholastici* negârunt, *pro hæreticis esse orandum*, quoniam *Deus ipse prohibeat, ne Jeremias oret pro populo apostatico.*

℞. N. C. non enim Deus *simpliciter* improbat & prohibet studium Prophetæ orandi pro populo, sed *secundùm quid*, nimirum pro *conditione duntaxat, præsentis statûs & temporis.* Quia enim justô judiciô Deus inexpugnabilem populi sui contumaciam punire decreverat, & executio decreti jam præ foribus, quod dicitur, erat; monet Deus Prophetam, ut cesset ampliùs orare pro populo, de quo nulla emendationis spes sit reliqua, ac proinde frustra desinat avertere pœnas jam ingruentes, eò quòd nolit amplius exaudire preces ipsius. Quam responsionem non modò tota textûs *συνάφεια* evidenter confirmat, sed & Deus ipse prohibitionem illam sic explicat, *Jer.* 14. v. 11. & 16. *Hutter.* in LL. Theol. loc. 31. de invocat. c. 1. q. 7. p. 981. seq.

Vers. 18. *Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, mulieres verò subigunt pastam, ad faciendum placentas Reginæ cœli, & libandum libamina Diis alienis, ut irritent me.*

I. *Causalis conjunctio*, לְמַעַן, UT, hoc loco non *αἰτιολογίας* & *causæ finalis*, sed *ἐκβάσεως* & *eventus* significationem habet: *Ut irritent me*, h. e. *ex quo ipsorum facto evenit, ut irritatus fuerim. Glass.* lib. 3. Phil. Sacr. tract. 7. can. 19. p. 619.

II. *Hebræi* quidam primum Decalogi præceptum, Exod. 20. faciunt illud, *Ego sum Dominus Deus tuus.* v. 2. secundum, *non habebis Deos alienos*, v. 3. tertium, *non assumes nomen Domini, &c.* vers. 7. cùm multi quidem Judæi, tempore *Jeremiæ*, *crediderint in verum Deum*, qui interim nihilominus *reginæ cœli, tanquam falsis numinibus, sacrificaverint*: quare non tantùm præcipiendum *affirmatè* fuisse verum cultum, sed etiam *negatè* alios falsos cultus falsorum numinum fuisse prohibendos.

℞. (1.) Adversarii ista non perpendunt, quòd data *præceptione* statim detur inde exstruenda *prohibitio*, & vice versa. Cum igitur *prohibitio* sit, alios Deos sculptiles non habendos, *præceptio* clara exurgit illa, solum verum Deum, educentem ex Ægypto, esse colendum. (2.) Judæi illi non *crediderunt in verum Deum*, sed *in falsos Deos*, utpote quos coluerunt, eisque sacrificârunt. *Franz.* tom. 2. Witteberg. disp. 5. thes. 186. & 188. p. 407. seq.

Vers. 19. *An me ipsi irritant, dixit Dominus, & non seipsos.*

Elegans *antanaclasis* est: nam prius *irritare*, v. 18. de *culpa Judæorum*, & *causa exitii eorum* accipitur, concitatâ scil. irâ Dei; posterius v. 19. *metonymicè* de *ipsa pœna & tradivina effectu*, ut sit sensus: *Annon sibi ipsi, & non mihi*, pravis suis factis, *male faciunt?* q. d. omnino ita est; quam expositionem versus sequens 20. confirmat. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 3. p. 530.

Vers. 21. *Sic dixit Dominus exercituum Deus Israel: Holocausta vestra superaddite victimis vestris, & comedite carnem.*

*Ironicè* hoc mandatur: nam in sequentibus verbis sacrificia eorum hypocriticè oblata, planè repudiat, & ad veram pietatem interiorem eos exhortatur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 84.

Vers. 22. *Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, quâ eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum & victimarum.*

Deus sibi *contradicere* videtur: hic enim negat, *se Judæorum patribus præcepisse de sacrificiis*, cum tamen *per Mosen de iis præceperit.*

℞. Hæc Dei verba non intelligenda sunt *absolutè*, quasi nihil omnino Deus patribus Judæorum præceperit de rebus *holocausti & sacrificiis*; siquidem contrarium patet ex toto *Levitic.* verùm *comparatè*, videlicet Deum non *imprimis ac præcipuè* de *sacrificiis*, sed de *obedientia* erga Decalogum cum illis esse locutum, ut potiùs *hanc*, quàm *illa* præceperit, ac proinde magis *eam* observari voluerit. *Jun.* in Schol. Bibl. h. l. p. 706 n. 22. *Gerh.* tom. 4. LL. CC. loc. 23. de S. Baptism. §. 22. p. 876. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 22. p. 488.

Vers. 28. *Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam, &c.*

*Bellarminus* l. 5. de Grat. & Liber. Arbitr. c. 20. argutatur, *homines habere liberum arbitrium*, quia *non audiant vocem Domini, nec recipiant disciplinam*, idque *Deus de ipsis conqueratur*, in iisque *reprehendat.*

℞. (1.) Negamus istam consequentiam: nam à libertate arbitrii ad *malum* non concluditur libertas arbitrii ad *bonum*; habet enim homo liberum arbitrium in *malo*, sed non in *bono*. Unde rectè scribit *Augustinus* l. 2. contr. duas Epist. Pelagian. c. 2. *Hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera non est in bonis, quia liberata non est.* (2.) Deus non immeritò de hominibus *conqueritur, non audientibus vocem suam*, quamvis non possint non malè agere, quoniam *vitiô suô & hæreditariâ malitiâ* infirmi sunt: non secus ac *creditor* justè conqueritur de *debitore*, propriâ culpâ ad egestatis terminos redacto, quòd non solvat, etsi ne *teruntium* quidem ipsi supersit. (3.) Neque Deus sine causa *reprehendit* ob id homines

dum

dum enim non audiunt Deum præcipientem, tenentur culpæ convicti; ideoque meritò reprehensionem Dei incurrunt; unde peccatorum tædio capti, in viam redeant.

*Bellarminus* ibid. regerit: 1. Evangelicos non juvare *hæreditariam illam malitiam*, cùm ipsa sit *pœna*, nun *culpa*, nisi libera voluntate ei obediatur.

℟. [1.] Hæreditariam corruptionem, idest, *originale peccatum*, non esse *culpam*, nullo sensu verè dici potest: Si enim nun est *culpa*, ne *peccatum* quidem est; qua ratione in universum negatur *peccatum originis*, id quod *Pelagianum* est. [2.] Illud, *nisi ei libera voluntate obediatur*, quorsum? Nam vel *libertatem* intelligit eam, *quæ opponitur coactioni*; ac tum non potest peccato originali non libera voluntate obediri, omninò enim ipsam voluntatem occupat, & abducit à Deo: Sin autem *libertatem æquè indifferentem ad bonum & malum*, tum verò hoc nunquam accidere potest homini *corrupto*; & verè si hoc ponat Bellarminus, excusare non potest *petitionem principii*, cum sit *opponens*.

2. Neque eò, quòd *peccatores reprehendantur, ut peccatorum tædiò in viam redeant*, argumentum solvi: quia, *si possint peccatores, auditâ objurgatione, tædiô peccatorum affici, & in viam redire, liberum arbitrium habere se demonstrent*.

℟. Liberumne, inquam, arbitrium *indifferenter ad bonum & malum*? nam hæc quæstio est; at ego nego consequentiam: hoc enim tantùm sequitur, quòd sit *in hominibus voluntas, quæ per Spiritum Sanctum objurgationibus legis possit immutari*: non autem, quòd *ipsa voluntas suis viribus salutariter istis mediis uti, ac Spiritui Sancto cooperari possit*. Igitur probandum erat Bellarmino, tædi peccatorum affectos, & in viam redeuntes, *suis sui arbitrii viribus* ita affici, ita redire: vel certè eos, qui vel tædiô afficiuntur, vel affecti, non redeunt in viam, *habere liberum arbitrium indifferenter ad peccandum, & non peccandum*. *Meisner*. dec. 3. Anthrop. sacr. disp. 3. thes. 18. seq. p. 121. & 122. *Gerhard*. tom. 2. LL. CC. loc. 14. de liber. Arbitr. §. 74. p. 977. 978. seq. *Thumm*. in disp. de Liber. Arbitr. p. 8. 9. 10. & *Cham*. tom. 3. Panstr. l. 3. c. 8. §. 1. 2. 5. seqq. p. 29.

Vers. 29. *Tonde capillum tuum, &c.*

Deus sibi contrariari videtur: hîc enim *jubet capillum tonderi*; at *vetat in Lege, ne radatur capillus*.

℟. Est hoc loco *repræsentativa* concio, & solebat in ejusmodi casibus Deus sæpe in Legem ceremonialem dispensare, ut præsentis temporis gesta meliùs expedirentur. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. art. 1. class. 2. n. 15. p. 708.

Vers. 34. *Cessare faciam vocem sponsi, & vocem sponsæ, &c.*

*Hebraismus* est: קוֹל חָתָן וְקוֹל כַּלָּה, *vocem sponsi, & vocem sponsæ*, h. e. *omnem & varium nuptialem plausum ac lætitiam*. Possunt hæc ad *Synecdochen speciei* referri. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 20. p. 75.

CAP. VIII. v. 4. *Nunquid cadent, & non resurgent? Si converteretur, annon reverteretur?*

Jeremias adhibet (1.) *Metaphoram*: ut enim *cadere* est *peccare*, sic *resurgere* notat *a peccato ad vitam novam pervenire*. (2.) *Ellipsin*. Annon *reverteretur*, scil. Deus? (3.) *Antanaclasin*: Si שׁוּב *converteretur*, annon יָשׁוּב *reverteretur*? Prius שׁוּב *veram ad Deum pœnitentiam*; posterius *gratiæ divinæ exhibitionem ἀνθρωποπαθῶς* significat. *Glass*. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 1. m. 1. p. 698. lib. 5. tract. 1. cap. 12. pag. 377. & tract. 2. cap. 3. p. 530.

Vers. 6. *Attendi & audivi, sed non sic loquentur: non est quisquam, quem pœniteat mali sui, dicendo, quid feci? Quisque eorum conversus est in cursum suum, tanquam equus inundans in prælium.*

I. Verba hæc continent (1.) *Synecdochen generis* pro specie: *Non est quisquam, quem pœniteat mali sui, &c.* hoc est, *plerique mali sunt & impœnitentes, paucissimi verò credentes & pii*. (2.) *Metaphoram*: quandoquidem *equus* שׁוֹטֵף *inundans in prælium* dicitur, hoc est; *impetu vadens*, ut Pagninus reddit, seu *cursu celerrimo*, instar *aquæ celerrimè inundantis*, impetum faciens in bello. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. pag. 266. & cap. 14. m. 2. n. 2. pag. 439.

II. *Flacius* par. 1. Clav. Script. p. 1133. vult, quandoque adverbium כֵּן, *hîc*, apud Hebræos in sermone *negativo* idem valere, quod, *ne tantillum*; ut hoc loco: לֹא־כֵן, *non sic*, hoc est, *ne tantillum* loquebantur.

℟. *Chaldæus, Pagninus, Lutherus, Junius* τὸ כֵּן commodè *nominaliter* accipiunt, & per, *rectum*, explicant: *Non rectum loquuntur*, hoc est, *prava & perversa*. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 29. not. 1. p. 511. seq.

Vers. 7. *Et populus meus non noverunt judicium Domini.*

Occurrit (1.) *Enallage numeri*: nomini enim collectivo singulari, *populus*, respondet verbum plurale *noverunt*, h. e. *novit*. (2.) *Metonymia causæ pro effectu*: nam *nôsse* est *expendere & curare*. *Ariam*. par. 4. Bibl. p. 51. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 1. m. 3. n. 1. p. 12.

Vers. 8. *Verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.*

*Salmeron* proleg. 4. suspicatur, *Editionem Hebraicam V. T. esse corruptam*, quod *Spiritus Dei malignitatem Judæorum, quâ textus Scripturæ vitiaturi sint, prævidens prædixerit*: quôd autem *prædictum*, illud *factum*.

℟. Locus hic detorquetur: neque enim vaticinium est de *corruptione textus Biblici*, ratione *materialis*; sed, *Lyra*, interprete, *de falsa & extorta legis interpretatione*, ratione *formalis*, ut ex v. 11. constat. Quanquam alii putant, *jactantiam redargui eorum*, qui legis titulô superbiebant; & sensum esse, ipsos Scribas, quum se *doctores legis* scriberent, fœdè mentiri. *Thumm*. in Disquis. de V. D. par. 1. p. 282. *Cham*. tom. 1. Panstr. l. 12. c. 11. §. 2 & 11. p. 216. seq.

Vers. 10. *A Propheta usq; ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium.*

Argumentum lolratinm, contra *immunitatem Pontificis & Concilii ab errore*, vide à φλυαρίαις Gretserianis repurgatum in Vindic. *Jer*. 6. v. 13.

Vers. 14. *Ingrediamur civitates munitionis, & quiescemus ibi: at Dominus Deus noster quietos reddet nos, cum dederit bibendum nobis succum cicutæ, &c.*

Reperitur h. l. (1.) *Enallage* substantivi in genitivo, *munitionis*, pro adjectivo, *munitas*. (2.) *Ironia*: Dominus Deus noster *quietos nos reddet*, q. d. *quiescentiæ certè*, sed non ita, uti vos existimatis, verùm omnis consilii ablatione, c. 4. v. 9. & violenta occisione, quod innuitur phrasi, *dare bibendũ cicutæ succum*.

nim, *soporiferorum & lethiferorum*, q. d. soporabit exponendos morti. (3.) *Antanaclasis*: nam prius *quies* cere bonum sumitur, de *securitate & immunitate adv. us hostes*; posterius in *malum*, de *pœna di vi. a, & violenta morte*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 707. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 87. seq. & tr. 2. cap. 3. p 530.

Vers. 15. *Expectate pacem, sed nihil boni; tempus curationis, & ecce terror.*

*Ironica* hæc est ad *spem pacis hortatio*, quam omnimodò *inanem fore*, Propheta innuit. *Glass.* lib. 5. Philol Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 88.

Vers. 16. *A Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra.*

*Schoppius* in Synt. de Anti hr. exinde probare nititur, *Antichristum nasciturum esse ex tribu Dan*, quia *à Dan audiendus sit fremitus equorum Antichristi*, cujus typus fuerit *Nabuchodonosor*.

Rc. (1.) *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 12. & *Viegas* in Apoc. 13. comm. 2. sect. 4. pag. 702. fatentur, Jeremiam non loqui de *Antichristo*, sed de *Nabuchodonosore*, qui venturus erat ad Hierusalem evertendam, per regionem eam, quæ dicebatur *Dan*. Dan enim in finibus Judææ erat posita, per quam ex *Mesopotamia* & *Babylone* Hierosolymam itur. (2.) Quod autem *Nabuchodonosor* typus fuerit *Antichristi*, non valdè repugnamus: sciretamen debebat Apostata, scripturam *typicam* non esse argumentativam, eumque, qui *allegorias* in *demonstrationes* transformat, judicio carere. (3.) Neque necesse est, ut typus in *omnibus* congruat cum antitypo: satis est, si in *principalioribus*. Ita sanè congruit ad *Antichristum*, quòd (ut Propheta loquitur) voce *pugnatorum*, h. e. *Monachorum & Iesuitarum* suorum, ad cædes & bella paratorum, commovet terram, quodque venerint illi, & devoraverint terram, &c. id quod plusquam verum esse, exempla locorum istorum testantur, ubi *novi illi Pharisæi* ædes viduarum, imò palatia Principum, devorare pergunt, sicut de *veteribus Pharisæis* dixerat Christus, *Matth.* 23. v. 14. Cæterùm *locus*, unde egredi dicitur *Nebucadnezar*, ut antitypo respondeat, non est necesse: aliàs sequeretur, Antichristum ex tribu *Ephraim* quoque nasciturum, quia utramque tribum Propheta, *Ierem.* 4. v. 15. ubi eadem expeditio, quæ hoc in loco, describitur, nominat; id verò Papistæ non asserent. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. c. 2. thes. 19. 24. p. 127. 128. seq. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib 2. spec. par. 1. p. 792. *Cham.* tom. 2. Panst. l. 1. c. 9. §. 11. & 14. p. 373.

Vers. 17. *Quia ecce ego mitto in vos serpentes aspides, quibus non est incantatio; & mordebunt vos, ait Dominus.*

En (1.) *Enallagen temporis* præsentis *mitto*, pro futuro, *missurus sum*. (2.) *Metaphoram*: qui *serpentes aspides & mordentes* signi*ficant Chaldæos*, hostes Judæorum virulentos & *crudeles*, instar *aspidum*. (3.) *Pleonasmum* *est* enim abundat. (4.) Ellipsin: *Quibus non incantatio*, scilicet *est*, id est, *contra quos nihil valet incantatio*. *Arias*, par. 4. Bibl. pag. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. pag. 280. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 329.

Vers. 18. *Confortatio mea est in mœrore, in me cor meum languet.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: nam cor pro *animo* ponitur. Sensus est verborum Prophetæ: *utcunque conor dolorem animi a me depellere, dejicit tamen animus*. Lutherus *ἀνθρωποπαθῶς* refert ad Deum: **Da wil ich mich meiner Mühe/ und meines Hertzeleydes ergetzen.** Sed rectius ad *Prophetam*, quam ad Deum, verba ea referuntur. *Glass.* lib 5. Philol. Sacr. tract 1. cap. 7. p. 120.

Vers. 20. *Præteriit messis, finita est æstas, & nos non salvati sumus.*

*Metaphora* est, quâ *messis* & *vindemia* bonam *liberationis*, *indeque exortæ lætitiæ commoditatem* notat, q. d. omnes speratæ salutis atque auxilii commoditates nobis perierunt, & nos pariter periimus. *Lætitia* enim in scripturis têpore *messis* & *vindemiæ* (quæ in desinentem æstatem incidit) figurari solet. *Psal.* 4. v. 8. *Esa.* 9. v. 3. cum utroque in tempore, frumentorum & vini perceptione, gaudii materia hominibus subministretur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 302.

CAP. IX. v. 3. *Quia de malitia in malitiam egressi sunt, &c.*

*Hebraismus* est: מֵרָעָה אֶל־רָעָה יָצָאוּ, *de malitia in malitiam exierunt*, h. e. *subinde pejores fiunt*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 281. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 2. p. 520.

Vers. 7. *Ecce ego excoquo eos, & probabo eos quia quomodo faciam propter filiam populi mei?*

In textu hoc habetur (1.) *Enallage temporis* præsentis, *excoquo*, pro futuro, *excoquam*. (2.) *Metaphora*, quâ *excoquere* ad *examinationem & purificationem piorum*, quæ fit per *crucem*, sicut *aurum & argentum* probatur per *ignem*, transfertur. Chaldæus: *Ecce ego adducam super eos tribulationem, & excoquam eos &c.* (3.) *Prosopopœia*: nam *filia* nomen *populo* Dei tribuitur, quo Vatablus *congregationem* intelligit. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 281. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 246. Confer cap 9. p. 207.

Vers. 15. *Ecce ego cibo eos, populum hunc, absynthio, & potabo eos succò cicuta.*

Iteratur (1.) *Enallage temporis* præsentis, *cibo* pro futuro, *cibaturus sum*. (2.) *Metaphora* nam *absynthium*, ob summam amaritudinem, *exquisitas afflictiones*; & *succus cicutæ*, qui *soporifer* & lethi*fe*r, *violentam occisionem* designant. *Iun.* in Bibl. h. l. pag. 8. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. pag. 292. & cap. 12 pag. 361.

Vers. 17. *Vocate lamentatrices, ut veniant, & ad præficas mittite, ut veniant.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: non quidem probat Dominus *simulatum præficarum in funeribus planctum*, sed *adducta consuetudine agendi vulgata*, de *instantium calamitatum acerbitate* populum admonet. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 73.

Vers. 18. *Et festinent & assumant de nobis lamentum, & descendant oculi nostri lacrymam, & palpebræ nostræ defluant aquis.*

I. Verba hæc continent (1.) Hebraismum: *Festinent & assumant*, pro, *festinanter assumant*. (2.) *Enallagen numeri* singularis, *lacrymam*, pro pluralis, *lacrymas*, id est, *colluviem lacrymarum*. (3.) *Hypallagen*, quâ *oculi descendere lacrymas* dicuntur, hoc est, *lacrymæ descendant ex oculis*. Chaldæus: *Et emittant oculi nostri lacrymas*. (4.) Hyperbolen: *Palpebræ nostræ defluant aquis*, q. d. palpebræ oculorum nostrorum, præ maximo fletu, quasi liquescant & defluant. Uti Germani hyperbolicè loqui solent, **die Augen aus dem Kopff weinen**

Arias.

*Ariam.* par. 4. Bibl. pag. 53. *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 706. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. pag. 282. *Glaſſ.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. obſerv. 21. not. 2. p. 740.

II. Ἐναντιοφανὲς oritur: Judæi enim *jubentur lamenta & præficas ſuper mortuos aſſumere*: id quod tamen *Deus in Lege prohibuit*.

℞. Deus non *probat morem hunc*, ſed à conſuetudine vulgata *occaſionem ſumit excitandi populum ſuum*, ut ingruentia mala non negligat, ſed maturè pœnitentiam agat. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. claſſ. 2. n. 17. p. 708.

Verſ. 24. *Sed in hoc ſe laudet laudans ſe, intelligendo & cognoſcendo me, quia ego Dominus faciens miſericordiam, jus & juſtitiam in terra, quia in illis volui, ait Dominus.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Metonymia cauſa pro effectu*: nam *cognoſcere Dominum*, eſt, *in ipſum credere & ſperare*. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *volui*, pro præſenti, *volo*, i. e. *complacitum eſt mihi*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 283. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. p. 14.

CAP. X. v. 2. *A ſignis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes.*

Nonnulli pro nihilo habenda eſſe putant, *quæ ex aſtris prædicuntur*, cum *à ſignis cœli nemo metuere debeat*.

℞. Eſt fallacia à *non cauſa, ut cauſa*: prohibet enim Jeremias, ne pii metuant ſigna cœli, non quia *nihil mali denuncient*, ſed quia *inter illa pericula Deus eos regere ac ſervare velit*. Nam cum *ſigna* nominat, ſentit, ea res *magnas ac triſtes* minari; unde *Geneſ.* 1. v. 14. *aſtra* dicuntur eſſe facta, ut ſint *in ſigna*, puta futurorum. *Pezel.* par. 2. arg. & reſp. Theol. p. 67. & 69.

Verſ. 3. *Quia ſtatuta populorum vanitas ipſa, quia lignum ex ſylva ſcidit illud, opus manuum artificis in dolabra.*

Propheta utitur (1.) *Enallage generis*: nam הוּא *ipſe*, genere maſculino & numero ſingulari convenit cum הֶבֶל, *vanitas*, cum deberet convenire plurali fœminino antecedenti חֻקּוֹת, *ſtatuta*. (2.) *Ellipſi* tum nominis, *ſcidit*, ſcil. *faber*; tum participii, *In dolabra*, ſubint. *factum*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 283. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 18. p. 208.

Verſ. 6. *Propter non eſſe ſicut tu Domine, magnus tu & magnum nomen tuum in fortitudine.*

I. Præfixum מ ſignificat PROPTER: מֵאֵין כָּמוֹךָ, *propter non ſicut te*, hoc eſt, *eò quòd non eſt par tibi*, ac ſi eſſet, בַּעֲבוּר שֶׁאֵין כָּמוֹךָ. *Glaſſ.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. obſervat. 4. m. poſter. n. 1. p. 661.

II. Apparentem quandam *contradictionem*, & *Vorſtii* ratiocinium pro *Dei corporeitate*, vide enodatum in Vindic. *Pſal.* 86. v. 10. m. 1. & *Pſal.* 89. v. 7. m. 2.

Verſ. 8. *Et in uno deſipient & ſtulteſcent, eruditio vanitatum lignum ipſum.*

Occurrit (1.) *Enallage temporis* futuri, *deſipient & ſtulteſcent*, pro præſenti, *deſipiunt & ſtulteſcunt*. (2.) *Metonymia materiæ pro materiato*: quia *lignum* ponitur pro *idolo ligneo*, etſi per *ſynecdochē* comprehenduntur *idola omnia*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 284. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 709. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 4. cap. 1. m. ult. p. 21.

Verſ. 11. *Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de ſub cœlo hi, &c.*

*Chriſtus eſt creator cœli & terræ*: alioqui aut *non eſt Deus*, aut *debet exterminari de mundo*: quorum tamen neutrum concedendum.

*Socinus* in Refutat. argum. Bellarm. & Wieck. p. 458. ſeq. excipit: 1. Hieremiam non loqui de *omnibus Diis*, ſecus exterminandos eſſe & *alios Deos*, qui tamen Jehovæ ſint chari; ſed de iis, qui *Iehovæ Deo opponuntur*, atque ut *primi rerum auctores* coluntur: *Chriſtum* vero Jehovæ Deo non *opponi*, ſed *ſubordinatum* eſſe Deo vero, ut omnium rerum unico auctori, ab ipſoque totum pendere.

℞. (1.) Dictum hoc Jeremiæ de *omnibus Diis*, citra ullam exceptionem aut reſtrictionem, intelligendum eſt, quod patet ex ipſa litera, quæ *univerſaliter* loquitur, ideoque ſervandum τὸ ῥητὸν, præſertim quia *ſubjecta materia* non oſtendit *exceptionem* aut *reſtrictionem* aliquam. (2.) Abſurdè diſtinguit Adverſarius inter Deum *altiſſimum*, & inter Deum *ſubordinatum*: ſiquidem Scriptura *unum Deum* aſſerit, & præter eum non agnoſcit alium. *Eſ.* 44. v. 6. & 8. (3.) Abſurdi deductio ex contrario, ad probandam neceſſitatem *reſtrictionis*, laborat ignoratione elenchi: agit enim de iis, qui *impropriè & metaphoricè* à Deo verè dicuntur Dii; cum in loco illo Hieremiæ ſit quæſtio de *propriè* ita falsò dictis ab hominibus.

2. Dictum iſtud non ad *omnia conſequentia tempora* pertinere, cum Chriſtus, quando Hieremias iſta ſcripſit, nondum fuerit, & ex loco ipſo conſtet, hanc fuiſſe admonitionem Hieremiæ ad Judæos, *qui tunc temporis in Babylonia degebant*, ut ſcirent, quid ſibi reſpondendum eſſet Chaldæis illis, ſi ab ipſis ad idola colenda ſollicitati fuiſſent.

℞. [1.] Illud dictum ad *omnia conſequentia tempora* pertinere, facilè eſt colligere ex ejus argumento, quod eſt αἰτιολογικὸν, & *juris perpetui*: cuivis enim tempori convenit, quod in eo dicitur, *omnes illos Deos, qui non fecerunt cœlum & terram*, (quo in numero ſunt omnes, qui non *natura & eſſentia* ſunt Deus ille Iſraël, ſed *falſa* hominum opinione) *eſſe exterminandos*. [2.] *Chriſtum nondum fuiſſe, quando Hieremias iſta ſcripſit*, gratis dicitur à Socino: contrarium enim aſſerit Chriſtus ipſe; *Ioh.* 8. v. 58. [3.] Certum eſt, *occaſionem* dicti poſſe eſſe *certi temporis*, & *dictum ipſum* pertinere ad *quodvis* tempus. Sic quod *Pſal.* 14. v. 1. 2. 3. & *Pſal.* 53. v. 2. 3. 4. ex *occaſione illius temporis* ſcriptum eſt, id pertinere ad *omnia tempora*, patet ex allegatione Apoſtolica, *Rom.* 3. v. 10. 11. 12. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 895. 896. 902. ſeq.

Verſ. 17. *Recipe de terra mercem tuam, habitans in munitione.*

Offert ſe [1.] *Metonymia adjuncti* pro ſubjecto: *Recipe de terra mercem tuam*, hoc eſt, *conſarcinate & convaſate veſtra precioſa*, v. 9. ut exportetis hinc. Senſus eſt: *Non permanendum ibi, ſed in captivitatem abducendos eſſe Iudæos*, ut cap. 18. v. 19. ſeq. explicatio *divini judicii* apertè ſubjungitur. Solent enim, qui loco munito diffidunt, & ab expugnatione hoſtili metuunt, precioſa ſua inde ad alia loca ſecura exportare. [2.] *Ironia*: nam huic Dei ſermoni ſubeſt *ſarcaſmus*, quaſi dicat, *minimè poteritis quicquam* ad liberandos vos & veſtra, efficere. [3.] *Enallage ſubſtantivi* pro *adjectivo*. In *munitione*, id eſt, in *munito loco*. *Ariam.* part. 4. Bibl. pag. 53. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. pag. 73.

Verſ. 18. *Et anguſtiabo eos, ut inveniant.*

Est hic (1.) *Ellipsis nominis*, ex voce correlata eruendi: *Ut inveniant*, scil. *angustiæ eos*, uti Pagninus supplet. Alii ad *homines, plagis affectos*, referunt: *Ut inveniant*, h. e. *deprehendant*, daß sie es befinden. Targum: *Ut accipiant vindictam peccatorum.* (2.) *Prosopopœia*: nam de *angustiis* dicitur, quòd *inveniant homines*, quasi circumambulantes quæsiissent seu persecutæ eos fuissent: ubi מצא *invenire*, est pro, *contingere* vel *evenire*. Glass. lib. 5. Philol. Sac. tract. 1. cap. 9. p. 213.

Vers. 19. *Hei mihi propter contritionem meam, ægerrima est plaga mea; ego autem dicebam: Utiq; hæc infirmitas est, quam perferam.*

En (1.) *Mimesin*, quâ formula luctûs, *Hei mihi propter contritionem meam, ægerrima est plaga mea*, in magnis Judæorum calamitatibus proponitur. (2.) *Metaphoram*: Utique *hæc infirmitas* est &c. q. d. putabam prius, *levissimum hoc futurum malum*, instar *febriculæ* cujusdam, unde citò liberandus essem, &c. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. pag. 354.

Vers. 20. *Tentorium meum vastatum est, & omnes funiculi mei disrupti sunt: filii mei egressi sunt me, & non ipsi, &c.*

Iteratur (1.) *Metaphora*: nomine enim *tentorii* intelligitur *Ierusalem*, uti *funiculorum*, quibus pelles tentorii extenduntur, *reliquæ civitates Israelis*. Chaldæus: *Terra mea desolata est, & omnes civitates meæ venerunt in prædam.* (2.) *Enallage*, quâ affixum, verbo *additum*, pro *separato* seu *absoluto* pronomine usurpatur: יְצָאֻנִי, *egressi sunt me*, pro, יָצְאוּ מִמֶּנִּי, *egressi sunt ex me.* (3.) *Hebraismus*: וְאֵינָם, *& non ipsi*, h. e. *non extant ulli*. Jun. in Bibl. h. l. p. 709. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 285. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. not. 2. p. 166.

Vers. 22. *Vox auditus ecce venit & commotio magna è terra Aquilonis, &c.*

Continuatur (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *auditus* pro *rumore* est. (2.) *Enallage* קוֹל שְׁמוּעָה הִנֵּה בָאָה, *vox auditus ecce venit*; ubi prius nomen *masculinum* est, posterius *fœmininum*, cui verbum fœmininum respondet. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 285. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 54. p. 399.

Vers. 23. *Scio Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos.*

I. *Manichæi* negarunt, *hominem in actionibus externis habere liberum arbitrium*, quia *hominis non est dirigere vias & gressus suos.*

℞. Verba Prophetæ, de *via & directione gressuum*, non *simplici* sensu de *locomotiva* accipiuntur, sed sensu *figurato* ad *potestatem eventuum* referenda sunt, quos non in *hominis arbitrio*, sed in *Dei providentia* positos, Propheta affirmat. Inde verò non tollitur *libertas voluntatis humanæ*, cum a *gubernatione eventuum* ad *ipsum principium agendi*, quod est *voluntas hominis*, vitiosa instituatur collectio. *Hutter.* in LL. Theol. p. 275. & in Explic. libr. Concord. art. 2. cap. 3. antith. 1. p. 191. seq. Vide *Chemnitium* part. 1. LL. Theol. loc. 6. de liber. arbitr. c. 2. p. 185. seq. latius respondentem.

II. Quidam Theologi eodem utuntur fundamento contra *Papistas* videlicet *hominem in rebus spiritualibus nullum habere liberum arbitrium*, cum *gressus suos ad Deum dirigere nequeat.*

*Costerus* in Enchir. c. 5. p. 221. reponit, Jeremiam nihil dicere aliud, quàm *homini necessarium esse divinum auxilium, ut dirigat vias suas*, hoc est, ut recte ad Dei præcepta instituat vitam suam; hoc tamen non impedire *arbitrii libertatem*.

℞. Si omnino locus iste de *rebus spiritualibus* accipiatur, optimo jure dici poterit, Jesuitam vim inferre textui: *Non est*, inquit Spiritus Sanctus, *non est*, inquit iterum, hominis via, &c. *Meyfart.* in Anticost. disp. 6. thes. 123.-128. p. 335.-338.

CAP. XI. v. 4. *Quod præcepi patribus vestris in die educere me eos è terra Ægypti, e fornace ferrea, dicendo &c.*

Verba hæc exhibent (1.) *Synecdochen* tum *speciei* pro *genere*, dum *patres* pro *majoribus* ponuntur; tum *partis* pro *toto*, quoniam *dies* pro *tempore* est. (2.) *Enallagen infinitivi* pro *nomine*: In die *educere*, h. e. *eductionis*, q. d. *quo eduxi eos*. (3.) *Metaphoram*: siquidem *fornax*, in qua metalla liquefiunt & purgantur, pro *afflictionum divinitus immissarum loco* accipitur, cui epitheton *ferrea* additur, ad *servitutis & tribulationum duritiem* seu *sævitiam* innuendam. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 54. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 710. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. pag. 246.

Vers. 13. *Quia numerum civitatum tuarum fuerunt Dii tui, Iehudah, & numerum platearum Ierusalem posuistis aras pudori, aras ad suffiendum Baali.*

Occurrit (1.) *Ellipsis* particulæ כְּ: *Secundùm* numerum civitatum, & *secundùm* numerum platearum &c. (2.) *Metonymia effecti* pro *causa*: nam *pudor* pro *idolo* accipitur, cujus appellationis rationem exprimit ipse Jeremias c. 48. v. 13. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 54. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 26.

Vers. 14. *Tu noli orare pro populo hoc. &c.*

Argumentum *Novatianorum*, adversus *spem veniæ, à gravioribus peccatoribus concipiendam*, itemque *Scholasticorum*, contra *intercessionem pro hæreticis*, vide solutum in Vindic. *Ierem.* 7. v. 16.

Vers. 15. *Quid dilecto meo in domo mea, facere ipsam abominationes multas? Nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?*

I. Videre jam est (1.) *Ironiam*: Quid *dilecto meo* in domo mea? quæ verba sarcastica sunt ad Judæos directa; siquidem in antecedente & consequente contextu *gravissimorum scelerum & idololatriæ nefandæ* arguuntur. (2.) *Enallagen* relativi pro antecedente: *Facere ipsam*, i. e. cum faciat *Synagoga*. (3.) *Synecdochen*, quâ sacrificium *carnis* appellatione designatur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 287. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 710. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5 p. 84.

*Bellarminus* l. 2. de Effect. Sacram. c. 14. arg. 1. negatur, *Sacramenta V. T. non justificasse*, quoniam *sacrificia pro peccatis*, per *carnes sanctas* indigitata, *non auferre potuerunt malitias hominum*, easdem carnes offerentium.

℞. Locus iste ex *Hebræo* in *Vulgata* Latina perversissimè est expressus. *Arias* ad verbum: *Et carne sanctuarii transibunt desuper te, quia malitiâ tuâ tunc exultasti.* Pagninus: *Et carnes sanctitatis transeunt a te, quia malitiâ tuâ exultas.* Unde constat [1.] audacem fuisse neglectum particulæ כִּי, *quia*, quæ semper inchoat novum orationis membrum. [2.] Verbum, יַעַבְרוּ, malè construi cum רָעָתֵךְ, quasi dictum, *auferent malitias tuas*. [3.] Phrasin Hebraicam, *transibunt à te*, significare, *deferent te, auferentur à te, nulla supererunt tibi*. Intelligit autem *Pagninus*, mutata fuisse *sacrificia legitima* in *idololatriam*. Hoc verò quid ad *sacrificiorum*

*rum inutilitatem?* Cham. tom. 4. Panstr. l. 3. c. 5. §. 1. & 3. p. 62.

Vers. 16. *Oleam virentem, pulcrum fructu formosè vocavit Dominus nomen tuum: ad sonum conflictus procellarum grandis exarsit ignis super eam, & confregerunt ramos ejus.*

In versu hoc reperitur (1.) *Metaphora*: nam *populus Israeliticus* dicitur *olea virens & pulcra fructu formoso*, ob *dignitatem*, quâ à Deo ornatus fuerat, q. d. instar oleæ virentis & frondosæ eras, quæ pulcerrimè effloreſcit, & spem fructus sui faciebat. (2.) *Allegoria*: calamitas enim populi Israelitici ob peccata præviam dignitatem subsecutura figuratur *florum oliva*, per concursantes ventorum procellas, decussione, *ramorum* perfractione, & *arboris* trunci per ignem consumtione, q. d. hostes rapidissimi parvos & magnos trucidabunt, & ipsam urbem igne consument; quæ quidem gesta esse ostendunt ultima capita libr. Regum, Chronicorum & Jeremiæ ipsius. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 710. *Glass.* libr. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 295. & cap. 20. pag. 490. seq.

Vers. 19. *Et ego tanquam agnus, bos ducetur ad jugulandum & non cognovi, quod contra me cogitaverunt cogitationes: Mittamus lignum in panem ejus, & succidamus eum è terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs.*

I. In Hebræo est (1.) Ellipsis: *Et ego*, scil *eram*, tanquam agnus *aut* bos, *qui* ducetur &c. (2.) *Enallage temporis* futuri, *ducetur*, pro præsenti, *ducitur*, vel *duci solet*. (3.) *Metaphora*: nam Jeremiam Judæi vocant עץ *arborem & fructum arboris* doctrinam ipsius: sicut & Christus doctores *arbores* vocat, & doctrinam eorum *fructus*, Matth. 7. vers. 16. (4.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: quia לחם, *panis*, significat *fructum*, ut Aben-Ezra testatur in *Exod.* 16. Unde R. Kimchi exponit בפריו, *cum fructu suo*. Itaque ex lingua sancta textus authenticus optimè sic redditur à Forstero in præfat. Diction. Hebraici: *Dejiciamus arborem cum fructu suo*; quæ phrasis עץ השחית, *de dejectione & extirpatione arborum* etiam *Deut.* 20. v. 19. accipitur. *Arian.* part. 4. Bibl. pag. 54. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observat. 22. pag. 743. seq. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 290.

II. *Anonymus* quidam Semijudæus in tract. 2. de Origin. & fundam. relig. Christ. autumat, *Esaiam* c. 53. v. 7. loqui de *Ieremia*, cum hoc ipsum in *eo* sit impletum, eodem *Ieremia* teste.

℞. Etsi verba Esaiæ *aliquo modo* congruant cum historia Jeremiæ, non tamen propterea inferendum est, *verba Esaia continere vaticinium de Ieremia*. Oportet enim plura adesse argumenta, *identitatem historia* demonstrantia, ut suprà in vindicatione loci illius indicatum fuit. *Iacob. Martin.* l. 3. de [...]b. Eloh. e. 103. pag. 594. & e. 106. pag. 636.

[...] Salmeron blateravit, *textum Hebræum hoc loco esse corruptum*, quòd *Iustinus Martyr* in Dialog. cum Tryphon. testetur, verba illa, *mittamus lignum in panem ejus, &c.* à Judæis malitiosè fuisse sublata; cum vero in quibusdam vetustis exemplaribus Hebraicis essent inventa, postea esse restituta.

℞. Falsum, quod Jesuita dicit. Nam *Iustinus* loquitur de Codicibus *Græcis*, non autem *Hebræis*. Et tamen si de *Hebræis*, quid hoc adversum ea, *quæ nunc habemus*, exemplaria? nam in *omnibus* eadem illa verba leguntur Hebraicè. Cur non dicamus integra & authentica? Adeon' tenax injuriarum Papistæ? adeon' hostis codicum sacrorum, ut Judæorum olim κακομηχανίαν non possit traducere, non accusatis sacris codicibus? *Cham.* tom. 1. Panst. l. 12. c. 12. §. 86. seq. p. 222. *Glass.* l. 1. Philol. Sac. tract. 1. par. 1. p. 4. seq.

Vers. 20. *At Domine exercituum, judicans justitiam, probans renes & cor, videam ultionem tuam de eis, quia ad te revelavi litem meam.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Hebraismus*: שׁפט צדק, *judicans justitiam*, h. e. *justè*. (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam Deus dicitur *probare renes & cor*, i. e. *exactissimè scire etiam intimas cogitationes & abstrusissimos affectus hominum*. (3.) *Synthesis*: Ad te *revelavi* litem meam: h. e. *revelatam committo*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 287. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 711. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 1. p. 33.

II. Nonnulli censent, *posse quempiam à Deo licitè optare ultionem divinam inimicis suis*, quoniam *Ieremias optet à Deo videre ultionem ex inimicis suis*.

℞. Optat id ipsum Jeremias, non ex *vitioso affectu*, sed ex *pio zelo*, commendans Deo causam suam, sicut ex immediatè subsequentibus verbis patet: *Tibi enim revelavi causam meam*. Balduin. de Casib. conscient. l. 2. c. 7. cas. 8. p. 242.

Vers. 23. *Et residuum non erit eis, quia inducam malum in viros Anathoth, annus visitationis eorum.*

Ecce (1.) *Hebraismum*: אַנְשֵׁי עֲנָתוֹת, *viros Anathoth*, i. e. *Anathothanos*. (2.) *Synecdochen partis pro toto*: nam *annus* pro *tempore* est. (3.) Ἀνθρωποπάθειαν: quia *visitatio* Dei notat *realem iræ & supplicii exhibitionem*. Chaldæus: *Anno visitationis peccatorum eorum*. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 711. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 287. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 17. m. 3. p. 464. Confer cap. 7. p. 144.

CAP. XII. v. 1. *Quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus, qui prævaricantur, &c.*

Argumentum *Epicuræorum* contra *Dei providentiam*, vide solutum in Vindic. *Iob.* 21. v. 7.

Vers. 2. *Plantâsti eos, etiam radicati sunt, profecerunt, etiam fecerunt fructum: propinquus tu in ore eorum, & longinquus à renibus eorum.*

Est hic (1.) *Metaphora*: tum quia verbum *plantandi*, Deo tributum, accipitur pro *provehere, augere & felicitate donare*; tum quia *radicari*, est, *bene se habere & multiplicari*. (2.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: nam *à renibus improborum* seu *hypocritarum Deus esse longinquus* dicitur, quia etsi *exteriùs* de Dei timore glorientur (quod ibidem Propheta vocat, *Deum propinquum esse in ore eorum*, qua de re confer *Ies.* 29. v. 13.) ab *intimo* tamen eorum *affectu, amore ac desiderio Deus longè abest*, omnique ejus timore serio ipsi destituti sunt, ut probè Chaldæus interpretatur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 287. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 1. p. 33. cap. 11. p. 287. & 290.

Vers. 5. *Si cum peditibus cucurristi, & defatigârunt te, quomodo ergo misceres te cum equis? Et si in terra pacis tu fidens, & quomodo te geres apud elatum Jordanem?*

Verba hæc continent (1.) *Enallagen temporis* præteriti, *cucurristi & defatigarunt*, pro præsenti, *curris & defatigant*. (2.) *Ellipsin* tum relativi, *Cui tu fidens*, tum verbi, ex membro præcedente repetendi; *Tu fidens*, defatigant te. (3.) *Allegoriam*, quâ Deus comparat Jeremiæ populares, cives Anathoth, *peditibus*; Hierosolymitanos verò *equitibus*, & *Jordanis exundanti*, Jehos. 3. v. 15. ut significet, *hos* illis con-

contumaciores & ferociores fore. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 711. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 20. pag. 491.

Verſ. 7. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectionem animæ meæ in manu hoſtium ejus.*

En [1.] *Enallagen temporis* præteriti, *reliqui, dimiſi, dedi*, pro futuro, *relicturus, dimiſſurus, daturus ſum.* [2.] *Metonymiam adjuncti* pro ſubjecto: *Dilectionem animæ meæ*, h. e. *populum dilectum coram me*, ut Chaldæus vertit. [3.] Ironiam: *Dilectam mihi*, ſcilicet! nam *odi eam*, v. 8. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 711. *Vatabl.* in Annot. ad eundem loc. pag. 288. *Glaſſ.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 5. p. 66. & cap. 5. p. 84.

Verſ. 9. *Nunquid avis digitata hæreditas mea mihi? O avis circumquaque in eam! Ite, congregate vos omnis beſtia agri, venite ad devorandum.*

*Metaphora* eſt: Deus enim *populum præfractum* comparat *volucri rapaci*, quæ uncis unguibus, tanquam digitis, in prædam involat. *Plin.* l. 11. Natur. Hiſtor. c. 47. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 331.

Verſ. 10. *Paſtores multi corruperunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, dederunt portionem deſiderii mei in deſertum deſolationis.*

Iteratur (1.) *Metaphora*: nam *paſtores* ſignificant *gubernatores.* (2.) *Enallage temporis* præteriti, *corruperunt, conculcaverunt, dederunt*, pro futuro, *corrupturi, conculcaturi, daturi ſunt.* (3.) Hebraiſmus: *Daturi ſunt portionem deſiderii mei in deſertum deſolationis*, h. e. *redacturi ſunt portionem mihi deſideratiſſimam in deſertum deſolatiſſimum.* *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 711. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 328.

Verſ. 12. *Gladius Domini comedit ab extremitate terræ & usq; ad extremitatem terræ, non pax omni carni.*

In hoc textu comparet (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *gladius*, Deo tributus, *iræ & vindictæ divinæ* ſymbolum eſt. (2.) *Proſopopœia*: quia *comedere* tribuitur *gladio inanimato.* (3.) *Enallage antecedentis pro relativo*: Ad extremitatem *terræ*, h. e. *ejus.* (4.) *Synecdoche partis pro toto*: Omni *carni*, h. e. *homini.* *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 288. Confer *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 155. cap. 9. p. 203. ca. 17. m. 1 p. 460.

Verſ. 13. *Cleri eorum non proderunt eis, &c.*

*Bellarminus* l. 1. de Cler. c. 1. diſputat, *Cleri* appellationem ſolis *Eccleſiæ miniſtris* competere, cùm illa ipſa *ordinibus Eccleſiaſticis* peculiariter à Jeremia attribuatur.

℞. Nihil minùs ex hoc loco probari poteſt, quàm *Cleri Papalis* appellatio. Nam 1. in Hebræo verbum, נִחָלוּ, non notat, *Clericos eorum*, ſed *hæreditatem acceperunt*, ut rectè habet *Vulgata Editio*, à radice נָחַל, *hæreditavit* ſive *hæreditate accepit*, Hieronymo teſte. (2.) Prop[heta] non de *ſpiritualis*, ſed de *terreſtri* hæreditate lo[q]uitur, nempe de hæreditate *bonorum temporalium* [u]t *agrorum*, Johanne Mariana annotante. ( .) Neque [ſ]ermo eſt de *ſolis Levitis*, ſed de *Iudæis in genere*, quibus juſtam Dei pœnam, in ablatione *bonorum temporalium* conſiſtentem, S. Vates annunciat, adeò ut ſeminaturi ſint triticum, meſſuri autem ſpinas, auxilio contra hanc ſterilitatem è terræ Chanaan fertilitate fruſtra ſperato; ſtatim enim ſubjicitur: *Erubeſcetis ex proventibus veſtris præ æſtu iræ Iehovæ.* Meiſner. par. 2. Philoſ. ſobr. ſect. 1. cap. 2. q. 10. obj. 1. p. 316. ſeq. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 26. de Miniſt. Eccleſ. § 38. p. 57. *Brochm.* tom. 2. Syſt. Theol. art. de Miniſt. Eccleſ. c. 2. q. 2. obj. 1. p. 904. *Cham.* tom. 5. Panſtr. l. 4. c. 2. §. 4. p. 156. ſeq.

Verſ. 15. *Miſerebor rurſus eorum, & reducam eos, &c.*

*Iudæi* ſperant, *ſe recepturos eſſe Palæſtinam*, quòd eos *Deus reducturus ſit in terram patriam.*

℞. Propheta de *ſecunda* reductione agit, non de *tertia* aliqua, quam fruſtra ſibi fingunt Judæi teſte Angelo. *Dan.* 9 v. 27. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. claſſ. 4. n. 8. p. 710.

CAP. XIII. v. 16. *Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam contenebreſcere faciat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes crepuſculi: & expectabitis ad lucem, & ponet eam in umbram mortis, ponet in caliginem.*

Jeremias utitur 1. *Metaphorâ*: tum quia phraſin, *pedes offendere ad montes*, accipit pro, *in ſummas calamitates perferri*; veluti ſi quis in *totum montem* impingit, graviùs læditur quàm ſi in *parvum lapidem*: tum quia ut *lux* proſperitatem, ita *tenebræ & caligo* adverſitatem ſignificant. (2.) *Ellipſi* partim nominis adjectivi, *Crepuſculi*, ſcil. *nocturni*, h. e. *caliginoſi*, partim conjunctionis copulativæ, ex membro antecedente repetendæ: *Et* ponet in caliginem. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 56. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 290. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 253. & cap. 12. p. 349.

Verſ. 17. *Et ſi non audieritis hoc, in occultis plorabit anima mea propter ſuperbiam, & lacrymando lacrymabitur, & de[ſcen]det oculus meus lacrymam, quia captivatus eſt grex Domini.*

Eſt hic (1.) Epizeuxis: *Lacrymando lacrymabitur*, i. e. *valdè lacrymabitur.* (2.) Hypallage: *Deſcendet oculus meus lacrymam*, pro, *lacryma deſcendet ex oculo meo.* (3.) *Pleonaſmus*, quo idem quoad *ſenſum* repetitur, & *ſerius ploratus* ac συμπάθεια emphaticè deſcribitur. (4) *Enallage* tum *numeri* ſingularis, *oculus meus lacrymam*, pro plurali, *oculi mei lacrymas*, vel *ex oculis meis lacrymæ* deſcendent; tum *temporis* præteriti, *captivatus eſt*, pro futuro, *captivabitur.* *Ariam.* par. 4. Bibl. p 56. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 712. *Glaſſ.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. obſerv. 15. m. 1. p. 730. Confer obſerv. 21. not. 2. p. 740.

Verſ. 18. *Dic Regi & heræ: Abjicite, ſedete, quoniam deſcendit principalitates veſtra, corona gloriæ veſtræ.*

Reperitur hoc loco (1.) *Hebraiſmus*: הַשְׁפִּילוּ שֵׁבוּ, *abjicite, ſedete*, h. e. *abjectiſſimè ſedete.* (2.) *Enallage numeri* pluralis, *principalitates veſtra*, pro ſingulari, *principalitas veſtra*, i. e. *principatus veſter.* (3.) *Metaphora*: nam *corona* notat *regiam dignitatem & ornatum.* *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 56. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 290. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 35. p. 346. & lib. 5. tract. 1. cap 12. p. 402.

Verſ. 19. *Civitates Auſtri clauſæ ſunt, & non aperient: deportata eſt Iehudah, tota ipſi deportata eſt pacatorum.*

In verſu hoc habetur (1.) *Synecdoche totius pro parte*: nam *Auſter* accipitur pro *Ægypto*, reſpectu *Iudææ*, quò Judæi confugituri confidebant. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *clauſæ ſunt* & *deportata eſt*, pro futuro, *claudentur* & *deportabitur.* (3.) *Ellipſis* nominis *Pacatorum*, ſcilicet *civitas*; ubi vo[x] שְׁלֹמִים, *pacatorum*, tacita ὑπονοίᾳ ad nomen *Ieruſalem* (à שָׁלוֹם, *pax*, derivatum) alluditur, quæ ſic dicitur, quia *pace & proſperitate perpetua* in ea uſurpaſſe Judæi præſidebant. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 712.

*Glaſſ.*

*Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 16. m. 3. p. 457. & cap. 22. p. 514.

Vers. 20. *Levate oculos vestros, & videte venientes ab Aquilone: ubi grex, datus est tibi, pecus gloriæ tuæ?*

Continuatur (1.) *Synecdoche totius* pro *parte*: nam *Aquilo* pro *Chaldæa* respectu *Judææ* sumitur. (2.) *Ellipsis*: Ubi *est* grex, *qui* datus est &c. (3.) *Metaphora*: quia *subditi* dicuntur Regibus *greges*, (quum Reges dicantur *pastores*) & *pecus gloriæ regalis*, siquidem in multitudine populi est decor Regis. *Prov.* 14. v. 28. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 290. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 712. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 16. m. 3. p. 457.

CAP. XIV. v. 1. *Quod fuit verbum Domini ad Jeremiam, de rebus retentionum.*

Propheta adhibet (1.) Synchysin: *Quod fuit verbum Domini ad Jeremiam*, h. e. *verbum Domini, quod fuit ad Ieremiam*. (2.) *Ellipsin* nominis: *De rebus retentionum*, subint. *imbrium*. (3.) *Metonymiam causæ* pro *effectu*: nam *retentionem aquarum* sequitur *sterilitas*, sterilitatem *annonæ caritas & fames*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 291. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 23. p. 745.

Vers. 5. *Nam etiam cerva in agro peperit, & relinquere, quia non erat herba.*

*Enallage* est *infinitivi* pro *præterito indicativi* יָלְדָה וְעָזוֹב, *peperit & relinquere*, h. e. *reliquit*, scil. *id, quod peperit*. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 1. p. 360.

Vers. 11. *Dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bonum.*

Rationem *Novatianorum*, adversus *spem veniæ, à gravioribus peccatoribus concipiendam*, itemque *Scholasticorum*, contra *orationem pro hæreticis* faciendam, vide protritam in Vindic. *Ierem.* cap. 7. v. 16.

Vers. 14. *Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo, non misi eos, &c.*

I. *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 2. arg. 1. colligit, *Iohan.* 5. v. 43. non *indefinitè falsos Prophetas* per illum *alium* intelligi, sed unum quendam singularem: cum *omnes falsi Prophetæ venerint in nomine alterius*, puta *Dei*, non in nomine *suo*, in quo ille *alius* sit venturus.

℞. Non video, quæ vis sit demonstrandi: (1.) enim quis docuit, *omnes falsos Prophetas venisse in nomine alterius?* Non certè Scriptura: nam Hieremias non de *omnibus* loquitur, sed de *quibusdam*; alioqui necesse erit, vel *illum alium* (nempe *Antichristum*, juxta Bellarminum) venturum in nomine *alterius*, vel non esse *falsum* Prophetam. (2.) *Quid* Jesuita appellat, venire in *suo* nomine, venire in nomine *alterius?* An *verbis tantùm profiteri?* Ergo quicunque dicent, se à Deo missos, venient in nomine Dei? At contra Hieremias: *Falsi Prophetæ vaticinantur in nomine meo, non misi eos.* Ubi tria observa: 1. eos Prophetas *professos esse*, se prophetare in nomine *Domini*; 2. *falsò professos* esse, ideoque non prophetâsse in nomine *Domini*: unde fit, aliquem, qui prophetare se profitetur in nomine *Domini*, non tamen prophetare in nomine *Domini*. 3. Quicunque prophetat in nomine *Domini*, eum missum esse à *Domino*, ac proinde neminem non missum à *Domino* prophetare in nomine *Domini*. Itaque nihil obstat, quò minus Antichristus & prophetet in *suo* nomine, & tamen *profiteatur* contrà. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 17. c. 1. § 3. & 8. p. 361. seq.

II. Fundamentum nostratium, pro *vocatione ministrorum Ecclesiæ necessariâ*, vide ab exceptionibus *Photinianis* purgatum in Vindic. *Ierem.* 23. vers. 21.

Vers. 16. *Et populus, quibus ipsi vaticinantur eis, erunt projecti in plateis Ierusalem præ fame & gladio, & non sepelient ipsi ipsos, uxores eorum, & filios eorum, & filias eorum, & effundam super ipsos malitiam suam.*

Occurrit (1.) *Pleonasmus*: abundat enim ly *eis*. (2.) *Enallage numeri*: quia nomini collectivo singulari, *populus*, respondet verbum plurale, *erunt projecti*. (3.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam & *gladius* pro *cæde*, & *malitia* pro *pœnis malitiæ debitis* accipitur. (4.) Ἀνθρωποπάθεια: siquidem *effundere*, de Deo dictum, notat, *largiter & multipliciter immittere*. *Arıam.* par. 4. Bibl. p. 97. *Iun.* in Not. ad h. loc. pag. 713. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 2. pag. 10. & m. 3. pag. 11. Confer cap. 10. p. 267.

Vers. 21. *Ne reprobes propter nomen tuum, ne vilipendas solium gloriæ tuæ recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum.*

I. Ἀνθρωποπάθεια iteratur: nam per *solium gloriæ* DEI *Iudæa* intelligitur, quâ regnum Dei continebatur, & in qua peculiariter Deus præsentiam gratiæ ac potentiæ suæ testabatur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 714. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 150.

II. *Vorstius* in *Deo* statuit *voluntatis mutabilitatem*, cui favere videtur, quòd *Deus dicatur irritum facere fœdus suum, cum hominibus initum*.

℞. Deus ibi non perhibetur *suo ipsius vitio* suum pactum facere irritum; sed *populo* videtur id irritatum: quare is Deum rogat, ne ob peccata sua velit illud labefactari. *Fevverb.* fasc. 2. Dissert. Theol. disp. 6. thes. 13. p. 213.

Vers. 22. *Num sunt inter vanitates gentium pluentes? & num cœli dabunt imbres? Nonne tu ipse &c.*

*Metonymia* est tum *adjuncti* pro *subjecto*, quia *vanitates* notant *idola vanissima*; tum *subjecti* pro *adjuncto*, quod per *cœlos* intelligantur *cœlestes Dii*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 714. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 52.

CAP. XV. v. 1. *Dixit Dominus ad me: Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: emitte à facie mea, & exeant.*

I. Verba hæc continent (1.) Ἀνθρωποπάθειαν. Deo enim tribuitur tum *anima*, quâ Dei *voluntas*; tum *facies*, quâ Dei *favor & gratia* intelligitur. (2.) *Hebraismum*: שַׁלַּח, *emitte*, h. e. *vaticinare ipsos à me projiciendos esse*, seu *prophetando denuncia, ipsos à me repudiatos esse*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 714. *Glass.* lib. 3. Phil. Sacr. tract. 3. can. 15. p. 268. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 101.

II. *Bellarminus* l. 1. de Sanctor. beatit. c. 18. propos. 3. arg. 1. asserit, *Sanctos defunctos orare pro nobis in cœlo*, quia *Moses & Samuel jam mortui poterant & solebant orare pro populo Iudæorum*.

℞. Non juvat hoc causam Papisticam. Nam (1.) propositio Dei est *conditionalis*, *si steterint*: *conditionalis* autem nihil probat, nisi *posita conditione*: ideoque nec *absoluta* propositio exinde inferri potest. (2.) Nos multò faciliùs colligeremus, *id ipsum non fieri*, quod vult Bellarminus: nam certè si fieret, non sic enunciasset Propheta, *si starent*; siquidem vel maximè *tùm orâssent*, cum populus Judæorum in summo versaretur discrimine. (3.) Moses & Samuel, stante Pontificiorum hypothesi, tum

tum temporis *coram Dei facie in cœlo* non stetêre, & pro populo intercessere, cum fuerint tùm in *Limbo Patrum*, ubi caruerint Dei visione in cœlo, ideoque ignorârint statum populi Judaici desperatum. (4) *Theodoretus* in h.l. *Chrysostom*. hom. 1. in 1. Thessal. *Gregorius*, l. 9. Moral. c. 9. *Glossa Interlinearis*, *Estius* in h. l. interpretantur de intercessione Mosis & Samuelis *in hac vita*, non de statu illorum, *in quo tùm erant*. Itaque sensus est: Si Moses & Samuel, *qui olim, cum adhuc in vivis essent*, pro populo orârunt, *etiam nunc intercederent*, non parcerem ei. Unde de *defunctorum* precibus ibi nullus est sermo, sed de *vivorum*. (5.) Si vel maximè ex hoc dicto firmiter demonstratum esset, Mosen & Samuelem *jam mortuos in genere* pro Ecclesia V. Test. in terris adhuc militante orâsse, nondum tamen evictum foret, illis *in specie* cujusque pii statum, pressuram, cogitationes, gemitus, &c. fuisse cognitos, qua tamen de re quæstio est.

*Bellarminus* ibid. excipit, 1. etsi fortasse significetur, Mosen & Samuelem *tunc non orâsse*, quia intelligebant, rem esse jam desperatam: tamen significari, eos *aliàs orare consuevisse*; quando se impetrare posse putabant.

℞. Conceditur, hypothesin illam *aliquando fuisse in re positam*, & Mosen atque Samuelem *alias orare consuevisse* pro populo, scilicet *dum essent in vivis*, & respicit eò Propheta, teste *Thoma Aquinate* in Supplem. q. 72. art. 3 ad 2. Sed non sequitur, etiam *post mortem* ipsos pro populo orâsse: est enim manifesta *principii petitio*.

2. Alioquin *ineptam esse hanc Dei loquutionem*, quia si quis diceret: *Si jumentum meum oraverit pro te, nihil impetrabit*; inepte loqueretur, cum *jumenta non possint orare*. Et similiter, si quis diceret: *Si Cicero vel Demosthenes huc venerit, non persuadebunt mihi*, ineptè loqueretur, quòd *mortui* huc venire non soleant.

℞. (1.) Prostant exempla in contrarium rerum *impossibilium*, per *hypothesin* enunciatorũ, ut *Ezech*. 14. v. 14. & 16. *Si fuerint viri illi tres in medio ejus Noah, Daniel & Job, neq; filios suos, neq; filias liberabunt, &c.* ubi *Sixtus Senens*. l. 8. Bibl. sanct. in sol. obj. in lib. Daniel. p. 649. & *Pererius* in Comment. *Gen*. 6. v. 9. disp. 2. p. 305, fatentur, Deum loqui *juxta hypothesin*. Item, *Eccles*. 6. v. 6. *Si duobus millibus annorum vixerit, &c.* Itaque vel falli instantiam oportet, vel eos locos esse absurdos, quod est blasphemum. (2.) In verbis Prophetæ nihil est, quod excludat *positionem ejus*, quod est impossibile, & sensus sit: *Si per impossibile nunc viverent*. (3) Exemplum de *oratione jumenti* huc non quadrat: jumenta enim *propriè* loquendo non orant pro aliis, secus verò *homines*. (4) Videat omnes, absque ratione ineptam appellari loquutionem: *Si Cicero venerit, non persuadebit*. Est enim similis illi, *Gal*. 1. v. 8. *Si Angelus de cœlo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema esto*.

5. Aliud esse, si Scriptura diceret. *Si starent*, i. e. *si per impossibile nunc viverent & orarent*; at nunc dicere: *Si steterint*, & Græcè ἐὰν στῇ, non ἐὰν ἱστῇ, & Hebraicè יעמד *si stabit Moses*

℞. Nugatur Bellarminus. Nam (1) *Hebraicè* non possunt hujusmodi hypotheses concipi, nisi per *futurum*, sive impossibiles sint, sive minus. Sic *Jer*. 33. vers. 2 [illegible] אם־תפרו, *si irritare poteritis*, Esa. 1. vers. 18. אם יהיו, *si fuerint peccata vestra, ut coccinum. &c.* (2. [illegible]) *ace* quid sibi vult quæso? an istas impossibiles *hypotheses* exprimendas per *præsens*? Imò sciunt docti, in modo *subjunctivo*, vix ullam esse *temporum* *significationem discretam*, sed tantùm *flexionis rationem*. Ita *Jer*. 33. v. 20. ἐὰν διασκεδάσητε τὴν διαθήκην μου, de re impossibili in *Aoristo*; & de possibili, *Matth*. 9. v. 21. Ἐὰν μόνον ἅψωμαι, *Si solum tetigero vestimentum ejus*. Contrà in *præsenti*, de re impossibili, *Gal*. 1. v. 8. Ἐὰν εὐαγγελίζηται, si evangelizet. (3.) Jam *Latinè* quid dicam? Certè cum *Gal*. 1. v. 8. legamus, *si evangelizet*; tamen qui *Syriacam* versionem interpretatus est, scripsit: *Si evangelizaverit*. Chemnit. in Exam. Concil. Trid. par. 3. p. 619. *Grawer*. in Prælect. Theol. in A. C. par. 7. p. 202. seq. *Gerhar*. tom. 8. LL. CC. loc. 29. de. Mort. §. 442. p. 846. 847 seq. & in Conf. Cath. par. 2. p. 604. seq. *Feuerb*. falc. 4. Diss. Theol. disp. 8. th. 18. 19. 20. p. 513. seq. *Scharp*. tom. 2. Curs. Theol. p. 1507. object. 2. *Cham* tom. 2. Panstr. l. 8. c. 3. §. 4. - 9. p. 134.

Vers. 6. *Extendam manum meam super te, & disperdam te, defessus sum pœnitendo.*

Ἀνθρωποπάθεια est: Deus enim dicitur (1.) *manum suam extendere*, h. e. *pœnas immittere*. (2.) *Defessus esse pœnitendo*, i. e. *nolle amplius commiserere, & pœnas auferre*. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 293. Confer *Glass*. l. 5. Phil. Sac. tr. 1. cap. 7. p. 110. & 119.

Vers. 7. *Et ventilabo eos ventilabro in portas terræ, orbavi, perdidi populum meum, &c.*

Offert se (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam Deus dicitur *ventilare ventilabrò*, cum *intra sua homines impios dispergit & disperdit*: phrasis propriè accepta occurrit *Es*. 30. v. 24. (2.) *Synecdoche*: In *portas terræ*, h. e. *in omnes fines terrarum*. (3.) *Enallage temporis* præteriti, *orbavi & perdidi*, pro futuro, *orbabo & perdam*. *Vatabl*. in Ann. ad h. l. p. 293. *Jun*. in Not. ad eund. l. p. 714. *Glass*. l. 5. Phil. Sac. tr. 1. cap. 7. p. 136. seq.

Vers. 8. *Multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus præ arena marium, adduxi ad eos super matrem juvenem vastatorem in meridie, cadere feci super eam repente civitatem & infirmitates.*

Est hic (1.) *Hyberbole*, quâ *viduæ Jerosolymitanæ multiplicari* dicuntur *præ arena marium*, & sensus est, *maximam omnino viduarum illarum fore multitudinem*, quæ ipsa ab *innumerabilitate arenæ marinæ* declaratur. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *multiplicatæ sunt, adduxi, cadere feci*, pro futuro, *multiplicabuntur, adducam, cadere faciam*. (3.) *Prosopopœia*: nomine enim אם *matris*, intelligitur *urbs primaria Judææ*, nempe *Jerusalem*. (4.) *Ellipsis* nominis: *Civitatem*, i. e. *desolationem civitatis*. (5.) *Metaphora*, quâ *calamitates*, ab *hostibus illatæ*, dicuntur *infirmitates*. *Arism*. par. 4. Bibl. p. 57. *Jun*. in Not. ad h. l. p. 714. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. cap. 9. p. 206. cap. 12. p. 354. cap. 19. p. 473.

Vers. 9. *Elanguit pariens septem, anhelavit anima ejus, occidit Sol ejus, die adhuc existente, erubuit & puduit eam, & residuum ejus dabo in gladium coram hostibus eorum &c.*

Iteratur, (1.) *Enallage temporis* præteriti, *elanguit, anhelavit, occidit, erubuit & puduit*, pro futuro, *elanguescet, anhelabit, occidet, erubescet & pudebit*. (2.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: *Pariens septem*, i. e. *fœcunda mulier, & valentissima multorum liberorum futura*; ubi numerus *certus* pro *incerto* ponitur. (3.) *Metaphora*, quâ *Solis occasus in ipsomet die*, inopinatas & gravissimas *calamitates* designat, uti antecedentia & consequentia declarant. q. d. *momento mutabitur clarissima quæque & illustrissima gloria in calamitates tenebrosissimas*. Chaldæus: *Translata est gloria eorum, in vita eorum*. (4.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *gladius* pro *cæde & internecione* est. *Jun*. in Not. ad h. l. p. 714. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1.

m. 2. pag. 10. cap. 10. pag. 225. cap. 15. m. 4. pag. 450.

Vers. 10. *Heu mihi mater mea, quod peperisti me, virum litis, & virum contentionis in universa terra: non mutuum dedi, neque mutuo accepi, &c.*

Continuatur (1.) Hebraismus: *Virum litis & virum contentionis*, h. e. *in quem intendatur lis & contentio*; ubi locutio hæc *passivè* accipitur. Ita ut אִישׁ, *vir*, objectum litium & contentionum notet. Luth. **Wider den jederman haddert und zancket.** (2.) *Synecdoche speciei pro genere*: quia, *non mutuum dare, neque mutuo accipere*, est, *ab omni contractu vel negocio qua occasio litis esse potest, abstinere*, quasi dicat, *hasi quam simplicissimè functioni meæ, nihil præterea ego cum hominibus istis ab omni occasione litis, qua humanitus moveri potuisset, superſedi prudens*, *Jun.* in Not. ad hunc loc. pag. 714. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tractat. 1. can. 34. m. 3. p. 125. & lib. 5. tract. 1. cap. 15. m. 7. pag. 452.

Vers. 12. *Anfranget ferrum ferrum ab Aquilone & Chalybem?*

*Metaphora* est, quâ per prius *ferrum* Chaldæi, per posterius *ferrum & Chalybem* ipse *Jehova* intelligitur, q. d. sint isti ferrei, sed ego intervenio pro te, sum tibi murus quasi chalybeus, non est, quòd metuas, ut frangaris ab illis hominibus. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 11. p. 282.

Vers. 15. *Tu nôsti Domine, recordare mei, & visita me, & vindica me de persecutoribus meis, ne in longanimitate furoris tui tollas me, &c.*

Ecce (1.) Ellipsin: *Tu nôsti*, scilicet, *quæ faciant mihi*. (2.) *Ἀνθρωποπάθειαν*: nam Dei *recordatione & visitatione* intelligitur Dei *gratia & beneficentia erga suos*. (3.) *Hebraismum*: *Ne tollas me*. hoc est, *concedas*, ut inimici mei, dum nimium illis parcis, me tollant. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 294. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 11. p. 257. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 223. & 144.

Vers. 16. *Inventa sunt verba tua, & comedi ea, & fuit verbum tuum mihi in gaudium & lætitiam cordis mei, quia invocatum est nomen tuum super me, Domine Deus exercituum.*

Repetitur (1.) Ellipsis: *Inventa sunt*, scilicet, *à me*. (2.) *Metaphora*, quâ *receptum verbum* Dei comparatur *comedenti cibum suavissimum*, quasi dicat, *salutariter & gaudenter in animâ meâ sum fruitus, tam grata quippe jucundaque mihi fuerunt, quàm cibus dulcis comedenti*, uti verba statim sequentia declarant. (3.) Hebraismus: *Invocatum est nomen tuum super me*, hoc est, *vocor de nomine tuo Propheta Domini* sive *tuus*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 294. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 714. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 373.

Vers. 18. *Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.*

*Onomarius* arbitratur, אַכְזָב significare interdum *scaturiginem, negantem aquas*, ut hoc loco; & hanc acceptionem respexisse LXX. *Interpp.* quando *Psal.* 62. v. 5. כָּזָב reddiderunt, ἐν ψεύδει.

℞. (1.) Nego, אַכְזָב hic significare *scaturiginem, negantem aquas*. Nam in *Hebræo* sic habes: *Essendo eris mihi sicut mendacium, aqua non certa fuerunt*. Ubi distinctio Hebraica postulat sic disparari: *Fuit mihi sicut mendacium, & fuit mihi sicut aquæ, quæ non fuerint veraces*, sive *certæ*. (2.) Ut maximè distinctionem negligas, tamé non potes obtinere, ut אַכְזָב idem sit, quod *scaturigo, negans aquas*. (3.) *Psal.* 62. v. 5. habetur, כָּזָב: at Jeremias legit, אַכְזָב. An verò tu putes, additione literæ א nihil variari posse significationem? (4.) LXX. interpretati sunt, ὕδωρ ψευδὲς, *aquam mendacem*, post אַכְזָב *mendax*, κατ' ἔλλειψιν subintelligentes מַקוֹר, *fontem* vel *aquam*, quod & R. *Kimchi* annotat, non verò *scaturiginem, negantem aquas*. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 13. c. 10. §. 32. & 33. p. 238. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 12. p. 49.

Vers. 20. *Bellabunt adversum te, & non prævalebunt tibi, &c.*

Hæc Dei promissio non videtur constitisse: annon enim adversus Jeremiam Judæi satis prævalebant, cum *ipsum in sordidum lacum & carcerem detruderent? cum invitum in Ægyptum secum abriperent, ibique lapidibus tandem obruerent*, si *Epiphanio* fides?

℞. Hoc ipso nequaquam prævaluerunt: Deus enim loquitur de *tempore officii sui*, quo potissimum prædicare debuit Jeremias. Jam verò illo tempore *tentârunt* Judæi eidem prævalere, verbi prædicationem inhibituri, ipsumque morti tradituri; sed non prævaluerunt. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. class. 2. n. 25. p. 708.

CAP. XVI. v. 2. *Non accipies uxorem, & non erunt tibi filii & filiæ in isto loco.*

I. *Papistæ* Clericos volunt *adstringi voto continentiæ à matrimonio*, quòd *Jeremiæ Propheta interdicatur à Deo matrimonium.*

℞. (1.) Negatur id sequi; tum quia Jeremias non ex voto, sed ex *Dei mandato* abstinuit à matrimonio, uti quidem prius faciunt *Clerici* in Papatu; tum quia alii Prophetæ vixerunt in matrimonio, ut *Samuel, Esaias, Oseas, &c.* quibus certè idipsum non fuit inhibitum. (2.) Non jubetur Jeremias, ne *in perpetuum* ducat uxorem, sed *ad tempus*; & *Hierosolymis*, propter instantem civitatis calamitatem, & ut typus esset in eo futuræ calamitatis Judæorum. *Scharp.* tom. 2. Curs. Theol. p. 1951. obj. 8.

II. *Casistæ* quidam dissuadent, *calamitoso tempore duci uxorem*, propter verbum, quod factum est à Domino ad Jeremiam, *ne accipiat uxorem, neq; gignat filios & filias in loco isto.*

℞. Distinctione res expediri potest: aut enim *calamitates* sunt *maximè atroces*, quales in loco erant, ubi degebat Jeremias; tunc melius est, uxorem non ducere: aut sunt *tolerabiles*, atque sic quis uxorem ducere tunc potest, præsertim si non sit præditus *dono continentiæ*, 1. *Cor.* 7. v. 9. *Finck*, in Syllog. qq. Illustr. Theol. sect. 3. q. 164. p. 1022. & 1026.

Vers. 4. *Mortibus ægritudinum morientur, non plangentur, neque sepelientur, in fimum super facie terræ erunt; & in gladio & fame consumentur, & erit cadaver eorum in escam volatilis cœlorum, & jumento terræ.*

Propheta usurpat (1.) *Hebraismum*: Mortibus *ægritudinum*, h. e. *ægerrimis*: comparativo enim Hebræi carent. (2.) *Pleonasmum*: Super *facie terræ*, i. e. super terra, ly *facie* redundante, nisi *faciem* metaphoricè sumat pro *superficie*. (3) *Metonymiam causæ pro effectu*: siquidem *gladius* pro *cæde* est. (4.) *Prosopopœiam*: *comedere* enim tribuit *gladio* instrumento. (5.) *Enallagen numeri* singularis pro pluralis Et *erit cadaver* eorum in escam *volatili* cœlorum, & *jumento* terræ, h. e. & *erunt cadavera* eorum in escam *volatilibus* cœlorum, & *jumentis* terræ. *Arian.* par. 4. Bibl. p. 58. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 295. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 715. Confer *Glass.* lib. 5. Philolog. Sacr. tractat. 1. cap. 1. m. 2. pag. 10. & cap. 9. pag. 303.

Vers.

Vers. 7. *Et non partientur illis in luctu ad consolandum eum super mortuo, neq; dabunt bibendum eis poculum &c.*

*Ellipsis* est nominis: *Non partientur*, scil. *cibum*, q.d. *comites*, qui funus prosequuti fuerint, non conficient cœnam, quâ Veteres, funus executi, utebantur ad consolandos proximos & necessarios mortui, *Ezech.* 24. v. 17. Explicatio hæc sequentibus verbis conformis est, in quibus *poculi consolationis* mentio habetur, eamque *R. Kimchi* suo etiam parenti adscribit. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. obs. 1. m. 2. p. 699.

Vers. 9. *Ego cessare facio de loco isto vocem gaudii & vocem lætitiæ &c.*

En (1.) *Enallagen* præsentis, *cessare facio*, pro futuro, *cessare faciam*. (2.) Pleonasmum: *Vocem gaudii & vocem lætitiæ*, hoc est, *gaudium & lætitiam*, ly *vocem* abundante. *Arias.* par. 4. Bibl. pag. 58. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 38. pag. 152.

Vers. 16. *Ecce ego mitto ad piscatores multos, dixit Dominus, & piscabuntur eos, & postea mittam ad venatores multos, &c.*

Iterantur (1.) *Enallage temporis* præsentis, *mitto*, pro futuro, *mittam*. (2.) *Metaphora*: per *piscatores* enim intelliguntur *Ægyptii*, piscationibus dediti, *Esa.* 19. v. 8. -10. quorum Rex *Necho* interfecit Josiam, Joachazum vinctum abduxit, & regioni mulctam imposuit, 2. *Reg.* 23. v. 29. seqq. Per *venatores* autem intelliguntur *Babylonii*, à *Nimrodo*, Babylonis conditore, & venatore illo robusto sic appellati, *Gen.* 10. v. 9. cujus complementum cap. ult. Jerem. 2. Reg. 24. & 25. describitur. *Jun.* in Not. ad h. loc. p. 715. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 11. p. 334.

Vers. 19. *Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum, in die angustiæ, ad te gentes venient à finibus terræ, & dicent: Verè mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quibus non utile.*

Est hic (1.) *Metonymia* tum *effecti* pro causa; Deus enim dicitur *fortitudo*, i. e. *fortis defensor* suorum: tum *adjuncti* pro *subjecto*, quia הֶבֶל *vanitas*, notat *idola vanissima*. (2.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: nam *patres* pro *majoribus* ponuntur. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 716. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 1 p. 23.

CAP. XVII. v. 1. *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, & ungue adamantino sculptum in tabula cordis ipsorum, &c.*

I. *Metaphora* est: nam *peccatum Judæ* dicitur esse *scriptum stylô ferreô, & sculptum in tabula cordis eorum*, h. e. adeò tenaciter *infixum* animis Judæorum, & ipsi adeò adeò *obdurati*, ut desperandum sit de eorum resipiscentia. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 381.

II. *Peccatum originis non est ipsum cor hominis*: est enim *in corde*; at quod *in corde hominis* existit, non est *ipsum cor hominis*.

*Flacius* par. 1. Conf. p. 171. regerit, inde potiùs sequi contrarium, nempe *peccatum originis esse ipsam hominis substantiam*. cùm scripturâ, Deum repræsentante, abolitâ, *Satan contrariam quandam scripturam & naturam ei insculpserit, quæ neq; substantia sit, & peccatum originis.*

R. (1.) Jeremias cum dicit, *peccatum insculptum esse cordi*, disertè ostendit, aliud esse *substantiam cordis*, & aliud *insculptum peccatum*, quantumvis altè impressum. Unde immotè concluditur, *peccatum originis non esse cor ipsum*, quia *tabula cordis est inscriptum*. (2.) Blasphemia est, *Satanam indere hominis naturam*: omnis enim natura à *Deo* est, quippe ad cujus operationem unicè pertinet, *indere homini naturam*, ut invictè probat *Augustinus* l. de nat. bon. contr. Manich. c. 1. & 19. *Heshus.* in Epist. ad Flac. Illyr. resp. ad object. 23. & in antidôt contr. eund. fundam. p. 27. & 28.

Vers. 3. *O mons mi, in agro copias tuas, omnes thesauros tuos direptioni exponam, excelsorum tuorum propter peccatum in omnibus terminis tuis.*

Offert se (1.) *Synecdoche generis pro specie*: nam *mons* Dei pro *Zione* ponitur. & *ager* pro *regione Judæa*. (2.) *Synchysis*, quâ ordo Hebræis inversus est: *Excelsorum tuorum propter peccatum*, h. e. *propter peccatum excelsorum tuorum*. (3.) *Ellipsis*: Propter peccatum excelsorum tuorum, *quæ sunt* in omnibus terminis tuis. *Arias.* par. 4 Bibl. p. 59. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 297. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 716. *Glass.* lib. 4 Philol. Sac. tract. 2. observ. 23. p. 745.

Vers. 5. *Maledictus, qui confidit in homine, & carnem ponit brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.*

I. *Christus est unus ille Deus Israelis*; aliàs *in ipso non possemus confidere*, quia ex ore Dei maledictus est, qui *in homine confidit*, & non in *solo Deo*.

*Socinus* in Refut. argum. Bellar. & Wieck. p. 157. seq. respondet 1. quod non sequatur ex testimonio isto, *soli Deo confidendum esse*, cum non excludat *Angelos*, quò minùs in *illis* quis confidere possit: nullum enim *Angelum* esse hominem, etiamsi nullus *eorum* similiter sit *ille Deus*.

R. (1.) Quæ ratio consequentiæ: In verbis Jeremiæ non fit *expressa* mentio *Angelorum*, ergo *Angeli* non excluduntur, ergo in *Angelis* confidere possumus? Quænam quæso Scriptura testatur, *in Angelis esse confidendum?* (2.) Ex hypothesi *Socini* sequitur, nos in istud licitè confidere posse, quod nec *homo* nec *Deus* est: quia eas res huic interdicto exemptas vult Adversarius, quæ nec *homo* nec *Deus* sunt. Atqui præter *Angelos* multæ *creaturæ* sunt, quæ nec *homo* sunt nec *Deus*, ut *bruta animantia*, aliaque *inanimata*; in quibus tamen non est confidendum. (3.) Socinus præsupponit falsum, nempe nominatâ specie certa, *homine*, non intelligi *totum genus*, universas res creatas: cùm tamen, quoad causam *interdicti*, par sit ratio *totius generis*. & proinde *utriusq; speciei*; quod verò ad causam *mandati*, ea sit propria *soli Deo creatori*, ut nihil commune habeat cum ea ulla creatura. (4.) Quoties Scriptura, *idololatriam* damnans, *Deo* aliquid tribuit, & *idolis* adimit; toties id *soli Deo* competit. Atqui hoc loco idololatria populi Israelitici reprehenditur, ac fiducia, quam in idololatrico cultu, ac simul in potentia humana ponebant, damnatur; contrà autem Deo confidendum esse docetur. Ergo etiam hoc idem *soli Deo* competet, seu *soli Deo* confidendum esse, ex his verbis Jeremiæ consequitur. (5.) Jeremias non solum indicat, cui *non sit confidendum*, sed etiam addit, cui *sit fidendum*, nempe *Deo*. Si igitur præter *Deum* alicui fuisset confidendum, non solùm *Deus*, sed & is etiam exprimi seu nominari debuisset, sive sit *Angelus*, sive *alius* quispiam. (6.) Denique quoties Scriptura uni vel pluribus creaturis aliquid ita competere negat, ut *Deo* attribuat, toties id *soli Deo* verè competere præsumitur.

2. Non *simpliciter* pronunciari maledictum, qui confidit in homine, verùm qui ita confidit, ut *ponat carnem brachium suum*, h. e. in ipso homine, aut viri-

bus

bus humanis per se spem suam collocet, citra Spiritus ac virtutis divinæ opem. & quidem ita, ut *a Deo recedat corde suo*: hoc ipsum autem se suosque non facere, sed *Christo confidendo*, Deo confidere, & sic *corde suo accedere ad Deum*.

℞. [1.] Ita quilibet *Pontificiorum* dicere posset, cum fiduciam suam ponit in *Sanctis*, se non statuere carnem brachium suum *sine Dei auxilio*, neque *corde suo recedere à Deo*, sed *ad eum accedere*, quia intercessione *Sanctorum* apud Deum utatur. Num quid verò hæc excusatio *eos* à maledicto Prophetico liberaret? (2.) Vocula *carnis* hoc non vult, ut prætendit adversarius: siquidem *illa* non nisi *carnalem & humanam potentiam* significat. (3.) Nec docere voluit Propheta, *quod & quousq;* in hominibus sit confidendum, sed quod *prorsus non sit confidendum* in homine, quod totus contextus, imprimis collatio v. 5. & 7. t[illegible]atur. Sic *Assa* Rex Juda confidebat *Deo*, & juxta eum *Benhadad* Syrorum Regi: hoc erat *cum auxilio virtutis divinæ in viribus humanis confidere*, & tamen hoc nomine puniebatur, & perinde erat, ac si *planè nullam* in Deum fiduciam habuisset, 2. *Paral.*16. v. 7. (4.) Verba illa, *& cor recedit a Domino*, non *limitationem* antecedentium, sed ἐξήγησιν & manifestam αἰτιολογίαν continent, *causamq́*, cur *maledictus sit ille, qui fiduciam habet in homine, & carnem statuit brachium suum*, hanc reddunt, quia videlicet *animus noster per ejusmodi fiduciam à Deo*, in quem unicè recumbere ipsum oportebat, *necessariò avertatur*. Qui enim se convertit ad *hominem* ei confidendo, is avertit se à *Deo*, & corde suo ab ipso recedit, *Matth.* 6. v. 24. Cum ergo *Socinians* Christum non nisi *hominem merum* esse credant, & tamen in eo confidant, consequens est, ipsos *carni* seu *viribus humanis* confidere, & hoc ipso *cor suum* à Deo avertere, qui in hoc cultu *creaturam* aliquam sibi adjungi non patitur. *Balduin.* in Catech. Arian. refutat. p. 261. 262. seq. *Gravver.* in Expos. Hebr. c. 1. p. 74. seq. *Tarnov.* de SS. Trinit. contr. Socin. p. 240. 249. seq. *Iacob. ad Port.* contr. Ostorrod. p. 141. 146.

II. *Danæus* in Exam. libr. Chemnit. de duab. Christ. natur. p. 417. strenuè negat, *humanam Christi naturam in persona τῷ λόγῳ esse velogeotè adorandam*, cum *maledictus sit, qui confidit in homine, & carnem ponit brachium suum*.

℞. (1.) Danæus apertè *Nestorianizat*, dum negat, *assumptum hominem coadorandum Deo verbo*; ideoq; meritò Concilij *Ephesini* anathematismum incurrit, quem proponit *Cyrillus* libr. de rect. fid. ad Regin. col. 286. (2.) Adoramus Christi carnem, non quà *caro* est, sed quà *caro Dei* est, utpote, in unitatem personæ τῷ λόγῳ assumpta, *Damascen.* l. 4. de Orthod. fid. c. 3. (3.) Christus *homo* est ipse *Dominus de cælo*, 1. Cor. 15. v. 47. benedictus autem vir, qui confidit in *Domino*, Jerem. 17. v. 7. (4.) De *Christo homine* scriptum est, *Rom.* 9. v. 33. & 1. *Petr.* 2. v. 6. *Quisquis confidit in eo, non pudefiet*. Ideoq; illud Jeremiæ maledictum, ad *Christum* hominem impiè trahitur. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 213. & 214. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 6. q. 12. obj. 1. p. 336. seq. *Gerhard.* par. 1. Disp. Theol. disp. 9. thes. 5. p. 396. seq. *Thumm.* de Majest. Christ. p. 267. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Christ. Θεανθρ. c. 12. sect. 12. q. 2. obj. 1. p. 815.

Vers. 9. *Pravum cor præ omnibus & desperatè morbidum ipsum, quis cognoscet illud?*

I. Verba hæc exhibent (1.) *Ellipsin* nominis substantivi: *Pravum cor*, videl. *hominis*. (2.) *Metaphoram*: quia אנוש, *desperatè morbidum* (seu *insanabile*) dicitur *cor hominis*, ob *congenitum peccatum*, & *pravam ad omne malum inclinationem*. (3.) *Enallagen* pronominis demonstrativi, הוא, *ipsum*, pro verbo substantivo, *est*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 59. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 716. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 354.

II. *Flacius* arguit, *cor hominis esse ipsum peccatum originis*, quòd *illud Deus accuset*.

℞. Deus *per se* non accusat cor hominis, siquidem idipsum est opus Dei, *Psal.* 33. v. 15. Deus autem opus suum *per se* non accusat; sed per accidens, propter *peccatum*, quod accessit, & vitiavit cor hominis. Unde eum Deus dicit, *cor hominis esse pravum*, non inde sequitur, *cor esse ipsam pravitatem*: differunt enim *subjectum*, & *vitium* subjecti. *Heshus.* in Epist. ad Flac. resp. ad obj. 23. & in Antidot. contr. eund. fol. 72.

III. *Pravà concupiscentia in omni homine est peccatum*: illa ipsa enim est *tanta cordis pravitas, ut ne ipso quidem homo eam satis pernoscere queat*; at *cordis pravitatem* quis negabit *verè esse peccatum*?

*Bellarminus* l. 5. de Amiss. grat. & stat. peccat. c. 11. resp. ad 3. respondet 1. *cor pravum* non esse *cor inquinatum peccatis*, sed *callidū ac difficile, ut penetretur*, cum in Hebræo sit עקב, quod LXX. verterint, βαθεῖαν καρδίαν, *cor profundum*, cui consonet vocabulum sequens, *& inscrutabile*; non verò sibi habeatur, רע, *malum*.

℞. (1.) Metuendum erit Bellarmino fulmen Concilij *Tridentini*, si à Versione *vulgata* discedere voluerit: *illa* autem non habet *callidum*, sed *pravum*, quod & *Hieronymus* retinuit. (2.) Hebræum, עקב, notat, cor hominis prima rectitudine privatum esse, & in ejus locum *pravitatem & duritiem* successisse. (3.) Vox altera, אנוש, innuit, malum hoc esse *desperatæ curationis*, (hoc enim sensu vox illa sumitur, *Ierem.* 15. v. 18. & *Mich.* 1. v. 9.) adeò ut non aboleatur, nisi per mortem absorptum fuerit, 1. *Cor.* 15. v. 53. (4.) Cor dicitur esse *pravum*, מכל, *super omnia*, i. e. *omni tempore*, & *in omni negotio*, idque nemo satis percipere aut intelligere potest, nisi *solus Deus καρδιογνώστης*, v. 10. Sic igitur omnia vocabula *humani cordis pravitatē* exaggerāt, ac proinde falsum est, saltem describi hîc cor *callidū & difficile, ut penetretur*, non verò cor *inquinatū peccatis*.

2. Etiamsi intelligamus, *cor hominis malum* appellari, id ita accipiendum esse, quasi dictum sit *pronum ex natura corrupta ad malum*: pronitatem autem non esse *propriè* peccatum.

℞. *Profunda illa cordis pravitas*, & *prona ad malum inclinatio* quomodo non erit peccatum, cum sit quasi *semen peccatorum omnium*, quæ omnia potentià in se complectitur? *Rivuli* venenati de veneno *fontis* testantur.

3. Loqui Prophetam de *impijs*, quorum cor pravum & immundum sit; cor autem *renatorum* mundum ac purum.

℞. Propheta non agit de *solis impijs*, sed *indefinitè de corde humano*, adeóq; de *omnibus hominibus*, quales *suâ naturâ* sunt. Præceperat enim v. 5. *nulli homini confidendum esse, sed soli Deo*, v. 7. Mox v. 9. subjicit *causam*, quoniam *cor hominis sit pravum*. Hinc infero: *Universale consequens præsupponit universale antecedens*. Concludit autem Propheta *universaliter*, nulli homini confidendum; ergo & *medium & antecedens* universale sit oportet, nempe quia cor *omnium hominum*, nullo excepto, sit pravum. Adeò verò *generaliter* loquitur Jeremias, ut ne *seipsum* quidem ab illa pravitate excipiat; ideoq;

v. 14. orat: *Sana me Domine, & sanabor.* Et inde est, quòd *discipulis Christi* (qui utique per Spiritum Sanctum erant renati) tribuitur adhuc quædam *πώρωσις καρδίας*, Marc. 16. v. 14. & *βραδεῖα τῇ καρδίᾳ*, Luc. 24. v. 25. *Chemnit.* par. 1. LL. Theol. loc. de Peccat. origin. c. 3. p. 232. seq. *Meisner.* dec. 1. Anthrop. sacr. disp. 5. q. 3. thes. 13. p. 159. seq. *Gerhard.* tom. 2. LL. CC. loc. 13. de Peccat. actual. §. 54. p. 749. 750. 751. seq.

IV. *Bellarminus* l. 3. de justif. c. 8. rat. 1. colligit, *neminē evidentem esse suam veram conversionem & seriam pœnitentiam*, quia *pravum sit cor hominis & inscrutabile, & quis cognoverit illud?*

℞. (1) *Bellarminus* l. 5. de Amiss. grat. & stat. peccat. c. 11. resp. ad 3. dixit, loqui Prophetam de *impiis*; at nos disputamus de *piis*: itaque argumentum est contra hypothesin, concludens de *aliis*, cum de *capiis* sit propositum. (2.) *Bellarminus* l. 3. de justit. c. 4. resp. ad 2. m. 6. asseruit, *peccatorem facilè scire se esse peccatorem odiô dignum*, non obstante *cordis inscrutabilitate*: hæc igitur nihil impedit, quò minùs *fidelis fidem suam cognoscat*. (3.) Loquitur Jeremias de cordis humani *corruptione naturali*, quòd in pravum & miserum: Hinc autem non sequitur, quòd nulla detur certitudo gratiæ in hominis *fidelis* corde. Nam reatus pravitatis naturalis remittitur per Christum, & hæc remissio in cordibus *fidelium* gratiosè obsignatur, unde oritur *πληροφορία* & *certitudo*. (4.) *Aliis* quidem hominibus non patet aditus ad cor aliorum cognoscendum & pervestigandum; sed spiritus *hominis*, qui est in homine, novit ea, quæ sunt in homine, 1. *Cor.* 2. v. 11. unde quivis seipsum potest probare, num in statu *iræ* vel *gratiæ* sit, monitore Paulo, 2. *Cor.* 13. v. 5. *Meisner.* dec. 3. Anthrop. sacr. disp. 10. thes. 18. p. 535. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 13. c. 17. §. 3. & 10. p. 218. seq. *Ames.* tom. 4. Bellarm. Enervat. l. 6. c. 2. thes. 12. p. 154.

Vers. 10. *Ego Dominus scrutans cor, probans renes, & ad dandum unicuiq; juxta viam suam, juxta fructum operum suorum.*

In versu hoc habetur (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*; quâ DEUS *scrutari cor*, & *renes probare* dicitur, i. e. *exactissimè scire* etiam *intimas cogitationes, & abstrusissimos affectus atq; delectationes hominum*. (2.) *Ellipsis* verbi לְשַׁלֵּם post vocem כְּלָיוֹת, *renes*, propter ו in וְלָתֵת, *& ad dandum*, ut ita legatur, *ad retribuendum & ad dandum*. (3.) *Metaphora*: nam *via* notat *studium, actionem* &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 297. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 1. p. 33. Confer cap. 12. p. 376.

Vers. 11. *Perdix collegit & non peperit: faciens opulentiam, & non in judicio, in dimidio dierum suorum* &c.

Offert se [1.] *Ellipsis* tum particulæ comparativæ. *Ut* perdix &c. *sic* faciens &c. tum nominis substantivi, *collegit*, scil. *ova*. [2.] *Enallage temporis* præteriti, *collegit* & *peperit*, pro præsenti, *colligit* & *parit*, h. e. *excludit*. [3.] *Hebraismus*: Et *non in judicio*, pro, *præter æquum*, Ariæm. par. 4. Bibl. p. 59. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 297. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 31. m. 2. p. 516.

Vers. 13. *Apostatæ mei in terra scribentur, quoniam dereliquerunt fontem aquarum viventium Dominum.*

Est hic [1.] *Ἀνθρωποπάθεια*: tum quia apostatæ [à DEO] *in terra scribi* dicuntur, h. e. *cælo exsortes esse, & æternum ad exitium destinari*; tum quia *Deus* vocatur *fons aquarum viventium*, quod *omnis vitæ & refectionis in hac & in altera vita autor est indeficiens.* [2.] *Metaphora*: siquidem *aquæ viventes* pro *jugiter scaturientibus fluentibusq;* usurpantur, *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 136. cap. 8. p. 182. cap. 12. p. 352.

Vers. 16. *Et ego non elongavi me, ne essem pastor post te, & diem mortiferum non concupivi*, &c.

Occurrit [1.] *Metaphora*: nam, *pastorem esse*, significat *docere, & ad normam verbi cælestis ritè moderari*, cum de *Propheta* sermo sit [2.] *Metonymia adjuncti* pro subjecto: *Diem mortiferum* [summè calamitosum] *non concupivi*, h. e. *ipsam calamitatem & mortem inferendam*. Alluditur ad historiam *Jonæ Prophetæ*, qui fugere conabatur à conspectu Domini, Jon. 1. v. 3. postea verò Ninivitis prædicans, calamitatem & interitum ipsis inferendum optabat ac sperabat, cap. 4. v. 1. Utrumque Jeremias à se removet, & tum obsequentem mandato Domini fuisse, tum & pro hostibus suis apud Deum intercessisse, innuit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 58. & cap. 11. p. 328.

CAP. XIIX. v. 6. *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël.*

*Satanas non est conditor & figulus hominis*: solus enim *Deus* est conditor & figulus hominis, quem in manu sua habet, sicut *figulus lutum* in manu sua, ex quo ollam fingit ac præparat.

*Flacius* reposuit, ad *utrumq;* id de *luto in manu figuli* referri posse, quia lutum primùm fuerit *optimâ formâ* effigiatum, & tùm *Deum* habuisse autorem & figulum; deinde lutum *fractum*, corruptissimam quandam formam habeat, atque hujus *corruptæ formæ*, quam ipse *essentialem* nominat, *Satanam* esse autorem & figulum.

℞. Solus Deus est figulus, in cujus manu nos sumus lutum, Propheta teste. Ac sicuti figulus ex *fracto luto* novum vas fingere potest, v. 4. sic Deus novos & spirituales homines ex *perditissima & corruptissima massa naturæ humanæ* condere & creare potest. Satanas quidem destruere, deformare & corrumpere potuit; sed non impressit *substantialem* formam, non transformavit hominem in *novam substantiam*, non effinxit *novam speciem*, non est figulus hominis. *Heshus.* in Antidot. contr. Illyric. fol. 96.

Vers. 8. *Et convertetur gens illa à malo suo, quod locutus sum contra illam, & pœnitebit me super malo, quod cogitavi facere ei.*

I. *Smalcius* contr. disp. Franz. de Person. Christ. fol. 12. autumat, verba Christi, *Joh.* 8. v. 56. *Et vidit, & gavisus est*; sonare conditionem: *Si vidisset, gavisus fuisset*; cùm & hoc loco litera ו exponi queat per SI: *Si convertetur gens illa*, &c.

℞. Etsi rectè per SI exponitur particula ו, quia contextus ipse *mutationem* fieri docet, ut ita rectè dicatur, *si convertetur gens illa*; tamen sensus ibidem constantissimè manet in illa versione, ubi retinetur, ET: *Repentè loquar adversus gentem*, ET *convertetur*. At in *Smalciana* analysi verborum Christi prorsus contrarius inducitur sensus, qui Judæos etiam nihil quicquam commovisset. Alter enim sensus ipsos quasi rabiosos efficit, ut incipiant Christum apertè mendacii arguere, *simpliciter* fieri non posse, quòd *Abraham viderit Christum*, vel quòd *Christus viderit Abrahamum*. *Franz.* disp. 4. Vindic. thes. 76. seq.

II. *Pontificii* docent, *bona opera justificare*, quoniam *pœna divina avertatur per pœnitentiam*.

℞. Jeremias non loquitur de *remissione culpæ*, sed

sed de *mitigatione pœnæ*, quam Deus concedere vult pœnitentibus. Ast hæc duo non sunt confundenda, *Groppero* monitore, qui palam scribit: *Aliud est remissio culpæ, aliud mitigatio pœnæ.* Chemnit. par. 3. LL. Theol. p. 96. seq. *Gravver.* par. 4. Prælect. Theol. in A.C. p. 176.

III. Argumentum *Bellarmini*, pro *expiatione pœnarum temporalium commutativa*, vide solutum in Vindic. 2. *Paral.* 9. v. 14.

IV. *Photiniani* opinantur, patres V.T. *sine Christi merito* fuisse justificatos, quia Deus nihil ab ijs requisiverit, nisi *veram pœnitentiam*, atque hac ratione *Deo fuerit satisfactum.*

℞. *Pœnitentiam* singulis temporibus ab *omnibus* peccatoribus etiam in V.T. exegit Deus, cujus pars principalis *fides*, quæ nititur *merito Christi.* Rom. 3. v. 24. & 25. *Thummi.* dec. Exerc. Theol. disp. 9. p. 16.

V. Rationem *Vorstij*, contra *voluntatis divinæ immutabilitatem*, vide protritam in Vindic. *Genes.* 6. v. 6.

Vers. 12. *Et dixerunt: Desperatum est, quia post cogitationes nostras ibimus, & unusquisq; obstinationem cordis sui mali faciemus.*

*Prosopopœia* est: *Spiritus* enim recitat *impiorum verba*, non *oris*, sed *cordis*; siquidem impij non vocant sua studia, *mala*, sed cum *revera mala* sint, Spiritus pro sua sententia pronunciat. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 4. p. 548. seq.

Vers. 13. *Ideo sic dixit Dominus: Interrogate inter gentes, quis audivit talia? turpitudinem fecit valde virgo Israëlis.*

En [1.] Hebraismum: *Quis audivit talia?* q. d. *nedum fecit?* [2.] *Prosopopœiam*: quia *virgo Israëlis* pro *cœtu populi Iudaici* accipitur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 717. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 16. p. 276. m. 2. & lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 208.

Vers. 15. *Et impingere fecerunt eos in vijs suis, semitas antiquas, ad perambulandum semitas viæ non calcatæ.*

*Ellipsis* est: *Et impingere fecerunt*, scil. *falsi prophetæ*; & *ad deserendum* semitas antiquas. In verbo *ambulare* latet contrarium ejus, *deserere*. Arizm. par. 4. Bibl. p. 60. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 6. p. 714.

Vers. 17. *Cervicem, & non faciem ostendam eis in die exitij eorum.*

'Ανθρωποπάθεια est, quâ *cervix* DEO tribuitur, & *facies*, h. e. *favoris & gratiæ denegatio* significatur, q. d. non dignabor eos invócantes, & opem meam implorantes, respicere, non liberabo eos. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 717. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 109.

Vers. 18. *Venite, percutiamus eum propter istam linguam,* &c.

*Metonymia* est *causæ* pro *effectu*: Propter *istam linguam*, h. e. *sermonem illum importunum, & nobis odiosum*, quem linguâ suâ tam audacter effutit. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 5. m. 6. p. 669. & lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. 2. p. 8.

Vers. 21. *Propterea da filios eorum fami, & fac defluere eos per manus gladij,* &c.

I. Occurrit [1.] Hebraismus: *Da filios eorum fami*, h. e. *perime eos fame.* [2.] *Prosopopœia*: nam *manus* tribuitur *gladio*, & notatur *ejus acies*; nisi *pleonasticè* accipias: Per *manum gladij*, h. e. per *gladium*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 300. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 718. Confer *Glassium* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 203.

II. Nonnulli censent, *posse quempiam licitè contra hostes suos precari*, cum *Ieremias contra ipsos oraverit.*

℞. Oratio isthæc Jeremiæ, quippe à *Propheta* profecta, sensum *Propheticum* sortitur, adeò ut non sit *imprecantis*, sed *prænunciantis*, quid aliquando cum impijs illis futurum sit: quæ ἐναλλαγὴ *temporis*, & permutatio *modorum* Prophetis est usitatissima. *Hutter.* in LL. Theol. loc. 31. c. 1. q. 7. p. 981.

CAP. XIX. v. 1. *Sic dixit Dominus: Vade & emes lagenam figuli testa, & de senioribus populi, & de senioribus sacerdotum.*

Jeremias utitur [1.] *Ellipsi*: Sic dixit, scil. *ad me*: & *de senioribus populi*, subint. *adhibe*, vel *duces tecum*, ut habet *Chaldæus*; aut *facies ire tecum*, ut supplet *Kimchi* ex v. 10. [2.] *Enallage* partim *temporis* futuri, *emes*, pro imperativo, *eme*; partim *nominis* substantivi, *testa*, pro adjectivo, *testaceam*. Arizm. par. 4. Bibl. p. 61. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 2. m. 1. p. 703.

Vers. 4. *Repleverunt locum istum sanguine innocentum.*

Rationem *Rannichij* contra *originale infantum fidelium peccatum*, vide solutam in Vindic. *Psal.* 106. v. 38.

Vers. 15. *Ecce ego adduco ad civitatem istam, & super omnes urbes ejus, omne malum, quod loquutus sum contra eam, quoniam induraverunt cervicem suam, ad non audiendum verba mea.*

In versu hoc deprehenditur [1.] *Enallage temporis* præsentis, *adduco*, pro futuro, *adducturus sum.* [2.] *Metaphora*: nam *cervix*, cum verbo *indurandi* conjuncta, significat *contumaciam & mentis rigorem*, translatione sumtâ à *jumentis indomitis*, quæ cervice freno sessoris reluctantur. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 718. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 211.

CAP. XX. v. 3. *Eduxit Phassur Ieremiam de carcere,* &c.

*Anonymus* quidam Semijudæus tract. 2. de fundam. relig. Christ. contendit, *Esaiam* c. 53. v. 8. verbis his, *ex carcere & judicio ablatus est*, vaticinari de *Ieremia*, quoniam hic ipse in *carcerem* fuerit positus, & postea *exinde* liberatus.

℞. Nulla est consequentia: *Verba alicui possunt accommodari*, propter quandam *similitudinem*; ergo *revera de ipso loquuntur.* Siquidem verba illa etiam *Iosepho* possunt accommodari, utpote qui *carceri* inclusus, & postea inde liberatus fuit, *Genes.* 39. v. 20. & c. 41. v. 14. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 595. & c. 106. p. 636.

Vers. 5. *Et dabo omnem potentiam civitatis hujus, & omnem laborem ejus,* &c.

*Metonymia* est tum *adjuncti* pro *subjecto*, quia חֹסֶן, *potentia*, notat *opes*; tum *causæ* pro *effectu*, quoniam יְגִיעַ *labor* pro *rebus labore partis* accipitur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tractat. 1. cap. 4. m. 1. p. 54. Confer *Buxtorf.* in Lexic. Hebr. p. 292. & *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. p. 12.

Vers. 7. *Seduxisti me Domine, & seductus sum,* &c.

*Reformati* quidam statuunt, *Deum esse causam peccati*, quòd *ipse seduxerit Ieremiam.*

℞. [1.] In *Hebræo* est verbum, פִּתָּה, quod *propriè* significat, *persuadere*, ut sensus sit: *Persuasisti mihi Domine*, non verò, *seduxisti me.* [2.] Loquitur Jeremias non de *mendacio in doctrina*, vel *scelere aliquo in vita*, ad quod à Deo adactus sit; sed de *vocatione sua Prophetica*, ad quam à Deo deductus sit. Quia verò isthæc multum odij, opprobrij, &c. secū trahebat, sicut ex v. 8. manifestū est, Jeremias carnis

infirmitate superatus, de ijs non solùm conqueritur, sed aliquo modo etiam cum Domino expostulabat. Respicit enim ad c. 1. v. 6. ubi recusarat illam vocationem. Non rectè igitur hoc dictum eò detorquetur, *quasi Propheta causam peccati ad Deum auctorem retulerit. Chemn.* par. 1. LL. Theol. loc. de Caus. peccat. c. 4. p. 149. *Gerhard.* tom. 2. LL. CC. loc. 9. de Provident. divin. §. 128. p. 139. seq.

Vers. 12. *Et Domine exercituum, probans justum, videns renes & cor: videam ultionem tuam de eis, quia ad te revelavi litem meam.*

Notas Philologicas, unà cum scrupulo quodam hujus loci, vide assignatas in Vindic. *Jerem.* 11. v. 20.

Vers. 14. *Maledicta dies, in qua natus sum,* &c.

*Anonymus* ille Semijudæus l. c. opinatur, *Esaiam* c. 53. v. 2. verbis istis, *despectus fuit & rejectaneus inter viros, vir dolorum,* &c. vaticinari de *Jeremia*, ut qui tam abjectus & afflictus fuerit, ut *præ dolore maledixerit dies, in quo natus erat.*

R. N. C. Etsi enim Jeremias admodum fuit abjectus & afflictus, adeò ut etiam maledicat diei, in quo natus est; exinde tamen non statim sequitur, *ipsum Jeremiam fuisse eundem,* de quo *Esaias* c. 53. v. 2. vaticinatus fuerat: Nam & *Hiob* tam fuit abjectus & afflictus, ut *præ dolore maledixerit dies,* in quo natus fuit, *Iob* 3. v. 1. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 103. p. 593. & c. 106. p. 629. seq.

CAP. XXI. v. 5. *Et pugnabo ego vobiscum in manu extenta, & in brachio forti,* &c.

Ἀνθρωποπάθεια est, quâ *Deus manu extenta, & brachio forti pugnare* dicitur, instar *fortis & ardentis bellatoris.* Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 109. seq.

Vers. 8. *Ecce ego do vobis viam vitæ, & viam mortis,* &c.

*Costerus* in Enchir. c. 5. p. 196. asserit, *in homine esse libertatem arbitrij, Deo parendi, si velit, & non parendi, si nolit; cum ipsi Deus det viam vitæ, & viam mortis.*

R. (1.) Negatur id sequi: Cui enim *Deus dat viam vitæ, & viam mortis,* non fit statim propterea, quasi *in homine recognoscat libertatem & facultatem parendi, si velit, & non parendi, si nolit*; sed ut illum partim *periculis & peccatis* moneat, partim etiam *mediorum à se ordinatorum*, partim ut ad *auscultationem verbi* invitet, quo mediante, detur Spiritus Sanctus, qui operatur velle & perficere, *Phil.* 2. v. 13. (2.) Sermo hic non est de actionibus *internis & spiritualibus*, sed de *externis & naturalibus*, videlicet *Iudæos potuisse in urbe manere ac mori, & urbe egredi ac vivere*, ut v. 9. palam testatur. *Meyfart.* in Anticost. disp. 5. thes. 9.-13. p. 205. 206. seq.

Vers. 13. *Ecce ego ad te, ô habitatrix istius convallis rupes istius planities, ait Dominus, dicentes: Quis confringet nos? aut quis intrabit in habitacula nostra?*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Periphrasis* propugnaculi *Zionis*, cui ab omnibus partibus circumstabant convalles, erat que ab Ortu planities, quam rupes sive propugnaculum illud defendebat. (2.) *Allegoria*, qua ad *Iebusæos*, ejusdem propugnaculi quondam possessores, alluditur, qui præsidebant naturæ loci & munitionibus, 2. *Sam.* 5. v. 6. id quod & Judæi, *Zionis* incolæ faciebant, *Iun.* in Not. ad h. l. p. 720. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 8. m. 2. p. 788. & lib. 5. tract. 2. cap. 7. p. 576.

Vers. 14. *Et visitabo vos juxta fructum actionum vestrarum, ait Dominus, & succendam ignem in sylva illius, & comedet omnes circuitus illius.*

Verba hæc continent (1.) Ἀνθρωποπάθειαν, quâ DEUS *visitare* dicitur, h. e. *animadvertere, pœnasq́; immittere.* (2.) *Metonymiam* tum *materiæ* pro *materiato*, quia *sylva* pro *domo Domini, domo Regis, domibusq́; magnatum*, quæ ex pretiosa materia, à sylva Libani adportatâ, fuerant extructæ, c. 22. v. 7. accipitur: tum *subjecti* pro *adjuncto*, quoniam *circuitus* ponuntur pro *civitatibus, quæ sunt in circuitu.* (3.) *Prosopopœiam*: nam *comedere* tribuitur *igni consumenti.* Arixm. par. 4. Bibl. p. 63. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 720. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 21. Confer cap. 3. m. 2. p. 36. cap. 7. p. 144. cap. 9. p. 203.

CAP. XXII. v. 3. *Sic dixit Dominus: Facite judicium & justitiam, & liberate raptum è manu oppressoris, & advenam,* &c.

Propheta usurpat (1.) Hendiadyn: *judicium & justitiam*, h. e. *judicium justum*, q. d. dum judicia exercetis, justitiam rectè tenete, ne vel ad dextram, vel ad sinistram ulla ratione declinetis. (2.) *Metaphoram*: Liberate *raptum è manu* oppressoris, h. e. eripite *eum, qui rapinam patitur, è potestate & violentia* oppressoris. (3.) *Synecdochen*, quâ *mandata & interdicta Legis* summatim complectitur, *Jun.* in Not. ad h. l. p. 720. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 6. p. 24.

Vers. 10. *Ne defleatis mortuum, & ne condoleatis ei: flete flendo abeuntem, quia non revertetur ultra, & videbit terram nativitatis suæ.*

I. Occurrit (1.) Epizeuxis: *Flete flendo*, i. e. *omnino & acerbe flete.* (2.) *Elipsis* particulæ negativæ, ex membro præcedenti repetendæ: *Et non videbit* &c. v. 12. *Ariam.* par. 3. Bibl. p. 63. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 721.

II. Ἐναντιοφανεία est: *Ne defleatis mortuum*; at *desle mortuum*, Syrac. 38. v. 16.

R. Jeremias loquitur *comparatè*: Non *tam* eum plangite, qui mortuus est, *quam* qui vivus, scilicet mortuus instanti calamitati præreptus est, viventes ad eam servantur. *Fritdlib.* in Anot. ad h. l. art. 2. class. 2. n. 2. p. 721.

Vers. 11. *Quia sic dixit Dominus ad Schallum, filium Josiæ,* &c.

*Ironia* est, quâ Jeremias Jehoachazum, filium Josiæ, Regem Judæ, vocat *Schallumum*, q. d. hunc alterum fuisse Schallumum, ut qui non multò amplius regnum obtinuerit, quàm Schallum, filius Jabeschi, præfuit Israëli, 2. Reg. 15. v. 13. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 12. m. 1. p. 816.

Vers. 13. *Væ ædificanti domum suam in non justitia, & cœnacula sua in non judicio; socio suo serviet gratis, & opus ejus non dabit.*

In versu hoc habetur (1.) Hebraismus: *In non justitia*, & *in non judicio*, i. e. *injustè* & *abiq́; æquitate*, (2.) *Metonymia causæ* pro *effectu*; nam *opus* pro *mercede operis* ponitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 306. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. p. 11.

Vers. 18. *Non plangent te: Va Domine, & va inclyte.*

Nonnulli existimant, vocem אדון *absolutè* positam, non semper esse nomen *Jehovæ proprium*, neq́; *soli æterno Deo* competere; quòd & ipsi olim *Reges Juda* vocati fuerint in eorum planctibus. Quia enim Propheta Jojachimo Regi Judæ honestam sepulturam illis ipsis verbis denegat, id argumento est, hac olim formulâ solitos fuisse *Judæos Reges suos plangere*, eosque vocare *Adon.*

R. Non

℞. Non est ad rem: præterquam enim quòd *plangentium voces interrupta ac imperfecta esse solent*, de tali *domino* hîc sermo est, qui *mortuus*, qui *deflendus*, qui *sepulturæ destinandus*; id quod satis est *restrictionis*, satis argumenti, intelligendum hoc nomen de dominio eo, quod *mortis imperium* non effugiat, ideò q; *particulari & inferiore*, non *supremo ac universali*, imò de eo, quod FUIT, adeoque *temporis limitibus circumscripto*, hoc est, nequaquam divino. *Hunn.* in Exam. Error. Photin. de Nomin. Dei, c. 3. err. 5. n. 13. p. 267. seq.

Vers. 19. *Sepulturâ asini sepelietur, trahendo & projiciendo ultra portas Jerusalem.*

Offert se (1.) ὀξύμωρον: *Sepulturâ asini sepelietur*, i. e. *non sepelietur*, instar *asinorum*; qualem sepulturam Cicero in Philipp. 1. vocat *insepultam sepulturam*. (2.) *Synecdoche partis pro toto*: Ultra *portas Jerusalem*, h. e. *terminos* Iudææ. Impletum autem hoc fuit in *Nebucadnezare*, qui Hierosolymam ingressus, Jehojakimum catenis constrinxit, ut cum Babylonem abduceret, 2. Paral. 36. v. 6. sed postea mutatô consiliô eundem interfecit, & inhumatum extra muros projici jussit, ut *Iosephus* l. 10. Antiq. Judaic. c. 8. commemorat. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 721. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 306. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 8. p. 112. & lib. 5. tract. 2. cap. 7. p. 569.

Vers. 20. *Ascende Libanum & clama, ac in Baschane ede vocem tuam: clama etiam trans vada, cum fracti fuerint omnes amatores tui.*

*Ironia* est, ad *familiam Iehojakimi* directa, quâ ostendit Propheta, sive Libanum & Baschanem versus *Assyrios* inclamet, ut suppetias ferant, sive vada (Schichoris fluvij, paludis Sirbonidis & Nili) *transmeet, ad inclamandos Ægyptios*, omnia fore inutilia, ut narratur 2. Reg. 24. v. 9. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 721. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 84.

Vers. 23. *O sedens in Libanon, nidificans in cedris, quàm gratiosa eris, in veniendo tibi dolores; tormen tanquam parturientis.*

In textu hoc reperitur (1.) *Hebraismus*: 1. enim יֹשַׁבְתְּי, *sedens*, compositum est ex præterito & participio *Kal*. In *illo* esset יָשַׁבְתְּ, in *hoc* יוֹשֶׁבֶת, q. d. ô tu quæ *sedisti, & etiamnum sedes*. 2. מְקֻנַּנְתִּי, *nidificans*, composita forma est ex præterito & participio *Pyal*. In *illo* esset קֻנַּנְתְּ, in *hoc* מְקֻנֶּנֶת, q. d. *nidulata es jam ante & nunc nidularis*, ut *Kimchi* scribit in Michlol p. 77. Utrobique autem *Iod* paragogicum est. (2.) *Metaphora*: nam *nidificare* significat, *in altis habitare*, sicut quædam *aves* in altis rupibus nidificare solent. (3.) *Ironia*, quâ *infaustum exitium* comparatur cum *præsente gloria*: מַה־נֵּחַנְתְּ, *quàm gratiosa eris*, scilicet! (4.) *Enallage numeri* singularis, *tormen*, pro plurali, *tormina*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 64. *Iun.* In Not. ad h. l. p. 71. *Glass.* libr. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 31. p. 332. lib. 5. tract. 1. cap. 5. p. 84. seq. cap. 11. p. 332. tract. 2. cap. 5. p. 559.

Vers. 28. *Nonne Iechonia est miserum & confractum vas, projectum in terram, quod nemo curat?*

Propheta sibi contradicere videtur, afferit enim, *Iechoniam fuisse projectum in terram, quem nemo curaverit*; ast cap. 52. v. 31. affirmat, *Evilmerodachum Babylonia Rege, Iechonia thronum super omnes thronos Principum reliquorum extulisse.*

℞. Considerat hîc Propheta Jechoniam *abeuntem de throno suo Regio in captivitatem Babylonicam*. Miserum certè spectaculum, Regem tam indignis modis solio dejici, sceptro subditisque exui, in peregrinas terras abduci, nunquam in suam quidem reducendus sit. Quanquam *in captivitate sua* exaltatus est, in signum divinæ clementiæ, & in mercedem aliquam obedientiæ, verbis Domini præstitæ, dum lubens se hosti Regi dedidit. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 2. class. 2. n. 3. p. 721.

Vers. 29. *Terra, terra, terra audi verbum Iehovæ.*

*Smalcius* contr. Schopper. de Trinit. p. 13. contendit, in formula benedictionis, *Num.* 6. v. 24. 25. 26. trinam JEHOVÆ repetitionem non innuere *tres personas divinas*, sed adhiberi, *majoris assertionis* gratiâ; quòd & hîc ter repetatur vox *terra*, majoris assertionis gratiâ, non ob *triplicitatem terræ*.

℞. (1.) R. *Salomo* in comment. ait, textum hunc posse sic explicari, quòd trina *terræ* repetitione *tres terræ sanctæ partes* intelligantur; nimirum Judæa, ea quæ trans Jordanem, & Galilæa. (2.) Non est eadem utriusque loci ratio: quia אֶרֶץ ter repetitum ponitur in casu *vocandi*; jam verò in omnibus linguis usitatum est, *emphaseos* causâ in exclamationibus *vocativum* repeti: sed יְהוָה in formula *benedictionis* ponitur in casu *nominandi*, quem absque *personarum pluralitate* in lingua sancta repeti; nondum est probatum. (3.) Adhibet quidem Jeremias trinam illam repetitionem; *majoris assertionis* gratiâ: verùm cur non *bis* vel *quater* illam ipsam instituerit, id porrò quæritur. Certè Propheta *terram* tacitè adjurat in nomine *Iehova*, ut verbum DEI audiat, & est sensus: Adjuro te, ô terra, in nomine *Iehova Patris*; adjuro te, ô terra, in nomine *Iehova Filij*; adjuro te, ô terra, in nomine *Iehova Spiritus Sancti*, ut verbum Domini audias: ut ita & hîc tacitè *Trinitas personarum* in una Deitate contineatur. *Gerhard.* par. 2. Dispp. Theol. p. 1222. & 1228. *Iacob. Martin.* l. 2. de trib. Eloh. c. 38. p. 351. & c. 39. p. 360. *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 5. p. 18. m. 1.

Vers. 30. *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem ultra habeat in Iuda.*

Jeremias repugnare videtur I. Matthæo; *ille* chim prædixit, *Iechoniam fore sterilem*, h. e. planè ἄπαιδα; *hic* verò c. 1. v. 12. asseverat, *Iechoniam genuisse Salathielem*.

℞. Jechonias vocatur à Jeremia *sterilis*; non quòd planè ἄπαις futurus esset; nam *liberi ejus* enumerantur, *Ierem.* 22. v. 28. sed quòd liberos habiturus esset *regiæ dignitatis expertes*, atque ea propter, quantum ad *regni successores*, planè sterilis esset futurus. *Brochm.* tom. 1. System. Theol. art. de Christ. Servat. c. 1. q. 8. p. 832.

II. *Haggæo*: Jeremias enim dicit; *Iechoniam non esse relicturum virum, qui potestatem habeat in Iuda*; Haggæus verò c. 1. v. 1. *Zerubbabelem*, Jechoniæ filium, testatur, *fuisse Principem Iudæorum reducum*.

℞. Jeremias loquitur de *potestate Regia*, quam nemo filiorum aut posterorum Jechoniæ adeptus est: Haggæus autem de *potestate Ducali*, quæ post reditum è Babylone fuit vel umbra saltem pristini imperij. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 2. class. 2. n. 4. p. 721.

CAP. XXIII. v. 2. *Ideò sic dixit Dominus Deus Israel ad pastores pascentes populum meum: Vos dispersistis pecudem meam, atq; ejecistis eas, & non visitâstis eas; ecce ego visito super vos malitiam, &c.*

Jeremias utitur (1.) *Metaphorâ*: nam *pascere*, de *Ministris Ecclesiæ* usurpatum, significat *docere*. (2.) *Enallage* partim *numeri* singularis, *pecudem meam*, pro plurali, *pecudes meas*; partim *temporis* præsentis, *visito*, pro futuro, *visitabo*. (3.) Ἀνθρωποπαθείᾳ: Deum enim dicit *visitare*, h. e. *animadvertere*, & *pœnas sumere* condignas ac respondentes malis hominum operibus. *Arian.* par. 4. Bibl. p. 64. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 722. Vatabl. in Annotat. ad eund. loc. p. 308. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 11. p. 328.

Vers. 5. *Ecce dies veniunt, dixit Dominus, & suscitabo Davidi germen justum, & regnabit Rex, & prosperè aget, & faciet judicium & justitiam in terra.*

I. Verba hæc exhibent (1.) Ἀνθρωποπάθειαν, quâ *Messias* vocatur *germen*, & notatur *ortus ejus secundùm carnem ex Davide per Nathanis genus*, sicut *germen* ex terra pullulascit. (2.) Hebraismum: *Regnabit Rex*, h. e. *erit verus Rex*, non tyrannus. *Vatabl.* In Annot. ad h. l. p. 308. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 722. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 168.

II. Quidam *Theologi* mysterium *unionis hypostaticæ duarum in Christo naturarum* describere voluerunt similitudine *germinis*, quod succum trahit ex stipite; humanam autem Christi naturam esse illud *germen*, quod vi unionis cum verbo, ab ipso gestetur, & ex eo omnem excellentiam accipiat.

℞. Similitudo talis *insitionis* non satis rectè congruit ad hoc mysterium, neq; eam hîc attendit Jeremias: Christus enim *germen Davidis* vocatur, eò quòd ex *genere Davidis* carnem assumserit, *Apoc.* 22. v. 16. *Chemnit.* libr. de duab. Christ. natur. c. 6. p. 29.

III. *Judæi* mordicus defendere nituntur, *regimen Messiæ fore politicum & merè mundanum*, quoniam *regnaturus sit Rex*, *& prosperè acturus*, *& facturus judicium & justitiam in terra*; facere autem judicium & justitiam in terra, non esse aliud, quàm *more aliorum Regum mundanorum gubernare*.

℞. N. C. *Facere* enim *judicium & justitiam in terra* hoc loco non est, more *aliorum Regum mundanorum gubernare in terra*, sed, *terram implere judicio & justitiâ*, quæ phrasis de *Jehova* extat, *Esa.* 3. v. 5. & de *Messia*, *Esa.* 42. v. 4. *Judicium* verò & *justitia* more Mosaico complectitur sanctissima opera, ex vera & vivifica fide in Messiam exorta, *Ezech.* 18. v. 21. *Malach.* 4. v. 4. quæ comprimis, inter alias officij sui partes, urgere voluit Messias, *Matth.* 3. v. 5. *Franz.* in Schol. Sacrif. disp. 11. thes. 80. - 84.

Vers. 6. *In diebus ejus salvus erit Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen ejus, quod vocabunt eum, Jehovah justitia nostra.*

I. *Judæi* moderni strenuè *negant*, *Jesum Nazarenum esse verum Messiam*, quòd *in ejus adventu non salvi fuerint Judæi, sed potius perditi*, utpote per totum terrarum orbem dispersi; cum tamen *in adventu Messiæ futurus sit salvus Juda, & Israel habitaturus confidenter.*

℞. Hoc in loco Juda non significat *populum Judaicum*, sed *confessionis*, nempe omnes *confitentes Messiam*, per ipsum fore salvos, interprete R. *Mose Hadarsan* in Comment. Genes. apud *Galatinum* l. 5. de Arcan. Cathol. Verit. c. 11. *Jacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 37. obj. 10. p. 194. seq. & c. 41. resp. ad 10. p. 214. seq.

II. *Bellarminus* l. 2. de V. D. c. 2. vult, *Codicem Hebræum esse corruptum*, quia in eo legatur, יִקְרְאוֹ, *vocabit eum*, in singulari; cum tamen legendum sit in plurali, יִקְרְאוּהוּ, *vocabunt eum*, sicut quidem legit Latinus Interpres.

℞. (1.) *Pagninus* & *Arias*, quamvis alias verbotenus ex Hebræo transferant, tamen reddiderunt in plurali, *vocabunt*, idiotismū linguæ Hebrææ explicantes, quâ verbum activum tertiæ personæ sumitur *impersonaliter*: *Vocabit eum*, scil. *unusquisq; in Ecclesia*, sive *omnes pii in Ecclesia* vocabunt eum. *Matth.* 1. v. 21. eodem ferè modo in quibusdam Latinis Codicibus verbum, *vocabunt*, usurpatur. (2.) Nego, Latinum Interpretem legisse pluraliter, *vocabunt*, in textu Hebræo. Non enim necessaria consequentia, & do exempla in partem contrariam. 1. Reg. 22. v. 38. ex Hebræo *Arias* reddit ad verbum: *Et lavit currum*: & tamen Latinus habet: *Et laverunt currum ejus*. Item *Habac.* 3. v. 17. Arias vertit: *Abscidit de ovili pecus*; at Latina editio: *Abscindetur de ovili pecus*. Est verò eadem phrasis, quæ in præcedente loco; & potuit promiscuè verti, *vocabunt*, &, *vocabitur*.

*Hunnius* in Epitom. de V. D. c. 8. §. 10. regerit, Judæos, ut eluderent, *Messiam esse verum Deum*, mutatô unicô punctô in ultima litera ו, nempe *Schurek* in *Scholem*, ex verbo *pluralis* numeri fecisse verbum *singularis* numeri cum affixo, totum sensum immutantes: *Hoc est nomen illius, qui vocabit eum Jehovah. justitia nostra*; ita ut, צִדְקֵנוּ, quidem referatur ad *Christum*, non autem, יְהוָה.

℞. (1.) LXX. Interpp. verterunt, καλέσει, *vocabit*. Atqui si à Judæis post natum Christum facta esset corruptio ex vocalium additione, quî potuit ea esse cognita LXX. Interpretibus, ante ipsam aliquot seculis jam denatis? (2.) *Hieronymus* testatur, etiam suo tempore lectum fuisse in singulari, *vocabit*. Ergo jamtùm *Hieronymi* tempore textus Hebræus fuisset corruptus; id quod tamen Adversarius non concedit. (3.) Fieri non potuisset, ut nihil mutaretur præter unum punctulum. Constat enim retinendum esse pronomen, quod nec Latinus Interpres omisit, reddens, *eum*; nec LXX. αὐτὸν, nec Paraphrasis Chaldæa לֵיהּ. Itaque dicendum fuerat, vel יִקְרְאוּהוּ, vel certè, יִקְרְאוּ אוֹתוֹ, quæ mutatio longius abit. (4.) Neque adeò verum, Judæos sic exponere, ut dicant, *Jehovam esse Messiam vocaturum justitiam nostram*. Nam 1. absurdè facerent. Quis enim sensus: *Jehovah vocabit nomen ejus, justitiam nostram?* Ne Chorœbus quidem tam absurdè cogitaret. 2. R. *David Kimchi* contra est, qui ad hunc modum interpretatur: *Appellabitur Messias hoc nomine, Jehovah justitia nostra.* Quid potuit quisquam Christianus, quod ad *literam* attinet, amplius? 3. Perfacilè Judæi refutabuntur ex ipso textu. *Cujus* enim justitia est Messias? utique *nostra*. Ergo & nominatio illa referenda est ad eos, *qui Messiam pro sua justitia agnoscunt*. Hunn. tom. 2. Oper. Latin. p. 127. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. special. par. 1. p. 91. seq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 10. -16. p. 218. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. obj. 66. p. 155. seq.

III. *Christus est unus ille Deus verus Israelis*: est enim *Jehovah*, quod nomē *soli Deo Israelis* competit.

Excipit 1. R. *David Kimchi*, non significari hoc loco, *nomen Christi fore Jehovam*, sed *tempore Christi justitiam Jehova futuram esse nobis*, quia nunquam recedet.

℞. Ve-

℞. Verum quidem eſt, Chriſtum non fuiſſe vocandum quaſi *proprie* nomine, *Dominus juſtitia noſtra*; ſed tamen ex hoc loco deducitur, *ipſum eſſe verè Iehovam.* Nam de ipſo dicitur: *Iehovah juſtitia noſtra*; id vis verborum, eorundemque constructio evidenter evincunt.

2. *Oſtorrodius* Inſtit. Germ. c. 10. §. 4. nomen יְהוָה non ibi notare *verum & æternum Deum*, ſed *Iſraelem*; cum pronomen, EUM, ad *proximum* referatur, nempe ad *Iſraelem.*

℞. (1.) Autor *Catechiſmi Racovienſis* p. 61. non audet aſſerere, pronomen, EUM, *referri debere ad Iſraelem*, ſed dicit ſaltem, *poſſe referri ad Iſraelem.* Nos autem quærimus de *debere*: neque enim ignoramus, quomodo textus quidam Biblicus detorqueri *poſſit*. (2.) *Socinus* in Refutat. arg. Bellarm. & Wieck. p. 316. ſeqq. fatetur, *pronomina relativa* non ſemper referenda eſſe ad *propinquius*, ſed ſæpe ad *remotius*: unde igitur probabitur, pronomen, *eum*, neceſſariò referri ad *propinquius*, nempe ad *Iſraelem*? (3.) Ibi Propheta non agit de *Iſraele*, ſed de *germine Davidis*, v. 5. hoc autem eſt *Chriſtus*, ad *quem* pronomen relativũ, EUM, referri debet, non autem ad *Iſraelem*, tum quia non *Iſrael*, ſed *Chriſtus, Rex juſtus futurus erat, bene regnaturus, & judicium atq; juſtitiã adminiſtraturus in terra*, Zachar. 9. v. 9. tum quia de *Iſraele* nequaquã dici poteſt, quòd *noſtra ſit juſtitia*. Chriſtus autẽ à Patre nobis factus eſt *juſtitia*, 1. Cor. 1. v. 30. Ergo *Chriſtus eſt ille Iehovah*, non verò *Iſrael*. Hunn. tom. 1. Oper. Lat. p. 95. ſeq. *Bellarminus*. l. 1. de Chriſt. c. 7. p. 315. *Balduin.* in Colleg. de SS. Trinit. diſp. 5. theſ. 14. & 17. & in Refutat. Catech. Arian. p. 136. 137. ſeq. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 738. 742.-747. *Iacob. ad Port.* contr. Oſtorrod. Inſtit. p. 117.

IV. *Oſiander* in Confeſſ. q. 4. contendit, *Chriſtum eſſe noſtram juſtitiam ſecundùm divinam duntaxat naturam*, quoniam ſecundùm *hanc* ſit *Iehovah*.

℞. Sermo eſt Prophetæ non de juſtitia *perſonæ*, quaſi Chriſtus nobis *eſſentialem Deitatis ſuæ* juſtitiã communicet; ſed de juſtitia *officij*, nobis acquiſitã. Hoc ipſum evincit (1.) *ſubjectum*, quod eſt *totus Chriſtus* θεάνθρωπος, appellatus *germen Davidis*, quâ notatione *humana* ipſius natura exprimitur; & *Jehovah*, quæ vox *divinam* ipſius naturam deſignat. Ergo, *juſtitia noſtra*, non ad *alterutram naturam in abſtracto*, ſed ad *totam perſonam* referri debet: neque enim de *divina natura ſeorſim* ſermo eſt Prophetæ, ſed de *tota perſona*, quæ eſt Deus & homo. (2.) *Effectum*, quod eſt *redemptio & ſalvatio* Judæ ac Iſraël; quod *redemptionis & ſalvationis* opus ad *ſolam divinam naturam* referendum eſſe, *Oſiander* nunquam probabit. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 557. ſeq. *Pazel.* par. 5. Arg. & Reſp. Theol. p. 195. & ſeq. *Hutter.* in Expoſ. Form. Concord. art. 3. c. 3. antith. 1. p. 360. 361. ſeq. *Brochm.* tom. 2. Syſt. Theol. art. de juſtif. c. 2. q. 21. obj. 1. p. 566.

V. *Chriſti juſtitia in actu juſtificationis pro noſtra reputatur*: ille enim *noſtra eſt coram Deo juſtitia*; itaq; *Chriſti juſtitia ab ipſo Deo nobis datur, ut per eam juſtificemur.*

Reſpondet 1. *Bellarminus* l. 2. de juſtif. c. 10. reſp. ad 1. argum. *Chriſtum dici noſtram juſtitiam*, non quòd *juſti ſimus eâ juſtitiâ, quæ eſt in Chriſto nobis imputata*; ſed 1. quia eſt *cauſa efficiens noſtræ juſtificationis*, & 2. quia *ſatisfecit Patri pro nobis*, & iſtam ſatisfactionem nobis donat & communicat, cum nos juſtificat, ut noſtra ſatisfactio & juſtitia dici poſſit.

℞. (1.) Bellarminus ſibi contradicit: nam paulò poſt concedit, ex hoc *Ieremiæ* loco ſequi, *Chriſtũ eſſe noſtram juſtitiam per imputationem*, vel, *juſtitiam Chriſti nobis imputari.* At l. 2. de juſtit. c. 7. ... bit, *fieri non poſſe, ut Chriſti juſtitia nobis imputetur.* (2.) Ipſi concedimus, Chriſtum dici noſtram juſtitiam, 1. ob *acquiſitionem*, & hactenus eſt cauſa *efficiens*; ſed & 2. ob *imputationem*, & ſic eſt cauſa *formalis*. Poteſt hoc exemplo illuſtrari. Solutio alieni debiti, reſpectu *ſolventis*, eſt cauſa *meritoria*, ob quam debitor non poteſt conveniri: ſed eadem ſolutio, reſpectu *debitoris*, cui à creditore imputatur, eſt cauſa *formalis*, non-conventionis. (3.) Miror tamen Bellarminum negare, *nos juſtos eſſe eâ juſtitiâ, quæ in Chriſto eſt nobis imputata.* Nam viderit ille, quo ſenſu hoc interpretetur: at nos certè nullo alio, quàm, *imputari nobis eam ſatisfactionem*, quâ pro nobis Chriſtus Patri ſatisfecerit, atq; ita communicari donarique, ut noſtra dici poſſit, nimirum quod inde fiat, ut nec pœnas daturi ſimus, & habituri vitam æternam, haud ſecus, ac ſi nunquam peccaſſemus, imò legem implevissemus: quandoquidem pro nobis *Mediator* & pœnas dederit, & legem impleverit.

2. *Coſterius* in Enchir. c. 6. p. 248. *negandam eſſe conſecutionem*, cum exinde non ſequatur, *nullam eſſe aliam juſtitiam in nobis.*

℞. Monſtrum hoc eſt calumniæ: Etſi enim eſt aliqua *juſtitia operum nobis inhærens*; tamen illa non eſt *forma* juſtificationis, ſed *effectum* ejus ſive *conſequens*. Neque enim ullam habemus juſtitiam *inhærentem*, niſi poſtquam ſumus conciliati Deo: neque poteſt *illa* etiam ferre *rigorem divini judicij*, propter multiplicem *imperfectionem & infirmitatem* adhærentem. Unde deprecantur omnes juſtificati *judicium Dei*, & ad *miſericordiam* confugiunt ſolam. Quia igitur *imputatio juſtitiæ Chriſti* eſt *forma* juſtificationis, & verò unica eſt *forma* juſtificationis, juxta *Concilium Tridentinum*: cur ergò juſtitiam *inhærentem* nobis obtrudit Jeſuita pro *forma* juſtificationis?

3. *Becanus* tom. 1. Opuſcul. 5. non quæri, an *Chriſtus ſit noſtra juſtitia*; ſed, an *juſtitia Chriſti ſit noſtra juſtitia? Illud* enim concedi à Papiſtis, *hoc* verò negari.

℞. Puerilis reſponſio: quia idem ſignificat, *Chriſtus eſt juſtitia noſtra*, & *juſtitia Chriſti eſt noſtra*. Nam (1.) non poteſt id dici de *ejus perſona*, cùm juſtitia nulla ſit perſona; neque etiam de *alijs ejus perfectionibus*, quoniam ridicula phraſis eſſet, *Chriſti* (ut hanc e. g. nominem) *potentiam eſſe juſtitiam noſtram.* (2.) Habemus etiam *juſtitiam* deſignatam, *Rom.* 5. v. 18. *per unius juſtitiam*, & v. 19: *per unius obedientiam.* Cum igitur conſtet, noſtram juſtificationem peti ab *obedientia* ſive *juſtitiâ Chriſti*, certè neceſſe eſt, *Chriſtum juſtitiam noſtram* dici, propter *ejus juſtitiam*; itaque ſenſum eſſe, *Chriſti juſtitiam eſſe noſtram juſtitiam.* Meiſner. dec. 3. Anthrop. ſacr. diſp. 7. theſ. 71. & 72. p. 402. ſeq. *Thumm.* in Dec. Exerc. Theol. diſp. 6. p. 46. ſeq. *Cham.* tom. 3. Panſt. l. 21. c. 17. §. 2. 14. 15. 16. 24. 25. 26. 27. p. 446. ſeq.

Verſ. 9. *Fui tanquam vir ebrius, & tanquam vir, quem tranſiens vinum, &c.*

*Proſopopæja* eſt, quâ *vinum tranſire virum* dicitur, h. e. *vincere & inebriare*. Glaſſ. libr. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 204.

Verſ. 15. *Ecce ego cibo eos abſinthiô, & potabo eos ſucco cicutæ, &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Enallage temporis*

præsentis, *cibo*, pro futuro, *cibabo*. (2.) *Metaphora*: Cibabo eos *absynthiô*, *& potabo eos succô cicuta*, i. e. *enecabo eos amarulentissimis & gravissimis mortis generibus*. quorum amaror *absinthio*, pernicies verò *cicuta* succo figuratur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 309. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 723. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 292.

Vers. 18. *Quis affuit in consilio Domini, & vidit & audivit sermonem ejus?*

*Vorstius* tract. de Deo & attrib. divin. p. 271. asserit, *scientiam Dei esse discursivam*; cui favere videtur, quòd *Deo attribuatur consilium*.

℞. N. C. Neque enim Deo tribuitur consilium *propriè*, cum non deliberandum ipsi sit de re quapiam *dubia*, quod *imperfectionem* importat; sed *metaphoricè*, notans actum *internæ dispositionis*, secundum quam omnia gubernat & administrat. *Meisn.* par. 1. Philos. sobr. sect. 4. c. 9. q. 9. p. 1196. seq. *Scheibler.* l. 2. Oper. Metaphys. c. 3. n. 497. seq.

Vers. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.*

*Ecclesiæ doctores non debent currere ac prophetare, antequam accedat divina missio & jussio*: hoc enim *à Deo improbatur*.

Excipit 1. *Ostorodus* Instit. Germ. c. 42. p. 437. locum hunc ad rem nihil facere, quia de ijs sit sermo, *qui jactitabant se esse Prophetas, à Deo missos, ut novi aliquid, idq; singulare, populo annunciarent*; cum verò hoc nostro tempore nihil *novi* afferatur, sed *antiqua illa Evangelij doctrina* ponatur, non opus esse *singulari aliqua vocatione seu missione* ad docendum.

℞. (1.) Non negamus, Jeremiam loqui in *specie* de *Pseudoprophetis Iudaicis*, qui non missi, nec vocati à Deo, seductiones cordis sui prophetabant: sed ex eo rectè deducitur *generalis regula*, ἀνθολκτέος opponenda, quòd nemo, nisi *missus à Deo*, docendi officium (quod itidem in Scripturis vocatur *prophetia*, Rom. 12. v. 7. 1. Cor. 14. v. 1. & seqq.) in Ecclesia usurpare debeat; cùm *currere & prophetare*, antequam accedat divina missio, sit *Pseudoprophetarum* proprium, id quod *veri Prophetæ & Doctores Ecclesiæ* fugiant. (2.) Falsum est, illos, *qui non proponunt novam doctrinam*, non opus habere *peculiari missione & vocatione*. Nam *vocatione* opus est, non tantum *novâ* dictuio, sed etiam *veritatē*, quantumvis maximè invulgatam, professuro & publicè proposituro, *Rom.* 10. v. 15. 1. *Tim.* 1. v. 3. *Tit.* 1. v. 5. Ita *Sacerdotes* V. T. non debebant proferre *novam* doctrinam; neq; tamen docere debebant absque *vocatione*, 2. *Paral.* 29. v. 11. Similiter in N. T. illi, *qui per singulas Ecclesias Presbyteri erant constituti*, Actor. 14. v. 23. non proferebant *novam* doctrinam; neque tamen nisi *vocati ac missi* docebant.

2. *Smalcius* contr. Franz. disp. 4. de Ord n. Eccles. p. 378. eo ipso, quo *in specie* hîc agitur de *re singulari*, dictum Propheticum ad *quamvis vocationem* accommodari non posse.

℞. Omnino ad *quamvis vocationem* accommodari potest ac debet. Nam (1.) *usus & canon totius* V. T. non patitur, ut aliquis sine *vocatione* prædicare ausit. (2.) Omnes ministri Ecclesiæ sunt Dei *legati*, 2. *Cor.* 5. v. 21. Jam verò nemo sibi ipsi *partes legati* sumit, nisi à *legante* ipsi imponantur. *Hebr.* 5. v. 4. *Franz.* disp 4. Vindic. poster. sect. 7. *Gerhard.* tom. 6 LL. CC. loc. 26. de Ministr. Eccles. §. 55. p. 82 83. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Ministr. Eccles. c. 2. q. 3. arg. 3. p. 907. a.

Vers. 23. *An Deus de propinquo ego, ait Dominus, & non Deus de longinquo.*

I. *Hebraismus* est, emphaticam *Interrogationem* complectens: הַאֱלֹהֵי מִקָּרֹב, *an Deus è propinquo sum ego?* q. d. *loci propinqui*, h. e. *sum Deus de propinquo*, i. e. *omnipræsens & omniscius*. LXX. Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι. Lutherus negativam supplet: **Bin Ich nicht ein Gott der nahe ist?** Sequitur: *Et non* אֱלֹהֵי מֵרָחֹק, *Deus è longinquo*, q. d. *loci longinqui*, h. e. *absens & rerum humanarum inscius* ego non sum. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 1. p. 113. & lib. 5. tract. 2. cap. 5. p. 555. seq.

II. *Crocius* suspicatus est, *cælum Dei non esse ubique*, cum *Deus ita sit in cælo suo, ut etiam extra illud sit*, Prophetæ teste.

℞. (1.) Propheta hîc non dicit, *Deum esse extra cælum suum*, sed Apostolo interprete, *Actor.* 17. v. 28. *Deum non esse longè ab unoquoq; nostrûm.* (2.) Damus verò, Deum ita esse in cælis *creatis*, ut etiam sit extra *illos*: sed quid hoc ad *proprium Dei habitaculum*? quippe quod non est res quædam *creata*, sed est *æternus, potentissimus & gloriosissimus Dei supra omnia status*, docente Dei Spiritu, *Esa.* 57. v. 15. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Vit. ætern. c. 2. q. 3. obj. 5. p. 7058. seq.

III. *Thummius* in Ταπεινώσ. p. 305. autumat, *omnipræsentiam Dei formaliter non includere operationem*, cum *Deus demonstretur omnipræsens ab effectu*, quòd *videns omnia arcana puniat*: effectum autem definitionem *causæ*, Dei scil. *præsentis*, minimè ingredi.

℞. (1.) Deus nequaquam hîc intelligit ἀνέργητον & *otiosam* aliquam propinquitatem, sed præsentiam, *actionem divinam definitivè includentem*: ipse enim suis creaturis est propinquus, non *solâ substantiâ*, sed etiam *potente sustentatione, & omnisapiente rectione*: unde v. 24. dicit, *se cælum & terram implere*. (2.) Falsum igitur est, *operationem divinam in definitionem præsentiæ divinæ apud creaturas gubernandas non immeare*. Etsi enim & nos sciamus, quòd *effectus non ingrediatur definitionem perfectam suæ causæ*; novimus tamen & hoc, quòd in definitionem *præsentiæ potentis conservationis creaturarum* immeet *potens conservatio*, & in definitionem præsentiæ *gratiosæ*, ut & præsentiæ *gloriosæ*, ingrediatur *gratiosa & gloriosa operatio*. Feurb. in Κενώσ. p. sect. 7. c. 2. q. 8. p. 16. seq.

Vers. 24. *Nonne cælum & terram ego impleo, dixit Dominus?*

I. *Deus substantiâ suâ est omnipræsens*: ipse enim est, *qui cælum & terram implet*.

*Vorstius* tract. de Deo & attrib. divin. p. 233. regerit, ex *impletione illa cæli & terræ* non posse colligi *essentiæ immensitatem*, cum cælum & terra sint corpora *finita*.

℞. (1.) Exinde jam non probamus *essentiæ divinæ immensitatem*, sed *substantialem ejus omnipræsentiam*: Itaque Adversarius ignorat elenchum. (2.) Deus non *simpliciter & adæquatè* dicitur *esse in cælo & in terra*; sed emphaticè dicitur *cælum & terram implere*, majestate scil. suæ *divinitatis & præsentiæ*, ita tamen, ut cæli terræ que limitibus ejus essentia non finiatur, *Iob.* 11. v. 8. & 1. *Reg.* 8. v. 23. *Gerhard.* in Exeg. loc. 2. de Natur. Dei & attrib. divin. §. 178. p. 803.

II. *Sadeel.* in lib. de Verit. hum. Christ. nat. p. 10. negat, *corpus Christi esse omnipræsens*, quòd *ipsum non sit Deus*; id autem esse *omnipræsens*, quod est *Deus*, juxta Jeremiam.

℞. Verum est illud Jeremiæ de eo, quod est omnipræsens *per essentiam*: at humana Christi natura est

tura est

tura est omnipræsens, per & propter *unionem cum Deo personalem*, & *subsecutam exaltationem ad dextram Dei*, Ephes.4 v.10. Quarè humana quidem Christi natura non est *Deus*; attamen *Deo personaliter unita*. Mentzer. in Elench. error. Sadeel. de verit. hum. Christ. nat. c.3. p.52.53. & 56. *Reinecc.* tom. 2. Panopl. c.25. p.111.

III. *Omnipræsentia Dei apud creaturas definitivè complectitur potentem Dei gubernationem*: illa namque est *impletio cæli & terræ*, quæ *definitivè* complectitur *potentem gubernationem*.

*Thummius* in Ταπεινωσιγρ. p.319. respondet, exinde hoc tantùm sequi, *implendi* vocem *primariò* præsentiam dominantis, *secundariò* verò dominium Dei præsentis, seu distinctum, & φύσει posterius quid designare.

℞. (1.) *Thummius* sibi non constat. Fatetur enim, per verba, *Cælum & terram ego impleo*, præsentiam *dominantis* designari: Ecquis verò tam bardus est, ut credat, præsentiam *dominantis* Dei, *actionem & operationem* in *definitione* non complecti? (2.) Adversarius ignorat elenchum. Nam hîc non disquiritur de definitione *dominantis Dei*, sed *præsentia universalis divina*. Hîc Thummius negat, in definitionem *præsentiæ hujus* ingredi *operationem*: quia sit *effectum & consequens Dei*. At inquam ego: ipsa etiam *actualis παρουσία*, & *adessentia substantialis apud creaturas*, est *consequens & effectum Dei*; & tamen eo non obstante, immeat definitionem *impletionis omnium*. (3.) Ipse *Thummius* in Amic. Admonit. p.38. jam concessit, quòd actio *definitivè* spectet ad præsentiam *modificatam*: cur ergo non concedit, duo quæpiam (non ἐνεργημένως, sed ἀνεργημένως accepta) unum aliquod *formale* posse constituere? *Theol. Saxon.* in Apolog. contr. Theol. Würtemb. sect.3. c.2. p.460. seq. *Fevverb.* in Κενωσιγρ. sect.7. c.3. q.1. p.33. & q.6. p.36. seq.

Vers. 28. *Propheta, quocum eo somnium, narret somnium; & quo verbum meum cum eo, loquatur verbum meum verè: quid palea cum tritico, ait Dominus?*

In textu hoc reperitur (1.) Pleonasmus: *Quo cum eo*, i.e. *cum quo*, τῷ Eo abundante. (2.) Ellipsis: *Quid palea*, scil. *commune est*. (3.) *Metaphora*: nam ut *falsa doctrina* Pseudoprophetarum *palea*, sic *verbum divinum* verorum Prophetarum *tritico* confertur, Chaldæus de *justis* explicat *triticum*, & de improbis *paleam*: En sicut differt palea à tritico, sic differunt justi ab improbis. *Ariam.* par. 4. Bibl. p.65. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap. 11. p.301.

Vers. 29. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?*

*Verbum DEI prædicatum non est litera mortua, sed efficax*: est enim *quasi ignis*, & *quasi malleus*, *conterens petram*, dura scil. hominum corda; id quod omnino *actionem* quandam dicit.

*Schvvenckfeldius* replicavit, Sermonem hîc esse de *verbo Dei essentiali*, non autem *prædicato*.

℞. Sermonem hoc loco esse de *verbo Dei prædicato externo*, apparet, tum ex v. 28. ubi Deus *idipsum* distinguit à *Prophetarum somnijs*; tum ex v. 30. ubi improbat Dominus Pseudoprophetas, qui auditores suos celabant *verba divina*, & *sua duntaxat figmenta* proponebant. *Gravver.* par. 5. Prælect. Theol. in A.C. p.76. seq. *Gerhard.* tom. 6. LL.CC. loc. 26. de Minist. Eccles. §. 256. p. 410. & 411.

Vers. 33. *Et cum rogabit te populus hic, aut Propheta, aut Sacerdos dicendo: Quod est onus Domini?*

Est hîc (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: quia *onus* pro *prophetia de pœna divina* accipitur. (2.) *Ironia*, quâ Judæi præfracti, & minas Dei habentes pro fabulis, exagitabant Prophetam, ejusq; *conciones pœnitentiæ* non sine singulari contumelia *onus* vocitabant, dictitantes: *Propheta, quod onus nobis narras?* Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract.1. cap. 3. m. 4. p. 47. & tract. 2. cap. 5. p. 559.

Vers. 36. *Pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri.*

*Salmeron* proleg. 4. arguit, *editionem Hebraicam V.T. à Judæis fuisse corruptam*, cum Deus ipsos accuset, quòd *perverterint verba Dei*.

℞. (1.) Jesuita ignorat elenchum: agitur enim hîc contra eos, sive Scribas, sive Doctores, *qui longè ante Christum fuere*; at *hos* constat, Scripturam non corrupisse. (2.) Ludit ambiguitate: nam illud, *pervertistis*, interpretatur, pro *in alium sensum vocabula detorquere & corrumpere*; cum tamen Deus loquatur de *falsa & extorta legis expositione*, ut ex v.17. manifestum est. *Thumm.* in Disquis. de V. D. par.1. p.282. *Cham.* tom.1. Panstr. L.12. c.11. §.2. & 11. p. 216. seq.

CAP. XXIV. v.3. *Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valdè; & malas, malas valdè, quæ non comedentur præ pravitate.*

*Hebraismus* est. Nam [1.] Superlativus effertur per adverbium intendendi, adjectivo appositum: טֹבוֹת מְאֹד, *bonas valde*, h.e. *optimas*: & רָעוֹת מְאֹד *malas valde*, i.e. *pessimas*. [2.] Verbum *actionis* de *potestate agendi* intelligitur: לֹא־תֵאָכַלְנָה, *non comedentur*, i.e. non *possunt comedi*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 65. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract.1. can.16. m. 5. p.58. Confer tract. 3. can. 5. p. 244.

Vers. 5. *Sic dixit Dominus Deus Israëlis; Sicut ficus bona hæc, sic agnoscam deportationem Iehudæ, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum.*

*Metonymia* est tum *causæ pro effecto*, quia הַכִּיר, *agnoscere in bonum*, est, *favere*, & *benevolentiâ paternâ prosequi*; tum *adjuncti* pro *subjecto*, quoniam *deportatio Iehudæ* pro *deportatis Iudæis* ponitur. Intelliguntur autem illi captivi, qui cum *Iechonia* abducti sunt in Chaldæam. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p.311. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p.724. & Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m.3. n.1. p.13.

Vers. 7. *Revertentur ad me in toto corde suo, dicit Dominus.*

Argumentum *Bellarmini*, pro *absoluta renatorum erga Deum dilectione*, vide solutum in Vindic. *Deut.* 30. v. 6.

CAP. XXV. v. 9. *Assumam Nabuchodonosor, Regem Babylonis, servum meum*, &c.

Ratiocinium *Bezæ*, pro *divina peccati causatione*, vide refutatum in Vindic. *Esa.* 10. v. 5. m. 2.

Vers. 12. *Et erit, cum impleti fuerint septuaginta anni, visitabo Regem Babel, & gentem ipsam*, &c.

Jeremias adhibet [1.] *Hebraismum*: כִּמְלֹאות, *secundùm impleri septuaginta annos*, seu cum *impleti fuerint septuaginta anni*; id quod de *anni ipsius septuagesimi initio* intelligendum, quo liberati sunt Judæi ex captivitate Babylonica, ut ex Chronographis liquet. [2.] Ἀνθρωποπαθῶς: *Visitabo*, i.e. *animadvertam, debitasq; pœnas sumam* de Rege Babel, &c. *Iun.* in Bibl. h. l. p.725. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.6. can. 11. not. un. p.546.

Verſ. 26. *Et cunctis regibus Aquilonis propinquis & remotis, viro ad fratrem ſuum, & omnibus regnis, quæ ſuper facie humi: & Rex Scheſchach bibet poſt eos.*

Offert ſe [1.] *Metaphora*: tum quia, *vir ad fratrem ſuum*, ſignificat, *unum cum altero*; tum quia *bibere* notat *incommoda pati, iisq; infeſtari*, alluditur ad *convivium*. Dan. 5. v. 1. ſeqq. [2.] *Pleonaſmus*: ſuper *facie humi*, pro, ſuper *humo*, niſi *faciem* pro *ſuperficie* metaphoricè accipias. [3.] ὑπάλλαξις, quâ *Babel* vocatur שֵׁשַׁךְ, h. e. *feſta agens*, idque *linguâ Chaldaicâ*. Myſticè autem innuitur *tempus expugnandæ Babylonis*, quando ſcil. feſtum *Sacea* celebratura ſit: atque hujus feſti tempore Cyrum expugnaſſe Babylonem, nullum eſt dubium. Scribit enim *Herodotus* lib. 1. cap. 191. tempore occupationis per Cyrum in Babylone feſtum fuiſſe, quo cum convenit *Xenophon* lib. 7. & Scriptura hujus feſti meminit, *Eſa.* 21. v. 5. *Ierem.* 51. v. 57. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 66. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 725. & *Glaſſ.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. obſerv. 13. m. 2. p. 830. ſeq. lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 370. & 375. cap. 22. p. 512.

Verſ. 30. *Dominus ex alto rugiet, & ex habitaculo ſanctitatis ſuæ edet vocem ſuam, rugiendo rugiet in habitaculo ſuo*, &c.

Ecce [1.] Ἀνθρωποπάθειαν: DEO enim tribuitur *rugire*, h. e. *inſtar leonis*, in prædam viſam incurſuri, *horrendùm intonare*; & *habitaculum ſanctitatis*, i. e. *cælum*. [2.] Epizeuxin: *Rugiendo rugiet*, h. e. *omninò* rugiet, *Iun.* in Not. ad h. l. p. 726. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 167.

Verſ. 38. *Fuit terra eorum in deſolationem, propter furorem opprimentis*, &c.

*Ellipſis* eſt nominis ſubſtantivi: *Propter furorem opprimentis*, ſcil. *inimici*, ut *Arias* vult; vel *gladij*; ut *Iunius*: quod ſupplementum extat cap. 50. v. 16. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 12. p. 49.

CAP. XXVI. v. 2. *Sic dixit Dominus: Sta in atrio domûs Domini, & loquèris ad omnes urbes Iehudæ, venientes, ad adorandum domo Domini*, &c.

Propheta utitur [1.] *Enallage* indicativi, *loquéris*, pro imperativo, *loquere*. [2.] *Metonymia ſubjecti* pro *adjuncto*: *Urbes* Jehudæ, i. e. *habitatores urbium* &c. (3.) *Ellipſi* præpoſitionis ב, IN: *Domo Domini*, h. e. *in* domo Domini. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 67. *Glaſſ.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 41.

Verſ. 3. *Si fortè audiant, & convertantur*, &c.

*Photiniani* negant, *Deum certò & infallibiliter præſcire futura contingentia*, quòd *ſubdubitet, num fortè Iudæi verba ſua audiant & convertantur.*

℞. Hebræum, אוּלַי, non tam *dubitantis*, quàm *bene ſperantis*, & *confirmantis animum* exprimit. *Gerhard.* in exeg. loc. 2. de Natur. Dei, & attrib. divin. §. 254 p. 876.

Verſ. 11. *Et dixerunt Sacerdotes & Prophetæ ad Principes, & ad omnem populum, dicendo: Iudicium mortis viro huic*, &c.

In textu hoc reperitur [1.] *Ellipſis* nominis: *Ad omnem populum*, h. e. ad *omnes Seniores populi*. v. 17. [2.] *Metonymia cauſæ* pro *effectu*: nam *judicium* pro *condemnatione* eſt, q. d. vir hic dignus eſt morte. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 726. Vatabl. in Annot. ad eund. loc. p. 316. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. p. 11.

Verſ. 13. *Pœnitebit Dominum mali, quod locutus eſt adverſum vos.*

Rationem *Vorſtij*, contra *voluntatis divinæ immutabilitatem*, vide ſolutam in Vindic. *Gen.* 6. v. 6. m. 1.

Verſ. 17. *Surrexerunt viri de Senioribus terræ, & dixerunt ad omnem cætum populi*, &c.

*Pazmannus* in Hodeg. arbitratur, *Ieremiam* c. 6. v. 13. non dicere, quòd *omnes Sacerdotes contra ſe pugnârint*; cum hîc ſcribat, quòd *multi viri de Senioribus ſurrexerint, & contra turbatores ac ſeditioſos Sacerdotes ipſum cuſtodierint.*

℞. Imò Propheta de *omnibus Sacerdotibus* querelam ſuam inſtituit, ut ex c. 26. v. 17. patet, quibus opponit *Seniores populi*, qui ipſum contra Sacerdotes & Prophetas defendunt. Quod ſanè ſufficiens indicium eſt, quomodo *Paſtores & Prophetæ publicè errârint.* Balduin in Phoſph. Cathol. l. 8. c. 5. p. 764. ſeq.

CAP. XXVII. v. 12. *Subjicite colla veſtra ſub jugo Regis Babylonis, & ſervite ei, & populo ejus, & vivite.*

I. Occurrit [1.] *Metaphora*: nam *collum ſuum jugo alterius ſubjicere*, eſt, *patienter ferre ipſius imperium, eidemq; parére.* [2.] *Enallage imperativi*, *vivite*, pro futuro indicativi, *vivetis*. [3.] Hebraiſmus: *Vivetis*, h. e. *ſalva erunt vobis omnia*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 317. Confer *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 14. p. 265. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 326.

II. Nonnulli nolunt concedere, *Chriſtianos licitè poſſe bellum gerere contra Turcas*, quia *Deus per Jeremiam Prophetam monuerit Iudæos, ut ſponte ſubjicerent ſe Nabuchodonoſori, Regi tyrannico, neq; reſiſterent ei; alioquin fore, ut gravius punirentur.*

℞. Quando *ſpeciatim* conſtat, hanc eſſe Dei voluntatem, ut non reſiſtamus tyrannis & gentilibus, qui nos affligunt propter peccata noſtra, ſed patienter toleremus; tunc ſine dubio obſequi decet: quando autem *ſpeciatim* id non conſtat, tunc poſſumus uti jure noſtro, & injuriam, nobis illatam, juſtô bellô vindicare. Et ſic fit in bello contra *Turcas*. Nam ex una parte non conſtat nobis ex *peculiari Dei revelatione*, quòd ipſius voluntas ſit, ut ſpontè ſubjiciamus nos jugo ac imperio Turcarum: & ex altera parte certum eſt, nos habere *juſtam ac legitimam cauſam pugnandi contra illos*, quia *injuſtè* & per *tyrannidem* terras Chriſtianorum occupârunt. *Becan.* in Theol. Schol. tom. 2. par. 2. tract. 1, c. 25. q. 4. n. 5. p. 325.

Verſ. 14. ſeq. *Nolite audire verba Prophetarum veſtrorum, &c. quia non miſi eos.*

Is, *qui non eſt à Deo miſſus*, non eſt *verus Dei miniſter*: *talem enim hominem a Deo prohibemur audire*, cum tamen aliàs *veros Dei miniſtros* teneamur audire.

*Photiniani* opponunt, quòd is duntaxat non ſit audiendus, *qui profert novam doctrinam*, non miſſus, nec vocatus à Deo.

℞. Præceptum DEI *generale* eſt, neminem audiendum eſſe, niſi à DEO miſſum. Divina verò miſſio *per ſe* non requiritur tantùm ad prædicandam *novitatem*, ſed etiam ad prædicandam *veritatem in genere*: ideo ſiquidem *miſſione* opus habent miniſtri, quia *legati DEI* ſunt, 2. *Cor.* 5. v. 20. nec ſine DEI mandato ſibi *legatorum* partes audent ſumere. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 26. de Miniſt. Eccleſ. §. 56. p. 84. *Stegm.* in Antiphotin. diſp. 53. q. 1. ad 1. arg. p. 610.

Verſ. 15. *Ut expellam vos, & pereatis vos & Prophetæ*, &c.

Cauſalis conjunctio לְמַעַן, UT, non notat *cauſam*

*sam rei finalem* sed *eventum*: Ut Expellam vos, h.e. *quo fit*, ut expellam vos &c. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 7. can. 19. p. 619.

CAP. XXIIX. v. 1. *Et fuit in anno ipso, in principio regni Zidekiæ, Regis Iehudah, in anno quarto, in mense quinto dixit* &c.

Propheta sibi contradicere videtur: si enim fuit, quod refert, *in principio regni*, quomodo fuit in *anno quarto* Zidkiæ?

℞. Nulla est contradictio. Nam [1.] *Tremellius* in Bibl. h. l. præfixum ב, IN, vertit, *usque ad* בשנת, *usque ad annum quartum regni Zidekiæ*, q. d. cum typo & sermone, quem Deus imperaverat, c. 27. v. 3. voluntatem DEI judiciumque significare perrexissem *per quadriennium* [2.] *Vatablus* in Annot. ad h. l. p. 319. *propriam* præfixi ב significationem attendens, per *annum quartum* intelligit *annum cessationis terræ*, Deut. 15. v. 1. & Levit. 25. v. 1. quo anno Zidekias cæpit regnare. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 5. m. 2. p. 666.

Vers. 2. *Confregi jugum Regis Babel.*

En [1.] *Enallagen* temporis præteriti, *confregi*, pro futuro, *confringam*, q. d. *statui* sive *decrevi confringere*. [2.] *Metaphoram*: quia *jugum* notat *oppressionem*, à rigido domino inflictam, sicut in *boves colligatos* duri gubernatores flagris sæviunt. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 319. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 326.

Vers. 3. *In adhuc duobus annis dierum, ego redire faciam* &c.

*Hebraismus* est: בעוד שנתים ימים *in adhuc duobus annis dierum*, h. e. *intra biennium justum* seu *completum*. Chaldæus: *In fine duorum annorum*. Annum *dierum* Propheta vocat *annum perfectum & suis diebus constantem*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 319. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 10. m. 1. p. 445.

Vers. 16. *Iccirco sic dixit Dominus: Ecce ego mitto te desuper facie telluris, hoc anno tu mortuus*, &c.

I. Offert se [1.] *Pleonasmus*: Desuper *facie telluris*, h. e. desuper *tellure*. [2.] *Enallage temporis* præsentis, *mitto*, & præteriti, *mortuus*, pro futuro, *mittam* & *morieris*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 321.

II. *Scultetus* in præfat. Postill. German. sibi imaginatur, *Deum homini fatalem vitæ terminum posuisse*: cum & talis, *Hanania* indictus fuerit à Jeremia.

℞. Exemplum hoc potiùs militat pro nostra sententia: Pseudopropheta enim Hananias isto anno mortuus est, non ex *simplice Deo statuto*, sed quia *falsum prophetaverat*, *& populum in mendacio confidere fecerat*, v. 15. Hanc ergo vitæ exodum Deus ab æterno ipsi statuit, non ex *absoluto fato*, sed κατὰ πρόγνωσιν istius ingentis peccati, v. 16. *Frovverb.* fasc. 5. Differt. Theol. disp. 6. thes. 44. p. 84.

CAP. XXIX. v. 11. *Ego cogito cogitationes pacis super vos, & non afflictionis ad dandum vobis finem & expectationem.*

I. Est hic [1.] *Synecdoche speciei pro genere*: nam *pax* pro *prosperitate* ponitur. [2.] *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: quia *finis* pro *præmio* seu *mercede*, quæ in fine laboris dari solet, accipitur. [3.] Hendiadys: *Finem & expectationem*, h. e. *finem expectatum* seu *exoptatum*. Jun. in Not. ad h. l. p. 729. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 6. p. 24. can. 42. p. 162. lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 60.

II. Deus sibi *contradicere* videtur: Hîc enim dicit, *se cogitare cogitationes pacis super Iudæos, & non afflictionis*; & tamen v. 17. minatur, *se famem & gladium & pestem missurum*.

℞. Illud *proprium* Dei opus est, quod *pœnitentibus* obtingit; Hoc verò *alienum*, quòd *immorigeros* exercet. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 313.

Vers. 14. *Et inveniar vobis, ait Dominus, & reducam captivitatem vestram* &c.

Occurrit [1.] Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim dicitur *inveniri*, h. e. *gratiâ suâ præstò esse* [2.] *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *captivitas* pro *captivorum turba* accipitur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 729. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 51.

Vers. 19. *Matutinando & mittendo, & non audistis* &c.

Deprehenditur hoc loco [1.] Hebraismus: *Matutinando & mittendo*, i. e. *assiduè & sine intermissione mittendo*. [2.] *Enallage personæ* secundæ, *audivistis*, pro tertia, *audiverunt*, seu *auscultaverunt*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 322. *Glass.* lib. 3. Philol. Sac. tract. 3. can. 50. m. 2. p. 390.

CAP. XXX. v. 12. *Desperata est confractio tua* &c.

*Pleonasmus* est præfixi ל, in voce לשברך *confractio tua*: sine quo sententiæ sufficeret, ut notat R. *Kimchi*, Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 6. not. 3. m. 2. n. 1. p. 684.

Vers. 14. *Cùm plagâ inimici percussero te castigatione crudelis.*

*Ellipsis* est nominis substantivi: *Castigatione crudelis*, scil. *inimici*, seu *hominis sævi*, qui percutit & castigat in sævitie castigationis, ut *Kimchi* loquitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 325. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 12. p. 49.

Vers. 16. *Propterea omnes comedentes te comedentur* &c.

*Metaphora* est, quâ *comedere* significat *consumere & perdere*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 373.

Vers. 21. *Quis iste, hic edulcavit cor suum ad accedendum ad me*, &c.

Verba hæc continent [1.] *Enallagen* pronominis demonstrativi, זה *hic*, pro relativo, אשר, *qui* [2.] Ἀνθρωποπάθειαν: *Messias* enim dicitur *edulcâsse cor suum*, ad accedendum ad Deum Patrem, quo summa *promtitudo & alacritas*, in exequendo officio mediatorio, intelligitur, *Psal.* 40. v. 8. seq. Ea ut cibus gratus & dulcis ipsimet fuit, *Iohann.* 4. v. 32. 34. ita & cœlesti Patri. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 72. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 142.

CAP. XXXI. v. 2. *Sic dixit Dominus: Invenit gratiam in deserto populus, evasores gladii, ire ad quiete collocandum ipsum Israëlem.*

Jeremias usurpat [1.] *Ellipsin* nominis: *Evasores gladii*, scil. *Ægyptiorum*, de quorum manibus erepti sunt. [2.] *Enallagen* infinitivi, הלוך *ire*, pro præterito indicativi, הלך, *ivit*, scil. *Deus*, juxta R. *Kimchium*. Junius in Bibl. h. l. p. 731. ita vertit; *Me eunte ad collocandum eum*, puta *Israelem*; ut sit *Ellipsis* & præfixi ב, & affixi primæ personæ. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 326. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 1. p. 360.

Vers. 7. *Quia sic dixit Dominus: Cantate Iacobo lætitiam, & exultate in capite gentium* &c.

In text

In textu hoc reperitur (1.) *Synchysis*, eò quòd ordo dictionum sit inversus: *Sic dixit Dominus, cantate Iacobo lætitiam*, pro, *sic dixit Dominus Iacobo, cantate lætitiam*, secundùm R. *Kimchium*; nisi ל pro ב positum sit: לְיַעֲקֹב, pro, בְּיַעֲקֹב, *in Iacobo*. (2.) *Metaphora*: In *capite gentium*, h. e. in *præcipua turba gentium*, seu ubi gentes præcipuæ conveniunt. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 326. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 23. p. 745.

Vers. 12. *Et venient, & cantabunt in excelso Zionis, & confluent ad bonitatem Domini cum frumento & cum musto, & cum oleo, & cum filijs gregis & armenti, eritq; anima eorum quasi hortus irriguus, & non addent dolere amplius.*

Verba hæc exhibent (1.) *Metaphoram*: quia *confluere* de *aggregatis populis* dicitur. (2.) *Synecdochen*: Confluent ad bonitatem Domini cum *frumento, & cum musto* &c. i. e. *omnia grati animi testimonia* perhibebunt, ut olim fiebat *Eucharisticis*. (3.) *Hebraismum*: Cum *filijs gregis*, h. e. cum *fœtibus gregis*; & *non addent dolere*, i. e. *posthac non dolebunt*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 326. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 732. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 266.

Vers. 15. *Sic dixit Dominus: Vox in excelso audita est, lamentum & fletus amaritudinum, Rachele plorante super filios suos, renuit consolari super filijs suis, quia non ipse.*

I. Ecce (1.) *Hebraismum*: Fletus *amaritudinum*, i. e. *amarissimus*; & *non ipse*, h. e. *ne unus quidem eorum superest*. (2.) *Prosopopœiam*; quasi *Rachel*, diu mortua, *in sepulcro suo luxisse & deflevisse* stragem illam miserabilem, quæ ab Herode fuit edita, introducitur: erat enim Rachelis sepulcrum prope Bethlehem, in quo loco & confinibus crudelissima βρεφοκτονία peracta est, *Matth.* 2. v. 17. seq. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 327. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 732. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 195.

II. Objectionem *Smalcij*, pro *omnimoda partium humanarum in morte annihilatione*, vide solutam in Vindic. *Matth.* 2. v. 18.

Vers. 16. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus.*

*Papistæ* exinde colligunt, *bona opera esse vitæ æternæ meritoria*, eò quòd *illis ipsis attribuatur merces*, quæ præsupponit *meritum*.

℞. (1.) Hîc non agitur de *vita æterna*, sed de *reductione populi Israelitici ex captivitate Babylonica in terram patriam*, uti ex v. 17. constat. Ista verò *reductio* facta est ex *mera gratia*, ideoq; non est merces *meriti*. (2.) Per *laborem* sive *opus*, juxta plerosque interpretes, etiam *Pontificios*, intelligitur *pœnitentia* populi, in captivitate Babylonica constituti. Jam verò ipsimet *Pontificij* fatentur, *pœnitentiæ* non deberi *meritum ex condigno*, de quo propriè in quæstione de *meritis operum* agitur. (3.) Vocabulum *mercedis* accipi hîc pro mercede *gratuita*, patet ex vocabulo *spei*. Nam verba illa, *est merces operi tuo*, mox v. 17. ita redduntur, *est spes novissimis tuis*. Quod autem *speratur*, gratuitum est, non *debitum*. Hoc enim postulamus *jure*, non speramus ex *gratia*. Inde etiam toties in loco Prophetico fit mentio *gratiæ*, ut v. 2. 3. 20. Idq; agnoscit *Sanctius*, qui in paraphr. v. 15. terminum diminuentem adjicit: *Quasi opera longa mercedem accipiet.* Meisner. par. 2. Philol. sobr. sect. 1. cap. 1. q. 32. p. 262. 264. seq. & dec. 3. Anthrop. sacr. disp. 8. thes. 41. seq. p. 441. *Gerhard.* in Confess. Cathol. l. 2. spec. par. 3. p. 874. arg. 3.

Vers. 18. *Converte me Domine, & convertar: quia tu Dominus Deus meus.*

I. *Beza* in Colloq. Mompelg. p. 511. arguit, *Deum occultô & absolutô decretô multos homines damnare*, quippe *quos Dominus intùs non convertat*, juxta illud: *Converte me, & convertar.*

℞. Precatio hæc non confirmat errorem de *occulto & absoluto Dei decreto, in damnandis hominibus*; sed docet, *humanis viribus conversionem ad Deum fieri non posse*: ideoque gratiam Dei implorat, omnibus hominibus, adeoque universo mundo oblatam. *Iacob. Andre.* in Colloq. Mompelg. p. 511. seq.

II. *Voluntas humana ad sui conversionem ut causa non concurrit*: opus enim *conversionis* ad *solum Deum* pertinere, testatur Jeremiæ precatio, quâ *sui conversionem Deo in solidum adscribit.*

*Socinus* in Prælect. Theol. c. 12. p. 45. respondet, Deum convertere nos, cum ex *calamitatibus nostris nos liberat*, tuncque, nos ipsos ut cognoscamus, efficit, cum, licet immerentes, nos beneficijs afficit, quemadmodum cum *Ephraim* rogabat.

℞. Aliud est conversio *Dei*, aliud verò conversio *nostri*. Non de *illa*, sed de *hac* in dicto Jeremiæ loco sermo est, ut verba ad oculū ostendunt. *Stegm.* in Antiphotin. disp. 12. q. 4. arg. 2. p. 137. seq.

III. *Schwenckfeldius* in præfat. de Evangel. & post eum *Rathmannus*, in Not. ad 11. quæst. q. 6. docuerunt, *Scripturæ Sacræ actum conversionis attribui non posse*, cum *solus Deus sit causa conversionis in homine.*

℞. Adversarij committunt elenchum *oppositorum*; dum causam *principalem* conversionis, *Deum*, opponunt causæ *instrumentali*, verbo Dei scripto; cum tamen utraque conjungenda & subordinanda sit. Conversionem enim Deus in homine operatur, sed non *immediatè*, verùm *mediatè* per *verbum suum*, è Scripturis Sanctis prædicatum, auditum, lectum, & cogitatum, E. G. *Deus justificat*, ut causa *principalis*, sed non propterea sequitur, *fidem* ut causam *instrumentalem* non justificare. Ita *Deus* est causa *principalis* nostræ *naturalis generationis*, neq; tamen à generatione illa *parentes* excluduntur: nam & *illi* generant. *Winckelm.* tom. 2. Giess. disp. 7. thes. 34. & 35. p. 225. *Thumm.* in Brev. Consid. 3. qq. controv. p. 73.

Vers. 19. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi super femur meum, &c.*

I. In textu hoc reperitur (1) *Ellipsis* nominis: *Ostendisti mihi*, scil. *peccatum meum*. (2.) *Metonymia adjuncti* pro subjecto: *Percussi super femur meum*, h. e. *dolore in animo affectus fui*; doloris enim index *femorum percussio* erat, ut ex *Homero* Iliad. π. & Odyss. ν. patet. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 732. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 72.

II. *Costerus* in Enchir. c. 5. p. 201. autumat, *hominem cum Deo posse pœnitentiam suam cooperari*, quoniam *homo, postquam Deus eum convertit, pœnitentiam agat*, ut de *se* Jeremias pronunciat.

℞. (1.) Jesuita confundit *causam adjuvantem* cum *subjecto*: quando enim Propheta se *subjectum recipiens* dicit, Costerus illud mutat in *causam adjuvantem*. Idem verò est, ac si ita diceremus

Post-

*Postquam mihi medi[illegible] am[illegible] [illegible] pl[illegible] asti, sanatus fui; [illegible] ego [illegible] statui [illegible] causa adjuvan[illegible].* (2.) Invertentia po[illegible]s est [illegible] C[illegible]ste[illegible] Q[illegible]um [illegible]mo, post[illegible] Deus eum [illegible] ve[illegible]t, p[illegible]nitentia [illegible] ce[illegible] Deo p[illegible]nitenti [illegible] suam mini[illegible] *cooperatus*, uti [illegible]oque v. 18. [illegible]endit. *Mer*[illegible] *art*[illegible] A[illegible] [illegible]p. 5. thes. 92. 93. seq. p. [illegible]51. 252. &c.

Ve[illegible] [illegible]. *Num [illegible]us pretiosus est mihi [illegible]phraim? an puer [illegible] [illegible]num. attamen ex quo loquor cum [illegible]do recordabor ejus adhuc, idcirco co[illegible] [illegible]unt vi[illegible]cera mea ei; miserendo mise[illegible]bo[illegible] [illegible]ait [illegible]ominus.*

I [illegible] elegans interrogatio. *Num filius [illegible] mihi Ephraim? an puer delectationum?* [illegible] *pretiosus est mihi Ephraim, &* [illegible] *ation[illegible]m.* P[illegible] & Lutherus negativam [illegible] *H[illegible] mus* ילד שעשעים, *puer* [illegible]*tionum*, i.e. [illegible]*mma delectationis*. ([illegible].) *Enalla*[illegible] *lo*[illegible], pro indicativo, *loquutus sum.* [illegible]. *Recordando recordabor*, h.e. *omni*[illegible] [illegible] *miserendo miserebor*, i.e. *omnino* [illegible] *visceribus* enim [illegible] *misericordia & dilectio ejus arden*[illegible] *ma*[illegible] [illegible]pa[illegible]ne *terrestrium proge*[illegible]*rum*. V[illegible] [illegible] in Annot. ad h. [illegible] pag. 32[illegible] *Iun.* in [illegible]t. ad e[illegible] [illegible]g. 732. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. [illegible] cap. [illegible] p. 114. & tract. 2. cap. 5. p. 555.

II. [illegible] tract. de Deo & attrib. divin. p. 212. [illegible]tuit [illegible] *Deum esse mutabilem*, cui favere videtur, quòd *vi[illegible]cera Dei conturbari* dicantur

R. H[illegible] [illegible]phetæ locutio non est *propria*, sed *metaphorica*: ut enim Deus vi[illegible]cera non habet, ita [illegible]ec [illegible]*onturbatio ealis* ipsi tribui potest, sed ardentis[illegible] notatur dilectio. *Balduin.* de Casib. Conscient[illegible] 2. cap. 3. cas. 2. p. 112.

Ver. 22. *Creavit Dominus novum super terram: Fæmina ci[illegible]cumdabit virum.*

*Messias ex vir[illegible]ine nas[illegible] debuit*: fæmina enim *novô [illegible] miracul[illegible]o modo circundatura erat virum*, h.e. fæmi[illegible], *virum non pa[illegible]a*, c[illegible]eptura erat filium *Messiam*, & [illegible] utero suo gest[illegible]tura hoc namque *no[illegible]um* [illegible] *mi[illegible]aculosum* est [illegible]u[illegible]er terram, *virginem co*[illegible]*ip*[illegible].

Oppon[illegible]t I. Ju[illegible] vo[illegible] Heb[illegible], [illegible], mal[illegible] int[illegible]r[illegible] de [illegible]*ine*, qu[illegible] *semper fi*[illegible]*ni*[illegible] *et* [illegible]*aminam maritatam*, i.e. *quæ virum passa e*[illegible], cum derivetur à נָקַב, quod est *perforare* sive *excavare*.

R. (1.) Crassum est mendacium, vocem נְקֵבָה [illegible]*per* [illegible]*ignificare fæminam maritatam*. Nam *Gen.* 1. 27. *Heva* dicitur à Deo creata נְקֵבָה, *fæmina*. [illegible]ne statum in *ipso usu conjugii*? [illegible] [illegible]tus affirmet: [illegible] in benedictionem divinam subsecutus [illegible] Ic[illegible]n *Levit.* 12. [illegible]. lex traditur mulieris pari[illegible] לְזָכָר אוֹ לִנְקֵבָה *masculum vel fæminam*. Itane [illegible]udaicæ mulieres parere possunt infantes, quæ [illegible] *usum habeant conjugii*, ita ut nulla ipsis n[illegible] [illegible] (2.) Judæi ex illa etymologia nihil [illegible] probare amplius, quàm vocem [illegible] [illegible]n esse, ita derivatum, [illegible] ut apud Lat[illegible]os [illegible]od etiam *sexus* nomen est, [illegible]*aminibus*, [illegible] fæminei sexus me[illegible] [illegible]to dicitur U[illegible]e [illegible]*xus* non *latuit* nomen[illegible] [illegible] neque [illegible] [illegible]e [illegible]rahit ab *actu conju*[illegible]*ii*.

[illegible]um hunc agere de *populo Is*[illegible]*aei* [illegible] fæmi[illegible] [illegible]acturo, qui [illegible]om[illegible]etu[illegible] *mulieri revertenti* [illegible] *maritum suum*, id quod [illegible]t [illegible]ntra *sexus* il[illegible] [illegible]nem, quon[illegible] m[illegible]i[illegible]t [illegible] *dita no*[illegible] [illegible]*minum*, sed *dominu*[illegible] [illegible]e [illegible] er[illegible], ita no[illegible] [illegible]o[illegible]it, ut *[illegible]amina*, [illegible] e[illegible] [illegible]ta de costis viri, requirat *vi*[illegible]*rum*, sed hic pot[illegible] ad *illam* redeat, eamque requirat.

R. ([illegible].) A[illegible]ne novum e[illegible], qu[illegible] [illegible]*aelita*, *a Deo diversi* [illegible] *se per p[illegible]nitentiam* [illegible] *eum c*[illegible]*erteru*[illegible]? Quoties illud ve[illegible] in sol[illegible] *libro Iudicum* contigisse memoratur? Quarè in *pænitentia Israel*[illegible]*um* hanc novitatem, super terra creandam, col[illegible]oc[illegible]re ineptum est. (2.) Aliud est, *reverti ad virum*, & aliud, *circundare virũ*. Propheta hoc v. 22. non de *eversione ad virum*, sed de *circundatione viri* loquitur, eamque pro argumento persuasionis adhibet, cur I[illegible]aelitæ reverti per pænitentiam debeant, hoc modo: *Revertere virgo Israel, quia novum ego creo super terram*, dum fæmella circumdabit virum. Cum igitur hoc sit *argumentum probationis*, utique non potest esse idem cum *quæstione*. (3.) Inter veteres Hebræos R. *Moses Hadarsan* in Genes. 41. expressè hæc verba de *Messia nativitate* exponit. Ergo nova illa res, & antehac planè inaudita, alia esse non potest, quàm *supernaturalis illa conceptio Messiæ in utero virginis*. (4.) [illegible]udæi negare non po[illegible]unt, Jeremiam in i[illegible]lo vaticinio agere de ejusmodi *novo*, quod *primum in adventu Messia a Iehova creandum* [illegible]t. Si igitur hoc novum est, *I*[illegible]*ae*[illegible]*um per pænitentiam ad Deum conversio*, sequitur, nen[illegible]em eorum ante nativitatem Messiæ ad Deu[illegible] [illegible]onverti posse per pænitentiam [illegible] ideoque nec salvari. Ergo omnes illi, qui hactenus vixerunt, Israelitæ sunt damnati.

3. Vaticinium tùm compleri, quando *sponsa Iudaica in die nuptiarum sponsum suum ter circumvenire tenetur.*

R. Scilicet dignum erat, quod tanquam *novum miraculum*, in orbe inauditum, à Deo per Prophetam promulgaretur, *sponsas Iudaicas in die nuptiarum ter circumituras sponsos suos*? Quâ insaniâ quæ major excogitari potest?

II. *Calvinus* in Comment. h. l. non agi hic de *Messiæ gestatione in utero Virginis*, sed de *victoria Iudaorum, de Chaldæis reportandâ*, ac si dixisset Propheta: *Redigent fæminæ viros in angustias, ita ut ipsæ captivos teneant.*

R. [illegible] Quis *Calvino* dedit licenti[illegible], *fæminam* in singulari mutandi in plures *fæmi*[illegible]*as*, fæminas [illegible]mandi in *Iudæos*, & faciendi ex *viro* viros, [illegible]e[illegible]pe *Chaldæos*? ([illegible]) Neque novum quiddam in terra est, *Iudæos superiores fore Chaldæis*. Annon enim antehac quoque Judæi parva sæpe manu innumerabiles copias potentissimorũ [illegible]o[illegible]ium profligarunt? (3.) Undenam constat Calvino, *Iudæos prælio dimicasse cum Chaldæis, & in eo captivos illos duxisse*?

III. *Paræus* i[illegible] Calvin. [illegible]od. non omnino malè [illegible]am *Calvini* gl[illegible]ssam congruere institut[illegible] P[illegible]o[illegible]etæ, hortantis po[illegible]ulum ad te[illegible]i[illegible]nciá, & pro[illegible]ittentis redemptionem [illegible] Baby[illegible]oni[illegible] *la*[illegible] *e*[illegible] *opi*[illegible]*natam* [illegible] *miraculosam*, ut *fæmina virum* [illegible]*ir*[illegible]*undet*, ho[illegible] est, *mutata* [illegible]*ortuna* [illegible]*rae*[illegible]*ita imbelles & captiva Ch*[illegible]*ic*[illegible] *imprimant*: ve[illegible] b[illegible] enim סבב non [illegible]gi[illegible]are, *blando amp*[illegible]*e*[illegible], sed etiam *hostiliter ci*[illegible]*cunda*[illegible]*e ac preme*[illegible]*e*.

R. ([illegible]) [illegible]ar[illegible]us putat, non es[illegible]e [illegible]pr[illegible]babilem *Cal*[illegible] le[illegible] [illegible]tiam, prius ex [illegible]*starum* ann[illegible] [illegible]us [illegible]et, *Iu*[illegible]*aeos unquam prælio capt*[illegible] [illegible]*ni*[illegible]*c* (*hal*[illegible] [illegible]d qu[illegible] tamen præstaren[illegible] [illegible]te[illegible]t [illegible] De[illegible]t vero, Judæos præli[illegible] devicisse Ch[illegible] [illegible]nutis [illegible] tan[illegible]m esset [illegible]culũ. *quantum* [illegible] *a I*[illegible] *cmia* pr[illegible]icatur, ut qui rem *creandam no*[illegible]*am*, *cu*[illegible] [illegible]*ne antegressis seculis inauditam* p[illegible]n[illegible]

IV. [illegible]*arnovius* in Exerc. Bibl[illegible] [illegible]ligi hic *spiritualem* creatione, n[illegible]

ad [illegible] *magna* ... *cere.*

℞. Dui ... c ... a ... tionem, qu... pr... debebat. Certe ... tempore novam ... eandam promittit *hactenusque inauditam* ... fa-ctum, *Ecclesiam quandam ad ... eum convertam* ..., semel verò tantum, *Vir enim concepit* ... *viri, femine.*

2. Nomen, נקבה, non ... *individuum*, sed *sexum fæmineum*, qual... *Maria Θεοτόκος*.

℞. (1.) Maria in Scriptura venit nomine ... *Iob.* ... 4. *Ies.* 4. v. 4. & tamen ibi unum *individuum* nomine ... venit. (2.) Vox נקבה de *famella una & individua* accipitur, Gen. 1. v. 27. & Levit. 2. v. 5. ideoque non tantum *sexum fæmineum* notat.

3. Verbum. סבב, nunquam in Scriptura usurpari pro *concipere & gestare in utero.*

℞. (1.) Non argumentamur hic ex *una voce tantum*, sed imprimis ex *integraphrasi*: itaque frustra petitur probari, verbum סבב usitatum significare idem, quod *concipere & gestare in utero.* (2.) Verbum istud ad *conceptionem* non malè convenit: nam & *Chaldæi* appellationem *menstrui* à verbo illo סבב deducunt.

4. Voce גבר non *infantem*, sed *virum robustum* notare, ... גבר *virum* ... ideoque Christo *infanti* non competere.

℞. (1.) Vocula illa גבר de *embryone* accipitur, *Iob.* 3. v. 3. ac proinde non semper & ubique notat *virum robustum.* (2.) De Christo *infante*, Esa. 9. v. 5. dicitur, quòd ... גבור *fortis*, quia divinæ virtutis robore etiam tum ... *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 783. ... tom. 4. Gieß. disp. 14. thes. 4. -38. p. ...360 seq. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 43. p. 221. 22...

Vers. 26. *Propter hoc expergefactus sum & vidi, & somnus meus dulcis ... mihi.*

Ἀνθρωποπάθεια est: Deo enim tribuitur *somnus & expergefactio ex ipso*, quorum *illo*, auxilii divini dilatio, *hac* vero potentiæ contra hostes, & gratiæ erga Ecclesiam, post factam dilationem, exserta innuitur. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. ... cap. ... p. 42

Vers. 28. *Et erit, quemadmodum evigilavi ... eos ad evellendum, & ad diruendum, ... ad destruendum, & ad perdendum ... ad male faciendum, sic evigilabo super eos ad ædificandum, ... ad plantandum, ait Dominus.*

Iteratur (1.) Ἀνθρωποπάθεια ... שקד ... *assiduitatem* ... *conservationem quasi* ... *infligendis pœnis*, in ... (2.) *Metaphora*: tum ... *rum efficere*, cui opponitur ... *tare* significat *felicitate donare* ... *vellere* pro *benedictionem* ... Sacr. tract. 1. c. ... p. 142 ...

Vers. 29. *In diebus illis non dicent ... Patres ... runt uvam acerbam, et dentes ... stupuerunt.*

*Puccius* lib. de C... servat. ... *nem per revit...* ... *herente Adami lapsu* ... rissima illa fe... *culpam* refert, ... do in ... lone sit cessat...

℞. Ad ... memoratur ... apud Jere... de ... ver... *ori marte* & ... exc... excl... tom. 2. Ope... tat...

Vers. 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus ... domui Israel, ... domui Iuda ... novum ...*

I. *Vetus Testamentum cum* ... *monitus aliquando fuit abrogandum* ... *adventum Messiæ Dominus promisit novum ... ferire cum Israele & Iuda.*

*Iudæi* regerunt, ... vetus illud ... ad adventum Messiæ *renovetur*, nec ... tum fit, sed ... *getur.*

℞. Interpretatio hæc falsa est: ... dicit, se *vetus pactum renovaturum*, sed ... *pactum percussurum*, non secundum *vetus pactum*, v. 32. Deum autem ... in ... *vetus illud* ... factum esse ... ipsis ... Judæi, ... *Wint*... 4. G ... D. ... de discrim. V. & N. T. the... 1. p. ... seq.

II. *Antinomi* docuerunt, *legem moralem* ... *fuisse per Christum abrogatam* ... Messiæ ... quato, promi... cum Christianis ineu...

℞. Lex moralis, quoad *condemnationem* ... *ficationem*, to... est ... N. ... antiquata ... lam habet ... *condemnandi* ... Christo Je... *Rom.* ... & ex ... *justificatur* omnis caro, *Gal.* 3. v. ... *vam obedientiam* ... namque regula *justitiæ* in Deo ... imò formati eramus, & quæ ... ratur; atque sic fit ... *calogi* per Spiritum inchoatur ... tur in corda nostra. Sumus ... Christo, conditi ad ... præparata sunt. *Ephes.* ... ol. par. 3. p. ... 8.

III. *Raunichius* in Colloq. ... h. act. ... p. 42. ne... *eandem* ... *doctrinam* ... 'De ... *ter Christum in V. T.* ... *est in N.* ... *tempore* ... *pactum.*

℞. ... *dispensationis modum*, ... c... Pollicetur ... *am Spiritus* ... n gatejusp... Deinde Jeremias ... *rum Evangel.* ... v. ... & *Gal.* ... v. ... act. ... q. ... p. ... 36 ... seq. *Hutter.* in L... 495. *Cham.* ... l. 1. ... p. ...

Vers. 32. *Pactum ... irritum ... fecerunt ... dicit ...*

*Papistæ* ... interpretantur ... בעלתי ... Interp... *amavit, maritus sit, uxorem* ...

℞. ... quam est corru... Nam ... Theol. lib. 3. Parall. ... 8. ... 4 ... *Et ego* ... *fuisset* ... propriè ... *Et ego non* ... *divertium* ... Hoc ... nunciatus ... ver... hetæ ... cesse ...

[illegible] *müſte*. Et in margine explicat, [illegible] *gen*/ nimirum, *durchs Ge*[illegible] *die Muhtwilligen*. Reſpexit ad *vim imperandi* [illegible] *dominandi*, quæ la[illegible] בָּעַל, quá immorigeris ſubditis [illegible] *ex qui* [illegible] *iam ſeverus*, q[illegible] ſervos inobe[illegible] *Herus*, [illegible] qua uxori ret[illegible] imperat *maritus* [illegible] 11 Harm. S[illegible] t. Sac. p. 31 [illegible] b. Phil. Sac. tract. [illegible] p. 1[illegible] ſect. 2. par. 2. [illegible]

Vers. 33. *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam; & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.*

I. P[illegible] innuitur (1.) *Metonymiâ ſubjecti* pro *adjuncto* [illegible] *domus Iſrael* eſt pro *populo*. ex fœ[illegible] [illegible] el[illegible] Ἀνθρωποπαθῶς, quâ *Deum in cordibus ſuorum legem ſcribere* dicit, & *renovationem Spiritus Sancti* innuit, ut credentes & *norint* & *cupide faciant* voluntatem DEI, 2. Cor. 3. v. 3. (3.) *Anallaxi*, quia ET pro ID EST ponitur in phraſi, *in corde eorum*: exponit enim, quid vocet *viſcera*, nempe *cor*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 328. & [illegible] lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 7. pag. 135. ſeq. [illegible] er cap. 3 m. 2. p. 37.

II. *Dieboldus* in Colloq. Franckenth act. 19. q. 2. p. 378. nugatur, in V. T. non fuiſſe *eandem ſalutis viam*, quæ eſt jam in N. T. quia demum *poſt dies exhibitos Meſſiæ* aliud pactum cum domo Iſrael Deus pepigerit, non *ante illos*.

R. Unum eſt fœdus *gratiæ*, commune omnibus fidelibus V. & N. T. teſte *Petro*, Actor. 3. v. 25. differentia eſt in *forma externa*, nempe in *modo adminiſtrationis*; quanquam *bona*, *fœderi illi inſerta*, tam *veteres*, quàm *nos* participarint, *Dathen*. in Colloq. Franckenth. act. [illegible] q. 53. p. 367. 3[illegible]8. ſeq.

III. *Flacius* in [illegible] lav. Scrip. par. 1. col. 564. inficiatur, *legem Dei naturâ eſſe inſcriptam mentibus hominum*, cum *legis Dei inſcriptionem* Propheta pro *ſingulari beneficio* polliceatur, ideoque *eam abolitam eſſe*, [illegible] loquitur *denuò in cribi eritur*.

R. *In*[illegible] *ptio* [illegible] du[illegible] lex eſt: [illegible] altera φυσικὴ, & *natura*, quæ *nuda*, ſine [illegible] bus obediendi; altera ὑπερφυ[illegible], quæ *practica*, ac cum vi[illegible]us bene operan[illegible] ante datis, conjuncta eſt. *Illam* aſſerit Paulus, Rom. 2. v. 15. *hanc* promittit Dominus per Jeremiam. *Illa* in habitu connato γνώσεως, *hæc* in facilitate πράξεως conſiſtit. *Illam* ergo *hæc* non ſeponit, ſed *præſupponit*, eamque *perficit*: quarè utraque aſſerenda, nec altera alteri [illegible] ponenda eſt. *Meiſner*. l. 3. de Legib. q. 1. obj. 6. p. [illegible]6.

[illegible]. *Weigelius* in Dialog. de Chriſt. p. 32. opina[illegible] *Spiritum Sanctum in N. T. internis ſuggeſtioni*[illegible] [illegible]*bsque verbi miniſterio, ſuos eſſe docturum*, eò [illegible] *ipſe legem ſuam in eorum viſceribus daturus*, [illegible] *undem corda ſcripturus ſit*.

[illegible] Negatur id ſequi: neque enim pugnantia [illegible] *a efficiens principalis*, nempe Spiritus San[illegible] [illegible] *au*[illegible] *organica*, ſive miniſterium verbi, uti [illegible] atet argumento. [illegible] ex phraſi, *in corda* [illegible] ull[illegible] hi *immediatam inſpirationem* ſigni[illegible] [illegible] *eneraliter doctrinam*, ſive [illegible] la[illegible]t per *natu*[illegible] Rom. 2. v. 14. ſive per *inſtitutionem*, 2. [illegible] & *attentā auſcultationē*, Pr[illegible] v. [illegible] v. 3. c [illegible] a. 2.) Ex *vaticinii complemento* quod non [illegible] *atas in*[illegible]*rationes, divinoique affatus*, ſed [illegible] *io*[illegible] *em Evangelii*, per C[illegible] Apoſtolos [illegible] es, factai ex[illegible] t, *Hebr*. 8. v. 6.

*Gerhard*. p[illegible] & 346. *Thumm*. in Impier. W[illegible]

V. *Coſterus* [illegible] 43. exinde concludit, *doctrinam* N. T. *non debuiſſe ſcribi in libris*, quia *in cordibus hominum debuerit* [illegible] *ibi*.

R. (1.) Etiam *doctrina* V. T. debuit ſcribi in *cordibus*, *Deut*. 6. v. 6. & 7. & tamen *literis* ſimul conſig[illegible]ri, fatente *Bellarmino* l. 4. de V. D. cap. 4. [illegible].) Hac ratione doctrina N. T. etiam *vivæ vocis traditione* non deberet proponi, quia Deus, ſtatim v. 34. ſubjicit: *Et non docebit ultra vir proximum ſuum*, &c (3.) Apoſtolus in media ſcriptione, dum doctrinam N. T. *literis* commendat, illam ſententiam Jeremiæ allegat, *Hebr*. 8. v 10. (4.) Imo perperam egiſſent Apoſtoli, qui *doctrinam* N. T. *ſcripſerunt*: feciſſent enim præter mentem ac voluntatem Spiritus Sancti, id quod diſertè negat Paulus, 2. *Tim*. 3. v 16. (5. *Scribere in cordibus* non ſignificat, *vivâ voce aliquid tradere abſque Scriptura*. (talis enim modus magis competeret V. T. quippe cujus doctrina annis *bis mille*, vivæ vocis traditione, ſine *ſcripto*, propagata fuit: ſed ſenſus eſt potiùs, futurum, ut lex nova *abundantiori fruatur Spiritûs efficacia*, *diligenter animis hominum eam inſculpentis*. At non ſequitur, ut ſi eam Spiritus *inſculpat cordibus*, non etiam ſit *ſcripta*. Non enim hæc ſunt *contraria*, ſed *ſubordinata*; aliàs æquè quis arguere poſlet. *Deus Evangelium ſcribit in cordibus*, ergo *auribus hominum illud non eſt prædicandum*.

*Carranza* proleg. in Summ. Concil. replicat, Jeremiam innuere diſcrimen legis *veteris*, & *novæ*, quòd *hæc* ſcripta ſit in viſceribus cordis, *illa* verò in tabulis lapideis; ideoque *illam* conſtare ſcripturis, *hanc* autem non.

R. [illegible] Falſum eſt, id diſcrimen eſſe legis *veteris*, & *novæ*, ut *illa* ſit ſcripta, *hæc* non: aliàs enim *ſimpliciter* nihil de *nova lege* in N. T. debuiſſet ſcribi, atque ſic ſacri illi Scriptores in hoc Jeremiæ vaticinium peccaſſent, quod abſurdum. (2.) Neque quicquam ea de re eſt apud Jeremiam. Etſi enim dixit Propheta, *legem novam in viſceribus & cordibus inſcribendam à Deo*. tamen non ſignificavit, *hoc differre novam à veteri*: ſiquidem non oppoſuit *libros* V. & N. T. ſed *pactum illud vetus in monte Sina* cum *pacto à Chriſto* in N. T. eum fidelibus initô, verſ. 32. *Hunn*. tom. [illegible] Oper. Lat. p. 1328. & ſeq. *Hutter*. in LL. Theol. pag. 19. 927 ſeq. *Eckhard*. par. 1. Pand. controv. Papiſt. c. 1. q. 3. obj. 1. p. 23. *Gerhard*. in Exeg. loc. 1. de Script. ſacr. § 32 p. 49. 50. 51. *Cham*. tom. 1. Panſtr. l. 1. c. 21. §. [illegible] & 8. p. 12.

VI. *Andradius* l. 6. Orthod. Explic. argutatur, *juſtificationem non tantum conſtare remiſſione peccatorum*, *ſed etiam inſculpta cordibus noſtris lege*, id eſt, *juſtitia inhærente*; cum *novum fœdus*, quod eſt *juſtificatio*, non ſolùm conſtet *remiſſione peccatorum*, v. [illegible] ſed & *lege inſculpta cordibus noſtris*, v. 33. h. e. *juſtitia inhærente*.

R. (1.) Ergo ex hoc argumento conficitur, ſaltem aliquam partem juſtificationis eſſe *imputativam*, ſive *non inhærentem*. Nam ſi novum fœdus conſtat, non tantùm *remiſſione peccatorum*, ſed etiam *lege inſculpta cordibus*; ergo [illegible] eſt *remiſſio peccatorum*, aliud *lex inſculpta cordibus*. Et [illegible] *lex inſculpta cordibus* eſt *juſtitia inhærens*, er[illegible] *remiſſio peccatorum* [illegible] eſt *inhærens*. [illegible] ergo juſtificatio eſt novum fœdus, ergo juſtificatio conſtat etiam *juſtitia noninhærente*; id quod [illegible] men *Papiſtæ* non concedunt. (2.) Concedo novi fœderis eſſe partes illas duas, & a[illegible] illam mentem diſtinguuntur *juſtificatio*, & *ſan*[illegible] ſed quid

... *toto* d... putamus ... *altera parte* ... *justi catione.* ... *sint tam ha*... tamen *seorsim de*... ut ei constet ... Sic, et *lux & calor* non separentur a *Sole* tamen haud eadem est *lucis*, quæ *caloris* ... etsi nunquam ... *fides* ... *charitate* ... *formata*, sic ... definitio *de* ... *Cham.* tom. ... Par. ... c. 6. §. 8. ... p. 42...

VII. *Ecclesiæ Catholicæ* ... : ... *vera c... jus membra* ... *videntur* ... in oculis ... videant, neque ... judicant, *quibus Deus inscribat legem, in cordibus ipsorum* ... *& cum quibus pangat hoc fœdus suum*, quod Propheta illis verbis commemorat at *illi* sunt *membra Ecclesiæ Catholicæ*; eadem vero est ratio *totius*, & *membrorum*.

*Bellarminus* l... de Eccles. mil... c. ... 5. resp. ad 1. excipit, non sequi, *Ecclesiam N. T. esse invisibilem*: ut enim *corpus cujuslibet animalis* visibile est, & tamen habet *multa intus*, quæ non videntur, ut *cor*, *epar*, *spiritus vitales*, & similia; ita Ecclesiam *visibilem* habere *multa invisibilia*, fidem, spem, charitatem &c.

*R.* ... Adversarius putat, quasi ... statuamus, *Ecclesiam V. T. fuisse cœtum visibilem*, *Ecclesiam vero N. T. cœtum invisibilem*. Atqui nos non minus Ecclesiam V. T. quàm *Novi* certo respectu *invisibilem* fuisse dicimus. Nam fœdus gratiæ tum *veteri* tum *novo* populo ita fuit administratum, ut utrobique fuerit discrimen inter Ecclesiam *invisibilem*, & *visibilem*. Etenim utrobique *electis Dei filiis scribitur lex in corda ipsorum*, utrobique *Deus est Deus electorum*, & *ipsi sunt populus ejus*, quorum nihil dici potest de *hypocritis* sive in V. sive in N. T. (...) Si id, *quod in veris Ecclesiæ membris requiritur*, videri nequit, utique Ecclesia respectu *vivorum ac verorum membrorum* erit invisibilis. Sed *charitas*, quæ juxta Bellarminum ibid. propriè est N. T. & lex in corde p... *scripta*, externis videri nequit. Ergo Ecclesia respectu *vivorum ac verorum membrorum* est invisibilis. Unde Bellarminus ipse l. 3. de Eccles. milit. ... asserit, *tres modos existendi in Ecclesia*, *videlicet corpore tantùm*, *animâ tantùm*, & *utroque simul*. At ille ... us existendi in Ecclesia ... fit *anima tantum*, videri nequit. ...) Simile Bellarmini ... in ... De *invisibilibus* enim illis in animali, de *corde* ... *epate spiritibus vitalibus*, &c. judicium ... *visibile* fieri potest ab *externis actionibus*, uti etiam in anatomiis interna ... visceri apparent. Sed de *fide*, *spe* & *charitate*, in quibus *interna Ecclesiæ societas* ... & quorum dono ... ratione verè quis a ... pertinet non potest certum & infallibile judicium fieri *ex actionibus externis*. Agnoscit hoc ipse *Bellarminus*, ... de ... Eccles. milit. ... 10. diserte scribens: *Cognitio fidei* ... *ejus effectis non est certa, sed conjecturalis*. ... m. 5. LL. CC. loc. ... de Eccles. §. 71. p. 6... *Cham.* tom. 5. Par. ... l. 1. c. 3. §. ... &c.

VIII. *Omnes vere Christiani habent notitiam articulorum fidei*: ... eundem *Deus in cordibus eorum dedit legem suam*, h. e. *doctrinam fidei*.

*Bellarminus* l. ... e V. D. interpr... ... re. p. ... 2. argum. obtentum ... verbis, *Dabo* ... *meam*, &c. significari *gratiam* ... est *fidem per charitatem operantem*, ... scribit in cor... ... stris, ut ... *sciamus*, sed etiam *impleamus* d... mandata, *Augustino* interprete in l... de Spirit. & ... 24.

... committit ... men ... *Augustinum* l. ... habetur de *imp*...

*tione manifestorum* ... de loquitur Jere... ... *lis* enarrat *Augustinus*, eamque ... *rum*. Neque etiam Jer... ... de *manda* ... *lo...*, *eorumque imp... ctione*, agit, *hac* ... ctum illud *vetus* ... erunt, quod irritum ... Domin... ... de *novo* ... cto ... sururi erant, ... debebat ... *lux illa a Dei* ... V. l. ... tamen ... te. ... ad vim argumenti, quod ... Deum effundere ... cor... no... ... ut non solùm *sciamus*, sed etiam *im... amus* ... Nam si ... verum est, tum ce... *trumque* ... fidelibus Spiritus Dei, non ... *faciant*, sed etiam ut *sciant*: non ... faciant *imprudentes imperitique* sui offi... *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 285. seq. *Cham.* tom 1. l... l. 16. c. 2. §. 2. 8. 9. p. 288.

Vers. 34. *Et nõ docebit ultrà vir proximũ*, *& vir ... fratrem suum*, *dicens*: *Cognoscite* ... *Dominum*: ... *mnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum*, *ait Dominus*: *quia propitiabor iniquitati eorum*, ... *peccati eorum non recordabor amplius*.

I. In versu hoc habetur, 1.) *Ellipsis*. Non *docebit ultra*, subd. *ʃe*... , sic enim suadet contextus. (2.) *Metonymia causæ pro effectu*, nam *cognoscere Dominum*, est, *ipsum credere & sperare*. Jun... Not. ad h. l. p. 733. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. ... can. 22. not. un. p. 489. & lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. ... n. 1. p. 24.

II. *Schwvencfeldius* & *Weigelius* in Dial. de Christ. p. 32. arbitrati sunt, in N. T. *non opus esse verbi ministerio*, *quia tum nemo alterum esset docturus*, *cum omnes à minimo ad maximum cognoscant Dominum*.

*R.* Verba Prophetæ non sunt *absolutè* accipienda, quasi tempore N. T. *planè abolendum sit externum verbi ministerium*, hoc enim ... pugnat ... missioni divinæ de d... ndis *Pastoribus* etiam ... N. T. *Jerem.* 3. ver. 15. & *Ephes.* 4. ver. 11. sed *comparatè*, de *prærogativa credentium* ... N. T. præ *Israelitis* in V. T. Etenim (1.) tempore V. T. quisque *fratrem* in vera doctrina instituebat *Israelita* scil. *Israelitam*; tempore autem N. T. ... *Judæi* ... sed ... etiam ... *Gentes* verè salutis cog... ... imbuendi sunt, ... lata inter Judæ... & Gentes macerie, *Ephes.* ... v. 14. (2.) In V. T. d... ctrina de Christo sub *obscuris typorum involucris* proponebatur, ast in N. T. illa ipsa, sublatis involucris, *perspicuè* proponitur, *Jerem.* ... 4. v. ... adeò ut *puer septennis* rationem fidei suæ jam feliciter reddere possit, quàm multi olim *Sacerdotes*. nimirum impleta est prophetia, *Esa.* 11. v. 9. *Terra repleta est scientia Domini*. (3.) In V. T. ob ... typorum involucra in... ... aelitarum non sine insigni *labore ac molestia* peragebatur, at in N. T. propter uberiorem ... ritatem non opus est magno *labore ac molestia* in d... endis piis, vers. 33. *Selnecc.* par... ... p. 37. seq *Balduin.* in Comme... R... m. 1. ... p. ... 8. q. 1. p. 674. *Gerhard.* tom. 6. LL. C. ... de Minist Eccles. §. 46. p. ... eq. & p... 2. D... T. ... l. ... 245 seq. *Thumm.* in Impier. Wei... ... *Glass.* hbr. 3. Philol. sacr. tract. 5. can. ... 41.

... *Beza* par. 2. Resp. ... Act. C... q. Mom... pelg. p. 192. censet, particulam, OMNES, 1. *Tim.* 2.

v. 4

[illegible] alorum, [illegible] autem [illegible] & [illegible] capiatur hoc loco: *O* [illegible] *minimo ad maximum ad minimum.*

[illegible] Nulla e[illegible] sequentia. *Quandoque* par[illegible] rei[illegible] dicit [illegible] *hoc etiam in* [illegible] tantum vo[illegible] OMNES [illegible] *singulorum*, sed *restr*[illegible] [illegible] patet. [illegible] v. 4. [illegible] text[illegible] *Meisner*. dec. [illegible] 2. q. 2. thes 4. p. 2.

IV. *Omn[illegible] Christiani habent notitiam arti-culorum* [illegible] enim *cognoscunt Dominum, a minimo* [illegible] *usque ad maximum*; quæ fidelium sa-pie[illegible] *implicitâ, fide Pontifi-ciorum* [illegible] pugnat.

[illegible] l. [illegible] de V.D. interpr. c. 10. resp. ad 2. argu[illegible] verba illa P[illegible] significare [illegible] omnes electi videbunt De-[illegible]; non autem de *hoc tempore* in-[illegible]

4. [illegible] audacia, quod ejusdem con-[illegible] verba hic d[illegible] strahantur, ut pri-[illegible] pertineat ad *hoc seculum*, fatente [illegible] verò [illegible] ad *hoc seculum*: [illegible] tamen [illegible], *Hebr.* [illegible] v. 3. utramque di-[illegible] explicet de *correctione* V. T. quæ in *isthac vi-ta* habetur. Interim non negam*us*, plenissimam DEI cognit[illegible] ad *alteram vitam* spectare, cum in *hac vita* tant[illegible] *inchoata* cognitio, 1. *Cor.* 13. v. 12.

2. Si magis placet verba ista de *hoc tempore* in-telligi, hic non loqui Prophetam de *mysteriis ab-conditis Scripturarum*, sed de *cognitione unius Dei*, quam, conversis nunc ad fidem gentilibus, *Judæi & Turcæ* habent; hos enim licèt impii sint, *unum co-lere Deum*.

R. Hæc quoque nimia est audacia Bellarmini, pri[illegible] & eandem sente[illegible] partem de *fi-delibus* & p[illegible] de *infidelibus* inter-pre[illegible] autem [illegible] *Hieronymus*, qui utram[illegible] *delibus* exponit. Propheta enim vel [illegible] de *illustr[illegible] mysteriis salu-tis nostræ* di[illegible], ex quo beneficia illa *propitiatio-nis & remissionis peccatorum* promanant. Ergò [illegible] & T[illegible] cognoscunt *Deum propi-tiari iniquitati* [illegible], & *pe*[illegible] *non recorda-ri amplius?* hæc [illegible] verb[illegible]. Et annon contradictio comm[illegible] dando negatur, agi de *mysteriis Scriptura*: atque nihilominus contendi-[illegible] agi de *cognitione Dei unius?* Nam si Bellarmi-[illegible] eam cognitionem designat *unius Dei*, quæ *nu-*[illegible] omitur multitudini Deorum gentilium, sine [illegible] itione *mysterii Trinitatis*: qu[illegible] eximii pro-[illegible] vaticinio tam præc[illegible] Siquidem con[illegible] aliquos etiam *Ethnicos* illam Deo[illegible] multi [illegible] oppugnâsse, & unum statuisse [illegible], [illegible] opificem, ignorat[illegible] tamen *personarum differentia* [illegible] alis vero cognitio am[illegible] [illegible] ponderet. [illegible] *claram & distinctam cognitionem* [illegible] *nitatis* quæ summum est myster[illegible] [illegible] Quomodo ergo [illegible] *eriorum notitiam* in [illegible] negat *Hun*[illegible] [illegible] 86. seq. [illegible] Be[illegible] [illegible] p. 11.

[illegible] *Flaci*[illegible] *huma*[illegible]

[illegible] P[illegible]

*mutere*, quia [illegible] *voluerit esse pro-pitius, nec amp*[illegible] *recordari* quomodo au-tem *propitius fui*[illegible] *Deus iniquitatibus nostris*, cum eas, nulla [illegible] intercedente, remittere posset, plenissimè pro [illegible] *satisfieri* curasset? aut quomod[illegible] *peccatorum nostrorum* [illegible] *recordatus fuisset*, [illegible] ab [illegible] natura in Christo ipsorum omnium tam rigidè & exactè pœnas repetiisset.

R. [illegible] N.C. nam, cum *utrumque* tradat Apo-stolus, *Hebr.* 10. v. 14. & 18. etiam utrumque indu-bitata cordis fiducia admittamus oportet. Quarè Jeremias ita *Deum propitium fore nostræ iniquitati* dixit, ut nihilominus asseruerit, ipsum *Iehovam esse justitiam nostram*, Jerem. 23. v. 6. [illegible] Propheta re-spicit ad *abrogationem oneris Iudaici*, in Ceremoni-is Leviticis consistentis, cum sub Christo illud ces-set, *Hebr.* 8. v. 7. & 13. *Frantz*. in Schol. Sacrif. disp. [illegible] thes. 89. 90. [illegible] seq. *Thumm*. in Dec. Different. Theol. disp. 9. p. 18. *Stegm*. disp. Antiphot. 22 q. 4. p. 254. seq. resp. ad 2 [illegible]. *Brochm*. tô. Syst. Theol. art. de Christ. Servat. c. [illegible], sect. 12 q. 6. p. 88[illegible]. 891. seq.

VII. Fundamen[illegible] contra *Papi-starum Purgatorium*, [illegible] exceptionibus *Bellar-mini* vindicatum in Vindic. *Jerem*. 18. v. 22.

IIX. [illegible] est: *Peccati eorum non recor-dabor*; at *peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo co-ramme*, c. [illegible] v. 1.

R. *Prius* dictum agit de *Ecclesia* N.T. cujus pec-cata Deus remittere vult: locus *posterior* loquitur de *peccatis iis*, *quæ commiserant Judæi ante captivi-tatem Babylonicam*, illa Deus decreverat plectere. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. art. 2. class. 2. n. 9. p. 722.

IX. *Vetus testamentum tempore Messiæ erat fini-endum*, uti patet ex *recensitis beneficiis in* N. T. *à Messia præstandis*.

*Iudæi* regerunt, vaticinium hoc Propheticum non ad *tempus Messiæ* referendum esse, sed ad *tem-pus*, *quo Lex ab Esdra fuit renovata*.

R. (1.) R[illegible] ratio illa facta est in *membranis*, no[illegible] in *cordibus*. (2.) Neque *novum* tunc est institu-[illegible] testamentum, sed *vetus renovatum*. (3.) *Es-dram libros Mosaicos ac Propheticos in conflagra-tione templi & urbis Hierosolyma à Chaldæis excita-ta*, *consumtos restituisse*, falsa est hypothesis. (4.) Ple-ri[illegible]que Hebræorum agnoscunt, *tempore Messiæ hoc vati[illegible] implendum*, ceu ex *Galatino* lib. 10. de Arc[illegible] Catho[illegible] verit. cap. 1. & lib. 11. cap. 7. *Ger-hardus* in C[illegible] mment. Hebr. 8. p. 200 diducit.

Vers. 36. *Si defecerint leges istæ coram me*, *dicit Do-minus*, *tunc & semen Israel deficiet*, *ut non sit gens coram me cunctis diebus*.

A[illegible] negant, *mundum aliquando esse interitu-rum*, quod *uni immutabilis ejus variatione confera-tur invariata promissio divina de non defectura I-sraele cunctis diebus*, *tanquam res cum ipsa compara*, *constantia*.

R. [illegible] D[illegible] loquitur [illegible] de [illegible] ratione se-[illegible] *secundum præ*[illegible] *ntem statum*, quod pa-[illegible] *semen Israel* [illegible] *et*, *ut non* [illegible] *am me* [illegible] *diebus*. Vicissitu[illegible] e-[illegible] post [illegible] non erit & ideo [illegible] *leges* de quibus [illegible] mentionem [illegible] non [illegible] etiam [illegible] eo [illegible] consistere, [illegible] rerum in cur-[illegible] *humani* [illegible] potest [illegible] *hosti-um* [illegible] nequit. [illegible] muta-[illegible] posse: contrarium [illegible]

 vit.

Vit, Iesu. [illegible] Esa. 58. v. 8. Thom. Aquin [illegible] plem. [illegible] art. 91. a t. 2. ad 2. pag. 4 [illegible] Gerh [illegible] tom. 9. LL. CC. loc. 3 [illegible] de C [illegible] sect. 5. [illegible] obj. 8. p. 355. seq. Brochm. t [illegible] Theol. art. de Secul. con [illegible] mmat. c. 2 [illegible] 2. obj. [illegible] p [illegible] 3.

Vers. 37. *Si mensurari poterunt cali sursum, & investigari fundamenta terra deorsum, & ego abjiciam universum semen Israel, &c.*

*Polanus* l. Syntagm. Log. [illegible] autumat, a *destructione antecedentis in syllogismo conditionali recte sequi positionem consequentis*; & pr [illegible] se adducit praeter [illegible] em locum *Si poterunt mensurari cali; &c ego abjiciam universum semen Israel. Sed non poterunt mensurari cali, &c.* Ergo *non abjiciam universum semen Israel.*

R. Enunciatio illa Prophetae non est *hypothetica*, sed *categorica*, aequipollens enunciationi de *impossibili*. Subjectum enim est, *Deus*, praedicatum, *abjiciet universum semen Israel.* Quando? nempe *si poterunt mensurari cali*, hoc est, *nunquam.* Simul [illegible] enunciatio est: *Si fuerint calenda Graca, ego inimicus tibi ero.* Ubi subjectum est, *ego*; praedicatum, *inimicus tibi ero*, tum demum, *quando Graci habebunt calendas*, hoc est, *nunquam.* Pertinet igitur hujusmodi *hypotheses impossibiles* ad *predicatum*, non autem efficiunt enunciationem *conditionalem*, proprie & accurate loquendo [illegible] cum per hujusmodi loquendi formulas denotetur saltem *exclusio omnis temporis.* D. Kesler. Inst. Log. l. 2. tract. 1. sect. 2. c. [illegible] q. t.

Cap. XXXII. v. 19. *Magnus consilio, & multus operis: quia oculi tui aperti sunt super omnes vias filiorum hominis, ad dandum unicuique secundum vias suas, & secundum fructum operum suorum.*

I. Reperitur hoc loco (1.) Hebraismus: *Magnus consilio, & multus operis*, h. e. *consilio, opere*, q. d. qui maxime vales consilio, & id opere perficere soles. (2.) Ανθρωποπάθεια: siquidem *oculorum Dei apertione* notatur *exactissima Dei notitia & compensatio.* (3.) *Metaphora*: nam *via* significant *vita cursum, studia, &c.* Vatabl. in Annot. ad h. [illegible] pag. 331. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 13. m. 1. pag. 119. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 105. & cap. 12. p. 3 [illegible]

II. C [illegible] ver [illegible] am, de *Dei scientia* forte hic mo [illegible] tam [illegible] ide [illegible] Vindic. *Ierem.* 23. [illegible] 18.

Vers. 40. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut [illegible] on recedant a me.*

*Zanchius* in M [illegible] ell. p. 284. conte [illegible] it, *eis locis propter peccata mortalia nunquam penitus abjicere [illegible] dem, [illegible] unit [illegible] eorum Deus dedit timorem suum, [illegible] ut [illegible] non rec [illegible]*

R. [illegible] Dei [illegible] ab [illegible] mitata, incl [illegible] habens mea [illegible] eus dat [illegible] rem [illegible] medius ab [illegible] pe [illegible] inordinate, quae [illegible] negligi [illegible] tur [illegible] promi [illegible] firma [illegible] b [illegible] Etenim [illegible] imis [illegible] imp [illegible] ligatur, tum [illegible] se, vel habere potui [illegible] quam secutor [illegible] nunquam defle [illegible] Dei; & nunq [illegible] esse potuisse male [illegible] get, Deus pro [illegible] 40. it [illegible] doppon [illegible] ganter pr [illegible] ivelle Praelus [illegible] unum [illegible] viam unam dare, ut timeant ipsum universis diebus, & be [illegible] ac [illegible] us eorum [illegible] M [illegible] ner. de [illegible] 2. [illegible] het. [illegible] p [illegible] seq. Fe-

verborum [illegible] 92. p. 160 [illegible]

Cap. XXXIII. [illegible] *in tempore [illegible] germinare faciam David [illegible] justi [illegible] ciet judicium & justitiam in terra.*

C [illegible] m [illegible] ta, vide de [illegible] Vindi [illegible] Ierem. [illegible]

Ver [illegible] *salvabitur Iuda, [illegible] habitabit confidenter [illegible] cam, Dominus justitia nostra.*

I. *Hunnius* [illegible] de V [illegible] on [illegible] *Hebraeos accusat corruptionis* quod *Iudaei* [illegible] *tarint & [illegible] aliquos*, cum [illegible] lim [illegible] teste LXX. *Interp. Chaldaeo*, & [illegible] ata [illegible] criberetur: *Hoc est [illegible] quod vocabunt eum; Dominus justitia noster* [illegible] *Et iste, qui vocabit eam, Dominus justitia nostra.*

R. (1.) Et [illegible] one statim, ubicunque [illegible] *verisioneas ab Hebraeo* contextu, hunc corruptum [illegible] xeris? & id ab initio lectum, qu [illegible] vel [illegible] Monstrum certe ju [illegible] Atnos pr [illegible] nunquam aliter fuisse scriptum Heb [illegible] pretes sibi plus aequo permittere, testib [illegible] *Lapide, & Francisco Luca Brugens* [illegible] I. Itaque negamus aliquid abfer [illegible] esse [illegible] לה ad *Ierosolymam* referatur [illegible] eis; quia pr [illegible] cedit *le* [illegible] ma, qu [illegible] tur: *In illis diebus, salvabitur Iuda & Ierusalem [illegible] tabit tuto, & iste, qui convocabit eam [illegible] tia nostra.* Convocat autem *eam*, & [illegible] verbum Ecclesiam Christus Me [illegible] interpretatio ex *implicita litera*, & *genuina [illegible] tione vocum* desumpta est. (2.) Enamsi re [illegible] ad *remotius*, nempe ad צמח [illegible] *germen justitia*; rursus tamen nihil mutandum. *Hebraica* enim elegantia esset, ut id *germen justi [illegible]* tamsi mas [illegible] geo [illegible] pronomen *femininum* לה propter additum ita [illegible] me צדקה, *justitia*, quod est *femininum generis*, [illegible] rei exem [illegible] *Reg.* 17. v. 16. [illegible] Sam. 2. v. 4. [illegible] quidem [illegible] Interpretes erunt sui [illegible] officio, *Hebraismum* negligentes. ( [illegible] Ut [illegible] videat, *Iudaeorum* fidem non esse [illegible] R. *David Kimchi* interpretatur a [illegible] *Quod dicat* [illegible] *justitia nostra.* [illegible] longe alia est ab ea, q [illegible] fingit *Hunnius.* Cham. tom. [illegible] Pontfr. [illegible] 12. c [illegible] 6. [illegible] 18. & 21. p. [illegible] 18. *Glass.* lib. [illegible] Phil. Sacr. tra [illegible] seq par 2. [illegible] 68.

II. [illegible] n [illegible] cor. V. & N. T. p. 2 [illegible] *Iehovah* non sequi, *Christum* [illegible] *vami* [illegible] sequi, etiam *Ierosolymam* [illegible] Jehovam, c [illegible] particula לה, *eam*, et [illegible] *Ierosolymam*, [illegible] vocabunt Jehovam.

R. (1.) Non [illegible] הזה, hic non tri [illegible] *Ierosolyma* [illegible] sequeretur, *Ierosolymam* [illegible] *am*, quod e [illegible] urdum. [illegible] m [illegible] cert [illegible] adimplementum [illegible] autem *Ierosolyma* [illegible] *Iehovah* [illegible] appellat [illegible] Conce [illegible] לה [illegible] *Hierosolymam*: [illegible] ex *Dat.* [illegible] ominis [illegible] etiam praeh [illegible] proprietas, quae [illegible] us aut participius ap [illegible] vero firma [illegible] *proprium* [illegible] ma [illegible] loci [illegible] ecedet [illegible] etiam

... o ... ptutæ co... ...u ev...
... ... imperſonaliter accipi-
... ... quod nuncupare, & publice
... imperſonaliter ... Ierem.
... controverſ... ... eſt ...
... et ex Ierem. 3... v. 14. atq; e...
... 14. v. 6. ... 2... 3. Prov. 2...
... 2. v. 2. 4.) ... quo ...
לה per en... ... eneri poſ...
... mo לו, a ... ut referat...r ad
... ſtatim ... , juſtitia, quod
... generis, ut antea dictum.
... dant exem..., 1. Sam. ... v.
4. ... 4. Et hanc eſt con... uetudinem lin-
guæ ..., Kimchi notat in hunc locum.
... Re... ad arg. Bellarm. & Wieck. pag.
... e ad Chriſtum, ſive ad Hieruſalē pro-
... Jud... e ... atur, ſenſ...m eſſe, tunc futurum,
Iehovah ... e Deus noſter tunc temporis nos juſtificet.
... enim D...um per Chriſtum in populo ſuo ef-
... ... e.
... a ... Iehovah vo... it tunc temporis in
... o ... ei... ... uni homine vivificare & re-
... ar e, J... v. 21. & 25. Er... ne populus Dei te-
... un... ... ab... ur Iehovah ... ita ... reſuſcitatio homi-
... 2. ... Oritur ve... o ei... ... e e ... præco... ...
... one de mund..., per Chriſtum initio N. T. de-
... juſti... atio, id quod eſt contra teſtimonium
... et ..., A... v. 1. Balduin. in Colleg. de SS. Tri-
... it diſp. ... theſ. 29. ſeqq. & in Refutat Catech. Ari-
... an. p. 137. - 143. Iacob. Martin. l. ... de trib. Eloh. c. 19.
... 9. - 215. ...arnov. de SS. Trinit. pag. 738. 742. -
4... ... hunim. in Ἀποδείξ. perſon. Spir. Sanct. p. 7. &
Cham. l. ... §. 20.

V... ſ. ... Non excidetur vir Davidi, qui ſedeat ſuper
... ſo domus Iſrael.

... ium ſeu d... ... um publicum familia Davidica
ſuper populum Iſrael intra proxime elapſos annos ſeſ-
quimil... ... romi... Me... ia publicè poſſeſſum, & huc
usque c... ... uatum fuit: nec ... e ... um ullus alius ex
poſt... ... Davidis ... potes... qui ... ntra proximè ela-
pſos annos ... e qui... ... u... ... è poſſederit, & huc
usq; conti... ... t ... ... ſive dominium ſuper po-
p... um I... ... ... ... que totidem annis ... el-
li ... et oraculum ... rophetiam de ... ſeu do... io
Davidi, per e... ... poſter... perpetu... continuan... o.
Excipit 1. Anonymus ille Semijudæus tract. 1. de
... dam relig. Chriſt. illud Prophetæ oraculum eſ-
... conditionatum, innitens promiſſioni, conditiona-
... Davidi factæ, 2. Sam. ... v. 16. conditione verò
... leta à poſteris Davidis, etiam promiſſionem
... e impletā.
... um eſt, promiſſionem illam primam, Da-
... ctam, conditionalem eſſe ... contrarium enim
... r, 1. Sam. 7. v. 15. Unde quoque falſum eſt,
... um Jeremiæ, promiſſioni ſuperiori innitens,
... tionatum. Itaque ad præteritum fœdus, non
... ſiu, tempore futuro implendam, Prophe-
...
... a Iudaica ... adductum vaticinium de
... ne ... ... ive dominii Davidici non qui-
... e tot annis, ſed tamen impletionem ejus jam
... atam ... e propter peccata Judæo-
... a ... a ... protrahendam aliquandiu,
... fece... t.
... c excè... t ... De... ... e ple... s ...
... em. 31 v. 32. u... ... e ... it, pec
... ael ... rum nequaquam im... diturae ... e incho-
... ... ub Meſſia ſanciendi ... ... co
... ... e, quia non ... legi...

Moyſis ... ... e...nt, ... ...m in hac
vita pote... ... vero Deus in ſanctione
fœderis ... ... regno inchoandi, non e-
rat expectaturus ſatis... actionem Judæorum pro pec-
catis ... ſed ea gratis condonaturus, neque ipſorum re-
cordaturus, v. 34. mendacium erg... eſt Judæorum,
... eum ſanctionem fœderis novi protractum iri ... e, do-
nec Iudæi peccata ſua expiaverint. Imo hac ratione
ſequeretur, fœdus novum nunquam inchoatum iri,
quia Judæi perpetuò peccatis polluuntur, verſ. 32.
ideo... nunquam pro peccatis ſuis ſatisfacient, ſed
perpetuo merebunt... maledictionem, Deut. 27. v.
26. Iacob. Martin. l. ... de t... b. Eloh. c. 85. pag. 443.
Gibel. in Explic. Jerem. 33. ... 16 p. 256. 257. 258.

Verſ. 18. *Et de Sacerdotibus & de Levitis non interi-
bit vir a facie mea, qui offerat holocauſtoma-
ta, & incendat ſacrificium, & cadat victi-
ma omnibus diebus.*

*Bellarminus* l. 1. de Miſſ. c. 9. reſp. ad 4. regerit ad
reſponſionem, arg...mento ipſius ex Eſa. 66. v. 21.
datam, omninò ſucceſſiſſe miniſtros N. T. veteribus
illis tanquam veros Sacerdotes, qui ſacrificia verè &
propriè offerant, alioquin cur vocarentur Sacerdo-
tes, holocauſta & ſacrificia oblaturi?

R. Propheta quidem miniſterium Eccleſiaſti-
cum N. T. phraſibus ſui ſeculi deſcribit, iſtæ verò
non ſecundum apicem literarum, ſed ſecundùm
conditionem Evangelii ſunt accipiendæ: aliàs inde
ſequeretur, etiamnum in N. T. durare Sacerdoti-
um Leviticum, & holocauſta eſſe offerenda, & ſic pa-
nem atque vinum tota igni ſuper altari exurenda &
cremanda eſſe; ſiquidem Levitarum victimas ca-
ſurorum, ſacrificiumque incenſurorum, ſimiliter
& holocauſtorum in N. T. offerendorum, in ſpecie
meminit Jeremias. Holocauſta autem non ſunt, ni-
ſi quæ tota in altari cremantur, Levit. 16. v. 27. Ergo
neque de ſacrificio aliquo externo, neque de Sacerdo-
tibus Mo... ... eis Propheta loquitur. Hutter. de Miſſ.
contr. Bel... n pag. 89. 19... ſeq. Eckhard. par. 2.
Pand. c... ... pap... ſt c. 1. q. 10. obj. 4. p. 632.

C. p. XXXIV. v. 14. *A fine ſeptem annorum dimitte-
tis, &c.*

*Hebraiſmus* eſt. מקץ, à fine ſeptem annorum, h. e.
ipſo anno ſeptimo, ... 1. v. 2. Deuter. 15. v. 12 &
quidem initio ... ptimi, uti ſtatim explicatio ſubjici-
tur. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 336. Glaſſ. lib. 3. Phi-
lol. Sacr. tract. 6. can. 11. m. 2. p. 545.

Verſ. 16. *Et reverſi eſtis & prophanâſtis nomen me-
um, & reduxiſtis quisque ſervum ſuum, &
quisque ancillam ſuam, quos dimiſiſtis liberos ad
animam ſuam, &c.*

Offert ſe 1.) Hebraiſmus: Reverſi eſtis & pro-
phanâſtis, h. e. rurſus prophanâſtis. (2.) Metonymia
cauſa pro effectu: nam anima pro deſiderio eſt. Va-
tabl. in Annot. ad h. l. p. 337. Iun. in Not. ad eund.
... c p. 36. Glaſſ. ... h. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m.
... 8.

Verſ. 17. *Sic ait Dominus: Vos non audiviſtis me, pro-
mulgando libertatem, quis... ue fratri ſuo, & quiſ-
que amico ſuo: ecce ego promulgabo contra vos
libertatem, dicit Dominus, ad gladium, ad pe-
ſtem, & ad famem, &c.*

Elegans antanaclaſis eſt: nam דרור libertas priori
... ... bro propriè accipitur, pro manumiſſione ſervo-
rum, v. 9. poſteriori ver... tranſlativè, pro libera ... a-
nitate invadendi gladio hoſt..., peſte & fami quaſi
... ... a, ad internecione... populi idquod liber-
tas vera diſpondebit ... ep... at. Ita. utem παρήχειν
... at upliratindi ... ... ... cur... eſſ... 5
... ilol. Sacr. tract. 2. cap. 3. p. ...

[illegible] *[illegible] quia Iona-[illegible] Rechab, pater noster, præcepit nobis [illegible] Non bibetis vinum vos [illegible] vestri in sempiternum.*

I. *Bellarminus* l. 2. de B[illegible] Ope[illegible] n par[illegible] c. 7. arg. 1 disputat, *Ecclesiam licite pos[illegible] certos aliquos ci bos pro tempore Christianis inter[illegible]cere* quo[illegible] *Ionadab licite potuerit prohibere [illegible] nepotibus [illegible] vinum usque in sempiternum.*

℞. E[illegible] quadrat. Nam [illegible] Ionadab præcepi[illegible] nepotibus ded[illegible] tempore, quo *Leviticismus* adhuc durabat, & [illegible] hujusmodi abstinen[illegible] vere in usu erat, *Numer.* 6. v. 3. ideoque nihi[illegible] *Le[illegible]ssimus* enim [illegible] N. T. est abrogat[illegible]. (2.) Rec[illegible] non abstinebant à *carne*, sed à *vino*, Pon[illegible] vero non abstinent *vino*, sed *carne*: at[illegible] nos disputamus de *carne*, & respondent ipsi de *vino*. (3.) Illa Rechabitarum abstinentia à vino non erat *jejunium*, neque ullibi aut usquam in Scriptura *jejunium* appellatur. Pontificii autem omnibus viribus contendunt, *abstinentiam à carne*, [illegible] Papa Romano mandatam, *esse jejunium*. (4.) [illegible]ecerunt id Rechabitæ, non ut *Deum hoc modo placarent*, sed ut *facilius ab ebrietate*, *qua blandum est dæmonium, sibi caverent*. At Pontificii docent, abstinentiam à carne certis diebus *mereri gratiam Dei, eumque placare*. [illegible] avver. par. 8. Prælec[illegible] in A. C. p. 18[illegible] seq. *Eckhard.* par. 2. Pand. [illegible]nt ov. Papist. [illegible] 8. q. 2. obj. [illegible] p. 46[illegible] seq. *Osiand.* [illegible] Enchir. contro[illegible] Papist. c. 22 error. [illegible] obj. [illegible] p. 2[illegible].

II. *Tannerus* in Colloq. Ratisbon. sess. [illegible] p. 14[illegible] seq. probare intendit, *quosdam ob transgressionem legis non-scriptæ esse punitos*; quia *Rechabitæ*, si non obtemperaissent parenti suo, bibissentque vinum, *divinitus fuissent puniendi*.

℞. [illegible] Vana est consequentia: neque enim dicendo, *illi fuissent puniendi*, consequens est, *aliquos fuisse punitos*; quod J[illegible]uita debebat probare. (2.) Exemplum hoc præfixum scopum, ad quem collimandum erat, non attingit. De *dogmatibus* enim fidei, & *cultibus divinis*, præter expressum Dei verbum institutis, agitur. Jonadab autem *cultum* non instituit [illegible] id quod in ipsius potestate minimè erat positum, sed *disciplinam* inst[illegible]uit domesticam, quâ fami[illegible]am suam [illegible] frugalitate [illegible] sobrietatem & [illegible] temp[illegible] hujus mundi assuefacere voluit, absque omni *cultus* [illegible] *meriti* opinione. [illegible] Q[illegible] de [illegible] us *Magistratibus Ecclesiasticis* [illegible] Ionadab nec *Sacerdos* fuit, nec *Magistratus*, [illegible] ho[illegible] *privatus*: it[illegible]que causam Pontificiorum non juvat. *Hunn.* [illegible] Colloq. Ratisbon. sess. 5. p. 1[illegible] & 18[illegible] *Liba[illegible]* [illegible] Analys. Colloq. Ratisb. p[illegible] 1[illegible] 18[illegible]

Ve[illegible] *[illegible] vivatis diebus multis super faciem terr[illegible], [illegible] qua vos peregrinami[illegible].*

*Tannerus* ibid. p. 141. [illegible] sta[illegible] [illegible]em Ionadab [illegible] de *non bibendo vino datam*, [illegible] [illegible]gantem [illegible] [illegible] illi parenti suo obtempe[illegible], *mercedis* [illegible], *etiam* [illegible] *addantur* [illegible] *non* [illegible]cutis.

℞. [illegible] *ob* [illegible] *traditionis* [illegible] *quæ* [illegible] *præcepti promissione p*[illegible]*enit*, [illegible] *obedientiam parentibus debitam*, [illegible] *rebus quæ* [illegible] *e*[illegible]*se*, *arguim*[illegible] *dem* [illegible] *qu*[illegible] [illegible] *tum præ optimo* [illegible] *illa Ionadab* [illegible] *pæna oblig*[illegible]*avi*[illegible].

Vers. 8. *Obedivimus* [illegible] *Ionadab*, [illegible] *Rechab*, [illegible] *omnibus, quæ præcepit nobis, ut no*[illegible] *emus vinum cunctis diebus nostris mo*[illegible] *a*[illegible] *nis, agros non seminaremus* [illegible] *eas non* [illegible] *emus, &c.*

*Bellarmi*[illegible] *Monachorum* [illegible] *quorum* [illegible] ma[illegible] ag[illegible]

℞. In [illegible] exem[illegible] [illegible] *gurat* [illegible] *erem*, [illegible] *cænobio* [illegible] *taberna* [illegible] *Mon*[illegible] *cænobiis* [illegible] se[illegible] sumtu m[illegible] [illegible] *hæ habita* [illegible] non [illegible] [illegible] *Monachi* domos ædific[illegible]nt [illegible] gr[illegible] plantant vinum bibunt. [illegible] tum, [illegible] *quimet dicant*, & cæte[illegible] *omnes hab*[illegible] *gros & vineas* [illegible] ter[illegible]m neutrum Rec[illegible] *Rechabitæ* vi[illegible]ebant in co[illegible]ugio [illegible] 8. ast *Monac*[illegible]*rum* instituto [illegible] quicquam tam adversu[illegible] inimicum est, quàm *conjugium*, ut p[illegible]te [illegible] sum [illegible] solenni [illegible] penitus abjurare [illegible] (4.) *Rechabitæ* erant *Laici*: erant e[illegible] thronis [illegible] *ra* teste, qui Dei popu[illegible] vitam pastoritiam coluerunt, *Num.* 1[illegible] v[illegible] 4. v[illegible] 1. *Monac*[illegible] autem [illegible] se [illegible] Sacerd[illegible]tes [illegible]bus [illegible] Laicis longè præ[illegible] [illegible]) *Rechabitæ* [illegible]nt oc[illegible] at[illegible] in *rebu*[illegible] *pe*[illegible] Monachi vero ad res [illegible] ingunt [illegible] *quæ* [illegible] *ram postea imparem sentiunt* [illegible] Re[illegible] ternum præceptum ita ob[illegible]bant, ut [illegible] *ligionem* [illegible] ullam haberent *peculiarem*, a[illegible] *Iudæis*: verum Monachi institutum [illegible] *liari Dei cultu* jactitant, & de statu *perfe*[illegible] gloriantur, ut personas, extra id genus vitæ constitutas, præ se despiciant. Itaque [illegible] ud, *vitam divi*[illegible]*simam quasi extra mundum agere*, Bellarmi[illegible] [illegible] num est. *Hunn.* tom. [illegible] Oper. Lat. p. 53[illegible] *Eck*[illegible] par. 1. Pand. controv. Papi[illegible] c. 1[illegible] p. 4[illegible] *Gisen.* de Papism. d[illegible] p. 16. thes. [illegible] seq. p. [illegible] *Scharp.* t[illegible] Cu[illegible] Theol. p[illegible] 14. se[illegible] *Cham.* to[illegible] Pan[illegible] 2[illegible] § 8. [illegible] 3[illegible] p. 4[illegible]

Vers. 14. *Prævaluerunt* [illegible] *rmone* *Ionadab* *fi*[illegible] *Rechab, quo præcepi*[illegible] *suis, ut non biberent* [illegible] *num* [illegible] *non bib*[illegible] *usque ad diem hanc* [illegible] *obedierunt præcepto pat*[illegible]*is*,

*Becanus* de Jud. contr[illegible] [illegible]g. Christ. p. [illegible] [illegible]o[illegible] e[illegible] at, *Deut.* 12. v. 32. *non omnes prohib*[illegible] *traditiones, extra Scripturam sancitas*; cum *Rechabitæ hoc nomine à Deo commendentur*, qu[illegible]d *a*[illegible] *rati* [illegible] *servarint præceptum parentis* [illegible] *Ionada*[illegible] *de* [illegible] *bibendo vinum* [illegible] [illegible]am autem [illegible] *scripta lege* præceptum [illegible] Rech[illegible]tis, ut [illegible] [illegible] *a*[illegible] *inerent*, ait *Tannerus* [illegible] C[illegible]q. Ratisb. sess. [illegible] p. 141

℞. [illegible] *Rechabitæ* non pec[illegible]runt co[illegible] Dei legem. q[illegible]a obediendo præcept[illegible] p[illegible] J[illegible]nad[illegible] [illegible] *talis ita* [illegible] a verbu[illegible] [illegible]pt[illegible] to, *novum* [illegible] *cult*[illegible] [illegible] *meritum* [illegible] tuerunt [illegible] *præcepto potius* [illegible] *scripto de honora*[illegible] *parentibus* [illegible] erat [illegible] [illegible] A[illegible] *Deus* [illegible] *in ca*[illegible] [illegible] (2.) Rech[illegible] *temporale quoddam exer*[illegible] [illegible] parentem o[illegible]sequ[illegible] [illegible] exercitia neque [illegible] est, neque *arcto* [illegible] tuunt. [illegible] dici [illegible] Deus [illegible] um [illegible] men *dogmati*[illegible] *aut Patrum* [illegible] dat [illegible] ne[illegible]

se

... *sua præ-* ... o *mino* ... o, hor- ... extu ... . Ta- ... inus instituit ... *Rechabitarum* ... em. ... *Rechabitam* ... *ecerunt mo-* ... *ut nefas dixerint ea vi-are, quan-* ... *oportuisse Judæos accurati ob ... ur caeli* ... *monita divina* *Hunn.* in ... Rat ... b. ... 8 ... hic.c ... Beck ... 94. seq ... *dus* ... h. ... hol. ... c. ... 619. *Brochm.* tom. ... The-ol. art de B ... per. ... 2.q.5 obj ... & 109.

Vers. 16. *Firmaverunt filii Jonadab, filii Rechab, præceptum patris sui, quod præceperat eis? populus autem iste non obedivit mihi.*

I. S... : ... hujus propositionis membra ... ta ... inverso ordine in sequentibus ... onun ... , ... ue ... tentia divina regentur; & ... dem de *popu o*, v ... *ami ta Rechab*, v 18 seq. ... tur. ... *la* ... b 4. l ... Sac. ... act. 2. observ. ... un p. 7 ...

II. ... *canus* de Judic. controv. p. 134. §. 111. contendit, *Christianos teneri Ecclesiæ obedire, extra scriptum ... es ve ... emp ... acipienti aliquid*, quia *Rechabitarum ab ... tentia a vino, licet nullum habeat mandatum Dei scriptum, a Deo commendetur, tanquam studium ... ratum*

*R.* 1.) Re ... bitæ tenebantur ... scripto verbi divini obedire patri Jonadab, nisi nisi quod *u-sitatum* est, præcipienti, *Coloss.* 3. v. 20. atque in hoc ... passu Christiani tenentur non minus *Ecclesiæ*, res ... citas præcipienti, obedire, quàm *Rechabitæ* pa- ... o. 2.) *Laudantur* verò, non quòd *abstinu-* ... *a vino*, sed quod *patris mandata observarint*, v. 18. ... *arsh.* de Judic. controv relig. Christ. p. 396.

II. *Bellarminus* ... de Monach. c. 21. tat. ... nugatur, *Rechabitas non fuisse obstrictos præcepto divino, obedire patri in rebus illis præceptis*, quoniam alias ... *comparatio illa* Prophetica *Israelitarum* Deo non obedientium cum *Rechabitis* patri suo obedientibus fr ... geret, quia tunc nulla esset antithesis inter *Deum* & *creaturam*, ... Jonadab obedivissent *Deo*, & ... obedivissent *Deo*.

*R.* Inh ... one, quod ... acumen Bellarmi ... ideo ... obedit *Deo*, qui obedit *parentibus*, tamen alia ratio est *mediata* obedientiæ, alta *immediata*. Neque quisquam dubitat, longè majorem deberi obedientiam ipsi ... loquenti & præcipienti, quàm *hominibus*, ... bus nos Deus jussit obedire; ut certum sit axioma, si obsequium debeatur *parentibus*, multò magis deberi *Deo*: itaque gravissimè peccasse *Israe-litas*, ... *Deo* non voluerunt obtemperare, cum tamen ... *Rechabitæ* tanta fuerit cura non discedendi à *patre* ... eius. *Cham.* tom. 5. Panstr. l. 20. c. 14. §. 6. & ... 14.

18. seq. *Pro eo, quod obedistis præcepto Jonadab, patris vestri, &c. non deficiet vir de stirpe e-... , &c.*

... *minus* l. 2. de Monach. c. 21. tat. 1. statuit, ... *Monastica obedientia Deo placere*, quod ... *Rechabitarum*, quam præcepto pa- ... *vinum, non serendo agros*, &c. ... *Deus remuneratus fuerit*, ... *res illas* ... *erit*.

... fatetur ipse Bellarminus, quæstionem ... obedientia non ... *Monastica*, ... stant A ... At ... obe- ... *Jonadab* non fuit *Monastica*, ed ... *ta-lis*, fundamentum ... Decalogi præcepto, ex quo ... *honore*. Itaque non fuit ali... *debitus*; sicut in *Monasterio* A ... qu ... im- ... id debet superstitioni ... ve- ... *legitima sui imperantis persona* ... à *Deo autoritatem*. Unde etiam ab o... *pa-rentibus* præstandâ ad obedientiam *Monasticam* per ... am concluditur. (2.) Leges impositæ ue- ... *mere politica*. ut *abstinere vino*, *domos nullas ædificare, agros non serere, vineas non plantare, in tabernaculis habitare*, quæ genus quoddam *politicæ vitæ* de ... bunt, diverse ... ab eo populo, in cujus medio Rechabitæ habitabant tanquam *advenæ*: sicut *Judæis* hodie in *Papa* ditione ita conceditur *habitatio*, ut tamen fac ... nulla sit *fundi alicujus possidendi*. Ast Monachis leges feruntur *religiosæ*, atque adeò *animæ salutem spectantes*, ut prævaricator ... *æternam* pœnam incurrat. (3. Rechabitæ non more *Monastico* ex *voto obedientias* con ... tias habuerunt, sed tantum mandatum patris civile honorarunt: alioquin ne ... necessitatis deleruissent *modum etiam habitandi* à patre ... scriptum: quem tamen deseruerunt. Nam propter metum belli, tunc ... à Propheta Jeremia jussu Jehovæ co ... habitare ... *cem*, v. 1 ... (4.) Religio ... Monachorum obedientia, juxta hypothesin Bellarmini, semper conjuncta est cum *voto continentiæ perpetuæ, & paupertatis voluntariæ*. Atqui obedientia illa *filiorum Jonadab* non fuit conjuncta cũ *continentia perpetua*, & *paupertate voluntaria*, quia familias habuerunt, ac genus suum propagarunt, v. 8. Ergo obedientia *filiorum Jonadab* non fuit *Monastica*. (5.) Ipsa Jonadabi *imperia* nec *injusta* fuerunt, nec etiam *dura*, multo minus *impossibilia*: quemadmodum *votum perpetuæ continentiæ* est injustum, utpote contra legem & institutionem divinam, 1. *Cor.* 7. 9. nec omnibus possibile, *Matth.* 19. v 11. (6.) *Finis* instituti Rechabitarum non fuit *religiosus*, sed *mere politicus*, quem R. *David Kimchi* in h. l. explicat: quia dominus, agros ... hominem deceret, ut accedente fame aut bello, necesse sit, medio vitæ ... mo-... , ut eum, qui his careat, mutare sedes pro ut videretur ... suo. Itaque ... ibi ... Jeremia, ex-... a quibus ... *politica* obedientia, cujusmodi est ... populi ... qui *suam amant politiam*; sed *cæca* nulla, quam nobis ... obtrudit Jesuita.

*Bellarminus* ibid. excipit ... *Rechabitas plus fecisse, quam præciperet lex divina*, quia *non sic remunerarentur, nisi aliquid singulare fecissent*.

*R.* (1.) Verum quidem est, *fecisse aliquid Rechabitas ultra, quam lege divina tenebantur*, sed tantum, si *materia imperiorum* consideretur: ne que enim lex divina prohibebat *usum vini*, aut *domus*, aut ... Sed ... est ... quæ ... *paterno*, ... *e*... *gitimo*. Verum quia *ipsa obedientia* mandata est, nec potest exhiberi nisi in *singularibus actionibus*; ideo *singulares actiones* eo ..., quòd fiunt ex *obedientia divinitus imposita*, etiam dicuntur, & merito ex *præscripto* ... *divina* ... h ... tenentur obedire parentibus in *omnibus*, *Coloss.* 3 v 20. nimirum in ... *ad quæ ... patria potestas extendit*, ut benè animadvertit Bellarminus. Sed ... hæc sunt, de ... bus nunc agimus. (2.) Aliquid *singulare præstitisse Rechabitas*, quis negat? Sed Bellarmino non erat hoc propositum, ... bare, verum, an *non teneren-tur hoc singulare præstare*? (3.) Remunerantur ...

[illegible] non quod [illegible] *vino*, sed quod *patris mandata observarint*, v. 18. prout in lege promittitur *multiplicatio dierum honorantibus parentes*.

[illegible] filii teneantur [illegible] parentibus, non tamen teneri eos obedire in *omnibus* rebus, *postquam ad annos pubertatis pervenerint*, cum *unusquisque sui juris in deligendo statu, & genere vitæ*; alioquin nihil interesset inter servos & liberos, si *semper & omnibus in rebus* [illegible] patris potestate essent.

℞. (1.) Falsum est, liberos *adultos* non teneri obtemperare in omnibus, eosque *eos sui juris in eligendo genere vitæ*. nam in contrarium est quartum Decalogi præceptum. (2.) Nec *adulti* tantùm liberi, verùm etiam *infantes* differunt à *servis*, sed hinc non sequitur, *suo jure posse sibi vitam eligere*. Nam eo ipso [illegible] differunt, ut nihil aliud dicamus, quod *filii* sint, quæ *propria & essentialis* est distinctio. (3.) Neque ea definitio est *libertatis*, ut nihil non liceat. Nam etiam *liberis* multa non licent, utpote quæcunque sunt contra *fas & honestum*: unde & *servis* quædam licent, quæ *liberis* minimè. *Franz.* par. 3. in A. C. di[illegible] 5. thes. 45 & disp. 6. the[illegible] 3[illegible] seq. *Eckhard.* par. 1. [illegible] and controv. Papist. c. [illegible] q. [illegible] obj. 1. p. 50[illegible] *Gerhard.* in Confess. Cathol. libr. 2. spec. par. 2. p. 318. arg. 1. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 20. c. 12. §. 1 - 13. pag. 384. & [illegible] 22. §. 30 pag. 4[illegible].

Cap. XXXVI. v. 3. *Si fortè audiente domo Iuda universa mala, quæ ego cogito facere eis, revertatur, &c.*

Argumentum *Photinianorum*, contra *infallibilem Dei præscientiam*, vide solutum in Vindic. *Jerem.* 26. v. 3.

Vers. 4. *Scripsit Baruch ex ore Ieremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum in volumine libri.*

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 8. exinde colligit, *librum Baruch esse Canonicum*, quia *Baruch fuerit Notarius Ieremiæ, ejusque discipulus*.

℞. (1.) N. C. non enim quicquid scribit Notarius aut discipulus, *authentici instrumenti* rationem habet; sed id solum, quod vel *partium rogatu*, vel *Iudicis mandato*, & *fide publica* scribit. V. G. Cum David *divinos hymnos* conscriberet, tum ejus men[illegible] afflavit Spiritus Sanctus, secus cum scriberet *ad Ioabum Epistolam de Uria interficiendo*. Itaq; non quicquid sacrorum codicum scriptores scripserunt, canonicum est, sed id demum, quod θεόπνευστως literis mandârunt, eo fine, ut ad canonem Ecclesiæ adstruendum pertineat. (2.) Nego, Jeremiæ Notarium fuisse Baruch *eo tempore, quo scriptus fuit liber* [illegible] hunc enim Baruch in *Babylonia* [illegible] in[illegible]to die septimo mensis, quo te[illegible] *ceperunt Chaldæi Ierusalem, & succenderunt eam igni*, Baruch. 1. v. 2. [illegible] m autem Jeremi[illegible] *abductus fuit in Ægyptum*, [illegible] Ex ore ergo Jeremiæ [illegible] ex[illegible]ere non potuit. *Thumm.* in [illegible] V. D. par. [illegible] p. 148.

Vers. 6. *Lege de volumine* [illegible] *quod scripsisti ex ore meo verba Domini* [illegible]

*Becanus* de J[illegible]d[illegible] controv. relig. p[illegible] 3. §. 36. existimat, *Scripturam inter alia & hoc facere obscuram*, quòd *citetur liber Ieremiæ de eversione urbis & captivitate populi*, qui vero non extet.

℞. Volumen Jeremiæ de eversione urbis, & captivitate po[illegible], Rege Joakim combustum, [illegible] *restitutum fuit a Propheta* ad mandatum Domini, v. 27. & 28. *Summa ejus* recitatur, v. 30. [illegible] 1. 32. Atque sic lector non [illegible]elin[illegible]itur amb[illegible] [illegible] dic. contr[illegible] v[illegible] li[illegible] C[illegible] p. 110. & [illegible] 4.

Vers. 23. *E[illegible] fuit, secundum legere Iehudi tres & quatuor pagellas, scidit illud scalpello scribæ, & projecit in ignem, qui in rogo, usque ad consumeretur omne volumen per ignem, &c.*

I. Jeremiæ ad liber[illegible] *Metaphoram paginas libri vocat* דלתות *januas*, [illegible] *nnarum* [illegible] quando [illegible] [illegible] *tur* aut *aperiuntur* ut [illegible] rivi, *projecit*, [illegible] *projecit*. (3) verbi [illegible] *Qui in rogo, scil. erat*. A[illegible] 4 Bibl. p[illegible] *Vatabl.* in Annot. ad h. l. [illegible] 41 lib. 5. [illegible] tract 1 cap. 12. p[illegible]

II. *Rathmannus* in Not. ad 11. quæst. [illegible] tur, *duo esse verba Dei, essentialiter a se invicem distincta*, unum *internum* & *externum*, quorum *hoc* sit combustibile, *illud* vero minùs.

℞. Verbum Dei *formaliter* acceptum [illegible] uri potest, nec unquam fuit combustum [illegible] semper in cordibus piorum permanet [illegible] *materialiter* sumtum comburi possit, quemadmodum de *volumine Ieremiæ* Prophetæ constat, [illegible] Joiacimo fuisse combustum, *sensu* tamen [illegible] te in corde Jeremiæ, v. 28. *Illud* pro[illegible] verbum Dei est, *hoc* vero *metonymicè*, [illegible] sum & sententiam divinam, q[illegible] continet & exprimit. *Thumm.* in Brev. [illegible] 3 qq. controv. p. 57. & 58.

Vers. 27 *Et fuit verbum Domini ad Ieremiam, p[illegible] combussisse Regem volumen & verba, quæ [illegible] pserat Baruch, &c.*

*Hendiadys* est *Volumen & verba*, h. e. *volumen verborum*, seu volumen, in quo de[illegible] [illegible] tant verba, &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 34 *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 42. [illegible] 16

Vers. 30. *Hæc dicit Dominus Deus contra Ioacim Regem Iuda: Non erit ex eo, qui sedeat super [illegible]num David.*

Prædictio hæc cum [illegible] eventui respondere [illegible] siquidem *Ioacim habuit filium Iechoniam in regno Iuda sibi succedentem*, 2. Reg. 24. [illegible] 6. [illegible]

℞. Loquitur Propheta de tali successore, [illegible] *regnum esset stabile & perenne*, qualis Jechonias non fuit, quippe *qui tres tantum menses regnavit*, & elapsis Babylonem abductus est itaque perinde fuit, ac si nunquam regnasset. *Osiand.* tom. [illegible] raphr. Bibl. pag. 2[illegible] *Walther* in Har[illegible] Sacr. p[illegible]

Cap. XXXVII. v. 4. *Et Ieremia venit, & egreditur in medium populi, & non dederunt, eum in domum custodiæ.*

Verba hæc exhibent (1.) *Enallagen temporis* præsentis, *egreditur*, pro præterito, *egressus est*. [illegible] *Hebraismum*: Non *dederunt eum domo* [illegible] *nis*, h. e. non *posuerunt eum in carcerem*. A[illegible] 4. Bibl. pag. 80. *Glass.* lib. 3. Philol. Sac[illegible] 37. p. 143.

Vers. 13. *Irejah prehendit Ieremiam, dicendo. A[illegible] Chaldæos tu cadis.*

*Hebraismus* iteratur: *Ad Chaldæos tu* [illegible] *cadis*, h. e. *excidis* vel *deficis*. Glass. lib. 3. Philol. S[illegible] tract 3. can 1. p. 225.

Vers. 14. *Respondit Ieremias: Non fugio ad Chaldæos, &c.*

Jeremias sibi *contrariari* videtur, h[illegible] negat se *fugere ad Chaldæos*; cum tamen hoc [illegible] ium dederit Judæis, ut *ad Chaldæos fugerent*, [illegible] vers. 9.

℞. Jere-

... *In-* ... *al-* ... p.

... *non R* ... *en-*

... *Ma* ... verbi ... vi *Non est Rex* ... *lage* ... *u futuri* ... *ote* ... 4 ... *aismus* דָּבָר e- ... eu *unequam*. Vatabl. ... b. ... P ... Sa

... *remiam* ... *ibus, & edu-* ... *a*, ... *is* ... *eteribus pannis* ... *unumquisque*.

... Di ... l ... pr ... *ntanea pro-* ... *tione* ... e ... *aliquem* ... *ipsum e* ... *ere, & educere* ... *ta*, ... *de lu* ... *viri* ... *ex-* ... *emiam* ... *ibus*, ... *eduxerint eum de*

... e ten ... e potuisset, ... *vinculo* ... *te amentas abje-* ... , quibus Jere ... è lacu extra- ... *onem* & ... *inam* ... *iam* adeo ... trum? ... *funicu-* ... *unt* ... *funiculis* ... *pon it* ... *ehet* ... hæc ... mo ... commo- ... *tione adno-* ... *ex* ... *extraheret* ... *ab* ... *c* ... *mus*; nam ... *ac* ... *e* ... *ifa* ... *us* ... *el* ... *a cl* ... elutie ... , Matt ... *Dom.* ... Ebr ... t. p. ...

V ... *ex* ... *ad* ... *pe* ... *Ba-* ... *ma* ... *ua*, ... *non* ... *endet* ... *vive* ... *mus* ...

C ... tie ... Epi ... *exeundo exieris*, h.e. *commiseris* ... 2 ... *Synecdoche partis* pro to- ... Vivet *anima tua*, ... *vives*, uti seipsum ... mit P ... eta. ... 3.) *Metonymia subjecti* pro ... *domus* ... *familia* ... *Ariam*. par- ... *arab* ... A ... a ... p. 4. *Inn.* ...

23. ... *omnes u* ... *tuas*, ... *lios tuos edu-* *cunt ad Chaldæo*, & ... *ges e manueo-* ... *ed in manu Regis Babel prehenderis* ... *hanc combures igni.*

... *Ena* ... *re semp* ... , *edu-* ... *ed* ... 6 ... Hebraismus ... תִּשְׂרֹף *comburet* ... h.e. *occa* ... *em* ... *endi*, R. *Salomone* ... *Fa* ... *comb* ... ac ... *erit* ... Diese Stadt wird ... verbrennet werden. ... 3 ...

... *utus est Ieremias* ... *vert* ... *praceperat* ...

N ... *interdum* ... *comm* ... quo ... *Ieremias* id ... *cuius responsione* ... *ea, Principibus dat* ...

B. Nullum hoc ... it *mendacium*. nam in ... principio ser ... ue ... Jeremi- ... e ... postulaverat, ne ... t ... e a ... retur Rege Zedekia, aut adversariis ... traderetur, & & Rex ... ssim spoponderat, ... 1. & 16. Jam verò *par em sermonis explicat, partemque reticet*, quam e ... Principi ... sset inutile & damnosum. N ... esse est, *omnibus omnia revelari*; sed h ... e ... , pro r ... ne *circumstantiarum*, quæ- d ... ere ... t ... m. 2. P ... phr. Bibl. p. 220. *lus* ... B ... h ... p. 40.

Cap. XL. v. 1. *Verbum, quod factum est ad Ieremi-* *am a Iehova*, &c.

*Papista* v ... *er* ... *um* ... *unc cum sequentibus mi-* *nus cohærere*, ... *ibus nul* ... *in specie verbi* *di* ... *t me* ... , sed ... *tantummodo historica* *en* ... *n*.

R. *Principio* ... 4 ... e ... det c. 42. v. 9. seq. quæ a ten ... o ... a ... e ... runtur ... nt ... p ... *ea* ... *occasionem*, ... pe ... od Ge ... ter ... ct ... quæ ... dæo ... ii ... olebant Ægyptum ... id quod Jere ... per *illam prophetiam* ... Potius igitur exacta ... *connexio* & ... sermonis Prophetici e- jusque ... e ... *ationis* agnoscenda. Glass. lib. 1. Philol. Sac. tract. 5. sect. ... pag. 303. & 305. obj. 5.

Vers. 4. seq. *Et adhuc ipse non revertitur*, &c. *Et dedit ei magister lanionum portionem, & mu-* *nus, & dimisit eum.*

I. ... Ex ... *in* ... *ominis* ex membro se- quente re ... *tuahuc* ... *t* ... Gedalia, qui ... xnomu ... ur. ... ) Hebraismus ... *Adhuc non revertitur* ... *m re* ... *us* ... ubi adverbi- ... ... *tum* ... *us* respicit. 3.) *Metaph* ... *am* ... *miltes* ... *an* ..., ob san- ... le ... Sac. tract. can, ... 3. & ... in ... 44 ...

... *non mus* ... *smijudan* ... 2. de ... am. ... e ba, H. a. 53. v. 12. *Di hi-* ... *um robustis dividet prædam*; implet ... Jeremias ... Dux Regis Babyloni- cæ ei permisserit, ut *occuparet partem terræ, quam vellet, simulque ei donum dederit*: ita enim Jeremi- ... *diviserit prædam cum Chaldæis*, id est, *partem prædæ acceperit.*

B. Verba ... nu ... modo cum veris E ... convert ... Nam ... Estne *viatis un* ... *spe* ... *dimitti*, idem quod, *prædam divi-* ... *um* ... *ne*, *potestatem habere* *habitandi* ... *qua* ... *ne*, *sub tutela alicujus Præ-* ... *prædam* ... *rerum dividere cum* ... im ... est ... a divi ... o, ... ux ... ne ... & no- ... e ... ue ... est. ... *cob. Mar-* ... de ... & c. 10.

... *Et audiverunt omnes Principes potentia-* *rum*, ... *in agro* ... *eorum, quod* *præfecerit Rex Babel Gedaliam*, ... *Achucham in terra*, ... *commenda-* ... *et* ... *os & mulieres & pubem, & de te-* *nuitate te* ...

Prin-

Propheta [illegible] 1. [illegible] *onymiam* [illegible] pro *subjecto* nam & *potentias* [illegible] *pr* [illegible] *bus*, & *tenuitatem terra* pro *te* [illegible] *bus* [illegible] *pauperibus populi terra* accipit. (2.) *Enallagen* [illegible] *pronominis demonstrativi*, הֵמָּה *ipsi*, [illegible] verbo [illegible] vo, *erant*. Artxm. part. 4. Bl [illegible] p [illegible] 3. *Vatab.* in Annot ad h.l. p.349. [illegible] lib. [illegible] Phil. Sacr. tract.1.cap.4.[illegible].p.52.

Vers. 1 [illegible]. *Et ecce ego habito in Mizpa, ad standum coram Chaldæis qui venient ad nos,* [illegible] *vos colligite vinum* [illegible] *aestatem,* [illegible] *c.*

Verba hæc [illegible] habent [illegible] *Enallagen temporis* præsentis, *habito*, pro [illegible] *habitaturus sum.* [illegible] *Metonymiam adjuncti* [illegible] *subjecto*. tum quia *stare coram aliquo*, est, *ei ministrare*, Deut. 10. v. [illegible] [illegible] קָיִץ [illegible] *aestivus fructibus* accipitur. *Vatab.* in An[illegible] l. p.[illegible] *Jun.* [illegible] Not ad eundem loc p.741. *Glass.* lib. [illegible] Phil. Sacr. tract. [illegible] c. 4. m.3.p.[illegible]

Vers. 14. *Et dixerunt ad eum:* [illegible] *ne cognoscendo cognosces, quod Bahalim, Rex filiorum Ammon, miserit Ismaelem,* [illegible] *Nethania ad percutiendum te anima?*

Deprehenditur [illegible] loco (1.) Epizeuxis *cognoscendo cognosces*, h.e. *omnino cognosces*. [illegible] *Enallage temporis* futuri, *cognosces*, pro [illegible] præsenti, *cognoscis.* [illegible] *Metonymia causae* pro *effectu*, [illegible] *anima* pro [illegible] est. [illegible] in Annot. ad h. l. p. [illegible] *Jun.* in Not. ad eund. loc. p.[illegible]41. *Glass.* lib. [illegible] Phil. Sacr tract.1.m.1 p.8.

Cap. XLI. v. 5. *Venerunt viri octoginta de Sichem & de Silo, & de Samaria, rasi barbâ, & scissis vestibus, & lacerantes se unguibus.*

*Gretserus* in Encycl. pag. 12. opinatur *posse quempiam ad DEUM expiandum licite se ad sanguinem usque flagellare*, cum 8[illegible] *illi viri, quos barbam raserunt, corporaque sua unguibus*, & forsan *aliis instrumentis, dilacerarunt*, à Scriptura non reprehendantur.

℞. [illegible] Je[illegible] uita discedit à *Vulgata versione*, quæ Hebræum מִתְגֹּדְדִים [illegible] reddidit, *lacerantes se unguibus* [illegible] *qual* [illegible]. Dicte[illegible] her[illegible] **Trauing.** [illegible] Viri illi, *qui cultellis, aliisve instrumentis* [illegible] *lamiarunt* & *lacerarunt* [illegible] *à viola* [illegible] *te* [illegible] *Deut.* 14. ver[illegible] 1 ex[illegible] at [illegible] pollue[illegible] [illegible] *ibi* eoden[illegible] ve[illegible] S[illegible] S[illegible] *ctos* ut [illegible] quo *hic* apud Jeremi[illegible] [illegible] lu[illegible] 8[illegible] vi[illegible] def[illegible] ibit[illegible]. (3.) *Lura* [illegible] *in signum tristitia*, pro tem[illegible] de[illegible] [illegible] e[illegible] ctam istam *incisionem* putant [illegible] ita [illegible] e *impatientia doloris* propter exultum [illegible] est, DEO displicuit. (4.) [illegible] ritu Sancto saltem *narratur* [illegible] *Gen.* [illegible] vers. 35. [illegible] 5.) Vi[illegible] [illegible] *Samaritana*, [illegible] ce est, *Ebraica Iudaica* le[illegible] [illegible] *Ethnico* [illegible] *suis incisionem*, exhib[illegible] [illegible]at.

*Gretserus* [illegible] A[illegible] [illegible].221. [illegible] volam hanc esse [illegible] [illegible] *venerunt ex Samaria, fuerunt sequer* [illegible] *ex* [illegible] *superstitionis Samaritana.*

℞. Adversarius n[illegible] [illegible] *idè*, neque certum tanquam *certissimum*, [illegible] tan[illegible] *probabile* [illegible] ipsum de vi[illegible] illis afferimus. *Zeam.* in Carnif. [illegible] favvit. p.299. & 6[illegible] 4.

Ver[illegible] [illegible] *an*[illegible]*m venire* [illegible] *vit*[illegible] [illegible] *la* [illegible] [illegible], *in medium fo*[illegible]*ea*, [illegible]*c.*

*Synthesis* est *jugulavit eos in medium* [illegible] *jugulatos eos projecit*, [illegible]. *Glass.* li[illegible]. [illegible] tr[illegible] ct.3.p.231.

Cap. XLII. v. 1[illegible]. *Parites me mali* [illegible] *quod* [illegible] *bis.*

Rationem *Versus*, [illegible] tr[illegible] [illegible] *na immutabilitatem*, vide [illegible] ut [illegible] in [illegible] [illegible] 6.

Vers. 1[illegible]. [illegible] *iteritis Æ*[illegible]*num* [illegible] *prehendet, &c.*

*Anonymus* ille Semijuc[illegible] [illegible] dam. relig. C[illegible] [illegible] re [illegible] *Esa.* 5[illegible] ver[illegible] *excisus e* [illegible] *de* [illegible] *a* [illegible] Jeremiæ [illegible] 11 *qui in illa pere*[illegible] [illegible] *e in* [illegible] *Iudaorum* [illegible] *Æ*[illegible] *tum fuerit* [illegible] *e* [illegible] *c* [illegible] *dissuaserit ei* [illegible] *tionem in Æ*[illegible]*m.*

℞. Nu[illegible] hi[illegible] est coule[illegible] er[illegible] ex *di*[illegible] *ne* [illegible] ft[illegible] m equ[illegible] ut *Jeremia* [illegible] *cia*, le[illegible] ipl[illegible] c[illegible] fuit *Iudaorum* [illegible] rem. 42. v. [illegible] *Jacob. Martin.* l. [illegible] de [illegible] 103.p.5[illegible]5.&c.1[illegible] [illegible].[illegible]1

Cap. XLIII. v. 2. *Mendacium tu* [illegible] *que* [illegible] *fit te* [illegible] *vah DEUS noster*

*Anonymus* [illegible] id. instat [illegible] *Jeremiam* [illegible] *Æ*[illegible] *pto interfectum e*[illegible], quo[illegible] *eum* [illegible] *ant scelesti illi viri*

℞. Neque h[illegible] [illegible] quæ *aliquis ab aliquo mendacii arguit* [illegible] tinus *ab ipso non interficiatur.* J[illegible] p. 642.

Vers. 11. *Et veniet & percutiet terram* [illegible] *qui morti, ad mortem,* [illegible] *captivitatem, ad captivitatem* [illegible] *& qui* [illegible] *um.*

Jerem[illegible] [illegible] morti *addictus e*[illegible] [illegible] *aberit.* [illegible] *tonymiam* [illegible] *a*[illegible] [illegible] *adjum* [illegible] *de*, quæ [illegible] in Bibl[illegible] 4[illegible] [illegible] [illegible] m.2[illegible]

Vers. 1[illegible] *Et induet terram Ægypti*, *quem* [illegible] *dum induit pastor vestimentum suum,* [illegible] *bit inde cum pace.*

[illegible] *Metaphora*; [illegible] *induere* [illegible] *propri*[illegible] *em* [illegible] *amque conjur* [illegible] *ionem* ut *ve*[illegible] [illegible] *djun*[illegible] & qu[illegible] *um* eo[illegible] (3.) *Metonymia subje*[illegible] [illegible]: quia *terra Ægypti* pr[illegible] [illegible] *ex ea export*[illegible] sumitur. *Vatab.* in Annot. ad h.l. pag. [illegible]6. [illegible] Not ad eund. lo[illegible] pa[illegible]43. [illegible] lib. [illegible] Sac. trac[illegible] cap. [illegible] 2. p. [illegible] 4[illegible] &[illegible]

Cap. XLI[illegible]. [illegible] *Verbum, quod locut* [illegible] *a* [illegible] *in nomi*[illegible] [illegible]*e*, [illegible] *a dixe ex te.* *Anonymus* [illegible] et [illegible] *lus* [illegible] *anas* [illegible] *le* [illegible] *ex ore Jeremia*, [illegible] *ler miam in*[illegible] [illegible]

℞. [illegible] ue [illegible] e[illegible] *ratione* [illegible] *audiendi* [illegible] [illegible] *et* [illegible] *tionem praconis. Illud* [illegible] [illegible] qu[illegible] *ejus verb*[illegible] *iudei* [illegible] ute [illegible] *ecer*[illegible], hóc n[illegible] *Jacob Martin*, ibid p [illegible]4.

Verſ. 19. *Et cum nos adolentes Reginæ cœlorum, &c.*

*Anomalia* eſt generis: participium enim maſculinum מְקַטְּרִים, *adolentes*, de fœminis dicitur, propterea quòd id *ſcitu & permiſſu maritorum* fecerint, ita ut quaſi *ipſimet mariti* id feciſſe viderentur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 358. *Glaſſ.* lib. 3. Philol. Sacr. tr. 4. can. 10. p. 423.

Verſ. 30. *Sic dixit Dominus: Ecce ego Pharaonem Hophram, Regem Ægypti, in manum inimicorum ejus, &c.*

*Scaliger* Animadv. in Chron. Euſeb. p. 82. cenſet, puncta Hebrææ voci, חָפְרַע, à *Maſoretis* non fuiſſe rite ſubjecta; cùm legendum ſit חַפְרֵע, *Haprea*, ut cum voce Herodoti lib. 2. Ἀπρίης, conveniat.

*R.* (1.) Cedat *profanus* autor *ſacro fonti* Hebræo, non *hic illi*. (2.) Conjectura illa de *Maſoretis*, quod punctorum Hebræorum autores ii ſint, vana eſt. *Glaſſ.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. obſerv. 16. p. 849.

CAP. XLV. v. 5. *Ecce ego adduco malum ſuper omnem carnem, ait Dominus, & dabo tibi animam tuam in ſpolium, in omnibus locis, quò ibis illuc.*

In verſu hoc habetur (1.) *Enallage temporis* præſentis, *adduco*, pro futuro, *adducturus ſum*. (2.) *Synecdoche partis pro toto*: ſuper *omnem carnem*, h. e. ſuper *omnes homines hujus regionis*. (3.) *Metonymia cauſæ* pro *effectu*: quia *anima* pro *vita* ponitur. (4.) *Metaphora*: nam *in ſpolium dari alicui animam*, eſt, *ex periculo mortis præſentiſſimo divinitus eripi*, ſicut qui ſpolia reportat, vitam prius morti ob noxiam geſſit. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. p. 359. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 8. & cap. 12. p. 410.

CAP. XLVI. v. 2. *Ad Ægyptum, contra potentiam Pharaonis Nechonis, Regis Ægypti, qui erat juxta flumen Euphratis, &c.*

Propheta utitur (1.) *Metonymia adjuncti*, prò *ſubjecto*. nam חַיִל *potentiam* pro *exercitu* ponit. (2.) *Prolepſi*, cùm hæc per *anticipationem* dicat, utpote quæ antè prophetavit, eùm Ægyptiis acciderent. *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 88. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 744. Confer *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 54.

Verſ. 10. *Et comedet gladius, & ſaturabitur, & inebriabitur de ſanguine eorum, &c.*

*Proſopopœia* eſt: *gladio* enim conſumenti tribuitur *comeſtio, ſaturatio & inebriatio*, quæ redundantiam importat, metaphorâ ab *homine guloſo* deſumta. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 196.

Verſ. 18. *Sicut Thabor in montibus, & ſicut Charmel in mari, veniet.*

Verba hæc exhibent (1.) *Metonymiam ſubjecti pro adjuncto*: ſicut *Thabor in montibus*, i. e. critis *celſus expanſum ſuper Thabor*, ut *R. Joſeph Kimchi* ex ... ſ. v. 1. explicat, innuitur verò *captivitas Ægyptio*... Et ſicut *Charmel in mari*, h. e. ſicut *arbores Charmeli in mare afferuntur* ſeu *adducuntur*, ita deportabunt *illos captivos*, *R. Davide Kimchio* ex v. 19. interprete. (2.) Ellipſin: *Ita calamitas hæc Ægyptiis veniet*, de qua in præcedente & ſequente verſu propheta editur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 361. *Glaſſ.* l. 4. Phil. Sacr. tract. 2. obſerv. 4. m. 2. p. 708. ... lib. 5. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 35.

... 19. *Inſtrumenta deportationis para tibi habitatrix filia Ægypti, &c.*

Iteratur (1.) *Metonymia adjuncti pro ſubjecto*: *Inſtrumenta deportationis para tibi*, h. e. *conſarcinate & convaſate veſtra pretioſa, ut exportetis hinc, ſcilicet*

Verſ. *non permanendum ibi, ſed in captivitatem abducendos eſſe Ægyptios.* (2.) *Proſopopœia*: *Filia Ægypti* enim pro *congregatione* ſeu *populo Ægyptiorum* accipitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 361. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 73. Confer cap. 9. p. 207.

Verſ. 20. *Vitula pulcra pulcrà Ægyptus, excidium ab Aquilone venit venit.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Hebraiſmus*: *Vitula* יְפֵה־פִיָּה, *pulcra pulcra*, h. e. *pulcerrima*; ubi geminatio adjectivi, יָפֶה, *ſummam pulcritudinem* denotat. (2.) *Metaphora*: Ægyptus enim comparatur *vitulæ ſaginatæ & ferocienti*, ob præſentem ejus felicitatem, cui ventura ignominia & ruina opponitur. (3.) *Ellipſis* conjunctionis adverſativæ: *Sed* excidium &c. (4.) Epizeuxis: *Venit venit*, h. e. *omnino venturum eſt*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 746. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 8. p. 60. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 325.

Verſ. 27. *Ne timeas ſerve meus Jacob, &c.*

Controverſiam fortè hîc motam vide in Vindic. *Eſa.* 41. v. 8. definitam.

CAP. XLVII. v. 2. *Ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone, & erunt in torrentem inundantem, & inundabunt terram, & plenitudinem ejus, urbem, & habitantes in ea: & clamabunt homo &c.*

Jeremias adhibet (1.) *Metaphoram*: populos enim *hoſtiles* cum *aquis* comparat. (2.) *Synecdochen totius pro parte*: Ab *Aquilone*, h. e. è *Chaldæa & Babylonia*, quæ ad *Aquilonem* ſpectat. (3.) *Enallagen numeri* ſingularis, *urbem* & *homo*, pro plurali, *urbes* & *homines*. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 89. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. p. 362. *Iun.* in Not. ad eund. locum pag. 746. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 16. p. 255.

CAP. XLIIX. v. 8. *Et veniet vaſtator ad omnem urbem, & urbs non evadet, & peribit vallis, & diſperdetur planities, quod dixit Dominus.*

In textu hoc reperitur (1.) *Metonymia ſubjecti* pro *adjuncto*: nam *urbs* pro *ejus incolis* ponitur. (2.) *Ellipſis* כּ: ſiquidem אֲשֶׁר, *quod*, ponitur pro כַּאֲשֶׁר, *quemadmodum*. *Ariam.* part. 4. Bibl. pag. 89. *Glaſſ.* lib. 5. Philolog. Sacr. tractat. 1. cap. 3. m. 2. pag. 41.

Verſ. 15. *Vaſtatus eſt Moab, & civitates ejus aſcendit, & electio juvenum deſcenderunt ad jugulationem &c.*

Occurrit (1.) *Ellipſis* nominis: Et *populus* ejus vaſtatum ejus &c. (2.) *Metaphora*: nam עָלָה, *aſcendit*, idem eſt ac *periit*; ſicut *fumus*, in aëre aſcendens, tandem evaneſcit & perit. (3.) *Enallage ſubſtantivi* pro adjectivo: *Electio juvenum*, i. e. *electi juvenes*. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 89. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 364. *Glaſſ.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 248.

Verſ. 25. *Abſciſſum eſt cornu Moab, & brachium ejus confractum eſt, ait Dominus.*

Iteratur (1.) *Metaphora*: tum quia *cornu* notat *regiam dignitatem*, quòd *cornua* ſint in ſublimiori parte, nempe in *fronte* animantis corrigeri; Chaldæus vertit *regnum*: tum quia *brachium* pro *viribus & auxilio forti* accipitur: *brachium* enim roboris exerendi in homine potiſſimum inſtrumentum eſt. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *abſciſſum eſt & confractum eſt*, pro futuro, *abſcindetur & confringetur*. *Vatabl.* in Annot. ad hunc locum p. 364. *Glaſſ.* lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 307. & cap. 12. p. 343.

Vers. 26. *Inebriate eum, quoniam contra Dominum magnificavit; & volutabit se Moab in vomitu suo, &c.*

Recurrit (1.) *Metaphora*: nam *inebriare* est *pœnis ad amentiam usque obruere*, atque hinc sequitur *corporis volutatio in vomitu*, immodicè *ebriorum* more. (2.) *Ellipsis* nominis: *Inebriate*, scilicet *vos Chaldæi*, quippe quos alloquitur Propheta; & *magnificavit*, subint. *os suum*, hoc est, *verba arrogantia plena* contra honorem Dei effutiit. *Ariam.* part. 4. Bibl. pag. 90. *Vatabl.* in Annot. ad hunc locum pag. 365. *Iun.* in Not. ad eundem locum pag. 748. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. pag. 375.

Vers. 29. *Audivimus superbiam Moab, superbit valde arrogantiam ejus, & superbiam ejus, & fastum ejus, & elationem cordis ejus.*

*Pleonasmus* est, quo sexies *superbia* tum *iisdem*, tum *distinctis & synonymis vocibus* memoratur, ad *exaggerandum nefandum hoc vitium*. *Glass.* lib. 4. Philolog. Sacr. tractat. 2. observat. 15. m. 1. pag. 730.

Vers. 30. *Ego novi furorem ejus, sed non sic, &c.*

Conjecturam *Flacii*, pro voce, *non sic*, per, *ne tantillum*, exponendi, vide refutatam in Vindic. *Ierem.* 8. v. 6.

Vers. 32. *Præ fletu Iachezeris flebo tibi, ô vitis Sibmah, propagines tuæ transierunt mare, usque ad mare Iabezer pervenerunt: super æstatem tuam, & super vindemiam tuam prædo irruit.*

En (1.) *Hebraismum*: מבכי *præ fletu Iachezeris flebo tibi*, hoc est, *amplius deflete, quam olim deflevit Esaias* c. 16. v. 9. Et propterea in sequentibus Esaiæ verba amplificantur. (2.) *Metaphoram*, quâ *Urbs* Sibmah *viti*, & *cives* ejus *propaginibus* comparantur. (3.) *Metonymiam* partim *subjecti* pro *adjuncto*, quia *Iabezer* pro *civibus ejus* ponitur; partim *adjuncti* pro *subjecto*, quoniam קיץ, *æstas*, pro *æstivis fructibus* accipitur. (4.) *Enallagen temporis* præteriti, *transierunt, pervenerunt, cecidit*, pro futuro, *transibunt, pervenient, cadet*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 365. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 748. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 3. n. 2. p. 660.

Vers. 34. *A clamore Chesbonis usque ad Elaleh, usque ad Iahar dederunt vocem suam, à Zoar usque ad Choronaim vitulam triennem, quia etiam aquæ Nimrim in desolationes erunt.*

Est hic (1.) Hebraismus: *Dederunt vocem suam*, id est, *edent vocem*; & *in desolationes erunt*, hoc est, *desolatissima*. (2.) *Metaphora*: nam Moabitæ conferuntur *vitulæ triennis*, quod sit *formosa*, & *in flore ætatis*, atque ob *voluptuosam vitam*, quam vixerat. *Vatabl.* in Annotat. ad hunc locum pag. 365. *Iun.* in Notis ad eundem loc. p. 748.

Vers. 45. *In umbra Chesbonis steterunt, præ robore fugientes. quia ignis egressus est de Chesbone, & flamma ex Sichone, & comedit latus Moabi, & verticem filiorum strepitûs.*

Offert se (1.) *Ellipsis* nominis: *Præ robore*, scilicet *hostium*, quod *fugæ* causa est. (2.) *Metaphora*: nomine enim *ignis* & *flammæ* intelliguntur *hostes irrumpentes*, & *bella desolantia*. (3.) *Hebraismus*: בני שאון *filiorum strepitûs*, id est, *virorum tumultuosorum*, qui nihil nisi strepunt. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 366. *Iun* in Not. ad eund. loc. pag. 748. *Glass.* lib. 4. Philolog. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 3. n. 1. p. 659. & lib. 5. tract. 1. cap. .. p. 240.

CAP. XLIX. v. 9. *Si vindemiatores venerint tibi, non relinquent racemos. si fures in nocte, corrumpent sufficientiam suam.*

Propheta usurpat (1.) *Enallaxin* τῦ אם *si* pro כי *quum*. (2.) *Metaphoram*: hostes enim irrumpentes comparat *vindemiatoribus*. Chaldæus: *Prædones instar vindemiatorum*. ( .) *Ellipsin verbi*, ex membro præcedente repetendi: *Si fures*, scilicet *venerint*. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. pag. 367. *Glass.* lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 298.

Vers. 11. *Relinque pupillos tuos, ego vivificabo; & viduæ tuæ in me confidetis.*

Ecce (1.) *Hebraismum*: אחיה, *vivificabo*, i. e. *in vita conservabo*, dabo illis victum, &c. (2.) *Enallagen personæ secundæ*, תבטחו, *confidetis*, pro *tertia* תבטחנה, *confident*. Iun. in Bibl. h. l. pag. 749. *Vatabl.* in Annot. ad eundem locum pag. 367. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 50. m. 2. p. 390.

Vers. 12. *Sic dixit Dominus: Ecce quorum non judicium eorum, ad bibendum calicem, bibendo bibent, & tu ipse absolvendo absolveris? &c.*

I. Occurrit (1.) *Pleonasmus*: nam ly *eorum* abundat. (2.) *Metaphora*: qui *bibere* significat *pati incommoda*, *iisque infestari*. (3.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: siquidem *calix* ponitur pro *eo*, *quod in illo continetur*, intelligitur verò *magna calamitas*, quæ à Deo velut irato immittitur. (4.) Epizeuxis: *Bibendo bibent*, hoc est, *omnino bibent*; & *absolvendo absolveris*, id est, *omnino absolveris*. *Ariam.* par. 4. Bibl. pag. 91. *Vatabl.* in Annot. ad hunc loc. pag. 367. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 749. *Glass.* lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 39. & cap. 12. pag. 375.

II. Ἄθεοι Deum accusant *injustitiæ*, quoniam *affligat eos, qui afflictionem non fuerint promeriti*, nempe Judæos.

R. Verba Prophetæ non *absolutè*, sed κατά τι accipienda sunt, nimirum *in comparatione Edomitarum*, qui maximis suppliciis digni erant, *Iudæi* verò ea minùs promeriti fuerant, licèt non omninò fuerint innocentes, *Ier.* 2. v. 19. *Osiand.* tom. 2. comm. Bibl. p. 236. *Tremell.* in Schol. Bibl. h. l. n. 15. & 16. p. 749.

Vers. 15. *Nam ecce parvum in gentibus dabo te, & contemtum in hominibus.*

*Hebraismus* est: *Parvum in gentibus dabo te, & contemtum in hominibus*, hoc est, *minimum gentium*, *& contemtissimum hominum disponam te*. Glass. lib. 3. Philolog. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 3. pag. 58.

Vers. 16. *Horror tuus decepit te, superbia cordis tui, habitator in cavernis rupis &c.*

In textu hoc reperitur (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *horror* ponitur pro *regione Edomæorum horrente*, præ *asperitate montium Choræorum*. (2.) *Hebraismus*: Habitator *in cavernis*, h. e. *cavernarum*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 749. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 1. p. 2.

Vers. 24. *Debilitata est Damascus, vertit se ad fugiendum, & tremor apprehendit, angustia & funes tenuit eam tanquam parturientis.*

Offert se (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *Damascus* pro *ejus civibus* ponitur. (2.) *Ellipsis pronominis*, ex membro sequente repetendi.

*Appre-*

*Apprehendit*, scil. *eam*. (3.) *Enallage numeri* singularis, *tenuit*, pro plurali, *tenuerunt*. *Ariam*. par. 4. Bibl. p. 91. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 41.

Vers. 32. *Et dispergam eos in omnem ventum, extremificatos angulo, &c.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: quia רוח, *ventus*, pro *latere* sive *plaga mundi* accipitur, *unde ventus spirat*. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 2. p. 56.

Vers. 36. *Et non erit gens, quò non veniat illuc expulsi Elam.*

Iteratur (1.) *Pleonasmus*: Quò *illuc*, id est, *quò* vel *quorsum*. (2.) *Ellipsis* pronominis: *Aliquis* expulsorum. (3.) *Hebraismus*: Depulsi *Elam*, h. e. *ex Elamo*. *Ariam*. par. 4. Bibl. p. 92. *Iun*. in Bibl. h. l. p. 750. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 5. p. 107.

Argumentum *Chamieri*, pro *divina peccati volitione*, vide solutum in Vindic. *Esa*. 10. v. 5. m. 2. Est enim ejusdem sensus cum ratione *Bezæ*, ibidem refutatâ.

Vers. 38. *Vox fugientium & evadentium è terrâ Babel, ad annunciandum in Zione ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi ejus.*

Verba hæc continent (1.) *Ellipsin* nominis: *Evadentium*, subint. *Iudæorum*. (2.) Hebraismum: *Ultionem templi ejus*, h. e. *quæ ab hostibus sumetur, pro salute templi sui* seu *Ecclesiæ*. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 372. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 3. p. 106.

Vers. 40. *Subvertit Deus Sodomam & Gomorrham, & vicinos ejus, ait Dominus.*

*Enjedinus* in Explic. locor. V. & N. Test. negat, *Filium* Genel. 19. vers. 24. *pluisse à Patre*, quia *eversio Sodomæ & Gomorrhæ Patri attribuatur*, non *Filio*.

℞. (1.) Negamus, in hoc loco eversionem Sodomorum *soli Patri*, *excluso Filio*, attribui: nam in Hebræo non dicitur, quòd *DEUS Pater*, sed quod *Elohim* [plures personæ divinæ] *subverterint Sodomam & Gomorrham*. (2.) Ponamus, *DEUM Patrem* hic dici *evertisse Sodomam & Gomorrham*; inde tamen non statim poterit inferri: Ergo *excluditur Filius*. Unius enim *inclusio* non est *alterius exclusio*: siquidem *Filius* expressè de se testatur, quòd non *solus Pater*, sed *ipse cum Patre* operetur, *Johann*. 5. vers. 17. *Jacob. Martin*. l. 1. de trib. Eloh. cap. 14. pag. 173. seq. *Gerhard*. in Exegel. loc. 3. de SS. Trinitat. §. 156. p. 1092.

CAP. LI. v. 1. *Sic dixit Dominus: Ecce ego excito super Babelem, & ad habitatores, cor insurgentium in me, ventum corrumpentem.*

Propheta utitur (1.) *Enallage temporis* præsentis, *excito*, pro futuro, *excitaturus sum*. (2.) *Metaphora*, quâ *cor* pro *medutullio* accipit. Est autem periphrasis *Babylonis*, tanquam *Regina*, sedentis in medio inimicorum Dei, Judæam infestantium. (3.) *Allegoria*, quâ *judicium Dei adversus Chaldæos*, *vento* comparat, ut, quemadmodum *venti* quidam noxii adurunt segetes, ita DEUS judicio suo, tanquam vento adurente, Babylonios sit enervaturus. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. pag. 374. *Jun*. in Not. ad eund. loc. pag. 752. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 248. & cap. 11. p. 318.

Vers. 3. *Ad tendet tendens arcum suum, & ad extollit se loricâ suâ, & ne parcatis, &c.*

Occurrit (1.) *Ellipsis* tum *antecedentis* & *relativi* simul, Ad *eum*, qui tendet; & ad *eum*, qui extollit se; tum *verbi*, Et *dicturus sum*, ne parcatis &c. (2.) *Pleonasmus*: in Hebræo enim textu bis extat vox ידרך *tendet*, semel punctata, semelque sine punctis; quam *superfluam* esse, & non legi, *Masoretha* tradunt, nec ab *Hebræis* interpretibus legitur. *Junius* autem in Bibl. h. loc. pag. 752. utramque legit, & sic vertit: *Contra eum, qui tendit, tendat sagittarius* [Hebr. tendens] *arcum suum, &c.* *Glass*. lib. 3. Philolog. Sacr. tract. 2. can. 23. pag. 215.

Vers. 5. *Quoniam non viduatus est Israel & Jehuda à Deo suo, &c.*

*Metaphora* est: nam contra Israelem & Jehudam negat Jehova, à se אַלְמָן *viduatum esse*, quò significatur, *non desertum esse omnimodo*, etiamsi afflictionum tempore visus sit Deus, tanquam *maritus* discessisse. *Glass*. lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. cap. 12. pag. 367.

Vers. 7. *Calix auri Babelis in manu Domini inebrians omnem terram, de vino ejus biberunt gentes, ideo insaniunt gentes.*

Iteratur (1.) *Ellipsis*: Calix vini *puri instar* auri: (2.) *Metaphora*: nam per *calicem vini puri* intelligitur *acris pœna*. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: *Manu Domini*, h. e. *œconomia & dispensatione ejus*. (4.) *Enallage temporis* præteriti, *biberunt*, pro futuro, *bibent*. *Ariam*. part. 4. Bibl. p. 94. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 374. *Iun*. in Not. ad eund. loc. p. 752. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 400.

Vers. 9. *Curavimus Babelem, & non curata est: derelinquite eam, & eamus quisque ad terram suam: quoniam pertigit ad cœlos judicium ejus; & elevatum est usque ad nubes.*

En (1.) Hebraismum: *Curavimus*, id est, *dedimus operam, ut curaremus*. (2.) *Metonymiam causæ* pro *effectu*, *judicium* ejus, hoc est, *pœna justè ei inflicta*. (3.) *Hyperbolen*: *Pertigit ad cœlos*, pro, *summa & immensa est*: hæc enim *rei magnitudinis* descriptio est. *Vatabl*. in Annot. ad hunc locum pag. 375. *Iun*. in Not. ad eund. loc. pag. 753. *Glass*. lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. cap. 19. pag. 469.

Vers. 11. *Expolite sagittas, implete clypeos: excitavit Dominus spiritum Regum Medorum, quia contra Babelem cogitatio ejus, ad corrumpendam eam: quoniam ultio Domini, ipsa ultio templi sui.*

I. Est hîc (1.) *Ironia* ad Babylonios directa: *Expolite sagittas, implete clypeos*, q. d. *operam in casu hoc perditis*. (2.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *spiritus* pro *affectu animæ*, eoque *malo* accipitur. (3.) *Hebraismus*, quem vide annotatum in Vindic. *Ier*. 50. v. 28. m. 2. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 375. *Iun*. in Not. ad eund. l. p. 753. *Glass*. lib. 5. Philol. Sac. tract. 1. cap. 1. m. 1 p. 8.

II. Argumentum *Chamieri* tom. 2. Panst. l. 3. c. 5. §. 2. p. 41. pro *divina peccati volitione*, vide confutatum in Vindic. 1. *Reg*. 11. v. 14.

Vers. 13. *O habitans juxta aquas multas, ô ampla thesauris venit finis tuus, mensuram avaritiæ tuæ.*

*Ellipsis* est præfixi ב: אַמַּת, *mensuram*, pro, בְּאַמַּת *secundùm mensuram*. Junius, *pro mensura*. *Glass*. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 3. not. 2. p. 654.

Verf. 14. *Iuravit Dominus exercituum per animam suam.*

*Vorstius* in Not. ad disp. 3. de Deo, pag. 187. statuit, *Deum esse corporeum*, quòd *ipsi* tribuatur *animus*, ideoque & *corpus*, cùm *animus informet corpus.*

R. *Anima* Deo tribuitur; non *propriè*, sed *metaphoricè*: nam cum *homo jurat per animam suam*, Deus jurat per *seipsum*, Jerem. 4. vers. 2. *Scheibler.* lib. 2. spec. Oper. Mataphys. c. 3. n. 192. & 195. pag. 153. seq. *Brochm.* tom. 1. syst. Theolog. art. de SS. Trinit. c. 3. quæst. 2. object. 3. pag. 123 seq.

Verf. 20. *Malleus tu mihi, instrumenta belli, & dissipabo per te, &c.*

I. Redit huc (1.) *Metaphora*: nam *Rex Babylonia* vocatur פַּץ, *malleus veratus*, quo equites utebantur, ad pertundenda arma hostium. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: quia *idem Rex* dicitur *Dei instrumenta bellica*, quoniam per *illum*, *ejusque exercitum*, varias terras Deus pœnis afflixit ac desolavit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 154. & cap. 12. p. 404.

II. Argumentum *Chameri*, l. c. pro *divina peccati volitione*, vide solutum in Vindic. *Esa.* 10. vers. 5. m. 2.

Verf. 25. *Ecce ego ad te, ô mons corruptor, ait Dominus, corrumpens omnem terram, & extendam manum meam super te, devolvam te de ipsis petris, & dabo te in montem combustionis.*

Continuatur (1.) *Metaphora*: Babylon enim dicitur *mons* tum *corruptor*, quod vastitate & amplitudine murorum instar montis assurrexerit, muros quippe Babylonis in crassitudinem quinquaginta, in altitudinem ducentos cubitos regios cepisse, testes sunt *Herodotus*, *Strabo*, *Plinius*, *Diodorus Siculus*; tum *combustionis*, propter *rudera & acervum ruina*, qui ex combusta urbe maxima relictus fuit. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: siquidem Deus dicitur *extendere manum suam*, hoc est, *pœnas immittere.* *Iunius* in Not. ad hunc locum pag. 753. *Glass.* libr. 4. Philolog. Sacr. tractat. 3. observat. 13. m. 2. pag. 830. libr. 5. tractat. 1. cap. 7. pag. 110. & cap. 10. pag. 271.

Verf. 35. *Injuria mei & carnis mea super Babel, dicat habitatrix Zionis, & sanguis meus ad habitatores Chaldæorum, dicat Ierusalem.*

Reperitur hoc loco (1.) *Hebraismus*: Injuria mei, & carnis mea, hoc est, *qua fit mihi & carni mea.* (2.) Metonymia: *Sanguis meus*, id est, *cades*, quas passa sum à Chaldæis, ut qui illarum causa sunt. (3.) *Ellipsis* nominis: *Ad habitatorem terra Chaldæorum.* *Iun.* in Not. ad hunc locum pag. 754. *Glass.* lib. 3. Philolog. Sacr. tractat. 1. can. 3. m. 6. pag. 110. & tractat. 6. can. 12. m. 10. pag. 552. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 12. pag. 351.

Verf. 39. *Inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant, dicit Dominus.*

Ἄθεοι inficias eunt, *aliquando mortuos esse resurrecturos*, quòd *homines dormire* dicantur *somnum sempiternum, nec consurgere.*

R. Prædictio hæc est de *Chaldæis*, quos *Medi* occident bene potos, & conviviis calidos ac furentes, dabuntq; eos in *somnum sempiternum*: quo *mors* non tantum *temporalis*, & quæ hanc in impiis sequitur, *æterna*: sed etiam *irreparabile regni damnum* significatur, quòd videlicet Chaldæi non sint ad *pristinam potentiam in hac vita* adspiraturi, neque regnum suum ad priorem magnificentiam restituturi, interprete ipso *Ieremia*, v. 64. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 30. de resurr. mort. §. 38. obj. 8. p. 1081. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Resurrect. c. 2. q. 2. obj. 4. m. 3. p. 6086. seq.

Verf. 42. *Ascendit super Babelem mare, multitudine fluctuum ejus operta est.*

*Metaphora* est: nam *mare*, ob *aquarum copiam fluctuumque & procellarum impetus*, significat *multitudinem populorum hostilium.* Chaldæus exponit *Regem cum exercitibus suis*, copiosum instar *maris.* *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 377. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. p. 256.

Verf. 44. *Et visitabo super Belum in Babele, & extraham deglutitum ejus de ore ejus, & non confluent ad eum ultra gentes &c.*

Recurrit (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *visitatio* enim Deo tributa, notat *animadversionem.* (2.) *Prosopopœia*: nam per *deglutitum Beli*, intelliguntur *oblationes & donaria*, quæ obtulerunt ei cultores ipsius in templo Babylonico, *Herod.* lib. 1. (3.) *Metaphora*: siquidem *confluere* de *aggregatis populis* dicitur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 754. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 377. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 266.

Verf. 48. *Et cantabunt super Babele cæli & terra, & quæcunq; in eis: quia ab Aquilone venies ei vastatores, ait Dominus.*

Verba hæc continent (1.) *Prosopopœiam*: *Cantabunt super Babele cæli & terra*, quâ *hyperbolicè* describitur *lætitia immensitas*, ob destructum regnum Babyloniæ, & liberatum populum Israeliticum. (2.) *Synecdochen totius* pro *parte*: nam *Aquilo* pro *Media Persiaque* respectu *Babelis*, accipitur. (3.) *Enallagen numeri* singularis, *veniet*, pro plurali, *venient*; nisi *Ellipsin* statuas: *Quisque vastatorum.* *Arias.* part. 4. Bibl. pag. 95. *Iun.* in Bibl. h. loc. pag. 754. *Glass.* lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. cap. 9. pag. 200. & cap. 16. m. 3. pag. 457.

Verf. 54. *Vox clamoris de Babele, & contritio magna de terra Chaldæorum.*

In versu hoc habetur (1.) Pleonasmus: *Vox clamoris*, hoc est, *clamor*, ingens puta. (2.) *Ellipsis*: De *Babele*, subint. *auditur.* *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 378. *Glass.* lib. 3. Philolog. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 152.

Verf. 58. *Sic dixit Dominus exercituum: Muri Babelis latissimus nudando nudabitur, & portæ ejus excelsa in igne comburentur, & laborabunt populi in vanum, & nationes pro igne, & lassabuntur.*

Offert se (1.) *Enallage numeri* pluralis, *muri*, pro singulari, *murus*, nimirum *uterque.* (2.) Epizeuxis: *Nudando nudabitur*, id est, *omninò* seu *planè nudabitur.* (3.) *Ellipsis verbi*, ex membro præcedente repetendi: *Et nationes pro igne*, scilicet, *laborabunt.* (4.) *Metaphora*: nam *laborare pro igne* dicitur, pro *frustra omnino*, atque ita, ut perditioni atque desolationi quasi materia præparetur & subministretur. *Arias.* par. 4. Bibl. pag. 95. *Iun.* in Not. ad hunc locum pag. 754. *Glass.* lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. cap. 10. pag. 240.

Verf. 60. *Scripsit Ieremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem in libro uno.*

*Becanus* de jud. controv. relig. Christ. pag. 62. §. 36. suspicatur, *omissionem libri Jeremiæ de vastatione Babylonis lectorem relinquere ambiguum & suspensum*, atque hinc *scripturam evadere obscuram*.

℞. *Lector* hic non relinquitur *ambiguus & suspensus*, nam verba libri Jeremiæ de *vastatione Babylonis* hoc ipso capite leguntur; ad quæ & Propheta in hoc ipso versu provocat. *Gerh.* lib. de judic. controvers. relig. Christ. pag. 110. & 114.

CAP. LII. v. 4. *Venit Nabuchodonosor Rex Babylonis, ipse, & omnis exercitus ejus adversus Ierusalem, &c.*

Exceptionem *Rabbinorum*, ad argumentum nostratium, pro *præstito Messiæ adventu*, ex *Gen.* 49. vers. 10. vide confutatam in Vindic. 2. *Reg.* 25. vers. 1.

Vers. 5. *Et venit urbs in obsidionem, usque ad undecimum annum Regis Zidekiæ.*

*Hypallage* est: *Venit urbs in obsidionem*, h. e. *venit obsidio in urbem*, seu *obsessa fuit urbs*; nisi sic exponas: *Venit*, i. e. *posita* seu *constituta est urbs in obsidione*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 379. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 21. p. 739.

Vers. 12. *Anno decimo nono Nabuchodonosoris, Regis Babylonis, venit Nebuzaradan in Ierusalem, &c.*

Propheta sibi contradicere videtur: hic enim refert, *Nebuzaradanem venisse in Ierusalem anno decimo nono Nabuchodonosoris*, at vers. 30. ait *fuisse annum vigesimum tertium ejusdem Regis*.

℞. Non pugnant inter se vers. 12. & 30. potest namque *decimus nonus* esse *administrationis*, qui *vigesimus tertius* est *electionis*. *Döling.* l. 4. de Antichr. c. 20. p. 690.

Vers. 17. *Columnas æreas, quæ erant in domo Domini, & bases, & mare æneum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & tulerunt omne æs eorum, &c.*

Rationem *Concilii Niceni* II. pro *adoratione imaginum*, vide annullatam in Vindic. 2. *Reg.* 25. vers. 9.

Vers. 18. *Et lebetes, & creagras, & psalteria, & phialas, & mortariola, & omnia vasa ænea, quæ in ministerio fuerant, tulerunt.*

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 4. objecto arbitratur, *arcam fœderis & tabernaculum à Chaldæis, tempore captivitatis Babylonicæ non fuisse ablata*, quòd *eorundem nulla fiat mentio*, cum tamen *minima etiam hic enumerentur, quæ à militibus sunt ablata*.

℞. Argumentum hoc non concludit: est enim ab *authoritate particulari negativè*. Et mirum non est, nullam *arcæ & tabernaculi* hic fieri mentionem: nam *ærea, argentea* & *aurea* Chaldæi exportarunt, v. 17. & 18. *lignea* verò, ad quæ pertinent *arca, tabernaculum*, & alia, cum templo combusta sunt, v. 13. *Thumm.* in Disquis. de V. D. par. 2. p. 216. seq.

Vers. 27. *Et translatus est Iuda de terra sua, &c.*

Objectionem *Anonymi Semi-Iudæi*, pro *totali sceptri Iudaici ablatione*, vide refutatam in Vindic. 2. *Reg.* 25. v. 21.

# VINDICIÆ THRENORUM JEREMIÆ.

CAP. I. v. 4. *Viæ Zionis lugent à non venientibus ad solemnitatem, omnes portæ ejus desolatæ, Sacerdotes ejus suspirant, virgines ejus afflictæ, & ipsa amaritudo ei.*

Propheta utitur (1.) *Prosopopœiâ*: *Viæ Zionis lugent*, h. e. *cultus Dei desertus est, & omnia sunt luctuosa*. (2.) Ellipsi: nam deest ל vel אל AD ante nomen מועד, solennitatem. (3.) Metaphorâ: quia amaritudo notat tristitiam & calamitatem, sicut ingrata sunt gustui amara. *Vatabl.* in Ann. ad h. l. p. 383. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 757. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. pag. 200. Confer cap. 12. p. 361.

Vers. 9. *Sordes ejus in fimbriis ejus, non recordata est novissimi sui, & descendit mirabilibus: vide Domine afflictionem meam, quoniam magnificavit hostis.*

Ecce (1.) *Prosopopœiam*, quâ *Ierusalem* introducitur tanquam *mulier impudens*, quæ non veretur, menstruum sanguinem in fimbriis publicè circumferre; innuitur verò *peccandi licentia & impudentia*. (2.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam אחרית *novissimum*, pro *mercede* accipitur, quæ *in fine laboris* dari solet. (3.) *Enallagen nominis* pro *adverbio*. Descendit פלאים, *mirabilibus*, h. e. *mirabiliter*, q. d. *multorum cum admiratione*, qui rationem, quâ ita descenderit seu dejecta fuerit, investigare nequeunt. (4.) Ἀνθρωποπάθειαν: quia verbum *videndi*, de Deo usurpatum, & *causæ προκαταρκτικῇ externæ*, putà *afflictioni* appositum, *Dei favorem & amorem* denotat. (5.) *Ellipsin* pronominis: *Magnificavit*, subint. *se*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 384. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 757. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 1. m. 1. p. 429. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 60. & cap. 7. p. 140.

Vers. 12. *Non ad vos omnes transeuntes viam, &c.*

Nota (1.) לוא, *non*, pro הלוא *annon*, poni. (2.) Post vocem, *Ad vos*, subintelligi, *hoc spectat*, q. d. *omnino*: in me intuentes cavete & pœnitentiam agite. *Luc.* 13. v. 1. seqq. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. 1. observ. 1. p. 646.

Vers. 13. *E sublimi misit ignem in ossa mea, & dominatus est ei; expandit rete pedibus meis, &c.*

Est hic (1.) *Metaphora*: nomine enim *ignis* intelliguntur *vehementes afflictiones*. (2.) *Enallage numeri* singularis, *ei*, pro plurali, *eis*, nisi sic exponas: *Utrique eorum*, puta *ossium*. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: siquidem Deus *pedibus hominis rete expandere* dicitur, i. e. *calamitatibus plectere*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 385. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 240.

Vers. 14. *Ligatum est jugum prævaricationum mearum, in manu ejus perplexa sunt, ascenderunt super collum meum, corruere fecit facultatem meam, dedit me Dominus in manus, non potero surgere.*

Iteratur (1.) *Metaphora*, quâ *jugum* notat *molestias*. (2.) *Ellipsis*: In manus *eorum, à quibus* non &c. (3.) *Enallage temporis* futuri, *potero*, pro præsenti, *possum*. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 757. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 23. p. 226. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 326.

Vers.16. *Propter hæc ego defleo, oculus meus oculus meus descendit aquis, quia elongatus est a me consolator recreans animam meam &c*

Occurrit (1.) Hypallage: *Oculus meus oculus meus descendit aquis*, pro, *ex oculo meo, ex oculo inquam meo descendit aqua.* (2.) *Synecdoche partis pro toto:* Recreans *animam meam*, h.e. *me. Vatabl.* in Annot. ad h. loc. p.385. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p.757.

Vers.20. *Viscera mea lutulenta sunt facta, vertit se cor meum in medio mei, quia rebellando rebellavi, &c.*

Verba hæc exhibent (1.) *Metaphoram*: Viscera mea *lutulenta* facta sunt, ubi *viscera corporis*, cum *profunditatibus maris* comparantur, q.d. velut in mari vehementissimis fluctibus agitato, lutum ex imo gurgite exæstuat: Sic omnia viscera mea ita concutiuntur, ut parum absit, quin è corpore ipso projiciantur. (2.) *Epizeuxin*, Hebræis frequentatam: *Rebellando rebellavi*, h.e. *omnino* seu *pertinaciter* rebellavi. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.385. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p.757. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can.16. m 6. p.60 & lib.5. tract.1. cap.10. p.256.

CAP.II. v.1. *Quomodo obnubilavit in ira sua Dominus filiam Zionis, dejecit de cœlis terram ornatum Israelis, & non recordatus est scabelli pedum suorum in die iræ suæ.*

Jeremias adhibet (1.) *Metaphoram*, quâ *obnubilare* accipit pro *obruere calamitatibus*: dies enim nubilus *tristitiam* in hominibus excitat. (2.) *Prosopopœiam*: quia *filiam Zionis* pro *populo Iudæorum* ponit, unde v. 2. *filiam Juda* appellat. (3.) *Ellipsin* præpositionis ל & IN ante nomen, *terram*. (4) *Hyperbolen*: Nam phrasi, *dejecit de cœlis in terram ornatum Israelis*, denotat *gravissimum casum in adversa & calamitates.* (5.) Ἀνθρωποπάθειαν, dum tribuit Deo *scabellum pedum*; quô intelligit *arcam fœderis*, in qua præsentiam suam *speciali relevatione* se declaraturum, Deus promiserat. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.7. p.150. cap.9. p.207. c.10. p.248. c.19. p.469.

Vers.5. *Absorbuit Dominus Israelem, absorbuit omnia palatia ejus, corrupit munitiones ejus, & multiplicavit in filia Jehuda mœrorem & mœrorem.*

Offert se (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *absorbere*, de Deo usurpatum, significat *perdere*. (2.) *Anaphora*: quia verbum *absorbuit*, in initio sententiæ repetitur: (3.) *Hebraismus*: *mœrorem & mœrorem*, i.e. *multum magnumque* mœrorem, q.d. *luctus, ubique pavor & plurima mortis imago* est. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 98. *Glass.* lib. 5. Philolog. Sacr. tract 1. cap.11. p.310. tract.2. cap.1. m.9 p.512.

Vers.8. *Cogitavit Dominus corrumpere murum filiæ Zionis, extendit regulam, non retraxit manum suam ab absorbendo, luxitque antemurale & muros, pariter languerunt.*

Iteratur (1.) *Metaphora*, quâ *regula* notionem *desolationum* obtinet, q. d. tam certò facta est, Deo puniente *desolatio*, quàm certò *regula* beneficiô ædificia extruuntur. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim dicitur *manum suam non retrahere*, i. e. *plagam seu pœnam non avertere.* (3) *Prosopopœia*: nam *antemurale & murus* dicuntur *lugere & languere*, h.e. *ad ruinam luctuosam*, veluti mortem, *vergere. Vatabl.* in Annot. ad h. loc. pag.386. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 758. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap. 12. p.407.

Vers.11. *Defecerunt in lachrymis oculi mei, lutulenta facta sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum, propter contritionem filiæ &c.*

I. *Hyperbole* est: *effusum est in terra jecur meum*: quâ *summus dolor & terror* describitur, q. d. sanguis e jecore totus velut diffugit, profusus quasi in terram, adeò præ dolore & terroribus ferè exanimor. *Glass.* lib.5. Phil. Sacr. tract.1. cap.10. p. 267. & cap. 19. p.472. Vid. c.1 v.20. m.1.

II. *Augustinus* quidam Jesuita in Apologo suo, locum hunc pro *cruenta proprii corporis flagellatione* maximè ursit, indeque collegit, cum *epar* sit *officina sanguinis*, id ipsum *pro sanguine* ibi positum esse, ut sensus sit, Jeremiam ad *sanguinis usq; effusionem seipsum flagellasse.*

R. Hæccine est sana Scripturæ interpretatio? Nihil hic est de *cruenta Jeremiæ flagellatione*, sed Propheta innuit. videri sibi unà cum lachrymis & ejulatu multo etiam interiora viscera sua effundere super interitu populi sui: ut *jecur* synecdochicè ponatur pro *visceribus*. Osiand. tom.2. Paraphr. Bibl p. 253. *Zeam.* in Carnif. Esawit. p.492.

Vers.12. *Matribus suis dicent: ubi frumentum & vinum? in deficiendo eo tanquam saucium in plateis civitatis, in effundendo se animam &c.*

Est hic (1.) *Enallage temporis* futuri, *dicent* pro præterito, *dixerunt.* (2.) *Metonymia materiæ* pro *materiato*: nam *frumentum* pro *pane* est c. 4. v. 4. (3.) *Metaphora*, quâ *effundi animam parvulorum* dicitur h.e. *præ fame eos expirare. Ariam* par. 4. Bib. p.99. *Glass.* lib.5. Phil. Sacr. tract.1. cap.1. m. ult. p.20. & cap.10 p.267.

Vers.14. *Prophetæ tui viderunt tibi onera vanitatis & expulsiones.*

*Metonymia* est tum *subjecti* pro *adjuncto*, quia *onus* pro *prophetia* ponitur; tum *effecti* pro *causa*, quoniam *expulsiones* notant ejusmodi *doctrinas*, ob quas nonnulli *expulsio & exilium* alicui obvenit. *Ariam.* par.4. Bibl. p.99. *Glass.* lib.5. Phil. Sacr. tract.1. cap.2. m.3. p.26.

Vers.19. *Surge, clama in nocte, in capite vigiliarum, effunde ut aquas cor tuum ante conspectum Domini, leva ad eum manus tuas &c.*

Verba hæc continent (1.) *Metaphoram*: quia *caput* pro *principio* est. (2.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: nam *effundere cor ante conspectum Domini*, est, *vota, gemitus, & desideria sua intima precibus exponere. Ariam.* par.4. Bibl. p.99. *Glass.* lib.5. Phil. Sacr. tract.1. cap.3. m.1. p.34.

CAP.III. v.1. *Ego vir vidi afflictionem in virga furoris illius.*

Propheta usurpat (1.) *Enallagen* tum *personæ* tertiæ, ראה *vidit*, pro prima, *vidi*. Pagninus, *Qui vidi*: tum relativi, *illius*, pro antecedente, *Dei*, ut docent sequentia. (2.) *Metaphoram*: siquidem *videre* est *experiri.* (3.) *Prosopopœiam*: quâ de *toto populo* in specie, ut de *viro uno*, loquitur, introducens eum enarrantem perpessiones suas. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 759. *Glass.* lib. 3. Philolog. Sacr. tract. 3. can.50. m.3. p.391. & lib.5. tract.1, cap.9. p.204. cap. 12. p.357.

Vers.7. *Sepsit circum me, ut non exeam: aggravari fecit æs meum.*

In versu hoc habetur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim dicitur *sepire circa populum suum*, & quidem vias exciso lapide v. 9. cùm pœnis & calamitatibus undique constringit. (2.) *Metonymia materiæ* pro *materiato*: Aggravari fecit *æs meum*, h.e *compedem meam*, seu *quo pedes mei constringuntur. Glass.* lib.5. Philolog. Sacr. tract.1. cap. 1. m. ult. p.19. & cap.6. p.136.

Vers.

Vers. 10. *Ursus insidians ipse mihi, leo in abscondit is.*

*Ellipsis* est comparativæ particulæ ꜰ: *Sicut* ursus, & *sicut* leo. *Ariam* par. 4. Bibl. p. 99. *Glass.* l. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 322.

Vers. 12. *Tetendit arcum suum & statuit me tanquam signum ad sagittam.*

Ἀνϑρωποπάϑεια iteratur: nomine *arcus* enim *era divinæ esse iras adversus improbos* notatur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 154.

Vers. 13. *Intrare fecit in renes meos, filios pharetra sua.*

Continuatur (1.) *Prosopopœia*. Hebræis frequentat, quâ *sagitta* dicuntur *filii pharetræ*, quia in ea, velut *filii in gravida matre*, latent, & exinde depromuntur: quomodo & *Horatius* lib. 1. Od. 22. *gravidam sagittis pharetram* dixit; & contra *ipsi filii* sagittis in pharetra comparantur, *Psal.* 127 v. 4. seq. (2.) Ἀνϑρωποπάϑεια: *Sagitta* enim de *Deo* dicuntur, respectu *pœnarum*, & *via Dei ultrix*, seu *magna & improvisa calamitates*, divinitus immissæ, iis denotantur. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 5. p. 136. lib. 5. tract. 1. cap. 7. pag. 155. cap. 9. p. 202.

Vers. 15. *Saturari fecit me in amaritudinibus, inebriare fecit me absynthio.*

*Metaphora* est. Nam (1.) *Saturare* denotat *abruere ad nauseam usq;*, sicut *nimia satietas* nauseam parit. (2.) *Amaritudines* notant *multiplicem calamitatem*, velut *gustui* ingrata sunt *amara*. (3.) *Inebriare*, significat *in angustiis constitutum esse, ut consilii inops sit*; quemadmodum *ebrius* nescit, quid faciat. (4.) *Absynthium*, ob *summam amaritudinem* denotat *pœnas & supplicia*; cui v. 19. additur ראש *cicuta*. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 292. cap. 12. p. 361.

Vers. 20. *Recordando recordabitur & tabescet super me anima mea.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) Epizeuxis: *Recordando Recordabitur*, h. e. *plane recordabitur*. (2.) *Enallage temporis* futuri, *recordabitur*, pro præsenti, *recordatur*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 388. *Iun.* in Not. ad eund. l. p. 759.

II. *Porchetus* in Victor. advers. Jud. c. 15. accusat *Iudæos* quod *locum hunc mutaverint*, quia pro eo, quod scriptum erat, *super te anima tua*, reposuerint, *tabescet super me anima mea* atque inde colligit, *codicem Hebræum esse corruptum*.

*Re.* Judæi *post Christum* non potuerunt hunc locum mutare: nam illum ipsum in eodem sensum invenias in *editione Græca LXX.* & in *Paraphrasi Chaldaica* Jonathanis, uti jam habetur in vulgata Latina. Ita enim *illi*: καταδολεσχήσει ἐπ' ἐμὲ ἡ ψυχή μου. *Iste* verò: *& curvabitur super me anima mea.* Jam verò LXX. & *Ionathan* vixerunt *ante Christum*: & quis factum est, ut eam corruptionem non tantum prævideri*n*t, sed etiam divinarint eadem que usi sint? Itaque verò sequitur, *vulgatam quoque editionem esse corruptam*, ut jam *Bellarminus* observavit l. 2. d. V. D. c. 2. occurrit verò hic diversa lectio. Si תשוח, scribatur תשיח, sensus est: *Meditatur apud me anima mea.* Sin תשוח legendum est תשוח, *incurvata* seu *depressa est apud me anima mea.* Utraque lectio sententiam gignit planam, integram & incorruptam. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. part. 2. tract. 1. sect. 1. art. 2. obj. 18. p. 55. & sect. 2. obj. 69. p. 158. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 11. §. 2. & 18. p. 216. seq.

Vers. 22. *Benignitates Domini sunt, quòd non consumti sumus, quia non defecerunt misericordiæ ejus.*

*Hebraismus* est, quo numerus *pluralis* pro *singulari* ponitur, ad denotandam *excellentiam*, חסדי *benignitates*, h. e. *summa benignitas*. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 24. p. 89.

Vers. 27. *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.*

*Bellarminus* l. 2. de Monach. c. 35. arg. 1. disputat, *juniores licitè posse vovere perpetuum cœlibatum*, *cùm bonum sit viro, jugum portasse ab adolescentia sua.*

*Re.* (1.) Bellarminus ipse libr. de Matrim. c. 17. resp. ad 14. scribit, *perpetuum cœlibatum non fuisse in veteri lege usitatum.* Quomodo ergo pro *voto juniorum* ex V. T. testimonium adducere potest. (2.) *Chaldæus Paraphrastes*, *Hugo*, *Dionysius* & *Isidorus* intelligunt *jugum legis ac mandatorum*, teste *Christophoro à Castro* lib. 5. comm. in Jerem. p. 458. At *cœlibatus Monasticus* non est *præceptis*, sed *consilii*, fatente *Bellarmino*. (3.) *Rupertus*, *Lyra*, *Tirinus* in h. l. congruentiùs exponunt de *jugo adversitatum*, quas Deus nobis imponit; atque hunc sensum *Cornelius à Lapide* in eund. loc. dicit *esse genuinum*, uti quidem integer contextus ostendit. Atqui ex genuino illo sensu *votum cœlibatus Monastici* non poterit deduci: tum quia non omnes, qui adversitates patiuntur ab adolescentia, *cœlibatus Monastico* sunt astricti: tum quia, cœlibatus monasticus non pertinet ad *tribulationes divinitus immissas*, sed *spontè susceptas*, atque adeò *ab hominibus impositas*. *Gerhard.* Tom. 7. LL. CC. loc. 28. de conjug. §. 520. p. 846. & in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. p. 345. seq. arg. 1. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Vot. c. 2. q. 4. obj. 1. p. 4024. *Ames.* tom. 2. Bellar. Enerv. l. 4. c. 3. thes. 35. p. 177.

Vers. 36. *Pervertere hominem in causa sua, Dominus non vidit?*

§. 1. Infinitivus, לעות, *pervertere*, cum ל *absolutè* usurpatur, ut in illo: *Didicisse fideliter artes &c.* §. 2. לא *non* pro הלא, *annon*, ponitur, q. d. *omnino*. §. 3. *Enallage* est *temporis* præteriti, *vidit*, pro præsenti, *videt*. §. 4. *Videre*, de *Deo* humanitus dictum, idem est ac *punire*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 389. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 1. not. 3. p. 646. observ. 6. not. 2. m. 4. p. 681. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 140.

Vers. 38. *Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala.*

Nonnulli ex *Zvvinglii* asseclis statuerunt, *Deum esse causam peccati*, quoniam *mala ex ore ejus egrediantur.*

*R.* Intelligendum hoc est de *malo pœna*, quod justè à Deo infligitur: non de *malo culpa*, quod à Deo justo non est, *Psal.* 5. v. 5. *Dieter.* Instit. Catech. p. 219.

Vers. 50. *Donec respiceret & videret Dominus de cœlo.*

Ἀνϑρωποπάϑεια est: Deus enim *de cœlo respicere & videre* dicitur, cum *opere demonstrat*, *se prospicere opemq; ferre*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 760. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 140.

Vers. 65. *Dabis eis* (hostibus) *obtegumentum cordis*, *execrationem tuam ipsis.*

Recurrit (1.) *Enallage* futuri indicativi, *dabis*, pro imperativo, *da*. (2.) *Metaphora*: nam *obtegumentum cordis* significat *obturationem cordis*, juxta *R. Salomonem*, quod *traditionem in reprobam mentem* Paulus vocat *Rom.* 1. v. 28. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 390. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 411.

CAP. IV. v. 6. *Et magna fuit iniquitas filiæ populi mei præ peccato Sodomæ, subversa quasi repentè, & non manserunt in ea manus.*

Jeremias adhibet (1.) Hebraismum: *Magna fuit præ peccato*, i.e. *major fuit peccato*. (2) *Metonymiam causa* pro *effectu*: nam *iniquitatem* pro *pœna*, & *peccatum* pro *supplicio* ponit. (3.) *Metaphoram*: quia *manus* pro *viribus hostium*, castrametantium scilicet, q.d. non fuit *vis hostilis* diu agitata & oppressa. *Vatabl.* in Annot. ad hunc loc. pag. 391. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 760. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sac. tract. 1. can. 15. p. 53. lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. 3. p. 11. cap. 12. p. 343.

Vers. 9. *Meliores fuerunt interfecti gladiô, quàm interfecti fame: qui perfluxerunt transfixi, quam proventibus agrorum.*

§. 1. *Ellipticà* loquutio est: *Meliores fuerunt, qui perfluxerunt transfixi, quàm destituti proventibus agrorum.* §. 2. *qui perfluxerunt transfixi*, h.e. *quorum sanguis effundebatur, cùm gladio transfigerentur*. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 761. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 3. n. 1. p. 659.

Vers. 11. *Complevit Dominus iram suam, effudit æstum furoris sui, & accendit ignem in Zione, & comedit fundamenta ejus.*

Offert se (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim dicitur *effundere æstum furoris sui*, cùm *pœnas graves immittit*. (2.) *Metaphora*: nam *ignis* notat *calamitates & afflictiones*, iræ divinæ effecta. (3.) *Prosopopœia*, quâ *comedere* tribuitur *igni consumenti*. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 391. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10 p. 240. Confer cap. 7. p. 134. cap. 9. p. 203. cap. 10. p. 267.

Vers. 14. *Oberrârunt cæci in plateis, polluerunt se sanguine, ut non possent, tangent vestimenta eorum.*

Conspicitur hoc loco (1.) *Metaphora*: nam *cæcitate* denotatur *doctrina salvifica & fides vera carentia*. (2.) *Metonymia*: quia *sanguis* pro *cæde* sumitur. (3.) *Ellipsis* pronominis relativi, אֲשֶׁר, *qui* tangent. (4.) *Hebraismus*: qui *tangent*, h.e. *voluissent tangere*. *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 101. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 31. p. 332. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 348. Confer l. 3. tract. 3. can. 7. p. 248. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 351.

Vers. 15. *Recedite immunde, clamaverunt ad eos, recedite, recedite, ne tangatis: quia avolârunt, etiam oberrârunt, dixerunt in gentibus: non addent commorari.*

En (1.) *Enallagen numeri* singularis, *immunde* pro plurali, *immundi*, nisi subintelligat *quisque immunde*. (2.) Epizeuxin: *Recedite, recedite*, h.e. *festinanter recedite*. (3.) *Metaphoram*, quia *avolare* significat, *cito cursu & impetu abscedere*, adeò ut videretur quis habere alas. (4.) *Ellipsin* nominis: *Dixerunt*, subint. *Iudæi*, qui jam ad Ægyptios & Chaldæos fuerant deportati, Lutherus *impersonaliter* reddit, man sagt. (5.) *Hebraismum*: Non *addent commorari*, h.e. non *ampliùs commorabuntur*. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 392. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 761.

Vers. 16. *Facies Domini dispersit eos, non addet respicere eos: faciem sacerdotum non susceperunt, senum non misertı sunt.*

Iteratur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nomine enim *faciei*, Deo tributæ, denotatur *ira ejus*. (2.) *Hebraismus*. Non *addet respicere*, i.e. non *amplius respiciet*. (3.) *Synecdoche partis* pro *toto*: *Faciem sacerdotum*, h.e. *personam sacerdotum*. (4.) *Ellipsis* nominis: *Non susceperunt*, subint. *hostes eorum*. Chaldæus supplet *populi improbi*. *Iun.* in Bibl. h. loc. pag. 763. *Glass.* lib. 4. Philolog. Sacr. tract. 2. observ. 1. m. 1. p. 698. & lib. 5. tract. 5. cap. 7. p. 105. Confer cap. 17. m. 1. p. 461.

Vers. 19. *Veloces fuerunt persecutores nostri præ aquilis cælorum, &c.*

*Hyperbole* est, quâ *maxima velocitas* notatur. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 19. p. 473.

Vers. 20. *Spiritus narium nostrarum, unctus Domini, caput est in voveis eorum, cujus diximus in umbra ejus vivemus inter gentes.*

Occurrit (1.) *Metaphora*: tum quia Judæi *Regem hunc* vocant *Spiritum narium suarum*, quia sub ipso respirabant quasi & reficiebantur: tum quia *fovea* notat *miseriarum & calamitatum gravitatem*: tum quia *umbra* designat *præsidium ac tutelam contra omnis generis adversa*, sicut *umbra tuetur contra æstum Solis diurnum*. (2) *Pleonasmus*: *Cujus in umbra ejus*, h.e. *in cujus umbra*, ly *ejus* abundante. *Ariam.* par 4. Bibl. p. 101. *Glass.* lib. 5. Phil. Sac. tract. 1. cap. 10. p. 231. 278. cap. 12. p. 341.

Vers. 21. *Gaude & lætare filia Edom, habitans in terra Uz, etiam ad te transibit calix, inebriaberis & denudaberis.*

I. In versu hoc habetur (1.) *Ironia* *Gaude & lætare*; quâ *sarcastica gaudii denunciatione*, judicium divinum hostibus eventurum prædicitur. (2) *Synecdoche speciei* pro *genere*: *Filia Edom*, i.e. *inimici omnes*, qui *gente Edomitica*, Judææ propinquissima & infestissima, exprimuntur. (3.) *Metaphora* tum quia *calix* significat *sortem adversam, pœnasque*: tum quia *inebriari* est *calamitatibus obrui*: tum quia *denudari* notat *ignominiâ affici*, velut *ebrius* obtingit, quod legimus de *Noacho*, Gen. 9. v. 21. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. pag 392. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 761. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 88. cap. 12. p. 400.

II. *Judæi hodierni* magnam spem fovent, *se*, quando Imperium Romanum fuerit sublatum, *ad Iudæam redituros*; cùm nomine *Edom*, hîc intelligatur *Monarchia Romana*, quippe cujus primus fundator fuerit *Julius Cæsar*, de *Edom* oriundus.

℞. (1.) Hac ratione *ipsorum Judæorum regnum* intelligi posset per *Edom*, cum *Herodes* fuerit *Idumæus*. (2.) Unde probant *Julium Cæsarem fuisse Edomitam*? Nam *Edom* fuit ex posteritate *Semi*. sed *orbis Europæus*, in quo Roma sita est, à *posteris Iapheti* fuit habitatus. (3.) Si vel maximè *primus Imperator Romanus fuisset Edomita*, non tamen propterea *totum Romanum Imperium* posset dici *Idumæum*, vel *filia Edom*. (4.) In Prophetico vaticinio retinendus est *sensus literalis*: siquidem *filia Edom* significat *regnum Idumææ*, ab *Edom*, qui fuit *Esavus*, sic denominatum; *Hus* verò est nomen *civitatis* in hoc regno celebrioris. Itaq; Propheta *Idumæos* ironicè jubet gaudere & lætari super miseriis Judæorum: brevi enim hujus lætitiæ finē fore dicit, cum ad ipsos quoque *calix iræ divinæ* perventurus sit; id quod quip... post Hierosolymæ expugnationem annô Idumæis & aliis vicinis gentibus contigisse, commemorat Josephus l. 10. Antiq. Judaic. c. 11. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 27. de Magistr. Polit. §. 139. p. 780.

Vers. 22. *Completa est iniquitas tua, filia Zionis, non addet deportare te: visitavit iniquitatem tuam filia Edom, &c.*

Est hîc (1.) *Enallage temporis* præteriti, *completa est* & *visitavit*, pro futuro, *complebitur* & *visitabit*; quæ completio fiet exactis annis septuaginta. (2.) *Metonymia causæ* pro *effectu*; *iniquitas tua*, h.e. *pœna ini-*

*na iniquitati tua debita.* (3.) *Prosopopœia*: *Filia Zionis*, i. e. *incola Zionis* seu *Ierusalem*. (4.) *Hebraismus*: Non *addet deportare te*, h. e. non *ultra te abducet in captivitatem*. (5.) Ἀνθρωποπάθεια: quia *visitatio*, Deo tributa, notat *realem iræ & supplicii irrogationem*. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. p. 392. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 761. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 144. & cap. 9. p. 209.

CAP. V. v. 1. *Recordare Domine, quid fuerit nobis, aspice & vide opprobrium nostrum.*

Ἀνθρωποπάθεια est: hæc enim verba, *recordari, aspicere* & *videre*, de Deo *humanitus* dicuntur, & *Dei favorem & ἐνέργειαν*, unà cum *auxilii collatione*, denotant. *Iun.* in Not. ad hunc locum pag. 761. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 7. pag. 123. & 140.

Vers. 5. *Super collo nostra persecutionem passi fuimus, laboravimus, & non fit quies nobis.*

Propheta utitur (1.) *Enallage* temporis præteriti, *persecutionem passi fuimus* & *laboravimus*, pro præsenti, *persecutionem patimur* & *laboramus*. (2.) *Hebraismo*: Non *fit*, h. e. non *conceditur*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 392. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 11. p. 257.

Vers. 6. *Ægyptio dedimus manum, Assyrio ad saturari pane.*

Verba hæc exhibent (1.) *Enallagen numeri* singularis *Ægyptio* & *Assyrio*, pro plurali, *Ægyptiis* & *Assyriis*. (2.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam *manum dare* denotat *supplicationem mendicam* & *opis implorationem*. (3.) *Synecdochen speciei pro genere*: quia *panis* pro *cibo* est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 393. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 70.

Vers. 7. *Patres nostri peccaverunt & non sunt, & nos portavimus iniquitates eorum.*

*Socinus* autumavit, verba *Esa.* 53. v. 6. *Deus in ipsum incurrere fecit iniquitates omnium nostrûm*, non probare *satisfactionem Christi pro peccatis nostris*, cùm sensus sit idem, qui est in hoc Prophetæ dicto: *Nos occasione iniquitatum patrum nostrorum affligimur, quæ dantur nobis, quæ patribus nostris dari debuissent.*

Re. (1.) Toto cœlo distat explicatio *Socini* à nativo sensu *Prophetæ Ieremiæ*. Neque enim Judæi *occasione iniquitatum patrum suorum*, sed *propter imitationem paternorum scelerum* sunt passi afflictiones illas, quasi dicant: *Nos pœnas iniquitatum patrum nostrorum portamus*, quia videlicet *nos ab iisdem peccatis non recessimus*, ideò *eorum etiam pœnas huc usq; portavimus*, nimirum juxta declarationem, *Ezech.* 18. v. 13. (2.) Neque Sociniano sensu *Christus portavit peccata nostra*: quandoquidem *in ipsum Pater conjecit omnium nostrûm peccata*, sicut *conjiciuntur super pecus sacrificiale, quod expiat illa peccata*; unde tanquam *hostia* se tradidisse pro nobis Deo, *Ephes.* 5. v. 1. & peccata nostra pertulisse in corpore suo super lignum dicitur, 1. *Petr.* 2. v. 24. *Franz.* in Schol. sacrif. disp. 18. thes. 120.

V[...] 9. *In anima nostra afferebamus panem nostrum, propter gladium deserti.*

In versu hoc habetur (1.) *Metonymia causæ*, pro *effectu*: *In anima nostra*, h. e. *cum periculo vitæ nostræ*. (2.) *Synecdoche*: Propter *gladium*, i. e. *inimicum*, qui agrum totum obtinet. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 393. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 761. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 8.

Vers. 10. *Pellis nostra, tanquam clibanus, exusta sunt, propter procellas famis:*

Reperitur hoc loco (1.) *Enallage numeri* singularis, *pellis nostra*, pro plurali, *pelles nostræ*, id quod indicat verbum plurale, *exusta sunt*. (2.) *Metaphora*: nam *procellæ famis* significant *famem vehementissimam*, quâ tanquam *procellâ*, homines sævè exagitantur & consumuntur. *Ariam* par. 4. Bibl. p. 101. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 761. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 250.

Vers. 16. *Cecidit corona capitis nostri, væ jam nobis, quia peccavimus.*

*Metaphora* est, quâ *corona*, ut *regni symbolum* habetur. *Iunius* in Not. ad h. l. p. 762. *omnem gloriam* intelligit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 402.

Vers. 21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.*

Controversias, circa locum hunc motas, vide decisas in Vindic. *Ierem.* 31. v. 18.

## VINDICIÆ

# PROPHETÆ EZECHIELIS.

CAP. I. v. 1. *Et fuit in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, & ego in medio deportationis, juxta fluvium Chebaris, aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei.*

§. 1. Præfixum, Et, in principio libri hujus appositum, tantùm convertit futurum, יְהִי, in præteritum. *Et fuit.* §. 2. *In trigesimo anno*, subint. *ab invento libro Legis ab Helcia summo Pontifice*, nim. anno 18. Josiæ, quo fœdus redintegratum fuit cum Deo, & cultus divinus instauratus. §. 3. *In quarto mense, in quinta die mensis ejusdem*, quem Chaldæus Paraphrastes exponit *Iunium*. §. 4. *Et ego in medio deportationis*, h. e. *inter deportatos & captivos versabar*. §. 5. *Aperti sunt cœli*, humanitus dictum, quod v. 4. exponit. §. 6. *Vidi visiones Dei*, h. e. *à Deo oblatas*. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 102. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 410. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 762. *Glass.* lib. 3. Philolog. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 1. p. 103.

Vers. 3. *Existendo extitit verbum Domini ad Ezechielem, filium Buzi, sacerdotem in terra Chaldæorum, juxta flumen Chebaris, & fuit super eum ibi manus Domini.*

Ezechiel adhibet (1.) *Epizeuxin*, Hebræis frequentatam: *Existendo extitit*, h. e. *omninò fuit*. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: quia *manus Dei* appellatione *vis prophetica* notatur, quâ Deus Ezechieli adfuit, eumque ad certa effata impulit. Chaldæus: *Mansit super eum spiritus prophetiæ*. Scribunt autem Hebræorum Doctores, *prophetiæ spiritum* vocari *manum Dei*, quia veniat cum fortitudine. *Vatabl.* in Annot. ad hunc loc. pag. 410. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 763. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. pag. 112.

Vers. 5. *De medio ignis similitudo quatuor animalium, &c.*

*Augustinus* tract. 36. in Johan. asserit, *plerosq; ante se in his animalibus quatuor Evangelistas intellexisse*, atque sic *quatuor Evangelia fuisse adumbrata*: quia verò inde ab annis mille quingentis, & eò ampliùs, nulla alia Evangelia in ulla fuerunt autoritate, præter *Matthæi, Marci, Lucæ & Iohannis* Evangelia. Sequitur necessariò, inter ea *Evangelia*, visione ista Propheticâ commendata, pro *authenticis*, suum etiam habere locum *Evangelium Matthæi*. *Tannerus* in Præfat. Relat. Histor. Colloq. Ratisbon. regerit, quòd si *probabiliter* utcunque ex

quæ ex illo loco colligatur, *esse quatuor Evangelia*, non statim tamen constet, *Evangelium Matthæi esse primum ex ipsis*.

℞. Omnino constat: postquam enim impleta est res N.T. patuerunt *figuræ* ex divina ordinatione; alioqui nec Christus, nec Apostoli ex typis veteribus rectè collegissent res ipsas, v.g. ex *erectione serpentis* Christi crucifixionem, Joh.3.v.14. ex *diluvio* Baptismum, 1.*Pet*.3.v.21.&c. Unde in Papistarum templis ferè omnibus Evangelistæ pinguntur sub figuris, Ezechieli commonstratis & Johanni inculcatis, *Apoc*.4.v.6.& 7. *Hunn*. in colloq Ratisbon. sess.10.p.316. & tom.2. Oper.Lat. p. 522.523. 606. *Lubav*.in Analys.colloq.Ratisbon.par.2.p.89.

Vers.14. *Et animalia currere & redire secundùm aspectum fulguris.*

Est hîc (1.) *Enallage infinitivi pro præterito indicativi*: רָצוֹא וָשׁוֹב, *currere & redire*, pro רָצוֹ יָשׁוּבוּ *currebant currendo*, שׁוֹב יָשׁוּבוּ, & *redibant redeundo*. (2.) *Hebraismus*: Secundum *aspectum fulguris*, pro *instar fulguris*. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p.411. *Glass*.lib.3. Philolog.Sacr.tract.3.can.44.m.1.p.360.

Vers.16. *Aspectus rotarum, & opus earum tanquam oculus Tharsis &c.*

Occurrit (1.) *Metonymia adjuncti pro subjecto*: nam עֵין *oculus* pro *colore*, qui oculis videtur, & visus objectū est, sumitur. Sic v.4.&22. (2) *Ellipsis nominis* substantivi *Tharsis*, subint. *lapidis*, ex c.10. v.9. ubi legitur אֶבֶן תַּרְשִׁישׁ, *lapidis Tharsis*, h. e. *carbunculi*. *Vatabl*. in Annot. ad h.l.p.411. *Glass*.lib.5.Phil.Sacr. tract.1.cap.4.m.5.p.65.

Vers.22. *Et similitudo super capita animalis firmamenti, quasi oculus glaciei formidabilis &c.*

Verba hæc connotant (1.) *Synchysin*: Et *similitudo super capita animalis firmamenti*, ubi ordo turbatur, pro, Et *super capita animalis erat similitudo firmamenti*. (2.) *Enallagen numeri* singularis, *animalis*, pro plurali, *animalium*, nisi κατ' ἔλλειψιν subintelligas, *uniuscujusq́*. (3) Periphrasin *Crystalli*: Quasi *oculus glaciei formidabilis*, h.e. quasi *species glaciei vehementissima*. *Ariam*.par.4.Bibl.p.102. *Vatabl*.in Annot.ad h.l.p.412. *Glass*.lib.5.Philol.Sacr.tract.2. cap.7.p.576.

CAP. II. v.8. *Et tu fili hominis audi, quæ ego dico ad te: Ne sis rebellis, sicut domus rebellionis, aperi os tuum, & comede, quæ ego do tibi.*

Conspicitur hoc loco (1.) Pleonasmus: *Fili hominis*, h.e. *homo*, voce *filii* redundante. (2.) *Metonymia* tum *adjuncti* pro *subjecto*, quia *rebellio* pro *homine rebelli* ponitur; tum *subjecti* pro *adjuncto*, quoniam *domus* pro *populo* est. (3.) *Typus*: quia *volumen sibi porrectum*, v.9. Ezechiel comedere jubetur, ad contestandum, donū prophetiæ divinitus sibi infusum esse, quo deinceps contra populum rebellem strenuè uti debeat. *Iun*.in Not.ad h.l.p.765. *Glass*.lib.2.Philol.Sacr.tract.2.par.1.sect.4.art.3.p. 454.lib.3.tract.1.cap.3.m.2.p.37.

Vers.10. *Et expandit illud* [ volumen libri ] *coram me, & erat scriptum intus & foris, & scriptum in eo lamentationibus & gemitus, & va.*

I. In textu hoc habetur (1.) *Enallage numeri* singularis, *Scriptum erat*, pro plurali, *scripta erant*. (2.) *Metonymia adjuncti pro subjecto*: nam *lamentationes & gemitus* sumuntur pro *sermonibus de lamentationibus & gemitibus*.

II. *Bellarminus* l.3.d.V.D. interpret. cap.3. exinde concludit, *Scripturam sacram in uno eodemque loco duos sensus* [ literalem scilicet & mysticum ] *admittere*, cum illi ipsi, *Hieronymo* teste in h. loco significati sint per *librum scriptum intus & foris*.

℞. (1.) Secundùm *Hebræum* textum non est, *intus & foris*, sed, *à fronte & à tergo*, vel juxta *Hieronymum* & *Ariam*, *antè & retrò*: quæ duo certè Interpreti diversæ explicationis causæ meritò sunt. (2.) Si vel maximè demus, rectè legi, *librum illum fuisse scriptum intus & foris*; inde tamen non conficitur, *Scripturam sacram habere duplicem sensum*. Propheta enim respicit ad *veterem illum morem scribendi in corticibus arborum* vel *pellibus*, quæ postea convolvebantur, quippe in *utraque parte* scriptæ ad ostendendam multitudinem prædictionum de lugubribus malis, in Israelitas & alios casuris; quæ ut intelligantur, *duplicem sensum* non admittunt. (3.) *Hieronymus* ibidem *dubitanter* loquitur, ideoque ipse vacillans, sensuum scripturę multitudinem non firmat, neque de *interna* quadam & *externa* scriptura indubios nos reddit. *Thumm*.in Disquis.de V.D. par.2.p.73.74.seq.

CAP.III.v.6. *Si ad illos mitteretis, ipsi audirent te, &c.*

I. Nonnulli putant, *textum hunc esse corruptum*, cum τὸ לֹא redundet in Hebræo: אִם־לֹא, *Si non ad eos misero te, ipsi audient te*.

℞. (1.) Istud לֹא non temerè *in textum irrepsit*, sed *ad textûs integritatem* pertinet: *Masoretæ* enim in Catalogo versuum Biblicorum, qui voculam לֹא ter repetitam continent, reponunt etiam versum istum. (2.) *Tremellius* in Schol. Bibl. ἐρωτηματικῶς interpretatur: *Nonne si ad eos misissem te, ipsi auscultarent tibi?* videlicet *potiùs, quam Israelitæ*; ut sit dictum κατά τι, ad exaggerandum obfirmationem Judæorum. (3.) Commodè etiam posset dici, quòd vocibus, אִם־לֹא, elliptica jurandi formula insinuetur, qualis occurrit *Esa*.5.v.9. & suppletur ellipsis ista in juramento divino Esa.14.v.24. Notum enim est, quòd in jurandi formulis, Si *absolutè* ponatur particula אִם, neget. *Psal*.89.v.36. Sin cum particula negandi אִם־לֹא, affirmet. Sensus igitur foret, *juro, si misissem te, ipsi utiq́ audirent*. Sequitur enim v.7. antithesis: *At populus Israel non vult audire te, &c.* *Glass*.lib.1.Philol.Sacr.tract.1.p. 159.seq.par.2.sect.2.obj.70.

II. *Reformati* censuerunt, *Deum non elegisse intuitu fidei ad vitam æternam*, quia *non elegerit ad vitam æternam eos, quos etiam gratiâ oblatâ rectè usuros præviderit*.

℞. Locus iste est ἀπροσδιόνυσος: nam *exaggeratio* tantùm est extremæ contumaciæ Judæorum, quæ tanta fuit, ut faciliùs prædicatione Prophetæ converti possint *gentiles*, qui de vera Deū colendi ratione, ne fando quidem antea quicquam inaudierant, quàm *Iudæi*, quibus voluntas Dei per Prophetas familiarissimè innotuerat. Inde verò non sequitur. *Deum eos ad vitam æternam non elegisse, quos gratiâ ordinariè oblatâ rectè & finaliter* usuros prævidit. *Brochm*. tom.1.Syst.Theol.art.de Præd. c.3.q.4.obj.6.p.673.seq.

III. *Reformati* quoque docuerunt, *Deum nolle omnes homines ad pœnitentiam verbô suô vocari*, quòd *ad gentes extraneas Prophetam non miserit, ipsum licet audituras*.

℞. Sermo hîc est, non de *ordinaria conversione*, sed de *extraordinaria Prophetarum missione*, ad quam Deus obligatus non est, quæ etiam ipsius beneficæ voluntati nihil derogat. *Meisner*. dec. 2. Anthr. sacr. disp.3.q.2. object. 3. pag. 112.seq.

Vers. 7. *Omnis domus Israel rigidæ frontis est, & duri cordis.*

I. Offert se (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: nam *domus Israel* pro *populo*, ex *familia Israelis orto*, ponitur. (2.) *Metaphora*, quâ *rigidæ frontis & duri cordis esse*, sumitur pro *impudentibus*, qui nolunt erubescere, & pro *impœnitentibus*, quorum corda non emolliuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 414. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 1. p. 37. & cap. 12. p. 361.

II. *Donatistæ* statuerunt, *Ecclesiam veram penitus posse deficere*, quoniam *omnis Israel fuerit attritæ frontis, & duri cordis*, atque sic *à Deo defecerit*.

℞. Utitur Propheta *synecdoche*, Scripturis valde frequenti: neque enim *tota Israelitarum Ecclesia* tum penitus defecit, sed *aliqui* adhuc remanserant pii, ut ex c. 9. v. 4. patet, licet longè major fuerit *malorum* numerus, quàm *piorum*. Ergo *non omnes in universum* erant attritæ frontis, & duri cordis. *Hutter.* in LL. Theol. p. 521. *Reinecc.* tom. 4. Panopl. pag. 24.

Vers. 15. *Et veni ad deportationem Thel-abib, habitantes ad fluvium Chebaris, & mansi ipsis sedentibus ibi, & sedi ibi septem diebus admirans in medio eorum.*

Propheta utitur (1.) *Synchysi*, quia ordo inversus est. *Et veni ad deportationem Thel-abib*, pro *in Thel-abib ad deportationem*. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *deportatio* pro *deportatis*, hoc est, *captivis* est. (3.) *Anallaxi*, quâ pro *appositionis* syntaxi statum *regiminis* posuit: נְהַר כְּבָר, *fluvius Chebaris*, hoc est, *fluvius Chebar*. (4.) Hebraismo: *In medio eorum*, id est, *inter eos*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 414. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 765. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 14. p. 15. lib. 4. tract. 3. observ. 2. p. 763. seq.

Vers. 18. *Dicente me ad impium: Morte morieris, &c.*

Deus sibi *contradicere* videtur: hîc enim testatur, se *velle* mortem impii, quam tamen *nolle* se jurat, c. 33. v. 11.

℞. Deus *vult* mortem impii, tanquam *Judex*, si nimirum vocem ejus impius non audiat, nec resipiscat, sed in impietatis cœno se volutare pergat: interim tamen Deus *non vult* mortem impii, tanquam *pater*, videlicet si impius pœnitentiam agat & credat. *VValther.* in Harm. Script. S. §. 172. p. 315.

Vers. 20. *Si conversus justus à justitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem, ipse morietur.*

Fundamentum Ecclesiarum nostrarum pro *excussione gratiæ divinæ in renatis, per peccata mortalia facta*, vide ab exceptionibus Adversariorum vindicatum in Vindic. *Ezech.* 18. v. 24.

Vers. 25. *Et tu fili hominis, ecce dederunt super te funes, & ligabunt te eis, & non egredieris in medium eorum.*

Occurrit (1.) *Enallage temporis præteriti*, *dederunt*, pro futuro, *dabunt*. (2.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Ecce dabunt*, subint. *Angeli*, qui ministri Dei sunt in gubernatione hominum. (3.) *Metaphora*. nam *funes* symbolum sunt *obligationis*, quæ per legem præscriptam fit c. 4. v. 8. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 415. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 1 .

CAP. IV. v. 1. *Et tu fili hominis, sume tibi laterem, & pones eam coram te, & exarabis super eam civitatem Jerusalem.*

In versu hoc conspicitur (1.) *Metaphora*: nam *later* [qui lapis ex terra aut argilla, igne coctus est] pro *tabula plana* instar *lateris*, & æqua superficie accipitur, quâ de re confer *Exod.* 24. v. 10. Chaldæus in genere *lapidem* exponit. (2.) *Enallage futuri* indicativi, *pones* & *exarabis*, pro imperativo, *pone* & *exara*. (3.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: quia *Jerusalem* pro *ejus figura* ponitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 416. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 766. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. pag. 283.

Vers. 6. *Dormies super latus tuum: diem pro anno dedi tibi.*

In Scripturis nonnunquam *dies* pro *anno* legitur, velut hoc loco, ubi Deus Ezechieli, super latus suum dormituro 40. diebus, *diem* pro *anno* dedisse dicitur.

*Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 8. resp. ad 3. excipit, pro *diebus* ad literam non significari *annos*, alioqui oporteret Ezechielem dormivisse super latus suum sinistrum *annos* 390. cum tamen tam diu non vixerit.

℞. Hoc inde non sequitur: nam *dies illi* somni Ezechielis respondebant *totidem annis*, quibus Judæi sub Regibus suis peccaverant, atque sic *dies* pro *anno* erat, dicente Domino, non ut *per tot annos*, quot essent dies, *dormiret Propheta*, sed ut *tot annorum peccata tot diebus repræsentarentur*: erat enim *visio*, non *viva res gerenda actio*. Balduin. tom. 2. Witteberg. disp. 2. c. 1. thes. 10. p. 81.

Vers. 7. *Et ad obsidionem Jerusalem obfirmabis faciem tuam, & brachium tuum nudatum, & prophetabis adversus eam.*

Iteratur (1.) *Enallage temporis* futuri, *obfirmabis* & *prophetabis*, pro imperativo, *obfirmato* & *prophetato*. (2.) *Metaphora*, quâ Ezechiel jubetur *brachio suo nudato prophetare*, h. e. instar *fortis & ardentis bellatoris* pugnare suis concionibus. *Jun.* in Bibl. h. l. pag. 767. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 109.

Vers. 8. *Et ecce imposui tibi funes, & non vertes te à latere &c.*

*Metaphora* est: nam *funes imponere* Ezechieli Deus dicitur, dum autoritate verbi sui eum constringit, & virtute Spiritus sui confirmat, tanquam vinculis adhibitis, ne ullo pacto desistat ab institutæ actionis Propheticæ typo, sed palam signo conspectabili decreti divini firmitatem testatam faciat. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 767. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 414.

Vers. 12. *Et placentam hordeorum comedes illam &c.*

*Ellipsis* est comparativæ particulæ כ, ut: וְעֻגַת, & *placentam*, pro, וּכְעֻגַת. *& ut placentam, &c.* Sensus est: Pane illo ex mixtis frumentis ac leguminib. confecto, v. 9. perinde vesceris, & perinde in deliciis habebis, ac si placenta esset hordeacea; quam olim benè confectam in deliciis fuisse, ex *Athenæo* lib. 14. Dipnosoph. patet. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 3. not. 1. p. 654.

CAP. V. v. 5. *Ista est Hierusalem, in medio Gentium posui eam, & in circuitu ejus terras.*

*Zvvinglius* in Colloq. Marp. contendit, verbum substantivum EST in verbis Cœnæ, *hoc est corpus meum*, oportere interpretari pro SIGNIFICAT; quòd similiter EST in hoc Jeremiæ loco necesse sit intelligi pro *significat*: ibi enim demonstrari *imaginem Hierosolymæ* depictam in latere, ait *Klebitius*.

℞. (1.) In Hebræo non legitur verbum substantivum EST, sed ita habent verba: *Ista Jerusalem*. (2.) Manifesta est in Propheta nostro *allegoria*, cum *verbis Cœnæ* nihil omnino conferenda, nisi priùs probatum fuerit, ea hîc quoque *allegoricè* oportere intelligi. (3.) Nomine *Hierosolyma* non

non *imago Hierosolyma*, sed *ipsa vera Hierosolyma* notatur, ut ex ipso textu patet. *Wigand.* de Sacramentar. p. 426. *Bellarm.* l. 2. de Euchar. c. 11. resp. ad 6. arg.

Vers. 7. *Secundum judicia Gentium, qua circa vos sunt, non fecistis.*

I. Propheta sibi *contradicere* videtur: hic enim ait, *Judæos secundum judicia Gentium propinquarum non fecisse*; at c. 11. v. 12. affirmat, *Judæos secundum judicia Gentium propinquarum fecisse*.

R. In loco *priori* intelligintur statuta Gentium, *recta rationi & legi naturæ conformia*. Rom. 2. v. 14. secundum quæ non fecerunt Judæi (nam frequentes fuerunt cædes & rebelliones Regum, post fidem datam deficientium, 2. Reg. 24. & 25.) In loco *posteriori* denotantur statuta *impia, & a naturæ lege, rectaq; ratione* (quæ in injustitia detinetur, Rom. 1. v. 18.) deflectentia. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. p. 159. seq. sect. 2. par. 2. obj. 70.

II. Nonnulli suspicantur, *textum Hebræum esse mendosum*, eò quòd *in ipso istud* לא, NON, *superesse* videatur, uti ostendat tum *oppositio inter statuta Dei & Gentium*, quorum *illa* Judæi non observârint, *hæc* observârint: tum *Lutheri* versio, quæ negativam omisit, **sondern nach der Heiden Weise thut/die umb euch her sind.**

R. (1.) Illud לא NON, ad *textum Hebræum* necessariò pertinet, ut ex nota *Masoretica* patet. (2) Legunt quoque Chaldæus, עֲבַדְתּוּן לָא, *non fecistis*: LXX. οὐ πεποιήκατε: Vulgata, *non estis operati*. (3.) Nec repugnat textus, in quo *comparatio minorum* instituitur, hoc sensu: *Ac ne quidem secundùm jura, quæ gentes sine lege benè observant, facitis*. Quam explicationem ipse contextus ostendit: nam v. 6. præc. *impietate* Judæi Gentibus præponuntur. (4) *Lutherus* autem versionem suam cum loco parallelo, *Ezech.* 11. v. 12. conformavit, ubi tota pericope repetitur, omisso duntaxat ultimo לא, NON *Glass.* lib. p. 158. seq.

Vers. 12. *Tertia in gladio cadent in circuitu tuo, & tertiam in omnem ventum dispergam, &c.*

Verba hæc exhibent (1.) *Enallagen numeri* pluralis, *cadent*, pro singulari, *cadet*. (2) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam רוּחַ *ventus* pro *latere* seu *plaga mundi* accipitur, unde ventus spirat. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 105. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 2 p. 56.

Vers. 13. *Exple ofurorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor.*

Species quædam ἀνθρωποπαθείας occurrit: hîc enim *Deus animum explere* dicitur *in perditionem impiorum*: alibi verò *condolere perditioni eorum*.

R. *Animi divini expletio in ultione* non est ἐπιχαιρεκακία, sed *justitiæ divinæ declaratio*: ita tamen, ut nihilominus *Deus condoleat perditioni impiorum*, quemadmodum & *misericors judex* facit. *Meelfuhr.* dec. 5. Vindic. Evang. disp. 5. thes. 22. seq. p. 115.

Vers. 16. *In mittendo me sagittas famis malas in eos, quæ erunt in destructionem, quas mittam eas ad destruendum vos, & famem addam super vos, & frangam vobis baculum panis.*

Offert se (1.) *Pleonasmus*. nam ly *eos* abundat. (2.) *Metaphora*. siquidem *baculus panis* pro *cibo* sumitur, quo *vita hominis fulcitur quasi, reficitur & sustentatur*. *Ariam.* par. 4. Bibl. pag. 105. *Glass.* lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 9

Vers. 17. *Et mittam super te famem, & bestiam malam, & orbabunt te, & pestilentia & sanguis transibit per te, & gladium in te ducam &c.*

Est hîc (1.) *Enallage numeri* singularis, *bestiam malam*, pro plurali, *bestias malas*, h. e. *congeriem bestiarum malarum*. (2) *Metonymia* tum *subjecti pro adjuncto*, quia *sanguis* pro *cæde* est: tum *adjuncti pro subjecto*, quoniam *gladius* pro *bello* seu *vi hostili* usurpatur. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 105 *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 419.

CAP. VI. v. 9. *Et recordabuntur evasores vestri mei inter gentes, quo captivabuntur ibi quod fractus fuerim a corde ipsorum scortante, quod cessit à me; & ab oculis eorum scortantibus post idola sua. & fastidient facies sua, &c.*

In versu hoc habetur (1) ἀνθρωποπάθεια: Deus enim dicitur *fractus*, h. e. *dolore affectus*, & quasi coactus, ut decretum de Judæis puniendis faceret, ut v. 10. innuitur. (2) *Metaphora*: nam *cor* & *oculi* dicuntur *scortari*, i. e. *idololatriam exercentia*. *Synecdoche partis pro toto*: Fastidient *facies sua*, i. *sibi ipsis*. *Jun.* in Not. ad h. loc pag. 768. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 118. Confer cap. 12 p. 383.

CAP. VII. v. 10. *Ecce dies ecce venit, progressum est mane, floruit virga, germinavit superbia.*

Propheta usurpat (1.) *Metaphoram* tum quia τὸ *mane* vocat *sententiam Dei brevi venturam*, in perniciem Judæorum: tum quia *florere* & *germinare* de *prospero hominis statu* accipit: tum quia *virga* notat *castigationem*. (2.) *Ellipsin* nominis substantivi אִישׁ, *vir*: Germinavit *vir* superbiæ, puta *Nebucadnezar*, summum imperium adeptus, & ad oppugnationem Hierosolymorum se apparans. *Vatabl* in Annot. ad h. l. p. 421. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1 cap. 11. p. 288.

Vers 13. *Quia venditor ad venditum non revertetur, etiam in viventibus vita eorum quia visio ad omnem multitudinem ejus non revertetur &c.*

Est hîc (1.) *Ellipsis* verbi, ex membro præcedente repetendi: *Vita eorum*, subaudi, *non revertetur*. (2.) Μείωσις: *Visio ad omnem multitudinem ejus non revertetur*, h. e. *judicium illud*, divina mihi visione ostensum, non repetetur aut iterabitur, sed uno eodemque tempore consummabitur. *Ariam* par. 4 Bibl. p. 106. & *Glass.* lib. 5. Philol. Sac. tract. 1. cap. 19 p. 480.

Vers. 26. *Ærumna super ærumnam veniet, & auditus ad auditum erit, &c.*

Nota (1.) præpositionem עַל, *super*, verte odam esse *ultra*: Ærumna *ultra* ærumnam veniet, h. e. una calamitas post aliam. Indicatur accumulatio ærumnarum & malorum. *Phil.* 2. v. 27. (2.) שְׁמוּעָה *auditum*, metonymicè accipi pro *rumore Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 422. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 6. can. 12. m. 12. p. 553.

Vers. 27. *Rex lugebit, & Princeps induet desolationem, & manus populi terræ conturbabuntur secundum viam eorum faciam eis &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto* Induet *desolationem* h. e. *vestem, desolationis indicem*. (2.) *Metaphora*: nam *manus* notant *vires* & *consilia*; *via* autem *vitæ actiones* *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 422. *Jun.* in Not. ad eund loc. p. 770. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 5 p. 49.

CAP. IIX. v. 1. *Et fuit in anno sexto, in sexto, in quinta mensis ego sedens in domo mea, & seniores Ju-*

[illegible] *Ann* [illegible] g. [illegible] act. [illegible]

[illegible] *ibus* [illegible] hoc [illegible] vi [illegible] N [illegible] *trium*, [illegible] no est [illegible] Ann. t. a [illegible] 2.

[illegible] *contrate* [illegible] *ado a-* [illegible]

[illegible] *tem*, [illegible] um [illegible] *tempori* [illegible]

[illegible] A [illegible] *apitibus* [illegible] Iudæi [illegible] *pe litiore* [illegible] *Cham. c. v. 5.* [illegible]

[illegible] *impium.*

[illegible] am [illegible] t Ad [illegible] rius, locum hunc a [illegible] X. [illegible] *R. Ma* [illegible] 8. p. 2 [illegible]

[illegible] *ma* [illegible] *ce ma-* [illegible] *atione* [illegible] *um* [illegible] *manu* [illegible]

[illegible] *in au-* [illegible] e ab- [illegible] *vi* [illegible] ui [illegible] *V* [illegible] 3. [illegible] un. 8.

[illegible] 4. [illegible] *arorum gemen tium* [illegible] *abominationi* [illegible] *fumi* [illegible] *ymæ.*

[illegible] *Bellarminus* [illegible] Sat [illegible] c. 29 arg [illegible] *colendum* [illegible], quia illud [illegible] def [illegible] ntibus [illegible] potissimum [illegible] *Hiero-*

[illegible] 1. [illegible] *Heb* [illegible] litaria litera [illegible] Latinis [illegible] 2. [illegible] C [illegible] pulum [illegible] *dum.* [illegible] v. 5. [illegible] *B* [illegible] p. 6 [illegible] 14.

[illegible] A [illegible] *dæ* [illegible] *impii* [illegible]

[illegible] *Bellarminus* [illegible], Sacram [illegible] *cum* [illegible] 4. ob [illegible] *aliqui* [illegible] novitas [illegible] peri- [illegible] 2. *Petr* [illegible] spec. par [illegible] 4. *Cham* [illegible] 4 [illegible] 8.

[illegible] *omne* [illegible] *dendo te* [illegible]

E [illegible]

[illegible] *cm* [illegible] *cum cui* [illegible] Domini [illegible] *orum* [illegible] sque *cor* & [illegible]

[illegible] *cooperatio-* [illegible] unctam *exter-* [illegible] textus [illegible] *al* [illegible] *ale me-* [illegible]

[illegible] *uturum* hic dic [illegible] sed tan [illegible] *laturum, quo minus* [illegible] *Deum omnia facturum,* [illegible] *ns libere improbitate reli-* [illegible] *in* [illegible] *que pietatem* [illegible] *letur ac co-*

[illegible] *um non certe* [illegible] *turum* lar- [illegible] *modus* tamen affig [illegible] esset, quo [illegible] *ver* [illegible] c, nimirum [illegible] *idea mu-* [illegible] & [illegible] *em in* [illegible] *ber.do mentibus, &* [illegible] *accepti dei in eis ambulemus.* (2.) [illegible] *ius*, *cer* [illegible] *me fecuturus*, c [illegible] c. [illegible] .1. [illegible] f. 5. 6. 23. Nam hoc [illegible] *univer* [illegible] *le* est, quia [illegible] omnibus ho- [illegible] D [illegible] *a* .ablaturus [illegible] lapideum, sive [illegible] mant [illegible] de us [illegible] tur, *qui* [illegible] *co non* [illegible] *malitia* [illegible] *ip* [illegible] *s non indura-* *unt.* Stegm. [illegible] p. Amph [illegible] .139. seq. *Thumm.* in Impi [illegible] Ph [illegible] pag. 360. [illegible] seq.

[illegible] Cæt [illegible] controversias hujus loci vide deci- [illegible] Vindic. *Ezech.* 3. v. 26.

Vers. 20. *Ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant* [illegible] *faciantque ea,* [illegible] *sint mihi in populum,* [illegible] *ero eis in Deum.*

Argumentum [illegible] *cuum*, pro perfe [illegible] *leosis im-* [illegible] *plus ne in hac vita*, vide [illegible] in [illegible] Vindic. *Ezech.* 6. v. [illegible].

CAP. XII. v. 13. *Extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea,* [illegible] c.

Rat [illegible] *Gomeri*, tom. 2. [illegible] 13. c. [illegible]. §. 2. pag. 41. vide [illegible] in Vindic. *Ez.* c. 10 v. [illegible] m. 2.

CAP. XIII. v. 2. *Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israelis vaticinantes, & dices prophetantibus de corde suo &c.*

Verba hæc exhibent [illegible]) Pleonasmum: *Fili ho-* [illegible] *u*, hoc est, *homo.* (2.) Ellipsin *Vaticinantes,* [illegible] *grata populo.* (3.) *Enallagen* indicativi [illegible] *di-* [illegible] pro imperativo, *dic.* (4.) Hebraismum. [illegible] *me*, pro, *corde suo*, hoc est, *e proprio arbitrio* [illegible] vanas & falsas effutientibus. *Vatabl.* in ad [illegible] lo. pag. 431. *Artam.* in Bibl. par. 4. [illegible] *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. [illegible] 1. can. 31. m. [illegible]

[illegible] *sic dixit Dominus Deus Væ super Prophe-* [illegible] *t, qui ambulant post* [illegible] *itum suum, &* [illegible] *runt.*

[illegible] *eonasmus*: nam τὸ *super* abun- [illegible] *Me* [illegible] *mia* [illegible] effectu: quia [illegible] ur [illegible] *ipsis* pronomi- [illegible] præ [illegible] repetendi: *Et qua* [illegible] *quo* [illegible] *non est a Deo ipsis* [illegible] *am* p. 4. Bibl. p. [illegible] *Jun.* in Not. ad h. [illegible] Philol. Sacr. [illegible] cap. 1. m. 1.

Vers. 5. *Non* [illegible] *in* [illegible] *racturas,* [illegible] *ipsi* [illegible] *se pem* [illegible] *per domum* [illegible] *ael, a* [illegible] *dum in prælio, in die Domini.*

En [illegible] *Metaphoram* quam [illegible] *ascen-dere,* [illegible] *sepem super domum* [illegible] *Satanæ* [illegible] *ma* [illegible] *in* [illegible] *ens in impie* [illegible] *flere,* [illegible] *quod precibus & pietate hic*, trans [illegible] *hæc ca-* [illegible] *fentes.* (2.) *Ellipsin* negationis לא NON, [illegible] membro præcedente repetendæ: *Et non sepivi-* [illegible] &c. *Artam.* part. 4. Bibl. p. 111. *Jun.* in Not. ad [illegible] p. 775. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 389.

Vers. 10. *Proeo, & proeo, quòd errare fecerunt populum meum, dicendo pax, & non pax, & ipse adificat parietem, & ecce ipsi oblinunt eum in-fulso.*

Offert [illegible] (1.) Epizeuxis: *Proeo & proeo*, id est, *ideò*, inquam *quòd* &c. ubi *geminatio* facit ad *rei exaggerationem.* [illegible] *Enallage relativi* pro antece-dente [illegible] *ipse* [illegible] *princeps pseudoprophetarum.* (3.) *Metaphora*: [illegible] *pseudoprophetæ* conferuntur *structoribus lutacei parietis*, qui ex luto pe[illegible] plateas jacente [illegible] *ff* [illegible] rmatur. (4.) *Ellipsis* nom[illegible]: *Oblinunt eum* [illegible], scilicet [illegible] b que firmitate. Sensus est: Fallam religionem [illegible] vanibus sophismatibus fulcire conantur, & homines, imminente eis horribili De[illegible] ju[illegible] securos reddunt. *Artam.* part. 4. Bibl. pag. 111. *Vatabl.* in Annot. ad hunc locum pag. 432. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. pag. 388.

Vers. 18. *Væ consuentibus pulvillos pro omnibus axillis manuum, & facientibus cervicalia pro capite cujusque staturæ, ad venandum animas: num-quid animas venabimini populi mei, & animas vobis vivificabitis?*

Occurrit (1.) *Apocope*, quâ יד pro ידים *manus* ponitur, teste *R. Kimchi.* Chaldæus ידי *manus.* (2.) *Synecdoche*: qua *manus* pro *toto brachio* usurpatur. (3.) *Metaphora*: [illegible] *am venari* est *perditionem intentare, veluti venator* [illegible] *erit.* (4.) *Ellipsis*: scribitur enim לכנה vobis, pro שתן לכן *quæ sunt vobis*, hoc est, *vestra.* (5.) *Hebraismus*. siquidem *vivificare* notat *vivum conservare.* *Vatabl.* in Annot. ad h[illegible] locum pag. 433 *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 776 *Glass.* lib. 4. Philolog. Sacr. tract. 2. observ. 1. m. 3. p. 700. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. pag. 320.

Vers. 19. *Et prophanâstis me in populo meo, pro pugillis hordei, & frustulis panis, ad occidendum animas, quæ non sunt moritura, & ad vivificandum animas, quæ non sunt victuræ, mentiendo vos populo meo audientibus mendacium.*

Iteratur (1.) *Synecdoche*: Pro *pugillis hordei & frustulis panis* hoc est, pro *minima mercede*, adeoque *re tenuissima.* (2.) *Hebraismus*. Ad *occidendum*, & ad *vivificandum*, id est, ad *pronunciandum, morituras*, vel *victuras esse.* (3.) *Enallage* numeri pluralis, *audientibus*, pro singularis *audienti.* *Artam.* part 4. Bibl. pag. 111. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. p. 43[illegible]. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 776. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 15. pag. 269.

CAP. XIV. v. 9. *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi Prophetam.*

*Beza* part. 2. Resp. ad Act. C[illegible] Mompelg.

 pag.

... *Deum esse causam peccati* ...

... zum פתה ... hic non accipiendum ... *decipere* ac *seducere*, quomodo enim Dominus tam gravit[er] pu[niret] qu[os] ipse decepiss[et] ... ex[c]eptione. vers. 9. ... d pr[o] *evanuare &* *evacuare*. hoc est, p[ro]vare ... *in praedicendis aliqua certo eventura*. Deus tam[en] que non *dat in cor* & os Prophetae mei ... adulatorio Prophetae non dat grati[am] in pr[aedice]ndi ... qui Propheti[s] vera annunciantibus non credunt, v. 7. & *Jerem*. 14. v. 14. ... tract. de I[nte]rpr. Script. facr. orac. 8. p. 3[.] seq.

Vers. 14. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus Noe, Daniel & Iob, ipsi propter justitiam suam liberabunt animas* [suas].

I. *Cornelius a Lapide* in h. lo. infert, *homines mereri aliquid* ... *operibus* quia *Noe, Dani[el] & Iob propter justitiam suam liberarunt animas suas*.

℞. Non agit Propheta de *bonis aeternis*, sed de *liberatione a poenis temporalibus*, nihilque aliud monet Deus, quam quod super impios decretum sit ... gravissimis calamitatibus eos esse affligendos, etiamsi tot sancti viri intercederent. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. art. 1. class. 4. obj. 4. p. 43.

II. Objectionem *Papisticam, pro particulari Sanctorum defunctorum intercessione*, vide protritam in Vindic. *Jerem*. 15. v. 1.

Vers. 16. *Tres viri isti fuerint in terra illa, nec filios nec filias liberabunt*.

*Daniel in historia Susannae*, Daniel. 13. vers. 45. *male introducitur*, tanquam *puer aetate minimus*: Ezechiel enim meminit *Danielis*, qui tum temporis habuer[it] *filios & filias*.

*Bellarminus* lib. 1. de V. D. cap. 9. resp. ad 2. object. regerit, Danielem introduci, *ut viventem in pueruli aetate*, & *annumerari viris illis gravissimis*, *Noacho & Iobo*, quia *notus* [f]*uerit populo ob liberationem Susannae*, & *interpretationes somniorum*, non autem necesse esse, *tunc Danielem habuisse filios* [& fili]*as*, quia *per hypothesin* loqu[itur] ... *chiel*, ac si diceret, *Etiamsi tres isti hi[c] ... & haberent filios & [fili]as, non possent eos ab imminente periculo liberare*.

℞. (1.) Falsum est, Danielem ab Ezechiele introduci, ut *viventem in pueruli aetate*: diserte enim textus habet, *neque filios neque filias eripient*, quod de *Daniele* verum esse non potuisset, si *puerulus adhuc* e[xtitiss]et. (2.) Et licet Ezechiel secundum Bellarminum hoc tantum *per hypothesin* locutus [fuer]it, non tamen *rem impossibilem* supposuisset, quasi puer [filio]s & filias habere posset. (3.) Vox נער, qu[a] Propheta utitur, nunquam i[n] Scr[iptura] ... *a puero* tribuitur, ... semper *aetate prove*[ctioribus] ... *Numer*. capit. 13. ver[s]. 4. 1. *Samuel*. capit. 19. vers. 12. &c. ... *mm*. par. 1. Disquis. de V. D. p. 156. seq.

Vers. 21. *Etiam quod quatuor judicia mea mala, gladium, famem & bestiam malam, & pestem misisset ad Ierusalem, ad excindendum ex ea hominem & jumentum*.

Est h[ic] (1.) *Metonymia causa* pro *effectu* nam ju[dicia] ... hom[i]nes ... (2.) *Et ut* ... *stiam malam* ... h... *bestias malas* ... *tempore* ... *am*. part. 4. Bibl. ... *Vatabl*. ... h. loc. p. 436. ... 5. Philol. Sa[cr.] ... m. 3. p. 1.

CAP. XV. v. 7. *Et dabo faciem meam c[ontra eos]: de igne egr[ess]i sunt, & ignis comedet e[os], [et scie]tis, quod ego Dominus, [cum] ponend[ero] [faciem] meam [con]tra vos*.

Usurpatur h[i]c loc[utio] (1.) 'Αιθεωπο[παθεια] ... enim dicitur *dar[e]* [vel] *ponere faciem suam* ... *Hierosolymitanos*, hoc est, *in eos incumber[e]* ... *eosdem perdere*. (2.) *Metaphora* ... de[notat] *afflictiones & calamitates*. ... *popaeia* ... qua *comedere* tribuitur *igni* ... *Vatabl*. in Annotat. ad hunc loc. p. 4... C... ... lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. ... p. 203. cap. 10. p. 24.

CAP. XVI. v. 3. *Et dices, Sic dixit [Do]minus Deus Hierosolyma: Commercia tua, & [gen]itura tua sunt e terra Chananaeorum, pater tuus Amorrhaeus, & mater tua Chitaea*.

In versu hoc habetur ... *F*... indi... *dices*, pro impe[rativo] ... membra ... hu[ju]s ... *commercia tua & genitura tua sunt e t[err]a C[h]ananaeorum*, p[ro]... postero or[dine] ... narramus *naturali ordine*. (2.) ... *genitura* ... ad v. 14. de *commerciis* ver[o] ... *conversatione*, ver[s.] ... seq. (3.) *Synecdoche* ... *na*, id est, *conversatio tua* ... & *genitura* ... hoc est, *ortus*, *ratio*, *educatio*, & ... *prima*. (4.) ... p... *tua* pater tuus Amorrhaeus sit, & mater tua Chitaea, h[oc est] ... ita obfirmata es ... quib[us] ... ac ... e Amorrhae[is] & matre Chittaea ... fles orta ... *am*. part. 4. Bibl. pag. 113. *Iun*. in Not. ad hunc locum pag. 778. G... lib. 4. Philolog. Sacr. tract. 2. observ. 27. not. un. pag. 752.

Vers. 4. *Et nativitas tua, In die nasci te, non praecisus erat umbilicus tuus & in aqua non lota fueras ad lenimen, & saliendo non salita eras, &c.*

Ecce (1.) *Ellipsin*. Et *nativitas tua*, *fuit talis est*. (2.) *Hebraismum*: In die *nasci te*, hoc est, *nativitatis tuae*, [ve]l *quo nata est*. (3.) *Metaphoram* siquide[m] *praecisionis umbilici* ... *glectu ad primaevum gentis Iudaicae statum* ... *rum trans*[fertur] ... Sen[s]us est: *A natura in* ... *te in sordibus peccatorum*, *infirmitate &* ... *te constituta* [eram]*us*. (4.) *Allegoria*, qua narratur *gentis Iudaicae historia*, *specie infantis pue[l]lae expo[sit]ae* ... *morte versantis*, donec D[eus] ipse m... ur... it, educavit, &c. ... in An... ... locum pag. 4... ... Ph... Sac... ct. 1. cap. 12. pag. 34... & p. ... pag. 4...

Vers. 15. *Et confisa es in pulcritudine tua, & [sc]ortata es propter nomen tuum, & effudisti [forni]cationes tuas super omnem transeuntem, e[jus] eum erat*.

[illegible]

Et Samaria dimidium [illegible] abominationum [illegible] tuas,

[illegible] est [illegible] Samaria pro [illegible] mum. [illegible]

[illegible] abominationum [illegible]

[illegible] Deus commendat [illegible] manum meam [illegible] Aram, [illegible] 4. [illegible]

Respondet [illegible] & R [illegible] J [illegible] lib. 5. [illegible]

Vers. 3. Propterea [illegible] cum populi [illegible] camalibus.

[illegible]

Vers. 16. [illegible] Dominus Deus [illegible] idola abominationum [illegible]

[illegible] Sacr. tract. 2. [illegible]

Vers. 22. In monte celsitudinis Israeli plantabo eum, & proferet ramum, [illegible] in cedrum illustrem, & habitabunt sub ea omnes aves [illegible] cujusque ala, in umbra ramorum ejus habitabunt.

[illegible] hoc est [illegible] cedrus illustris. [illegible]

CAP. [illegible] v. [illegible] comedent uvam acerbam, & dentes filiorum stupescent

[illegible] Propheta [illegible] &c. 2. [illegible]

Non [illegible] pœnam [illegible]

III. [illegible] capite [illegible] morte [illegible] D. S haffmanno [illegible]

Vers. 4. [illegible] anima mea [illegible]

I. [illegible]

II. [illegible] ab Adamo propagat [illegible]

tamen peccaverunt in Adamo

Nam [illegible] B [illegible]

Vers. 9. [illegible] præcipi [illegible]

[illegible] A, [illegible] &c. Hunn. [illegible] erent Pon- [illegible] non [illegible] tur [illegible] *satisfactiones* [illegible] *indigent, acceptare* di- [illegible] ut [illegible] non [illegible] at esse otio- [illegible] sint ejus *corporis mem*[illegible] nes [illegible]

Loc[illegible] de *pœna* [illegible] loq[illegible] alio su[illegible] ad[illegible] pot[illegible] ter p[illegible] [illegible] nus pro *alienis* h[illegible]bet [illegible] *dem corpore*, tamen no[illegible] sunt [illegible] *eodem memb*[illegible] sed quamp[illegible] mum al[illegible] a[illegible] tur, his sunt manen[illegible] *aliena*, [illegible] *Baldui* [illegible] Exam. Apolog. [illegible] opp. p. [illegible]

[illegible] *Socinus* [illegible] de C[illegible] S[illegible] at. c. 3. p. 253. c[illegible] tendit, *C*[illegible] *centem non potuisse pro hominibus mori* [illegible] *Deo* [illegible] *cere* [illegible] *Deus* [illegible] *mortem ac* [illegible] *Anima, quæ peccaverit* [illegible] *morietur*.

[illegible] est [illegible]

[illegible] *Mors moretur* [illegible] *sanguis ejus in ip*[illegible] *erit*.

[illegible] tantum [illegible] *morte tem*[illegible]

[illegible] *pecata*. [illegible] Exam. ibid. §. 9. & [illegible] 4.

[illegible] *Hunn.* tur [illegible] Oper[illegible]

[illegible] *cum me* [illegible]

[illegible] propo [illegible] *maxime ad* [illegible] *cat prom* [illegible] *nem vi-* [illegible]

[illegible] *ne* [illegible] *Dei mandata* [illegible] Qua [illegible] ritatis [illegible], *in* [illegible] *a* [illegible] prom[illegible] in [illegible] pist. [illegible].24.q 6.[illegible]

[illegible] 16. m. 2. argum. [illegible] *voluntatem donare* [illegible] *enim* [illegible] *la conditione fides*, fiqui- [illegible] *as ad ju*[illegible]*cationem conditionem pœni-* [illegible]

[illegible] no[illegible] est conditio ad *justificationem*, [illegible], quæ ex *justi*[illegible]*catione* itaque *conse-* [illegible] *ationis* non *conditio ad justifican-* [illegible] tom. 3. Panstr. l. 22. c. [illegible]. §. 16. pag. [illegible]

[illegible] *minus* l. 4. d[illegible]. 22. art. 4. d[illegible] ur- [illegible] *ubus* [illegible] *vangel*[illegible] [illegible] *e condi-* [illegible] *m alimalis & operosæ justitiæ*, *quam perfecta* [illegible] *datorum divinorum* [illegible] *consistat*: cum [illegible] *minus promittat* [illegible] *vitam impio* [illegible] *naturum, sita-* [illegible] *pœnitentiam e*[illegible] *eris à peccatis, & mandata omnia* [illegible] *fecerit.*

℞. Propheta non d[illegible]cit, *justitiam ope*[illegible]*um esse con-d*[illegible]*nem, a qua pendeat promi*[illegible]*io* [illegible] *æterna in Ev-a*[illegible]*elio*, [illegible] *ita æterna* est [illegible] τȣ Θεȣ in [illegible] J[illegible] Domin[illegible] nostr[illegible], *Rom.* 6. v. 23. verùm [illegible] *subjectum*, quinam sc[illegible] sint *homines* [illegible], *quibus Deus vitam largitur* [illegible]? nimirum his, [illegible] *verè delictorum suorum pœnitentiam agunt, eam-* [illegible] *obœdientia novitate declarare satagunt*. Ergo [illegible]um est, *Evangelicam vitæ æternæ promissionem* [illegible] *pœnitentia & faciendâ justitiâ*, tanqua[illegible] *a condi-* [illegible] *e quadam meritoria*, pendere. *Gerlach.* tom. [illegible] p. 13 [illegible] 9. [illegible] 51. seq. *Eckhard.* par. [illegible] ont[illegible] if. [illegible]. 21. q. [illegible] bj. 4. p. 169. & [illegible] *erhard.* [illegible] LL. CC. loc. 17. de Evangel. §. [illegible]5. p. 5[illegible]4

IV. *Salmero* tom. 11. tract. 23. arbitratur, [illegible]. 22. *non-recordari peccatorum*, non esse, *nullas exigere pœnas*, quoniam *Deus hîc longe duriorem a peccato-*[illegible] *exigat conditionem*, nempe *avertere se ab omnibus* [illegible]*nitatibus, servare omnia præcepta, & facere judi-*[illegible] *ac justitiam.*

Quid illud est, *duriorem conditionem exigi* [illegible]nquam *punientem*, an tanquam *difficilem* [illegible] *illud*, quis ferat, eo ipso puniri duriùs pe[illegible] m. [illegible]uum jubetur *recedere a peccato, & justi-* [illegible]*e*, [illegible]uam cum *pœnas dat justitiæ divinæ*, v.g. [illegible] *orio*? Quis fe[illegible]at, *morte* [illegible]iorem pœnam [illegible]io i, *observationem mandatorum Dei*. Et [illegible] libet, Papistæ *hanc obs*[illegible]*ationem* appel- [illegible] *suave*, & *onus leve*. Sin verò *hoc*, nihil [illegible]n enim, si difficilius, *recedere a pecca-* [illegible] *mori* si diffi[illegible]us, *amare Deum toto cor-* [illegible] *do e* [illegible] *panem suum comedere*: id- [illegible]umerari opo[illegible]et *recessum a peccatis &* [illegible] A[illegible]os [illegible] *p*[illegible]*us a* [illegible] [illegible]ive ex *faci-* [illegible] *iles.* N[illegible] ob[illegible]at [illegible] mi- [illegible]*ordari peccatorum*, it, *nullas exi*[illegible]*e pœ-* [illegible]*am.* [illegible]om. 3. Panstr. l. 2[illegible]. 2. §. 4[illegible] 4[illegible] 42

[illegible] *eltanus* lib. de Purgator. autumat, *peccator* [illegible]

*pœnitentis non* [illegible] *adum* [illegible] *um, aut simpli-cem ad Deum conversionem*, sed [illegible] *accendum ipsi* [illegible] *n tale quid* [illegible] po[illegible]t, verum *ju-stitiam quoque*, [illegible] *judi*[illegible]*ium* [illegible] *accept*[illegible]*m* [illegible]*er-vationem*, [illegible] [illegible] *tionem* [illegible]ertineant.

℞. [illegible] Concedimus, [illegible] in men-tem, [illegible] in linguam ven[illegible] *nudos* [illegible] *mitus*, ne-[illegible]u[illegible] *simplicem etiam conversionem ad Deum* ullam nos[illegible]: verum a *pœnitente requiri justitiam, ju-di*[illegible]*ium, præceptorumque observationem*; quæ omnia præstare debet, prout [illegible] potest ab ipso. (2.) Nec [illegible]us, ad *satisfactionem* pertinere, si non *Pa-pistice* [illegible] [illegible]n m P[illegible]nus diceret. Nam *Ca-tholice* si dicat pro eo ipso quod est, *tantò ad Deum accedere*, [illegible] *erat rece*[illegible]*um*; ἰδίως φϑορᾶς: Sed id non erit ad r[illegible]m *Purgatorium. Balduin.* in Phosph. Cathol. co[illegible]. [illegible]azmann. l. 14. c. 9. p. 1239. *Cham.* tom. 3 Panstr. [illegible]. 26. [illegible]. 26. [illegible]. 9. seq p. 608.

VI. *Voluntarie peccantes habent liberum ad pœ-nitentiam reditum*: si enim *aversi fuerint ab o-mnibus peccatis suis*, [illegible] *omnium iniquitatum*, *ab ipsis perpetratarum*, DEUS *recordari non vult.*

*Smalcius* contra Franz. pag 358. ex[illegible]pit, *offer-re quidem Deum suam gratiam*, sed *obstinatis in-durare*, *ut velint nolint* [illegible] *in sua impietate ma-neant.*

℞. Hæc assertio pugnat cum Scripturis [illegible]. *Ti-moth.* 2. vers. 4. [illegible]. *Petr.* 3. vers. 9. *Jacob.* 1. vers. 15. ideoque rejicienda. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. art. 1. class. 4. n. 7. p. 743. Vide Vindic. *Ezech.* 33. vers. [illegible] m. 4.

Vers. 22. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*: *in justitia sua, quam opera-tus est, vivet.*

I. Ἄϑεοι negant, DEUM *esse omniscium*, quòd [illegible] *ipse peccatorum nostrorum non recordari* di-catur.

℞. N. C. quia ista *non-recordatio* non oppo-nitur *nudæ scientiæ*, quasi Deus nullam ampliùs pecc[illegible] no[illegible] habe[illegible]t, sed *cognitioni judi-ciali*, quatenus pœnas peccatorum non immittit. *Gerhard.* in Exeg. loc. [illegible] de Nat & attrib. divin. §. 25[illegible] p. 875.

II. *Bellarminus* [illegible]b. 2. de Effect. Sacrament. [illegible]ap. 17. resp. [illegible] l argum 2. putat *Levit.* 6. vers. 7. non agi, nisi de remissione *pœnæ temporalis*; quia, [illegible]um hic de *remissione peccatorum agatur*, nusquam fieri mentionem *sacrificiorum*, q[illegible]si valuerint ad expiationem *peccati*, quoad *culpam & pœnam Ge-hennæ.*

℞. Quid tum verò, si nulla hî[illegible] men[illegible] *sacrifi-ciorum*? Nam ne *Circumcisionis* quidem, quæ tamen non negatur efficax. Sed si non *hic*, er-gone aliàs *nusquam*. Imò illo ipso in Levitic[illegible] co. In prompt[illegible] caus[illegible] est: [illegible] liquidem apud Eze-[illegible] ielem de *remissione ipsa peccatorum* sermo est, non de *modo*, non de *mediis* [illegible]ve *instrumentis*. Itaque non tantùm *sacrificia* tacentur [illegible], sed [illegible] *no*[illegible] *a* quidem Sacrament[illegible] [illegible]m[illegible]mora[illegible]r. [illegible]nio 2. *Corinth.* 5. vers. 19. diserta al[illegible] ever[illegible] *re-mi*[illegible]*onis*, de *Baptismo* autem ne verbum quidem. N[illegible]ne ergo *Baptismus* pertinet ad remissi[illegible]nem? Non [illegible]ceth[illegible]c B[illegible]larminus. *C*[illegible]*em.* tom. 4. P[illegible]nstr. l. 3. c. 4. §. 4. & [illegible] p. 61. seq.

III. [illegible] *o*[illegible]*inus* in Prælec[illegible]. cap. [illegible]. stat[illegible]it, *Deum in Veteri Testamento voluisse citra satisfactionem* [illegible] *minibus peccata remittere*, [illegible] cum *nulla satisfa-ctionis hic fiat mentio*, *sed tantum morum mutan-dorum.*

[illegible]
ne [illegible]
sua [illegible] Quare
l ec [illegible]
10, in alii [illegible] m. [illegible]
tiphotin. 2 [illegible]

IV. Bellarmi [illegible] q. 4. [illegible]
promissionem istam [illegible] que condi-
tionatam; [illegible] remis-
sionem [illegible] ssa, & ob
[illegible] torum.

Rx. [illegible] ca [illegible] est. Non e-
nim [illegible] Evangelium nequam absolvat a
pe [illegible] tem, [illegible] orum operum
[illegible] quam [illegible]
ve [illegible] quæst [illegible] gratuita [illegible]
peccatorum remi[illegible], quare [illegible] entibus, & serio bo
norum operum studi[illegible] accen[illegible] proponitur & prædica-
tur, conferatur homi[illegible] ibus ob ul[illegible] conditionem. dis-
po[illegible]tem, meritum [illegible] id quod negamus. Brochm.
tom. 2. Syst. [illegible] eol. art. de Evang. c. 2. q. 3. p. 240. &
247. obj. 4.

V. Deus non punit in hac vita peccata post re-
missionem, quia se eorum non rec[illegible]turum promisit:
si quis vero [illegible] nomin[illegible] in [illegible] ciliationibus,
pu[illegible]atur, [illegible] memoriem offen[illegible]; eo ipso cer-
tum [illegible] amsumpturum, unde ce-
l bre [illegible] nomen.

Idem [illegible] tom. [illegible] 2. [illegible] Deum non esse
recordaturum iniquitatum, ut eas per æternam mor-
tem [illegible] qua pœ[illegible] in vita victurus sit: at in-
de [illegible] præter [illegible] mo[illegible]um, pa-
terno & cl[illegible] animo ad pœnam temporalem ob-
[illegible] o, pe[illegible] ita punire.

[illegible] 1.) [illegible] nomine non tantùm mors
[illegible] omni [illegible] licia peccatorum comprehen-
[illegible] in Adamo Genes. 2. vers. 17.
[illegible] morieris. (2.) Neque mica [illegible] est
[illegible] quia expressa est vita, concludit, alia
omnia removenda. [illegible]) Quibus vita æterna pr[illegible]
mittitur, iis omnia supplicia condonari, ex Scripturis
di[illegible]cimus. [illegible] tom. 3. Pansir. l. 23. c. 2 §. 17 38. 40.
44 p. 480. seq.

[illegible] qui [illegible] in hac vita agunt pœnitentiam,
nulla [illegible] hanc vitam in Purgatorio: iisdem
enim pr[illegible] De[illegible] non recordaturum ullorum
peccatorum, [illegible] admiserint; alioquin puniret Deus,
[illegible] peccatorum.

Respondet 1. Bellarminus l. 2. de Purg. c. 12. resp.
ad 4 [illegible] iniquitatum, non [illegible] nonpu-
[illegible], sed, non servare inimicitiam cum eis,
qui pecca[illegible].

Rx. [illegible] um est, non recordari [illegible]
non servare inimicitiam: siquidem Jesuita [illegible]
[illegible] bt. 10. interprete, idipsum [illegible]
impunit. iteus promittere peccatori, quod [illegible]
[illegible] urus a suppli[illegible]. (2. [illegible]
[illegible] Bellarmini, quasi Deus [illegible]
qua[illegible] perpetuo peccatori inimicum [illegible]
pr[illegible] hoc [illegible] itam æt[illegible]
[illegible] N[illegible] ordari iniquitatum [illegible] longè
a [illegible] quam longe abest [illegible] Oc-
[illegible] 12. earum [illegible] pœna ad [illegible]
perting[illegible] 4. [illegible] omnium ini-
quitatum [illegible] certe & tempora-
lium, ergo nec [illegible] amp[illegible]
g[illegible] pœ[illegible] hoc [illegible] Anselmo [illegible] non
[illegible] cl[illegible] obli[illegible] (Bel-
larmi [illegible] tor. cap. 4. ar[illegible] m. 4 ex
[illegible] Deus [illegible]

[illegible] de [illegible]
[illegible] non [illegible]
[illegible]
(6.) [illegible]
micitia, sublata [illegible]
[illegible] 9 c [illegible] que [illegible]
[illegible] e, odium [illegible]
nem.

2. Id. ibid. recordari [illegible] atum, [illegible]
pu[illegible]re, [illegible] pu[illegible] e in æ[illegible] num.

Rx. 1. N[illegible] a est [illegible] est [illegible]
[illegible] stian tempo[illegible] ntrari [illegible]
[illegible] sp [illegible] fœderis ac promi[illegible]
tis non [illegible] amplius, [illegible]
[illegible] in sua ini[illegible]
tur, qui [illegible] & [illegible]
tu [illegible] qua [illegible]
differt.

[illegible] Petr[illegible] b. [illegible] P[illegible] r. Deu[illegible]
[illegible] tur[illegible] p[illegible] pœ[illegible]
[illegible] um dij[illegible] dic [illegible], & quod [illegible]
[illegible] ebat, [illegible] est, qu[illegible]
in hoc seculo, ipsum expleturum [illegible]
cœlo.

Rx. Quos vero tud[illegible] fr[illegible] di[illegible]
re? An non-pœnitentes pr[illegible] ut [illegible] &
[illegible]? At istos exple[illegible] in futuro [illegible] quo
tandem [illegible] N[illegible] llos [illegible] imus [illegible] nquam ex[illegible]
re, nec ver[illegible] p[illegible] It[illegible] his nullum P[illegible]
rium est. An non se [illegible] pœnitentes, ut A[illegible]
& Ischar[illegible] Vei[illegible] hæc no[illegible] st vere conv[illegible]
ut quæ tantò pœnit[illegible] a du[illegible] at a Diab[illegible]
quanto antea ab[illegible] hebat [illegible] is non [illegible]
non seria pœnitentia [illegible] id[illegible] Pu[illegible]
rium. At ver[illegible] pœnitentes, [illegible] lam &
trum. At hi[illegible] P[illegible] pheta di[illegible] non comme-
moratum i[illegible] pec[illegible] ata [illegible] non [illegible] demu[illegible]
Pu[illegible] tor[illegible] a [illegible] ino[illegible] ne[illegible]
est. [illegible] mm. [illegible] P[illegible] g[illegible] Cham.
tom. 3. [illegible] l. 2. [illegible] 4 [illegible]
12 p. [illegible] An[illegible] tor. 2. Bellar[illegible] E[illegible]
1. p. 18[illegible]

VII. Za[illegible] hius [illegible] M[illegible] 88. & Cestern
par. [illegible] c. p. [illegible] Deum peccata se-
mel [illegible] ad judicii sui tribunal non revocare
q[illegible] ab [illegible] ute [illegible] nciet, [illegible] catorum. em-
ob[illegible] ion[illegible] adisse[illegible] m non amplius recordaturum
[illegible] e [illegible] vetiterum peccetis, a[illegible] quo
admeat[illegible]

[illegible] N. [illegible] n [illegible] et Deus [illegible] sa[illegible] n [illegible]
n[illegible] vos iterum peccet[illegible] tamen [illegible] te [illegible]
[illegible] expr[illegible] quand [illegible] affe[illegible]
mortuomnium priorum justitiarum [illegible] pe[illegible]
ta, & c[illegible] eq[illegible] e [illegible] an justitia imputata [illegible]
in [illegible] nepec[illegible] atorum co[illegible] bat: sim[illegible]
peccator, relapsus in securitatem, moriturus [illegible]
pec[illegible] atum, o[illegible] pecca[illegible] ubi nulla ex[illegible] ants [illegible]
rum peccatorum expri[illegible] itur. Neque e[illegible] n De[illegible]
ab[illegible] ta [illegible] me[illegible] ordinata, & in C[illegible]
ex[illegible] a, [illegible] a [illegible] priata, n[illegible] pe[illegible] at[illegible]
[illegible] Rom. 3. 25. [illegible] ue vitio n[illegible] str[illegible] unist[illegible]
[illegible] p [illegible] rab[illegible] Chr[illegible]
[illegible] la[illegible] e pe[illegible] ic[illegible]
6. [illegible] n [illegible] a[illegible] p. [illegible] the[illegible] 9 [illegible]
Feuver [illegible] 2. [illegible] Theol. [illegible] 6 [illegible] 18 [illegible]
p. 22 [illegible]

[illegible] auctor Herbornensis exi[illegible] c[illegible]
[illegible] tam [illegible] strorum [illegible] rum [illegible] e causam [illegible]
non justi[illegible] ntiom, eo [illegible] in justitia nostra [illegible]
cimus, vivamus.

[illegible]

Vers. 26. *Cum* [illegible]

Fundamen[illegible]

Vers. 27. [illegible]

[illegible] 4. docet, [illegible] *justitiam*, [illegible] *manducat* [illegible] *commu*[illegible]

[illegible] ia pendet *commi*[illegible]*tio mortis* [illegible] esse condi[illegible] a qua pe[illegible] pendium [illegible] *Rom.* 6 [illegible] p. Theol. [illegible] 2. de P[illegible] ad [illegible] *remunerare* [illegible]

[illegible]

[illegible] *ipse animam suam vivi-* [illegible]

[illegible] ulla fit men[illegible]o *justi[illegible]catio-* [illegible] *in versum à malo ad bonum.* [illegible] Pœni- [illegible] *animam [illegible]nam vivi[illegible]icat*, non ad *justi[illegible]cationem* [illegible] *aptando*, sed *removendo id, qu[illegible]d [illegible]nam ani-* [illegible] *impedire poterat*, nempe iniquitatem v.31. (3.) [illegible] ne [illegible] *renat[illegible] emetipsos facere*, hoc est, ad [illegible] *eneratio[illegible]em præparare*, longè absur[illegible]us est [illegible]am si [illegible]cat, *infantem in utero seipsum ad* [illegible] *vitam [illegible]rmare.* Nam homines *non-renati* [illegible]ccatis [illegible] mortui *Ephes.* 2. v.1. ergo semet- [illegible]o non *fa[illegible]*, & ad *justificationem atque vitam præparar[illegible]unt.* [illegible] 4.) Monent Grammatici, e[illegible]m [illegible], verba *affirmantia* sæpe poni pro *con[illegible]a[illegible] negantibus*: sic dicitur *nocere*, qui non p[illegible], qui non amat, *indurare*, qui non [illegible] [illegible]dem modo hic accipitur. *Vivifica-* [illegible] *animam suam*, id est, *non morietur, non peribit*, [illegible] *ita*[illegible] *ad vitam conservabitur*; quam expli- [illegible]cm[illegible]n[illegible]rmat oppositio in textu Prophetico, [illegible] 8. *[illegible]ita vivet, & n[illegible]n morietur.* B[illegible]ld. in Phosph. [illegible] l. 1. [illegible] c.1[illegible]. p.[illegible]90. seq. *Gerhard.* tom.2. LL. [illegible] c.14. d[illegible] L[illegible]b[illegible]. Arb. §. 42. p.911.912. seq. & [illegible]onfess. C[illegible]thol. l[illegible]b. 2. spec. par. 3. p. 30. arg. 1. *Ame[illegible]* tom.1. Bel[illegible]rm. Enerv. l.5. c.4. thes.10. p.115. [illegible] l[illegible]b.3. Phil[illegible]l. Sacr. tractat. 3. can. 19. pag. 285.

[illegible]ers. 30. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erunt vobis in ruinam.*

*Daventria* opinatus est, *pœnitentiam includere [illegible]atisfactionem*, quia *populus admoneatur, ut pœniteat [illegible] catorum, vindicetq; ea acriter.*

[illegible] 1. Illud, *pœnitere iniquitatum*, habet qui- [illegible] [illegible]opheta, sed illud, *vindicare ea acriter*, alie- [illegible] à Propheta, & Papisticum commentum. [illegible] Damus quoque *pœnitentiam imperari*: sed ad- [illegible]emus, nunc disputari, non utrum *sit pœniten-* [illegible], sed utrum *Deo satisfieri possit pro pœnis retentis*? [illegible] Phrasis hæc, *pœnitentiam agere ab omnibus in-[illegible]inamentis suis*, non sonat ullam *satisfactionem Papisticam*, sed *displicentiam peccati*: cur ergo *illam* intrudunt Papistæ? *Cham.* t[illegible]m. 3. Panstr. l.23. cap.8. §.40. p. 491.

Vers. 31. *Projecite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævari[illegible]cati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Hebraismus*: [illegible] וַעֲשׂוּ, *& facite vobis cor novum*, h.e. *nolite* [illegible] *O cor novum facienti reluctari*, sed *forinsecus* [illegible] *accommodate mediis, per quæ Deus cor novum* [illegible]*t.* (2.) *Metonymia causa* pro *effectu*: *nam spi-* [illegible] pro *viribus spiritualibus* & *mentis renova-* [illegible] [illegible]ecipitur. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tractat. [illegible] 2. m.4. p.294. & lib.5. tract.1. cap.1. m.1.

[illegible] *Bellarminus* l. 6. de Grat. & lib. arb. cap.10. [illegible] de *liberum hominis arbitrium e[illegible] culpere* [illegible] *hominis imperetur, ut faciat sibi cor no-vum,* [illegible] *itum novum.*

[illegible] I[illegible] ipsum quoque urserunt olim *Pela-* [illegible] *Au[illegible]ustinum* l[illegible]br. de Grat. & l[illegible]b. arb. [illegible] Bellarminus reus erit [illegible] *tla tanisime* [illegible] [illegible]ta non docet, q[illegible] *io novi cor-* [illegible] *us* [illegible] *it opus human*[illegible] *m* [illegible]*sum*, alias [illegible] *n cooperari*, sed *operat*[illegible]*ane* [illegible] mi- [illegible] c sp[illegible]us novitatem, a[illegible]quam Deus sua gratiâ ad ipsum [illegible] pro *Pelagio* [illegible]ntra *Bellarminum* [illegible] Deus ad hoc faciendum homines, [illegible] *mediorum divinitus ordinatorum*, quibus ut rite [illegible]ne r[illegible]luctantia utantur, & sic Deo, in ipsis cor novum & [illegible]um novum facienti, *Ezech.* 11. v.19. & c. 36. v.26. lo- [illegible]cum haud invitè concedant, vult & monet. [illegible]*emnit.* in Exam. Concil. Trid. par.1. p. 124. *Hunn*, tom. 4. Oper. Lat. p.32. b. *Balduin.* in Phosph. Cathol. [illegible]on[illegible]r Pazman. l.12. c.5. p.1106. *Gerhard.* tom. 2. LL. CC. loc. 14. de Lib. Arb. §.82. p.999.1000. seq. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract.3. can.22. m.4. p.295.

III. *Bellarminus* l. 2. de Pœnitent. cap.12. arg 1. putat *pœnitentiam esse causam justificationis*, eò quòd *dum pœnitentiam agimus, faciamus nobis cor novum & spiritum novum.*

℞. (1.) N. C. nam pœnitentia non est *causa* justificationis, sed ipsius *antecedens*, à *quo* ad *illam* non firma est sequela, (2.) Propheta ibi non docet, quid *homines suis viribus possint aut agant*; sed quid *Spiritus Sanctus in his*, aut quid *a Spiritu Sancto acti agant*, ut *E[illegible]ech.* 36. v. 26. Quare Deus, dum præcipit, ut faciamus nobis cor novum, per *ministerium verbi* donat id, quod à nobis requirit. *Gerhard.* tom.3. LL. CC. loc.18. de Pœnitent. §.87. p.820. seq. *Gisen.* de Papism. disp.34. [illegible]hes.26. & 27. p.608. & seq. *Scharp.* tom.1. Curs. Theol. artic. de Pœnit. controv. 3. obj. 2. p. 1064. & 1065. *Cham.* tom.5. Panstr. l.5. c.4. §. 19. p.195.

IV. *Bellarminus* l.1. de justif. c.13. di[illegible] pos. 7. docet, *propositum novæ vitæ, & observationis omnium mandatorum*, esse *dispositionem ad justificationem*; siq[illegible]em jubeamur *abjicere iniquitates, & nobis facere cor novum, ut vivamus.*

℞. (1.) Quis Bellarmino persuasit, Ezechielem agere de *justificatione*? At nos de *sanctificatione* potius. Neque enim *justificationem* nostram nos u[illegible]lo modo facimus, sed solus Deus in nobis, *Rom.* 8. v. 33. Quis enim unquam dixit, *ipsos sibi fideles condonare peccata*? Ast Propheta dicit *Projecite, facite.* (2.) Q[illegible]is persuasit, agere de *præparatione*, & non de *per[illegible]tione*? Nam *projicere* sive *abjicere omnes iniquitates*, non est, puto, *incipientium*, cui impares sunt ipsi *promotiores.* (3.) Quis persuasit, agere de *solo proposito novæ vitæ*, & non potiùs de *ipsa nova vita*? Atqui *nova vita* sanctificationis est. (4.) Propositum novæ vitæ ex vera & salutari pœnitentia velut preciosus quidam *fructus* efflorescit [illegible] ergo non potest esse *dispositio ad justificationem*, quippe quam *fides*, pars pœnitentiæ præcipua, jamdum obtinuit. (5.) Ipsa etiam *nova obedientia* est *fructus veræ conversionis*: non enim locum habet *renovatio*, ubi non adest prius *regeneratio*, per quam reddimur Dei [illegible]ii; hæc ergo *interior* renovatio, & *exterior* nova obœdientia non *præcedit* justificationem, ut *dispositio*, sed *sequitur* eam, ut *effectus* inno[illegible]is. Quos enim Deus justificat, eos per Spiritum [illegible]um renovat, & iis dat cor novum, ut ambulent secundum spiritum, non s[illegible]cundùm carnem, *Rom.* 8. [illegible].10. *Gerhard.* tom.3. LL. CC. loc.19. de justif. §.1[illegible]3. p. 1464. seq. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. art. [illegible]e justif. controv. 8. obj. 21. p. 895. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 22. c.9. §.51. seq. p 472.

Vers. 32. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: Revertimini, & vivite.*

Controversias, hic motas, vide decisas in Vindic. *Ezech.* 33. v.11.

CAP. XIX. v.4. *[illegible] cum [illegible] rete eorum captus est, & a[illegible]verunt eum [illegible] hamis ad terram Ægypti.*

Ezechiel usurpat (1.) Syrach[illegible]: *Audiver[illegible]* ad e[illegible]m, h.c. *audientes concurre[illegible]* in eum, [illegible] *Metaphoram*: quia *rete* pro *in[illegible]*. & *hamos* [illegible] *catenas* accipit. *Ariam.* par. 4. Bibl. p.117. [illegible] lib.3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p.231. Confer lib. 5. tract.1 cap.11. p.321.

Vers.5. *Et vidit, quod expectaverat esset, & peri[illegible] expectatio sua; & tulit unum de catulis suis, leunculum posuit eum.*

I. Est hic (1.) *Ellipsis*: Et *vidit*, scil. mater ejus (Joachazi) ex v.2. Item deest ו ET, ante nomen, כְּפִיר, *leuncalum*, pro *Et* leunculum. (2.) *Pleonasmus*. redundat enim ו ET in verbo, וַתִּקַּח *& tulit*. (3.) *Metaphora*: quia *Iehojakimus* dicitur *leunculus*, ob *sævitiam & tyrannidem*, Ariæm. par. 4. Bibl. p.117. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 447. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 784. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.11. p.322.

II. *Arias Montanus* inter *idiotismos Hebrææ linguæ* ponit & hunc, num.22. *participium præteriti nonnunquam actionem finitam & præteritam atque transactam* notare, ut hoc in loco: Et *vidit*; *quod exspectatum esset*, id est, *quod expectari desitum esset, nihilq; juvisset illa expectatio.*

℞. Exemplum hoc regulæ non satis quadrare videtur: siquidem in eo non præteritum *participium*, sed ipsum *verbum* præteritum fœmininum extat: *Et vidit* כִּי נוֹחֲלָה (in participio esset נוֹחָלָה cum *Cametz*) *quod spe suffulta fuisset*, seu *spe aluisset se* (hæc est ipsius *spei* deceptio, sequitur in textu *ejus frustratio*) אָבְדָה תִּקְוָתָהּ (&) *periisset exspectatio ejus*, Junius: *Videns autem illa, cum spe aluisset sese, periisse expectationem suam.* Glass. l.3. Philol. sacr. tractat. 4. can. 1. not. 2. p.407. seq.

Vers.7. *Et cognovit viduas ejus, & civitates eorum desolavit &c.*

En (1.) Euphemismum; *Cognovit viduas*, i.e. *rem habuit cum viduis*, Junius in Not. ad h.l. p. 784. ita exponit: *De bonis eorum & facultatibus pro libitu suo statuit.* (2.) *Hebraismum*: Civitates eorum *desolavit*, h.c. *devastationis occasionem præbuit*, R. *Kimchi* interpretc. Vatabl. in Annot. ad h.l. p.447. Glass. lib.3. Philol. Sacr. tract.3. can.10. p.255.

Vers.10. *Mater tua fuit tanquam vitis in sanguine tuo &c.*

*Metaphora* est, quâ *sanguis* pro *vino rubro* accipitur. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tractat.1. cap.11. p.315.

CAP. XX. v.6. *In die illa levavi manum meam eis, ad educendum eos de terra Ægypti, ad terram, quam exploravi eis, fluentem lacte & melle, gloriam ipsa omnium [illegible]onum.*

Verba hæc continent [1.] *Ἀνθρωποπάθειαν*: DEUS enim dicitur tum *manum suam levare*, h. e. *juvare*; hujus enim signum est *manûs levatio*, Gen. 14. v. 22. tum *explorare terram*, i.e. *de sede commodissima sedulo & gratiose prospicere.* [2.] *Synecdochen speciei pro genere*. nam *terra fluens lacte & melle*, est *abundans quibusvis rebus optimis* [illegible] *gravi[illegible]mis.* Jun. in Not. ad h.l. p. [illegible]5. *Glass.* lib [illegible] Philol. Sacr. tract.1. cap.7. p.110. 145. cap. [illegible].m.[illegible].p.448. seq.

Vers.7. *Et dixi ad eos: Unusquisq; abominationes oculorum suorum projicite, & in idolis Ægypti ne polluatis vos: Ego [illegible]*

[illegible] *Hebraismus* [illegible] שִׁקּוּצֵי עֵינָיו, *abominati[illegible] oculorum suorum*, h[illegible] *oculis [illegible] placentes*, seu *q[illegible] precii habent*, & [illegible] *quibus [illegible] pendent, in eas quasi perpetuo respicie[illegible]*. Intelligitur *id[illegible]latria* [illegible] minibus corruptis p[illegible]ns, at DEO [illegible] & abominabil[illegible] *Glass.* lib.3. Philol. Sac. t[illegible] can.30. m.[illegible] p.1[illegible].

Vers.11. *Dedi eis præcepta mea, [illegible] judicia mea o[illegible] di eis, quæ faciens homo, vivet in eis.*

Controversias, circa locum hunc agitatas, [illegible] enodatas io Vindic. *Levit.* 18. v. 5.

Vers.18. *In præceptis patrum vestrorum nolite [illegible] cedere, nec judicia eorum custodiatis, &c*

I. *Donatistæ* docuerunt, *propter malos schi[illegible] necessariò faciendum esse*, eo quod *in præceptis [illegible] trum non incedendum, nec judicia eorum custo[illegible] da sint.*

℞. N. C. Propheta enim saltem hoc vult, [illegible]e Judæi observent ea, *quæ in religionis negocio [illegible] ponantur observanda à Patribus suis extra verbum Dei*, idque etiam pii fecerunt: nemo tame[illegible] altare sibi reparavit, neque ab unitate rece[illegible] ([illegible] que Propheta non hoc voluit, ut Judæi *a popu[illegible] Dei scinderentur.* Certè *Davidi*, *Apostolo* & [illegible] inter contemptores legis, Dei mandata servare [illegible]cuit: *Augustin.* l.1. contr. Crescon. c.38.) *Histor. Magdeb.* Cent. 5. cap. 5. p.631. 634. 640. *Osiand.* tom.2. Paraphr. Bibl. p.308.

II. *In negocio fidei & religionis traditiones majorum non-scripta admitti non debent*: Deus enim *Iudæis* prohibuit, *ne in præceptis patrum suorum incederent*, *nec eorum* judicia custodirent, præter *Scripturam* tradita in *cultûs* ratione.

*Pazmannus* in Hodeg. excipit, Dominum h[illegible]c tantum prohibere, ne Judæi [illegible] præceptis pat[illegible]um suorum incederent, *ac eorum idolis polluerentur*

℞. [1.] Acceptamus hoc, & inferimus qu[illegible]que inde, *Deo non placere cultus electitios ex[illegible]a Scripturam excogitatos*. nam & per *idola* patres putabant, se colere *verum Deum*: quod cum [illegible] ipsis non præceperit, certè prohibuit, & pr[illegible] *idololatria* habuit. De *similibus* idem est judicium. [2.] Neque tamen Deus de *idolis saltem*, sed & *judiciis & præceptis patrum* loquitur, quæ, utut bonâ intentione proposita fuerint. Deus tamen rej[illegible]cit ac improbat, quia non *divinitus præcepta* erant v.19. Unde solidè infertur, quòd in *cultu divino* nihil extra Dei verbum ex propria intentione & studio sit suscipiendum. *Balduin.* in Phosph. Cathol. l.6.c.12. p. 653. *Cham.* tom.1. Panstr. l.8. c.12. § 3. p.125.

III. *Ἐναντιοφανείας* quandam hic occurrentem, vide conciliatam in Vindic. *Prov.* 22. v.28. m.t.

Vers.25. *Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent.*

I. In Hebræo textu elegans est *Antanaclasis*. Nam v.24. *Eò quod* חֻקּוֹתַי *statuta mea spernerent* &c. [quæ dederam eis, v.11.] v.25. *Et ego etiam dedi eis* חֻקִּים, *statuta non bona*. Priori loco *statuta* DEI, ipsius *divinum verbum* est; posteriori *divina pœna*, per allusionem quandam ad prius [illegible]ud sic dictæ. *Glass.* [illegible]b.[illegible]. Philol. Sacr. tract. 2. cap.3. p.5[illegible]

II. *Manichæi* Scripturam V. T. tanquam *non bonam* [illegible]jec[illegible]unt, eo quod Deus Judæis dicatur dedisse *præcepta non bona*, & *judicia, in quibus non vivent*: legem verò non dici *bonam*, nisi propter *bonitatem præceptorum.*

℞. [1.]

… der tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 308. … ponit pro *permisit*, adeo ut Propheta … ur de præceptis *divinitus datis*, … *humanitus excogitatis*, hoc sensu: *Permisi, ut talem religionem eclararentur Israelita, quaneq; conscientia tranquillitatem, neq; salutem æternam illis … erret.* … *Junius* in Schol. Bibl. ad h. l. n. 19. seq. p. 785. nom … e *præceptorum* intelligit *specimina pænarum*, in Israelitis statuta, quæ ipsis *incommoda noxiaq;* fuerint, ut *hiatus terræ*, num. 16. v. … *plaga pestilens*, Num. 17. v. 12. *serpentes*, Num. 21. … 6. … mine verò *judiciorum* sententias juridicas, … *ume* … 5. v. 5. quæ sententias *mortis* continent. Vide *Thom. de Aquin.* in 1. 2. q. 98. art. 1. ad … in Theol. Schol. par. 2. tom. 1. tract. 3. c. 4. q. … & 4. p. 227. & 229.

Vers. 26. … *impuravi ipsos cum donis ipsorum, in tra… ascendo omnem aperitionem vulva.* &c.

… *Hebraismum*: נַאֲטַמֵּא, & *impuravi*, h. … *impuros* … *e ostendi*, & *ut impuros tractavi*, & a me … (2.) *Enallagen* abstracti, *apertio* … pro concreto, *aperiens vulvam*, i. e. *primogenitum*, Jun. in Not. ad h. l. p. 785. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 15. p. 269.

Vers. 32. *Et quod ascendit ex spiritu vestro, essendo non erit; quia vos dicitis: Erimus sicut gentes, sicut cognationes terrarum, ad ministrandum ligno & lapidi.*

Offert se (1.) *Metonymia* tum *subjecti* pro *adjuncto*, quia *spiritus* pro *animo* est *ejusq; cogitatis*: tum *materia* pro *materiato*, quoniam *lignum* & *lapis* pro *idolis ex ligno & lapide sculptis*, ponuntur. (2.) Epizeuxis: *Essendo non erit*, h. e. *penitus non erit*, seu *minimè omnium futurum est*. Vatabl. in annot. ad h. l. p. 451. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 6. can. 12. m. 7. p. 550.

Vers. 39. *Unusquisq; idola sua agedum colite, etiam postea*, &c.

*Ironia* est, quâ abdicationem gravissimè Deus denunciat & tacitè ad *contrarium huic sermoni*, verum scil. Dei cultum & pietatem, eos invitat. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 5. p. 85.

Vers. 47. *Ecce ego succendo in te ignem, & comedet in te omne lignum viride, & omne lignum aridum, non extinguetur flamma flamma* &c.

Deprehenditur hoc loco (1.) *Enallage temporis* præsentis, *succendo*, pro futuro, *succendam*, i. e. *paratus sum succendere* &c. (2.) *Prosopopæia*, quâ *comedere* tribuitur *igni consumenti*. (3.) *Metaphora*, tum quia, *ignem succendere*, est, *maximam afflictionem immittere*; tum quia per *lignum viride* intelligitur *justus*, per *lignum aridum* verò *improbus*, Luc. 23. v. 31. (5.) Hebraismus: *Flamma flamma*, h. e. *inflammatissima*, seu *maximi ignis flamma*; … autem significat *afflictionem diuturnam*, veluti … ma altera alteram excipit, *Vatabl.* in Annot. … l. p. 452. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 786. … b. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can 32. p. 116.

V… *Ipsi dicunt mihi: Annon parabolizans … ius iste?*

E… e est *participium* in Piel pro *nomine*: מְמַשֵּׁל מְשָׁלִים, *parabolizans parabolas*, q. d. *proverbi… tor proverbiorum*, seu *proverbiorum* … : h. e. obscure loquitur iste. Luth. Dieser redet eitel verdeckte Wort. *Glass.* lib. 2. Philo. Sacr. tract. 2. par. 1. sect. 5. art. 1. m. 3. p. 478. & lib. 3 tract. 4. can. 2. m. 1. p. 409.

CAP. XXI. v. 3. *Ecce ego ad te, & educam gladium meum de vagina sua, & exscindam ex te justum & impium.*

In textu hoc habetur (1.) *Ellipsis* verbi: *Ecce ego*, scil. *veniam*. (2.) ἀνθρωποπάθεια: nam *gladius*, DEO tributus, *ira & vindictæ index atq; symbolum* est. (3.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: siquidem *justus* dicitur, qui *exteriore forma justitiæ*, quâ homo coram alio justus censetur, pollet, quamvis in judicio Dei (qui formam *justitiæ interioris* verum petit respicitque) injustus sit. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 119. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 4. m. 4. p. 62. & cap. 7. p. 155.

Vers. 7. *Et dices; Propter auditum, quia venit, & liquefiet omne cor, & remittentur omnes manus, & rugabitur omnis spiritus, & omnia genua ibunt aqua* &c.

Ezechiel adhibet (1.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: quia *auditum* pro *rumore* accipit. (2.) *Enallagen temporis* præteriti, *venit*, pro futuro, *veniet*. (3.) *Metaphoram*: dicit enim *cor liquefieri* h. e. *animum consternari*, (4.) *Ellipsin* particulæ comparativæ כ: *Ibunt* tanquam *aqua*, à vento exagitatæ. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 119. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 453. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 10. p. 264.

Vers. 10. *Ut mactet mactationem, exacutus est: ut sit ei coruscatio, tersus est: aut gaudebimus, virga filii mei, spernens omne lignum.*

Iteratur [1.] *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *mactatio* pro *mactandis* est. [2.] *Ellipsis* verbi à *Virga filii mei*, scil. הִיא, *adest*, ex v. 13. seu *parata est*, vobisque imminet. [3.] *Metaphora*: nomine enim *virga* intelligitur *castigatio*, de qua Psal. 2. v. 9. & quidem talis, *qua spernit omne lignum*, q. d. longè duriori materia constat, quam quodvis lignum est, quia *ferrea* est, *Jun.* in Not. ad h. l. p. 787. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 163.

Vers. 17. *Ego plaudam manum manu, & implebo indignationem meam, ego Dominus locutus sum.*

Aliam quandam hîc loci apparentem ἀντιλογίαν conciliatam vide in Vindic. *Prov.* 1. v. 26. m. 2.

Vers. 15. *Ut liquefiat cor, & multiplices offendicula* &c.

Conjunctio causalis לְמַעַן UT sumitur eventualiter: *Ut liquefiat cor*, h. e. *ex quo fiet*, ut animus præ terroribus consternetur. *Est* autem *pleonasmus* præfixi ל in verbo לָמוּג *liquefiat*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr, tract. 7. can. 19. p. 620.

Vers. 21. *Nam stetit Rex Babel ad matrem viæ, in capite duarum viarum, ad divinandum divinationem* &c.

En (1.) *Enallagen temporis* præteriti, *stetit*, prò futuro, *stabit*. (2.) *Prosopopæiam*: bivium enim vocatur *mater viæ*, quia ex ea duæ viæ, quasi filiæ oriuntur; statim etiam *caput duarum viarum* ibidem appellatur. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 787. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 203.

Vers. 26. *Cujus venit dies ejus, in tempore iniquitas termini.*

Est hic (1.) *Pleonasmus*: τὸ *ejus* enim abundat (2.) Hypallage: *Iniquitas termini*, h. e. *terminus iniquitatis*. Ariam. par. 4. Bibl. p. 120. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 788.

Vers. 26. *Remove cidarim & tolle coronam: hæc non hæc, depressum exalta, & altum deprime.*

Recurrit [1.] *Hebraismus*: Jubetur enim Propheta hæc *facere*, h. e. *sermone Prophetico*, quòd futura sint, *denunciare*. [2.] *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *cidaris* signum erat *dignitatis*

Pont. ... ornament ... figni... P ... & rel num. ... in ... not. ... h. l. p. 55. Iun. in N. ad ... p. 7... Glaff. lib. 3. Philol. Sacr. t... c ... 15. p. 269.

Vers. 27. *Obliquam, obliquam, obliquam ponam coronam Regi Zedechiæ.*

*Smalcius* contr. Sch... per. d... nn. p. 13 autumat, trina nominis, *Sanctus* re... itione, *Esa.* 6. v. 3. non innui *personarum divinarum trinitatem*: cum nec trina vocis, *obliquam*, repetitio, *res*, cujus ibi mentio fit, *triplicitatem* indicet.

R. (1.) Quidam trinam hanc repetitionem de triplici ... Judæorum acceperunt *clade*, quarum prima a *Babyloniis*, secunda ab *Antiocho*, tertia a *Romanis*, eidem illata est; quæ *ultima* demum populo πανωλεθρίαν attulit. (2.) Non incommode hic locus Propheticus ad *Trinitatem personarum in Deo* referri potest; tum quia Deus quasi apud seipsum jurat, se certè id præstiturum, quàm verè sit *Pater, Filius & Spiritus Sanctus*, unus verus Deus; tum quia *tota Trinitas*, quippe cujus opera ad extra sunt indivisa, cladem illam intulit, *Iacob. Martin.* l. 2. de trib. Eloh. c. 28. f. q. p. 355. & 361. *Gerhard.* par. 2. dispp. Theolog. p. 1222. 1228. seq. *Glaff.* lib. 3. Philol. sact. tract. 2. can. 5. p. 18. m. 1.

Vers. 28. *Sic dixit Dominus Deus Israëlis de filiis Ammon, & de opprobrio eorum, dices: Gladius gladius districtus, id ad jugulationem* &c.

Offert ... 1. *Hebraismus*: De *filiis Ammon*, i. e. de *Ammonitis*. & *de opprobrio eorum*, videl. *quo mox inde ... affecerint.* c. 25. v. 6. (2.) *Enallage* indicativi, *dicet*, pro imperativo, *dic.* (3.) Epizeuxis. ... *gladius*, i. e. *multiplex gladius*. Vatabl. in A... ad h. l. p. 455. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 788. & Glaff. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 3... p. 105.

Vers. 29. *Ad dandum te ad cervices confossorum improborum, quorum venit dies eorum, iniquitas terminis.*

Repetitur ... Hebraismus. *Ad dandum te ad* ... *in voce* ... *um*, i. e. *revolando in misera judæorum co... m corpora.* Zephan 2. v. 9. (2.) Ellipsis: *Imp... ... rum.* h. e. *ab impiis.* (3.) *Pleonasmus*: nam ly ... abundat. ... *Metonymia adjuncti* pr... ... Qu... um *dies* ... h. e. *quos jam ...* Deus, ... *ultimo supplicio afficit*, propter ... pr... ... ipsorum. S... cap. 22. v. 4. (5.) Hyp... ge. *Iniquitas terminis*, pro, *terminus* ... *Aivin.* par. 4. Bibl. p. 120. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 788. *Glaff.* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 58. seq.

Vers. 30. *Num reducere ad vaginam suam? in loco, quo creata fuisti, in terra mansionum tuarum judicabo te.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Enallage* infinitivi, *reducere*, pro futuro indicativi, *reducam.* (2.) *Ellipsis* nominis. *Num reducam*, subint. *gladium.* (3.) Hebraismus: בִּמְקוֹם אֲשֶׁר נִבְרֵאת *in loco, quo creata fuisti*, q. d. in ... *tua.* Jun. in Bibl. h. l. p. 788. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 455. *Glaff.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 2. p. 115.

CAP. XXII. ... *Nuditatem patris revelavit in te, immundam mens... ... xaerunt in te.*

Pro... (1.) ... *nominis*, ex voce patris ... *Revelavit*, scil. *filia.* (2.) *Euphemismus*: siquidem *nuditatem patris revelare*, describit *incestum*, cum filiæ cum patribus concubuerunt. *Levit.* 18. v. 7. *Inn.* in Bibl. h. l. p. 789.

... eund. ... 2. observ. 7. ...

V... ... *annos accepi* ... *ad proximi tui* ... *aude*, ... *mei oblita fui* ...

Occurrit 1. E... nominis: *Accepi* ... *... etas*; nam est verbum fœmineum. (2.) *Ad... mia* tum *subjecti* pro adjuncto: *Accepisti* ... i. e. *cives tui acceperunt*: tum *causa* pro *effectu*: ... *oblivisci Iehovæ*, *coram contumaciam*, *infidelitatem* ... *impietatem* importat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. ...6 *Glaff.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. ... m. 3. n... p. 15.

Vers. 24. *Fili hominis, dic ei: Tu terra non munda ... ta ipsa, non pluvia ejus in die indignationis.*

In versu hoc habetur 1. Pleonasmus ... *minis*, h. e. *homo.* 2. *Ellipsis*: Tu es terra, *quæ mundata*, *non pluvia ejus*, scil. *descendit.* 3. ... pronominis demonstrativi, הִיא *ipsa*, pro ... substantivo, *eli.* 4. *Metaphora*: Non *pluvia* ... &c. h. e. non *sentiet levamen vel relaxationem* ... *in pœnis divinitus inflictis.* Ariam. par. 4. B... *Glaff.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 14... lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 252.

Vers. 27. *Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem* ...

*Thomas de Aquino* in 22. q. 69. art. 4. ... p. 132. statuit, *posse quempiam judi... ... mnantis, vi licitè resistere*, quoniam *judex* ... *damnans similis sit latroni, imò lupo*, ut liceat ... re vi quadam.

R. Hoc plane impertinenter allegatur. Nam ... ibi non fit sermo de *iniquis per modum judicii condemnationibus*, sed de *publicis latrociniis & ...* [2] Nec agitur de *judicibus, pro tribunali* ... *bus*, sed de *quibusvis magnatibus.* (3.) Neque dicitur vel saltem innuitur, quod *privato* liceat, ... condemnentur, per vim resistere judici; cum ... hoc exinde probandum erat. (4.) Principes ... *tyrannici* comparantur *lupis*, ... qu... tur ... *possi licet occidere*, ergo *& quosvis Principes tyrannicos*; quia similia non sunt ultra ... dicunt tendendum. Comparantur nimirum illi cum *lupis* ... onc *ferocitatis & rapinæ*, non autem ratione ... velut in utroque idem jus habeatur. 5.) Aliud ... *Princeps tyrannicus*, & aliud *judex iniquus.* De ... Ezechiel loquitur, de *hoc* quæstio inter nos & ... pistas agitatur. *Meisner.* par. 3. Philol. sobr. sect. 2. c. 5. q. 6. p. 809.

Vers. 30. *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inveni.*

I. En (1.) ἀνθρωποπάθεια: DEO enim tribuitur *quæsitio*, quâ notatur DEI *desiderium & voluntas seria.* (2.) *Metaphoram*: nam *sepire sepem*, est, *malo irrumpenti diligenter obsistere.* Glaff. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. ... p. 145. & cap. 12. p. 38...

II. *Papista* ex eo colligunt, *Sanctos demortuos intercedere pro vivis*, quia *eorum preces pro terra conquirat Deus.*

R. (1.) Testimonium hoc expressè loquitur de *vivorum orationibus in hac vita*, ut olim erant *Abraham, Moses, Samuel*, & ... qui pro populo intercedebant. at quæstio est de iis, *qui ex hac vita de... runt*, de quorum precibus *in particulari* nihil ... Scriptura Canonica. (2.) Deus ... *nullum invenisse*: ast, ut *Papistæ* volunt, *Sancti demortui semper intercedunt in particulari pro vi... hac terra.* Chemnit. in Exam. Concil. Trid. par. 3. p. 6... b. *Scharp.* tom. 2. Curs. Theol. art. de Eccles. triumph. q. 4. obj. 15. p. 1512. seq.

CAP.

... *Et vidit soror ejus Aholibah, & ... amasiationem suam præ illa &* ... est. *Corrupit amasiationem suam* ... c. *corruptius egit amasiam, quam* ... 4. ... Sacr. tract. ... v. 4.

... *os alsheo lumbis suis superfluos* ...

... is fuit tantum superfluos tin- ... b. 3. Phil. Sacr. tract. ...

... *est anima mea ab ea, quemad- ... recessit anima mea a sorore ejus* ... nam *anima* DEI ... abs ... & cont... Domini ... *recessit* ... & ... ta pu... 5. ... cap.

... *avit fornicationes suas, re- ... tia sua*

*Metonymia causæ pro* ... Record. ... *pueritiæ* ... *& recordata* ... *vocando* ... *exercendo priorem suam scorta-* ... *m fuit* ... p. ... ol. ... p. 1. m. 3. ... p. 15. seq.

... 2... *tecum in odio, & tollent omnem laborem tuum, & relinquent te nuditatem & retectam*...

Iteratur ... *Metonymia causæ pro effectu*: nam ... pro ... *labore partu* ... 2. *Hebra-* ... R. ... *nuditatem* ... *retectionem*, h. ... *issimam retectam* ... *imam*. Vatabl. in Annot. ad ... *Jun.* in Not. ad eund. ... c. ... 791. *Glass.* ... Sacr. tract. 1. cap. ... p. 12.

... *sororis tuæ bibes profundum & la-* ... *tum* ...

Ver... ent ... *Metonymiam subjecti pro adjuncto* ... *calix pro ... uore*, ... ento, ... ux bibitur ... ex calice quorum ... s. 2. ... *metaphoram*: ... ta calix ... at pœnas ... (3) ... *latitudinem* ... h. c. *amplissimum* ... Annot. ad ... p. m ... 4.

V... 3... *ta es mei, & projecisti me post corpus tuum, & etiam tu porta scelus tuum & fornicationes tuas*.

Recurrit ... *Metonymia causæ pro effectu* tum quia obl... Jehovæ, impo... rdu contumaciam, ... *bitatem & impietatem* ... *scelus* ... *boportat* ... *reatum pænæ*. ... *Synecdoch* ... *partis*, nam *corpus post tergo* est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 461. ... lib. ... Phil. Sacr. tract. 1. ... p. 11. & 15.

... *Mundavit te, & non es mundata a sordibus tuis*.

... us ... contradicere videtur ... *mam mundatam* ... *ipsam tamen non* ... *que mundata fuit* ... Deus eam mun... bun... *mundavi te conatu agendi* ... it: *Mundavi te*, h. c. *mundare* ... Prophetas ... *moral.* ... non ... h. ... *minis* ... *orum* ... *sat lac* ... *ata* ...

Est ... ad ... pro subjecto. *Desiderium oculorum tuorum*, i.e. *uxorem desideratam ac impense amatam tibi*, ... 8. ... to ha- ... *E*... Ne ve... *as*, ... nt. *super genas tuas*. Vatabl. in Annot. ad ... 3. ... lib. 5. Philol. Sacr. ... m. 5 p. 6.

Vers. 17. *... ama de tace ... m luctum non facies, ... am tuam liga super te, & calceos tuos ... pedibus tuis, & non involves super mystacem, & panem hominum non comedes*.

R... Elliptitum præpositio- ... מ A ... האנק ... *mando* pro מהאנק *a lamando*: tum ... *panem hominum*, sc. *lugen-* ... 2. ... אבל ... *mortuorum lu-* ... *um*, ... אנ ... *luctum mortuorum*. No- ... en ... al ... g ... u He- ... ræi ... xc ... *Enallage temporis* ... uti indi- ... cati ... *facies* ... *involves*, *comedes* ... impera- tivo *fac, pone* ... *comede*. ... *Synecdoche* ... m *totius pro parte* ... Super te, i.e. *capite tuo* v. 23. ... *speciei pro genere* quia *panem comedere*, est, *victum sumere* ... m. pa... 4. Bibl. p. 223. *Vatabl.* in Annot. ad ... 363. *Jun.* in Not. ad eund. ... c. 93 & ... 4. Phil. Sacr. tract. 2. ob- serv. 13. ...

Vers. 21. *Ecce ego polluo sanctuarium meum, excellentiam roboris vestri, desiderium oculorum vestrorum, & indulgentiam animæ vestræ* &c.

Iteratur ... *Enallage temporis* præsentis, *polluo*, pro futuro, *polluam*, i.e. *gentibus pollutis exposituris sum*, c. ... 22. ... Synecdoche: *Sanctuarium meum*, h. e. *templum* ... *omnia, ad cultum sacrum pertinentia*. ... *Metonymia adjuncti pro subjecto*: *Desiderium oculorum vestrorum*, h. e. *id quod desiderant oculi vestri*, seu *quod amatis* ... in deliciis habetis, v. 25. *Oculis* enim adscribitur quod *animi* ... *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 464. *Jun.* in Not. ad ... loc. p. 793. *Glass.* lib. 5. Philol. ... tract. 1. ... p. 66.

CAP. XXV. ... *Ecce ego extendi manum meam super te & dabo te in prædam* &c.

§. 1. *Deus hu...atus dicitur extendere manum suam*, i.e. *pœnam immittere*. § ... quod est in ... *in cibum* ut Arias vertit, M... ... *prædam*. R. ... גרי ... ut sit ... גזר ... spectat Masorethicorum nota ... hanc vocem, ... amplius extare scriptam cum ה, *Glass.* lib. ... Philol. Sacr. tract. 2. m. 2. p. 166. ... 5. tract. 1. c... p. ...

Vers. 16. *Ecce ego extendo manum meam super Philisthæos, & ... Cerethæos*.

*Paronomasia* est: nam *Philistæos* ... *Chetæos* ... כרת ... ut ad verbum ... *excidam*, ... in Not. ad h... 94. ... lib. 5. Phil. Sacr. ... 2. p. ...

CAP. XX... v. ... *hominis, eo ... Tyrus sup ... porta ... corte ... pu... me* &c.

Ecce te ... *portam* ... *ub* ... *po ... te*, ... *porta* ... *p* ... *in porta* ... pat ... *refti* ... *nvertus* ... *am*. par. 4. ... Phil. ... p. 466. ... Sacr. ... p. 790.

... 5. *Expansio sagenarum* ... *medio maris* ...

*Metonymia* est *adjuncti* pro subjecto: *Expansio sagenarum* &c. h.e. *locus expandendis sagenis* atque fit etiam v.14. *Iun.* in Not. ad h.l. p.795. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract.1. cap.4. m.2. p.55.

Vers.8. *Filias tuas per agrum gladio interficiet, & dabit contra te propugnaculum, & effundet contra te aggerem, & excitabit contra te clypeum.*

Ecce (1.) *Prosopopœiam*: quia *villæ*, earumque incolæ, dicuntur *filiæ Tyri*, urbis metropolitanæ, (2.) *Metonymiam adjuncti* pro subjecto: *clypeus* enim pro *milite clypeato*, seu *acie clypeis in bellum instructa*, accipitur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.466. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.4. m.2. p.53.

Vers.9. *Et percussionem adversi suis dabit* &c.

*Periphrasis* est: nam *aries*, *helepolis* (machina bellica adversus muros directa) nuncupatur מְחִי. קָבָלּוֹ *percussio adversi sui*, seu *delens, quod adversum sibi est*. Jun. in Not. ad h.l. p.795. & *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract.2. cap.7. p.577.

Vers.14. *Et dabo te in summitatem petræ, expansio sagenarum eris, non ædificaberis ultra* &c.

Vaticinium hoc veritati non videtur consonum: nam *Tyrus, postquam destructa est, reædificata fuit*; quâ igitur veritatis specie dici potest, *ipsam non reædificatum iri*.

Rt. Verba Prophetæ non *simpliciter* accipienda sunt, sed *secundum quid*, ratione *qualitatum* ut *hu[?] Tyri*. Non *ædificaberis amplius*, videlicet *cà elegantia, dignitate & celebritate, qua fuisti antea* Jun. in Schol. Bibl. ad h.l. n.17. p.795. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.3. can.14. p.264.

Vers.17. *Quomodo periisti, habitata à maribus, urbs laudata?*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: Habitata *à maribus*, h.e. *à maritimis accolis*, Glass. lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.3. m.2. p.37.

CAP. XXVII. v.4. *In corde maris termini tui sunt* &c.

*Pleonasmus* est: *In corde maris*, h.e. in *mari*: siquidem *intra mare* urbs illa Tyrus fuit sita, non procul à continente distans. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can.38. p.151.

Vers. 6. *Tabulatum tuum fecerunt ex dente filia gressuum* &c.

Offendis (1.) *Ellipsin* nominis: *Fecerunt*, subint. *artifices*. (2.) Hebraismus. *Dens filia gressuum*, h.e. *ebur gressibus tritum*. Illud enim dentium *germanum ebur* est & præstantissimum, quod ab elephantibus decoditur in terram, & in ea per justum tempus pedibus tritum est. *Plin.* lib. 8. Hist. natur. c.3. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can.36. m.6. p.137. seq.

Vers.23. *Haran, & Chenne, & Eden, negociatores tui Saba.*

Argumentum nostrum, pro *situ Paradisi intra vel prope Mesopotamiam*, vide ab exceptione *Cajetani* vindicatum, in Vindic. *Esa.* 37. v.12.

Vers.28. *Ad vocem clamoris gubernatorum tuorum commovebuntur suburbia tua* &c.

In textu hoc habetur (1.) *Pleonasmus*. Ad *vocem clamoris*, h.e. per *clamorem*. (2.) Hyperbole. *Commovebuntur* מִגְרָשׁוֹת *suburbia tua* [?], h.e. *mare ipsum quasi exhorrescet, & fluctus excitabuntur*. Vox Hebræa à גרש est, ut *Esa.* 57. v.24. de *mari* per *strepente, & fluctus eijciente*, usurpatur. Chaldæus ea [?] *suburbia*, sensu eo, quòd suburbia Tyri commota fuerint. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract.1. cap.[?] p.472.

CAP. XXVIII. v.2. *Eo quòd elevatum est cor tuum, & dixisti; Deus ego sum*, &c.

*Papistæ* quidam opinantur, *Principem* [?] *Angelicæ* [?] *ad* [?] *onem hypostaticam*, [?] *Diaboli cor ita elatum fuerit*, *ut voluerit* [?] *similis*.

Rt. (1.) Ad *literam* sermo est de *Rege Tyri*, ex v.1. patet: sed quid hoc ad *Luciferum*? Sed etsi sermocinaretur Propheta de *Lucifero*, quid tum? siquidem elevatum diceretur cor ejus, quia inordinatè appetivit similis esse Deo in *dominatu*: voluit enim *præesse*, & non *subesse*, Jun. in Schol. Bibl. n. 2. ad h.l. p.797. *Becan.* in Theol. Schol. par. 1. tract.3. cap.4. q. 6. n.3. & 5. p. [?] seq.

Vers.3. *Ecce sapiens tu præ Daniele, omne occultum non absconditum tibi.*

Occurrit (1.) *Ironia*, quâ Regem Tyrium Deus exagitat, & vanam illius persuasionem retundit. *Daniel* eo tempore, propter dona eximia à Deo accepta, sapientissimus habebatur, & in proverbium abierat. (2.) *Enallage verbi* activi, *abscondunt*, pro passivo, *absconditur*. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract.3. can.23 m. 1. p.303. & lib. [?] tract.1. cap.5. p.85.

Vers.7. *Ecce ego adduco contra te extraneos, feroces gentium* &c.

Verba hæc continent (1.) *Enallagen temporis* præsentis, *adduco*, pro futuro, *adducturus sum*. (2.) *Hebraismum*: עָרִיצֵי גוֹיִם *feroces gentium*, h.e. *ferocissimos inter gentes*. Jun. in Bibl. h.l. p.79[?] *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract.1. can.16. m.[?] p.58.

Vers.10. *Mortibus præputiatorum morieris, in manu extraneorum* &c.

Reperitur hoc loco (1.) *Hebraismus*: מוֹתֵי *mortibus morieris*, h.e. *truculentissimâ morte*; nisi ad *duplicem mortem*, temporalem & æternam, plurali numero respectus habeatur. (2.) *Metaphora*: nam *præputiatum esse de profanis hominibus*, ut & *corde incircumcisis*, dicitur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.471. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can.2. [?] p.89. Confer l. b.5. tract.1. cap.13. p. 431.

Vers.12. *Tu plenus sapientiâ, & perfectus decore in deliciis Paradisi Dei fuisti.*

*Scholastici* quidam arbitrati sunt, *Luciferum fuisse in gloria creatum, & ante lapsum revera beatum*; eò quòd *fuerit in deliciis Paradisi*, *plenus sapientia*.

Respondet *Rada* par.2. Controv. Thomist. & Scotist. controv.10. arg.3. p. 357. sicut *primus homo* conditus est, & positus in deliciis Paradisi, quæ tamen non erant deliciæ beatitudinis *perfectæ*; & sicut data est ei sapientia ad cognoscendum omnes res naturales, sed non illa, quæ est visio Dei in *patria*; ita intelligendum esse in *Angelis*.

Vers.13. *Omnis lapis preciosus opermentum tuum, Sardius, topazius, & jaspis, chrysolithus, & onyx, & beryllus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus; aurum opus decoris tui.*

*Bellarminus* l.1. de Rom. Pontif. c.9. rat. 2. negatur, *Luciferum ante lapsum suum fuisse honore Monarchico*; cum *novem ordines Angelorum*, per *novem lapides preciosos*, Gregorio l.32. Moral.c.25. teste, indigitati, *hunc Angelum*, tanquam *Principem suum*, dicantur circumstetisse, eique subfuisse.

Rt. (1.) Ezechiel non de *Monarcha aliquo Angelorum*, sed de *Principe Tyri* agit, ut ex v. 2. patet; *cujus opermentum dicitur omnis lapis preciosus*, quia ab opibus instructissimus fuit, atque auro, gemmisque ita ornatus, ut totus gemmeus videretur. Hic ergo, *Hieronymo* & *Lyrano* testibus, *literalis* sensus

[illegible] autem, si *Bellarminus* ab eo exo[illegible] et, & nodum quæras in scirpo? (2.) *Gregorius*: dum *novem lapidum* nominatotidem *choros Angelorum* vult esse, a *Latino* interpret [illegible] decipitur. Nam in *Hebraica* veritate *denarius* est numerus, qui *Latinè* tantùm *novenarius*: etenim *aurum* connumeratur lapidibus preciosis, ut faciat [illegible] ipsum: ornamenti hujus partem. Itaque *Arias Montanus* sic vertit: *Omnis lapis preciosus operimentum tuum, rubinus, smaragdus, & adamas; hyacinthus, onyx, & jaspis; sapphirus, carbunculus, & smaragdus, & aurum.* Extundant igitur Papi[illegible] decimum aliquem *Angelorum ordinem*, [illegible] sic ἀλληγορίαι [illegible]. *Boehm.* tom [illegible] l. art. de Pont. R. Roman. cap. 5. [illegible] obj. 2. p. [illegible] 9. & 8[illegible]1. *S[illegible]rp.* tom. 1. Curs. [illegible] l. art. de Ang. [illegible] 36[illegible]. *C[illegible]m.* tom. 2. Panstr. [illegible] 11. [illegible] 12. 9. 2 [illegible] p. [illegible] & 3[illegible]4.

[illegible] §. 14. *T[illegible] Cherub unctus protegens, & dedi te: in monte sanctitatis Dei fuisti, in medio lapidum igni ambulasti.*

Deus utit[illegible] (1.) [illegible] dum *Regem Tyri* vocat *Cherubum*: nam ex *ipsius Regis opinione* loquitur. [illegible] *Metaphora*: nomine enim *Cherub*, respicit partim ad *Genes.* 3. v. 24. partim ad *Exod.* 25. v. 20. (3.) Ellipsi: *Dedi te*, sub. *in tali dignitate*. (4.) *Enallage* tum abstracti, *sanctitatis*, pro concreto, *sancto*: tum substantivi, *ignis*, pro adjectivo, *igniterum*. (5.) Periphrasi *gemmarum*, igneum quendam fulgorem edentium, quales sunt, *carbunculus, rubinus* &c. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 126. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 797. *Glass* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 220. seq. & tract. 2. cap. [illegible]. p. 577.

CAP. XXIX. v. 1. *In anno decimo, in duodecimo mense &c.*

Gemina apparet ἀντίφασις: 1. enim propheria contra Ægyptum facta dicitur ab Ezechiele *annò decimò*; at facta fertur *annò vigesimò septimò*, v. 17.

℞. *Diversus* est utrobique numerandi modus. Nam *decimus annus* est à *transmigratione Jechoniæ in Babelem*; at *vigesimus septimus* a *Jubilæo*. Fric. lib. in Annot. ad h. l. art. 2. class. 1. p. 752

2. Eadem prophetia contra Æ[illegible]tum *annò decimo transmigrationis Jechoniæ* [illegible]; at cap. 2[illegible]. v. 1. jam recensetur *prophetia contra Tyrum*, *quæ contigit annò undecimo* (eò, quo [illegible] lic ol[illegible] ly[illegible]a eversa est)

℞. *Hysterosis* est; neque enim servatur *ordo temporis*, quod & alibi frequenter occurrit. ibid. class. 2. n. 3. p. 753.

Vers. 3. *Loquere & dices: Sic dixit Dominus Deus: Ecce ego super te, Pharao, Rex Ægypti, draco magne, cubans in medio fluviorum suorum, qui dixit: Mihi fluvius meus, & ego feci me.*

§. 1. *Dices* pro *dic*, per Enallagen. §. 2. *Super te*, *veniam*. §. 3. *Pharao* (Hophrah, Jerem. 4. v. 30.) [illegible]atur *draconi marino*, ob *insigne robur*, quo p[illegible] §. 4. *In medio fluviorum*, h. e. *inter fluvios*. §. 5. Pronomen tertiæ personæ, *suorum*, pro secunda *tuorum*, ponitur. §. 6. Pronomen junctum, עֲשִׂיתִנִי *fecit me*, est pro separato, עָשִׂיתִי לִי, *feci mihi*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 127. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 473. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 798. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. m. 2. p. 166. & li[illegible]. 5. tract. 2. cap. 11. p. 335.

Vers. 18. *Merces non est reddita Nabuchodonosoro, neque exercitui ejus de Tyro, pro servitute, quâ servivit mihi adversus eam.*

I. *Banderius* arguit, infidelem de congruo aliquid [illegible] Nabuchodonosor meruerit sibi dari terram Ægypti [illegible] servivit Domino contra Tyrum.

℞. Exemplum [illegible]. Nam (1.) quæ *merces* Nabuchodonosori reddita est, non pertinet ad *primam gratiam*, quam tamen Papistæ mercedem faciunt *meriti congrui*. (2.) Nego in eo aliquod esse *meritum*: nec verò ita nominat Scriptura, sed tantùm *mercedem*, quæ non semper *meritum* supponit, ut ex *Gen.* 15. v. 1. & *Psal.* 127. v. 4. videre est. (3.) *Thomas de Aquino* in. 1. 2. q. [illegible] 4. art. 10. ad [illegible]. subdit, quòd illa retributio dicatur esse divinitus [illegible]cta secundùm comparationem ad *divinam motionem*, non autem secundùm respectum ad *malitiam voluntatis Nabuchodonosoris*, qui non impugnavit Tyrum, quasi *volens Deo servire*, sed potiùs *ut sibi dominium usurparet*. Cham. tom. 3. Panstr. l. 14. c. 4. §. 6. seq. p. 229.

II. *Bellarminus* l. 5. de Grat. & lib. arb. cap. 9. arg. 1. disputat, *quædam infidelium opera non esse peccata*, quo[illegible] iam ea *Deus remuneretur*: quia enim *exercitus infidelis fideliter Regi suo Nabuchodonosori servivit contra Tyrum, mercedem illi Deus dedit, spolia Ægypti.*

℞. (1.) Consequentia firma non est: verum enim est, etiam quædam opera, *quæ sunt peccata*, a Deo mercedem obtinere temporalem. Nam *Augustinus* l. 5. de C. D. c. 12. & 15. docet, *Romanos ad inanis laudis cupiditatem sua omnia retulisse laudabilia facta, & tamen à Deo mercedem tulisse & laudem, & imperii amplitudinem.* Alt fatetur *Bellarminus* l. 5. de Grat. & lib. arb. cap. 11. resp. ad 8. arg. *quæ opera fiunt ob malum finem, fieri peccata.* (2.) Exercitus Nebucadnezaris, quatenus *Regi suo fideliter servivit in expugnanda Tyro*, benè fecit, & ita quoad *operis substantiam* opus *bonum* erat: at quatenus ex *corde impuro* proficiscebatur, & *absq; fide*, ad *finem alium*, quàm *Dei gloriam*, fiebat, *peccatum erat*. (3.) Qualis erat operis illius *bonitas*, talis quoque ejusdem fuit *remuneratio*, externa videlicet; ab *externa* vero remuneratione ad *internam* operis sanctitatem non valet argumentum, quia solet Deus *externam* obedientiam *externa* cum remuneratione compensare. *Eckbard.* in Analys. 1. Johann. Epist. disp. 8. thes. 59. seq. p. 191. & par. 2. Pand. controv. Pontif. c. 20. q. 3. obj. 1. p. 96. seq. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. art. de Liber. Arbitr. cap. 3. obj. 2. p. 520. seq. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 4. c. 9. § 2. 3. 4. & 5. p. 50.

CAP. XXX. v. 3. *Propinqua dies, & propinqua dies Domini, dies nubis tempus gentium erit.*

Ezechiel usurpat (1.) Epizeuxin: *Propinqua dies, & propinqua dies*, h. e. *maximè propinqua*, (2.) *Metonymiam adjuncti* pro *subj*[illegible]: nam *infortunia* vocat *diem Domini*, nim. *justè ob multitiam homines punientis*. (3.) *Metaphoram*: quia *diem nubis* pro *tempore calamitoso* accipit. (4.) *Hebraismum*: עֵת גּוֹיִם *tempus gentium*, h. e. *calamitatis gentium*; notatur enim *adjunctum*, quo gentes sunt puniendæ: vel [illegible]c. *Gentium*, scil. *puniendarum*. Nam gentes *objectum* sunt ejus tempo[illegible]is, ratione *pœnæ*. (5.) *Enallagen temporis* futuri, *erit*, pro præsenti, *instat*. Va[illegible]bl. in Annot. ad [illegible]. p. 475. *Glass.* lib. [illegible] Philol. Sacr. tract. 1. can. 3[illegible] m. [illegible] p. 111. & lib. 5. tractat. 1. cap. 10. p. 248. seq. Confer [illegible] 4. m. 3. p. 59.

Vers. 5. *Et filii terræ fœderis, cum eis in gladio cadent*,

 itera-

Iteratur (1.) Hebraismus: *Filij terræ fœderis*, h.e. *fœdere juncti*. (2.) *Metaphora*: nam *cadere*, est, *interire*. (3.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: quia *gladius* pro *vi hostili*, & *cæde cruenta* sumitur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 475. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 4. p. 135. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 68. cap. 12. p. 377.

Vers. 8. *Et cognoscent, quòd ego Dominus, in dando me ignem* &c.

En (1.) *Metonymiam causæ* pro *effectu*: nam *cognoscere* notat *experiri*. (2.) *Metaphoram*, quâ *ignis* significat *afflictionem violentam*, ab hostibus irrumpentibus illatam. Chaldæus pro *igne* ponit *populos fortes sicut ignis*. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 475. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 800. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 240.

Vers. 9. *In die illa exibunt nuncij à facie mea in navibus, ad terrendum Æthiopiam, in securitate, & erit vacillatio in eis, secundùm diem Ægypti, quia ecce venit.*

Occurrit (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *A facie mea*, ait Deus, h.e. *à me missi*. (2.) Ellipsis: *In securitate*, scil. *habitantem*; & *ecce venit*, subint. *tempus eorum*, v. 3. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 128. & *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 475.

Vers. 12. *Et dabo flumina siccitatem, & vendam terram in manum malorum, & desolabo terram, & plenitudinem ejus, in manu* &c.

Redit huc (1.) *Ellipsis* præpositionis: *In siccitatem*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *venditionis* voce *traditio in potestatem hostium* notatur, à DEO irato facta. ( .) *Metonymia adjuncti* pro subjecto: *Plenitudinem ejus*, h.e. *quæ eam implent*. Jun. in Not. ad h.l. p. 800. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 130. seq.

Vers. 14. *Et dabo ignem in Zoane, & faciam judicia in No.*

Rursus ponitur [1.] Metaphora. *Dabo ignem in Zoane*, h.e. *gravissimè affligam*; ubi *ignis* pro *afflictione* est. [2.] *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *judicia* pro *pœnis*, justè inflictis, usurpatur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 476. Confer *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. p. 11. & cap. 10. p. 245.

Vers. 16. *Et dabo ignem in Ægypto, dolendo dolebit Sin; & No erit ad disrumpendum, & ipsi Noph hostes interdiu.*

§. 1. *Dabo ignem*, pro *gravissimè affligam* ut v. 14. §. 2. *Dolendo dolebit*, h.e. *valde dolebit*. §. 3. *Erit ad disrumpendum*, i.e. *disrumpetur*. §. 4. *Hostes interdiu*, h.e. *diurni* seu *quotidiani*, Jun. in Not. ad h.l. p. 800. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 4. p. 116.

Vers. 18. *Et in Daphnis prohibuit dies, in frangendo me ibi lora Ægypti, & cessabit in ea fastus roboris ejus: ipsam nubes operiet eam, & filiæ ejus in captivitatem abibunt.*

Est hîc [1.] Ellipsis: *Prohibuit dies*, scil. *lucem suam*, q.d. *obscurabitur præ nimio luctu*. [2.] *Enallage temporis* præteriti, *prohibuit*, pro futuro, *prohibebit*. [ .] *Metaphora* tum quia *lora* notant *imperium tyrannicum*, tum quia *nubes* designat *calamitatem*. Chaldæus: *Rex exercitibus suis operiet eam, sicut nubes quæ ascendit & operit terram*. [4.] *Pleonasmus*: ly *eam* enim abundat. [5.] Prosopopæia: *Filiæ ejus*, i.e. *habitatores*; Ariæm. par. 4. Bibl. p. 128. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 476. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 800. *Glass.* lib. 5. Philol. Sac. tract. 1. cap. 10. pag. 249. Confer cap. 9. p. 209.

CAP. XXXI. v. 14. *Omnes potatores aquarum* &c.

*Periphrasis* est *arborum riguarum*, quæ *aquas potare* dicuntur, quia *humore gaudent magno*, metaphoricè autem *homines divitijs affluentes* intelliguntur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 478. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 7. p. 577.

CAP. XXXII. v. 7. *Operiam, cum extinctus fueris, cœlos, & nigrescere faciam stellas ejus. Solem nube*, &c.

Argumentum *Astrologorum*, pro *virtutibus astrorum in concitandis calamitatibus hominum*, vide solutum in Vindic. *Esa.* 13. v. 10.

Vers. 10. *Cum faciam, ut volet gladius meus super facies eorum, & exterrebuntur ad momenta quæq; propter animam suam, in die ruinæ tuæ.*

I. Offert se (1.) *Metaphora*. Cum *faciam, ut volet gladius meus*, h.e. cum *vibravero* vel *agitavero gladium meum*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: de DEO enim dicitur, quod *gladium suum volare faciat*, dum *cladem & internecionem minatur*. [ ] *Synecdoche partis* pro *toto*: Propter *animam suam*, i.e. *seipsum*. Jun. in Not. ad h.l. p. 802. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 312.

II. *Hebraismum* in verbo, הורידהו, *fac descendere illam* v. 18. & *Enallagen* activi, נתנו *potuerunt*, v. 25. vide assignata in Vindic. *Ezech.* 21. v. 26. & 25.

Vers. 21. *Loquentur ei fortes potentium de medio sepulcri, cum auxiliatoribus suis, descenderunt* &c.

Propheta adhibet [1.] *Prosopopœiam*; dum introducit *mortuos*, inter se colloquuturos. [2.] *Hebraismum*, in *adjectivis synonymis* consistentem: *Fortes potentium*, h.e. *duces potentissimi*. [3.] *Ellipsin* pronominis relativi אֲשֶׁר *qui* descenderunt. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 130. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 802. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 32. p. 117.

CAP. XXXIII. v. 2. *Fili hominis, loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terram quum induxero super eam gladium* &c.

In textu hoc videre est [1.] *Hebraismum*: *Ad filios populi tui*, h.e. *populares tuos*. [2.] *Enallagen* indicativi, *dices*, pro imperativo, *dic*. [3.] Pleonasmum: *Terram super eam*, pro, *super terram*, pronomine *eam* abundante. [4.] *Metonymiam causæ* pro *effectu*: nam *gladius* pro *bello* est, q. d. *hostem armatum*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 131. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 481. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 803. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 25. m. 2. p. 218.

Vers. 4. *Et audierit audiens vocem buccinæ, & non præmonitus fuerit, veneritq; gladius & tulerit eum, sanguis ejus super caput ejus erit.*

I. Deprehenditur hoc loco [1.] Epizeuxis: *Audierit audiens*, h.e. *omnino* vel *probè* audierit. [2.] *Enallage* verbi *passivi* pro *correlato activo*, in verbo, נִזְהָר, *præmoneri*, pro, *præmonitionem accipere*, cum aliàs simpliciter *præmoneri* significet, v. 6. [3.] *Synecdoche partis* pro *toto*, in phrasi, *sanguinem esse super caput alicujus*, i.e. *ipsummet pœnam sui peccati luere*, v. 5. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 803. *Glass.* lib. . Philol. Sacr. tract. 3. can. 25. not. unic. p. 306. & lib. 5. tract. 1. cap. 17. m. 1. p. 461.

II. *Reformati* quidam censent, Prophetæ Ezechielis c. 33. v. 11. sermonem esse non de *morte æterna*, sed *temporaria*, eaque *violentâ per gladium hostilem*, cum de *hac morte* loquendi jam Deus initium facit, de ue ea agat.

Re. . Falsum est, per vocem *sanguinis* in verbo Dei non pœnam *spiritualem & æternam*, sed *tantùm corporalē & temporalem* exprimi ac notari, siquidem con-

contrarium habetur, *Matth.* 27. v. 25. *Actor.* 18. v. 6. & c. 20. v. 26. (2.) Si vel maximè vox *sanguinis* in S. literis non notaret pœnam *æternam*, sed *temporalem*; non tamen sequeretur, quòd in *toto hoc capite tantum* sermo sit de pœnis *temporalibus*: tum quia ibi non tantùm habetur terminus *sanguinis*, sed & alia vocabula, *pœnas* notantia; neque in *singulis versiculis* terminus *sanguinis* habetur: tum quia *Feg verneckinus* in Enchir. docet, *sanguinis* appellatione, *Ezech.* 33. v. 11. intelligi cum *cædis*, tum *omne exitij genus*: tum denique, quia Propheta transit à custode *corporum* ad custodes *animarum*, à morte *temporaria* ad mortem *æternam*, ut ex textu Prophetico planissimum est. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Grat. Dei. cap. 2. q. 24. obj. 3. p. 604. *Fevverb.* in Differt. de Peccat. in Spirit. Sanct. c. 30. p. 436. & 438.

Vers. 8. *Me dicente ad impium: Impie, morte morieris*, &c.

Ἀντιλογίαν quandam hîc apparentem, vide conciliatam in Vindic. *Ezech.* 3. v. 18.

Vers. 11. *Vivo ego, dicit Dominus; nolo mortem impij, sed ut impius convertatur à via sua, & vivat: Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis*, &c.

Vers. 11. *Dic ad eos: Vivo ego, ait Dominus Deus, si volam mortem impij. quinimò ut avertat se impius à via sua, & vivat: convertimini, convertimini à viis vestris malis, & ad quid moriemini domus Israel?*

I. Verba hæc exhibent (1.) *Ellipsin* verbi, ex membro præcedente repetendi: *Quinimò*, scil. *volo* (2.) *Metaphoram*, quòd *via* notet *vita institutæ & actiones.* (3.) Epizeuxin: *Convertimini, convertimini*; qua vocis repetitione, *exhortationis divinæ ad pœnitentiam fervor indicatur.* (4.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: nam *domus Israel* pro *populo, ex familia Israelis orto*, accipitur. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 803. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 14. m. 1. p. 729. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 37. & cap. 12. p. 376.

II. *Weigelius* contendit, *nullum facinorosum à Magistratu politico esse capitaliter plectendum*, quòd *Deus*, cujus imitator esse debeat Magistratus, *nolit mortem peccatoris, sed potius ejus conversionem & vitam.*

℞. N. C. tum quia Propheta loquitur de morte *æterna*, Weigelius concludit de morte *temporali*; tum quia Deus utrumque vult, nempe ut *peccator convertatur*, & ···, ceu facinorosus, *à Magistratu juxta leges puniatur*; duæ ergo voluntates istæ in Deo non *pugnantes*, sed *subordinatæ* sunt. *Thumm.* in Impiet. Weigel. p. 230. seq.

III. *Deus serio vult omnium hominum salutem æternam*: sanctè enim jurat, *se nolle mortem impij*, contrà autem *velle ejus conversionem & vitam.*

Regerit 1. *Piscator* in Not. ad Amic. Collat. Vorst. sect. 99. p. 170. vocem בשוב in nostro contextu non posse verti in τὸ, *ut convertatur*, quia præfixum ב nunquam notet *causam finalem*; sed, *quum convertitur.*

℞. Præfixum ב dupliciter potest considerari: (1.) *solitariè*, atque sic admittimus, eam esse naturam præfixi ב. ut τελικῶς non usurpetur; (2.) *sociè*, atque sic negamus. At socium sibi habet hic conjunctum verbum אחפץ antecedens, cujus hæc est indoles: Quando *construitur cum verbo infinitivo, habente præfixum* ב, tum *infinitivus iste* τελικῶς; sive *finaliter* capiendus est & reddendus. Et hoc modo etiam in nostro textu: אחפץ בשוב *volam, in converti*, seu; *ut convertatur.* Neque hoc insolens est sive in *Græca*, sive in *Latina* lingua. Omnia enim verba, *voluntatem & desiderium* significantia, si cum *verbo infinitivo* construantur, sic comparata sunt, ut infinitivus iste τελικῶς verti rectè queat, &, quia sensus flagitat, debeat. Hæret itaque *Piscator* miserè in natura τῦ ב *solitariè* spectatâ.

2. *Bucanus* de Prædest. p. 401. Deum nolle mortem peccatoris, quatenus *vult ejus conversionem*: at experientia teste, *Deum non omnium corda tangere, ut convertantur.*

℞. Imò *Deus vult etiam omnium conversionem*: eo enim fine proponit illis verbum. Non autem vult *fine medijs* agere, sed *per verbum & Spiritum Sanctum* vult homines convertere, & cordis duritiem emendare. Qui hoc verbum pertinaciter repellunt, *Actor.* 13. v. 46. consilium Dei spernunt. *Luc.* 7. v. 30. Spiritui Sancto resistunt. *Actor.* 7. v. 51. illi suâ culpâ conversionis beneficiô privantur. *Ose.* 13. v. 9. & seipsos indignos judicant vitâ æternâ. *Actor.* 13. v. 46.

3. *Piscator* in cap. 33. Ezech. disseri ibi non dè *æterna*, sed de *temporali* tantùm morte.

℞. (1.) Adversarius textui vim infert. Quòd enim Propheta loquatur de morte & damnatione *æterna*, patet, (1.) quia *mors ista* opponitur *vitæ æternæ*: Nolo mortem impij, sed ut convertatur & vivat. Ubi *mors temporalis* intelligi nequit: licèt enim impius non converteretur, vivere tamen posset vitam *temporalem*. (2.) De ea *morte* agitur, *quæ per conversionem evitari* potest: *Convertimini, convertimini à viis vestris malis, ut quid moriemini domus Israel?* At per *conversionem* etiam mors *temporalis* evitari nequit. (3.) Mors temporalis *resipiscentibus pariter & non resipiscentibus* est communis: mors verò ista, de qua Ezechiel loquitur, *non-resipiscentibus* propriè destinatur. 2. Sed demus, loqui Deum de morte *temporali*, nihil tamen præsidij accedet *Piscatori*. Ita enim a *minori* ad *majus* argumentabimur: *Si Deus non vult mortem temporalem impij, multò minùs volet mortem impij æternam.* Si Pater terrenus velle nequit, ut filius suus *verberetur*: multó minùs velle poterit, ut *capitis supplicio mulctetur.*

4. Idem *Piscator* in Resp. ad Parasc. Vorstij fol. 29. Deum *extrinsecè* juramentô testari, se non morte reproborum, sed conversione & salute eorum delectari; atque interim *intrinsecè* æterno & immutabili decreto absolutè ad damnationem eos destinâsse.

℞. Ita tribuetur Deo *pessima hypocrisis*, quasi promissione benigna *exterius* testetur, se hominibus bene velle; interim tamen *interiùs* illis malè cupiat. Absit hoc à Sancto Israelis, ut qui *juramentô* confirmat, se bene velle impio, modò convertatur.

5. *Beza* par. 2. Resp. ad Act. Colloq. Mompelg. p. 173. exinde Deo non posse impingi *hypocrisin*, utpote quæ sit vitium, quo decipere volunt alios hypocritæ, malo cum eorum damno; id quod Deo haud conveniat.

℞. Omnino sic Deo impingitur *hypocrisis*: nam juxta *Bezam*, Deus simulat, se velle salutem reproborum; & tamen, *Zanchio* docente lib. 5. de Natur. Dei. cap. 2. p. 654. *simpliciter* non vult eorum salutem. Jam si *externô verbô* simulat Deus, se velle salutem reprob-

reproborum, utique & sanctitatem eorum: quia hæc duo indivisolo nexu cohærent. At juxta *Piscatorem* in Resp. ad Paraf. Vorst. fol. 29. *Hypocrita* est, qui simulat sanctitatem, à qua tamen gerit animum alienum. *Forster*. in Thesaur. Catech. dec. 2. de Orat. Dom. probl. 2. thes. 71. 75.- 85. *Gravver*. in Absurd. Calvin. p. 252. & 260. *Meisner*. dec. 2. Antihr. disp. 2. q. 2. thes. 3. p. 68 69. seq. *Gerhard*. tom. 2. LL. CC. loc. 10. de Elect. §. 67.- 72. p. 210. 211. 212. seq. & in par. 1. Disp. Theol. disp. 9. thes. 23. p. 1163. & seq. *Eckhard*. in fasc. controv. Calvin. c. 15. q. 2. arg. 1. p. 304. seq. *Brochm*. tom. 1. System. Theol. art. de Grat. Dei. cap. 2. q. 24. p. 603. seq. *Fevverborn*. in Dissert. de Peccat. in Spirit. Sanct. c. 30. p. 435. - 441. *Thumm*. in Imp. Photin. p. 438. *Dieteric*. Instit. Catech. p. 536.

IV. Omnes homines, *enormiter licèt & habitualiter* peccantes, si resipiscant, veniam peccatorum suorum à Deo certò impetrant: Deus enim sanctò juramentò attestatur, *se nolle ullius peccatoris impy mortem, sed ut convertatur impius à via sua mala & vivat*.

*Smalcius* contr. Franz. fol. 294. seq. 359. seq. & 455. excipit 1. verba Jehovæ non *simpliciter* esse accipienda, cùm, experientia teste, *non exspectatâ peccatorum resipiscentiâ Deus interdum eos funditus exstirpaverit*, quam tamen debuisset expectare.

℞. [1.] Non dicimus, Deum *simpliciter* nolle mortem impij, aliàs nullus omnino impius damnaretur; sed voluntate *antecedente* eam nolle, voluntate autem *consequente*, ob finalem impœnitentiam, velle: nonenim putandum, quòd Deus *coactus* puniat. [2.] Adversarius confundit mortem *temporalem* cum *æterna*. Neque enim ex morte *temporali*, eaque *repentinâ*, eorum, *qui antea piam duxerunt vitam*, mortem *æternam*, de qua Ezechiel loquitur, rectè concludere potest; cùm etiam *repentinâ morte temporali* enecati, *spiritualiter* vivere possint, ut de *Abele* & aliis constat: siquidem non tam amplum resipiscentiam expectandi spatium requiritur, uti libido *Smalcy* fingit.

2. Deum hoc loco *mortem æternam* minari non potuisse, cùm homines illi impii *æternâ morti* jam antè fuerint subjecti; sed intelligendam esse mortem *truculentam* illam, quam lex minabatur.

℞. [1.] Homines illi impij, ut *adulteri, latrones*, &c. quorum fit mentio in loco parallelo. *Ezech*. 18. v. 10. morti *truculentæ* etiam jam antea ex legis Mosaicæ præscripto erant subjecti; ideoque, juxta *Smalcy* consequentiam, *mortem truculentam* Deus isto loco minari non potuit. [2.] Etsi peccatores illi apud Prophetam nostrum *mortis æternæ rei facti erant*, quia tamen per *πρωτευαγγέλιον peccatorum veniam, & vitæ æternæ indubitatam promissionem in Christo acceperunt*; illa autem promissio *hypotheticè* concepta & ad *obedientes* liminata fuit: idcirco propter *inobedientes* mortis *æternæ* comminatio rectè repetitur. [3.] Sed esto, loqui Prophetam de morte *truculenta*: at verò si Deus mortem *truculentam* non vult, multò minùs volet mortem *æternam*.

3. Prophetam non dicere. Deum non *velle* mortem impij, sed non *delectari* morte impij; unde necessariò non sequi, Deum *nolle* mortem impij.

℞. [1.] Habetur in textu Hebræo radix חפץ, quæ utrumque, & *velut*, & *voluptatem habuit*, significat, ut *Psal*. 5. v. 5. *Psal*. 115. v. 3. &c. [2.] Quamvis Deus ita fuisset locutus, *non delector morte impy*, nihil tamen exinde, posset exsculpere Adversarius. Si enim Deus non *delectatur* morte impii, utique eam non *vult*; quia si *vellet*, certè istâ *delectaretur*: nam *delectatio* eorum tantùm est, quæ *volumus*, non quæ *adversamur*. [3.] Ut tergiversationi omnis rima obstruatur, disertè dicit Apostolus, 2. *Petr*. 3. v. 9. *nolle Deum, ut quisquam pereat*.

4. Locum hunc *singularem* esse, & certa de causa *certis hominibus* istam Dei gratiam promissam fuisse, nescilicet crederent *Iudæi*, se ob peccata parentum puniri; non verò *universalem* esse, neque *omnes impios* attinere.

℞. [1.] Probet Smalcius, locum hunc esse *singularem*, & producat rationem, *certis saltem hominibus* istam Dei gratiam promissam fuisse. Certè, ut *concio pœnitentiæ* est universalis, & ad omnes homines pertinet: ita quoque *promissio gratiæ* ad omnes verè pœnitentes pertinet, *Matth*. 11. v. 28. *Ioh*. 6. v. 37. &c. [2.] In *specie* quidem *Iudæis* concio illa proposita fuit, in *genere* tamen per translationem *ἐκδεικτικῶς* ad *Dei omnibus in universum hominibus* rectissimè adaptari debet, ex præcepto Apostoli, 1. *Cor*. 10. v. 11. Deus enim non est *προσωπολήπτης*, *Actor*. 10. v. 34. *Rom*. 2. v. 11.

5. Locum istum magis docere, quid Deus præstare *possit*, quam quid *ordinariè* præstare *velit & præstet*: ea enim, quæ Deus *ordinariè* præstare *vult*, ex *lege*, quæ omnibus data est, & quæ ad omnes pertinet, petenda esse; non verò ex aliquo *Propheta*, qui multis post latam legem seculis extitit, & cujus scripta ad paucos ex populo Dei pervenire potuerunt.

℞. [1.] Diserta sunt Dei verba: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris*. Ergo non de eo, quid *possit*, sed quid *velit* Deus, agitur. [2.] Neque promissio isthæc *extraordinaria* est: nam illius fundamentum Deus desumit ex sua *lege universali* Deut. 24. v. 16. quæ cum *ordinaria* sit, etiam promissio, ex lege illa Mosaica desumpta, *ordinaria* erit. (3.) Smalcius *Ezechielis autoritatem* tacitè insimulare non erubescit, quasi promissionem illam ex proprio suo cerebro sponte depromserit: contra literam: *Dixit Dominus* Deus. v. 11. & dictum Apostoli, 2. Petr. 1. v. 21. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto locuti sunt Dei homines*. Eat nunc Apostata, & ulteriùs blasphemet, *juniorem esse Prophetam Ezechielem, & minoris autoritatis, quam cui fides indubitata sit adhibenda*.

6. Posse hunc locum suômodô accommodari ad eos *omnes impios*, quicunque *per ignorantiam & infirmitates* tales fuerant: his enim, qualescunque & quanticunque tandem fuerint, omnibus patere aditum ad gratiam & misericordiam Dei; non verò iis, *qui peccant ex malitia & habitualiter*.

℞. (1.) Loqui Jehovam de *omnibus in universum peccatoribus*, quantumvis *malitiosis*, patet ex loco parallelo, *Ezech*. 18. ubi *impius* sic describitur, quòd *idola coluerit*, *adulteria exercuerit*, *ad menstruatam accesserit*, v. 6. quòd *proximo vim intulerit*, quòd *fuerit raptor*, *immisericors*, v. 7. *usurarius*, *iniquus*, *falsus judex*, vers. 8. *contemtor divini cultus*, v. 9. Hæc certè non sunt delicta tantùm *ignorantiæ & infirmitatis*, sed etiam *malitiæ*. (2.) *Ezech*. 18. vers. 11. fit mentio eorum, *qui ad montes in loco divinitùs prohibito, sacrificiales epulas capiunt*, *quas non longè à Sancto Sanctorum capere debebant*, Deut. 12. v. 18. at

quàm

quàm *habitualiter*, quàm *contumaciter* hanc idololatriam Judæi admiſerint, libri *Regum* & *Chronicorum* abunde teſtantur.

7. Eundem locum iis tantùm ſpem facere, *qui ad Deum convertuntur*: Hoc autem de nemine verè dici poſſe, niſi qui *vitam anteactam non tantùm ſe correcturum religioſè proponit*, ſed *eam reverà corrigit*.

℞. [1.] Propheta non tantùm loquitur de iis, *qui convertuntur*. Nam 1. Jubetur hoc oraculum promulgare ad *univerſam populi Iudaici turbam & concionem*, cujus maxima potiſſimaque pars reproba erat. 2. In Hebræo habetur vocabulum, ישׁב, quod *Pſal.* 1. v. 4. de *damnandis* dicitur. 3. In textu non dicitur: Deus non vult mortem impij, *qui convertitur*, verùm ſubintellige (vult) *ut convertatur*. 4. Dominus, *Ezech.* 18. v. 31. diſertam facit mentionem eorum, *qui in peccatis ſuis moriuntur*, & de iis, v. 33. dicit, *ſe nolle ipſorum mortem*. *At qui in peccatis moritur*, nunquam convertitur, ſed æternùm perit. [2.] Quòd veniam Smalcius denegat illis, qui *propoſito*, non *ipſo opere* ſtudent innocentiæ vitæ, contrarium eſt 1. ipſi *Smalcio*, qui adverſus *Franzium*, propoſitum illud iri ἀντιπροκείτους pro *opere* æſtimandum docuit. 2. *Natura converſionis*: Converſus enim dicitur in Scriptura non is, qui *actu* bona operatur, ſed qui de excutiendo peccato *conſilium & conſtans propoſitum* ſuſcipit, ut de *Publicano*, *Luc.* 18. v. 14. & aliis patet. 3. Exemplo *latronis in cruce*, Luc. 23. v. 43. quod oſtendit, etiam illos in numero *verè reſipiſcentium* habendos, *qui paulò ante finem vitæ ad Deum convertuntur*, quibus longius vitæ ſpacium ad bona opera *externa* præſtanda minimè ſuppetit.

8. Ex eo, quòd *Deus non cupiat mortem peccatoris*, nullo modo ſequi, *poſſe homines peccata tutò iterare, & ita non perire*.

℞. Smalcius calumniatur, quaſi doceamus, *poſſe homines peccata tutò iterare, & non perire*. Quin potiùs ſeriò monemus peccatores, *ne iterent peccata*, cum Deus hoc momento vitæ corporalis telam poſſit abrumpere. Hæc autem noſtra eſt collectio: *Deus non vult mortem æternam atrocium, habitualium & iteratorum peccatorum* [quales ſolent eſſe illi comprimis, quorum mentionem facit Deus. *Ezech.* 18. v. 6. ſeqq.] Ergo *peccata atrocia, habitualia & iterata*, juxta illam ipſam Dei aſſertionem *poſſunt condonari*.

9. Iſtum locum nobis eſſe contrarium, quòd hic dicatur, Deum velle, ut *peccator convertatur ad ſe à viis ſuis malis; converſi autem ad Deum*, & *nova ſubinde delicta committere, vel in iis hærere*, planè eſſe contraria.

℞. Iterum calumniatur Adverſarius: neque enim noſtræ Eccleſiæ permittunt, *nova delicta ſubinde committere, vel in iis planè hærere*; ſed hoc docent, ſi ex *imbecillitate*, vel *ſimili affectu*, aut etiam *ſpontaneâ malitiâ & contumaciâ* peccata fuerint admiſſa, *nec tam eſſe deſperandum de gratia Dei, & peccatorum remiſſione*. Interim verò illud ſubjiciunt ex *Matth.* 12. v. 44. ſeq. *malitioſè & habitualiter peccantium* ſtatum eſſe periculoſum; *maturè* ergo & *hodie* quidem reſipiſcendum eſſe. *Hunn.* tom. 5. Oper. Lat. p. 277. *Franz.* in Vindic. diſp. 10. th. 53. 54. ſeq. & diſp. 13. th. 48. & 49. *Grauver.* in Expol. Mich. cap. 1. par. x. q. 2. p. 59. *Gerhard.* par. 1. Diſpp. Theol. diſp. 14. theſ. 23. p. 1439. 1440. ſeq. *Thamm.* in Imp. Phot. p. 423.-445. quibus adde *Förſterum*, *Meiſnerum*, *Eckhardum*, *Dietericum*, & *Brochmandum*, m. 3. citatos.

V. *Vita æterna etiam in* V. T. *hominibus fuit revelata: ea namque omnibus promittitur veteribus, modo fiat ad Deum converſio.*

*Smalcius* contr. Franz. diſp. alter. de Bon. Oper. fol. 225. ſeq. reponit 1. non agi hic de vita *æterna*, ſed de vita *temporali*, eaque *proſperâ ac longavâ*, *morti temporali truculentæ* oppoſitâ.

℞. [1.] *Vitam æternam* in noſtro oraculo intelligendam eſſe, exinde patet, quia ſermo ibi eſt de illa vita, *quæ propria eſt converſorum*. At talis eſt *vita æterna*: nam vita *temporalis proſpera & longava* in V. T. fuit communis *pio & impio*. [2.] Neque ibidem *mors temporalis truculenta* vitæ illi opponitur: ſiquidem *talis mors* hic intelligitur, *quæ tantùm impio contingat*, ſive *clandeſtino*, ſive *notorio*. Atqui, *non omnis impius* in V. T. morte *temporali truculenta* moriebatur. *Ille* enim ſacrificiis expiabatur, & vita *corporali*, ex gratia Dei fruebatur. *Hic* autem, niſi fuerit *latro*, *adulter*, &c. vita *temporali* non erat privandus; quomodo igitur *morte temporali truculenta mortuus* dici poteſt? Sin ipſe fuerit *latro*, aut *adulter*, &c. ſecundùm leges divinas, etiamſi *reſipiſceret*, *truculenta* quidem morte mori debebat; nihilominus tamen promittit ei Jehovah *vitam*, non certè *corporalem*, ſed *æternam*.

2. Nequaquam vitam corporalem *proſperam & longævam* fuiſſe communem *pio & impio* ſub V. T. quoniam in V. T. *multa mala*, & *vitæ abbreviationem* impio Deus minatus fuerit; quanquam ſub N. T. impius *interdum benè in temporalibus ſe habeat*.

℞. [1.] Quòd felicitas & vita temporalis longæva ſub V. T. *pius & impius* interdum fuerit communis, patet ex loco clariſſimo, *Eccleſ.* 9. v. 2. 3. & 12. cui adde *Pſal.* 32. v. 10. & *Pſal.* 34. v. 20. [2.] Quòd verò *impij* tam in N. T. quàm in Veteri, etiam affligantur, teſtatur Chriſtus, *Joh.* 5. v. 15. *Lucas*, Act. 12. v. 23. & *Paulus*, 1. Cor. 11. v. 30. Nec poteſt hoc negare Smalcius, qui dicit, Deum ſæpe vindicare in N. T. contemtum Evangelij.

3. Fieri potuiſſe, ut Deus etiam *quorundam* miſereretur, *qui ſub lege quandoq; peccaverant*, & ita morte fuerant affecti vi legis, *ſi antea plerumq; credidiſſent Deo, & poſt peccatum etiam admiſſum ſeſe ad Deum ex animo, quomodo ejus fieri potuit, convertèrant*; id quod tamen *rarò* fieri potuerit.

℞. Illud quidem non negamus, interim verò, quia Smalcius hominem in *incerto* relinquit ſub V. T. quilibet videre poteſt, pulcerrimam hanc Jehovæ promiſſionem *univerſalem* apertiſſimè mutilari. *Franz.* diſp. 8. Vindic. theſ. 28. & diſp. 19. Sacrif. theſ. 77.-86. *Thumm.* in Impiet. Photin. p. 438. 439. 440.

VI. *Bellarminus* l. 2. de Grat. & lib. arb. cap 5. arg. 1. diſputat, *Deum hominibus dediſſe ſufficientes vires, quibus converti poſſint*; quia aliàs exhortatio illa, *convertimini, convertimini*, irriſoria videretur, cùm contra ſit juramentum Dei, *vivo ego*, &c.

℞. [1.] Non ſequitur, exhortationem illam *irriſoriam* eſſe, niſi omnes, ad quos pervenerit, vires haberent ad converſionem ſufficientes, quia *officium commune* demonſtrat, homines, dum admonentur, non debere *reſiſtere Spiritui Sancto*, ipſo *Bellarmino* l. 2. de Grat. & lib. arb. c. 6. reſp. ad 1. obj. interprete. [2.] Deus, cum *adhortatur ad converſionem*, non exprimit, quid homines *ex ſe & propria facultate* præſtare valeant; ſed tantùm, quid Deo, qui in creatione donis ſuis eos ſuffi-

cienter

cienter exornaverat, sub ratione *debiti* exolvere teneantur *Matth.* 18. v.25. *Eckhard*, par. 2. Pand. controvers. Pontif. c. 20. q. 4. class. 1. obj. p. 112. seq. *Ames.* tom. 4. Bellarm. Enerv. l.3. c.4. th.7. obj.4. p. 66.

Vers. 12. *Justitia justi non liberabit eum, in quacunque die peccaverit; & impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate sua.*

I. *Omni homini*, quamvis *voluntariè* peccanti, *patet aditus ad pœnitentiam & gratiam Dei*: in *quacunque enim die impius conversus fuerit ab impietate sua, impietas ejus non nocebit ei.*

*Smalcius* contr. Franz. disp. de Hypocrit. p. 295. respondet 1. verba Ezechielis non ita accipienda esse, quòd *quacunque tandem horâ convertat se impius ad Deum, Deus ei sit parsurus*; *cum Deus nonnullos impietate* obduret, ut *non possint resipiscere, vel ad se converti*: sed intelligenda esse, impium non periturum in impietate sua tunc, *cum resipiscere potest & resipiscit*; hoc verò non semper in impii potestate esse situm, sed tunc tantùm, cum Deus permittit.

℞. (1.) Verba Dei sunt diserta: *Quacunque die impius conversus fuerit, impietas non nocebit ei.* Ergo, *quantuscunque peccator*, & *quocunque tempore* resipuerit, Deus ei parsurus est. (2.) Deum omnes istos, *qui ex malitia peccant*, ita indurare, ut non possint resipiscere, assertio est, quæ è diametro pugnat cum Scriptura, 1. *Tim.* 2. v.4. & 2. *Petr.* 3. v.9. (3.) Interim non nego, quando impius *quamplurimo tempore* patientiâ Dei abusus est, & quando *plane est desperatus*, Deum tunc pleniorem Diabolo super illum concedere potestatem, qui ipsum vel subitò in desperationem mergit, vel tam securum reddit, ut ante finem vitæ Deum contemnere non desinat: Unde quàm periculosissimus est talium hominum status, quem singuli maturâ pœnitentiâ declinare debent. (4.) Non quidem in *impii potestate* est, *seipsum ad Deum convertere*; nihilominus in ipsius potestate est, *verbum Dei*, citra Spiritus Sancti resistentiam audire, ex quo ipse potest converti, *Rom.* 10. v. 17.

2. Nihil hinc evinci, quod nos juvet: eum enim, *qui resipiscit*, jam *peccare desinere*; nos verò velle, eum, *qui semel resipiscit*, posse *perpetuò peccare, & perpetuò resipiscere.*

℞. Calumniatur Apostata, quasi doceamus, posse aliquos homines nimis *tutò & perpetuò peccare*, & ita quoque resipiscere; verum hæc nostra est assertio, *januam gratiæ in hac vita nemini esse occlusam*, ne quidem *iteratò peccantibus*. Constat enim, quòd Deus *Davidem adulterum* receperit in gratiam, 2. *Sam.* 12. v. 13. & quòd *post pessimam populi numerationem* iterum eundem in gratiam receperit, 2. *Sam.* 24. v.25. Interim non negamus, periculosum esse, *sæpe redire ad vomitum*, 2. *Petr.* 2. v.20. & 22. *Franz.* disp. 10. Vindic. thes. 56. seq. *Brochm.* tom. 2. System. Theol. art. de Pœnitent. cap. 2. q. 32. except. 3. p. 385. seq.

II. *Deus ab homine impio, post conversionem ac dimissam culpam, nullam repetit pœnam*: nam *impio post conversionem non nocebit sua impietas*; noceret verò ipsi, si *aliqua superesset pœna luenda.*

*Bellarminus* l.4. de Pœnit. c. 11. resp. ad 1. arg. excipit, 1. sententiam Prophetæ non esse, quòd *nihil omnino impietas noceat impio post conversionem*; sed quòd *non noceat ad obtinendam & conservandam gratiam Dei ac salutem æternam*, id est, *non efficiat, ut moriatur impius post suam conversionem.*

℞. (1.) *Bellarminus* l.4. de Pœnit. c. 1. §. *Quod si probatum* &c. dixit, *remanere pœnam sensûs, quam in Gehenna pati debuisset peccator, remotâ solùm æternitate.* In *Gehenna* verò *manere per multa annorum millia, noxium* certè ab omnibus habetur, & *mors secunda.* (2.) Perperam de morte tantùm *æterna* Bellarminus exponit verbum *nocere*, cùm comprehendat hoc omnia *supplicia peccatorum*, quorum memoriam Deo nullam fore, *Ezech.* 18. v. 22.

2. *Injustitiam justo* post aversionem prodesse sæpenumero ad *præmium temporale*, ideoque *impietatem impio* post conversionem nocere quoque ad *pœnam temporalem*; cum Deus comparationem in *utrumq;* instituat.

℞. (1.) Peccata, *in Baptismo remissa*, nocéntne saltem *temporaliter*? Atqui *plenariam* illa remissionemne Papistæ quidem invident. Nempe igitur non ita est, *æquè non prodesse impiis sua bona, & nocere piis sua peccata.* Itaque nunquam dictum, *eorum bonorum nullam fore Deo memoriam*; sed dictum, *eorum peccatorum nullam fore.* Nempè longè propensior Deus ad *benefaciendum*, quàm ad *puniendum*. Unde dictum, *expectari malos longo tempore, an sint convertendi*; nec dictum, *expectari itidem justos, sintne redituri ad vomitum.* Et dictum, *quæri, ut peccator vivat*; nec dictum, *quæri, ut justus moriatur.* Fallit ergo Bellarminus, qui comparat tanquam *paria*, non *prodesse perversis*, & non *nocere conversis*: sed tamen inutiliter. Nam quum *perversis*, quicquid *præmiorum* est, non significet, *dimissas esse pœnas*: cur *conversis*, quod erit *incommodorum*, significabit, *esse retentas pœnas*? Nam alioquin *incommoda* nos nulla accidere conversis, non dicimus; sed tantùm nullas *pœnas*. (2.) Justitia justo post aversionem non prodest ad præmium ac gloriam illam, *quâ in cœlo fruuntur beati*, remota solùm æternitate: ergo neque impietas impio post conversionem nocet ad pœnam sensûs, *quam in Gehenna patiuntur damnati*, remotâ solùm æternitate. (3.) Justitia justo post aversionem nullo modo prodest ad ullum præmium, ex *merito aut dignitate sua*: ideoque impietas impio post conversionem *nullo modo* nocet ad ullam pœnam. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 23. c. 2. §. 45. seq. *Ames.* tom. 3. Bellarm. Enerv. l. 5. c. 4. thes. 32. p. 224.

Vers. 13. *Justus in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsâ morietur.*

I. *Socinus* in libro, *Quòd Evangelici omnino*, &c. p. 13. statuit, *electos posse damnari*, quia *justus, si fiat impius, æternùm moriturus sit.*

℞. N. C. quia *utrumq; simul potest consistere*, nempe *justum, si fiat impius, damnari, & electos non perire*: quia ibi fides *temporalis*, hîc autem *finalis* consideratur. Deus enim hoc prævidit, an justus sit degeneraturus, & sic reprobavit. Itaq; fides *temporalis* de qua loquitur Ezechiel, est mutabilis: sed fides *finalis*, quam Deus in eligendo attendit, adeoque etiam ipsa *electio*, quæ inde dependet, manet certa & immutabilis. *Meisner.* in Consider. Theol. Photin. c. 2. p. 70. seq.

II. Ca-

II. Cæteras controversias, si quæ hîc occurrant, vide in Vindic. *Ezech.* 18. v. 24. diremtas

Vers. 14. *Si dixero impio: Morte morieris; & pœnitentiam egerit, &c.*

*Ἀντιλογίαν* quandam, hoc loco apparentem, vide conciliatam in Vindic. *Ezech.* 3. v. 18.

Vers. 15. *Si impius in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet, & non morietur.*

I. *Socinus* in libr. *Quòd Evangelici omninò, &c.* p. 13. docet, *reprobos salvari posse*, quòd *impius, si talis esse desinat, & convertatur, salvandus sit.*

℞. Nihil contra nos, quippe qui docemus, salvationem non fieri secundum *unum alterum ve justitiæ actum*, sed ibi *finalis* hominum status considerari debet. Si quis *ultimo vitæ tempore* credat, veramque pœnitentiam agat, certò salvabitur, quomodocunque vixerit antea. Hîc autem quæritur, quid Deus in *æterna electione* consideraverit? Non sanè fidem *temporalem*, de qua loquitur Propheta; sed potiùs *finalem*: ideoque eum elegit, quem *finaliter* crediturum prævidit, licèt ille *ad tempus* pessimè vixerit. Utrumque igitur simul potest consistere, nimirum *impium, si fiat justus, salvari posse*; & *reprobos non salvari*: quia ibi *temporalis*, hîc *finalis* infidelitas consideratur. Deus enim hoc prævidit, an impius sit pœnitentiam acturus, & ita prædestinavit. *Meisner.* in Consider. Theol. Photin. c. 2. p. 70. seq.

II. Cæteras controversias, fortè hoc loco agitatas, vide in Vindic. *Ezech.* 18. v. 21. definitas.

Vers. 16. *Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non recordabor: judicium & justitiam fecit, vitâ vivet.*

Controversias, si quæ hîc moveri poterant, vide in Vindic. *Ezech.* 18. v. 22. decisas.

Vers. 19. *Cum aversus fuerit impius ab impietate sua, & fecerit judicium & justitiam, propter ipse vivet.*

*Socinus* in Prælect. Theol. c. 17. p. 86. contendit, *Deum peccatorem pœnitentem recipere in gratiam, nulla vera satisfactione acceptâ*; cum *peccator pœnitens sit victurus propter pœnitentiam suam*, h. e. *aversionem ab impietate sua, & factionem judicii atque justitiæ.*

℞. (1.) In Hebræo habetur צְדָקָה, *δικαιώματα*, per quod vocabulum *leges ceremoniales*, respectum ad *Christum* habentes, intelliguntur, & *universa statuta Ecclesiastica*, quib⁹ *vera justitia fides & operũ* continetur. Recitat Propheta aliquot indicia veræ resipiscentiæ, præsertim in vita civili, ut sunt, *restituere pignus, rapinam reddere*, v. 15. Sed à *positione* unius ad *negationem* alterius N. V. C. (2.) Hebræum, עַל non necessariò reddendum est, PROPTER, cum & IN notet; unde Junius: *in his ipse vivet.* (3.) Si Socinus scire vult, quomodo *Patres in V. T. salvi facti fuerint*, legat *Rom.* 4. v. 9. seqq. ubi inveniet, quòd in justificatione *fidei in semen benedictum sit ipsi Abrahæ imputata ad justitiam*; & v. 24. Paulus subjungit, quòd & *nobis fides ita ad justitiam reputabitur.* Winter. in Refut. Socin. de Justif. p. 31.

Cap. XXXIV. v. 2. *Væ pastoribus Israelis, qui pascunt eos, &c.*

Deus sibi *contradicere* videtur: hîc enim comminatur pastoribus malum, *gregem pascentibus*; & tamen vers. 2. in ipsis improbat *negligentiam pasturæ.*

℞. (1.) Hebræum אוֹתָם Arias vertit, *semetipsos*, ut sensus sit: Væ pastoribus, qui *semetipsos* pascunt. Atque ita etiam Lutherus: **Weh den Hirten Israel/die sich selbs weiden.** (2.) Sed etsi illud reddatur, EOS, nihil tamen difficultatis remanet. Deus enim *pastores* vocat, non ex *re*, quòd ita se reipsâ gerant; sed ex *officio*, quia *debebant pascere.* Et sic in seq. *Annon grex est, quem pascunt pastores*, h. e. *pascere debent.* Jun. in Schol. Bibl. h. l. n. 2. p. 804. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 6. p. 247.

Vers. 8. *Vivo ego, ait Dominus Deus, si non, eò quòd grex meus est dispersiom, &c.*

*Aposiopesis* est: אִם לֹא, *si non*; ubi per *reticentiam* deest posterius sermonis membrum, quod *comminationis summam* continere debebat, potest autem id ex v. 10. seqq. erui. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 4. m. 3. p. 539.

Vers. 10. *Ecce ego ipse super pastores, & non populus, &c.*

D. *Iohannes Zacharias* olim in Concilio Constantiensi exinde probare conatus est, *neminem debere summum Pontificem judicare, præter solum Deum*; quoniam *ipse Deus sit super pastores, & non populus.*

℞. (1.) *Iohannes Hussus* tunc scitè respondit, *exemplar id Zachariæ esse corruptum*: neque enim, vel in *Hebræo*, vel in *Vulgata Latina* habetur particula. *Et non populus.* (2.) Deus ibi non de *solo summo Pontifice*, sed de *aliis quoque pastoribus* loquitur: ergóne nemo *ullos pastores*, præter solum Deum, debet judicare? *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 180.

Vers. 12. *Quò dispersa fuerant illuc in die nubis & caliginis.*

In versu hoc habetur (1.) *Hebraismus*: אֲשֶׁר שָׁם, *quò illuc*, i. e. *in qua.* (2.) *Metaphora*: *In die nubis & caliginis*, h. e. *tempore calamitatis & infortunii extremi.* Artem. par 3. Bibl. p. 132. Friedlib. in Annot. ad h. l. art. 3. class. 1. p. 757.

Vers. 16. *Quod pingue & forte custodiam, & pascam illas in judicio, &c.*

I. *Papistæ* existimant, *textum Hebræum esse corruptum*, cum *irrepserit vocula*, אַשְׁמִיד, *perdam*, pro אֶשְׁמוֹר, *custodiam*

℞. Vox אַשְׁמִיד minimè irrepsit: partim quia in omnibus exemplaribus *Hebræis* constanter legitur: partim quia *Targum* reddit, אֲשֵׁיצִי, *perdam*; partim quia sensus requirit, ut adsit. Paratur enim transitio ad mercenarios & lupos, ad oves impias; quasi diceret Dominus: *Eam ovem, quæ saginata confidit robori suo, & petulca evasit, perdam ac destruam*; id est, illas oves pinguiores & robustiores, quæ reliquas, & quidem debiliores, impetunt, & stabulò depellunt, ex grege tollam. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 316. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract 1. p. 161. seq. par. 2. sect. 2. obj. 72.

II. *Papistæ* pungunt *Lutherum*, qui in Bibliis Germanicis textum Hebræum verterit modô contrario: **Was fett und starck ist/wil Ich behüten**, pro quo esto: **Das Fett aber und das Starcke wil Ich vertilgen.**

℞. Lutherus non egit fraudulenter, nam pro אַשְׁמִיד legit אֶשְׁמוֹר, propter literarum ד & ר, item י & ו affinitatem; & in *bonum* accepit *ovium fortium* descriptionem, ut v. 3. videtur accipi: qua in parte secutus est LXX. *Interpretes*, & *Latinam versionem*, qui habent *φυλάξω*, *custodiam*; siquidem legerunt quoque אֶשְׁמוֹר, destituti exemplari punctato. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. sacr. §. 523. obj. 5. p. 578. seq.

Vers. 17. *Ecce ego judicabo inter ovem & ovem, inter arietem & hircum.*

*Turrianus* l. 1. de Eccles. c. 8. autumat, *pastoribus alios esse præficiendos*, sicut *gregi ovium pastores*: quandoquidem *præfecti* sive *Episcopi* vocentur *arietes*, tanquam *ductores gregis*.

℟. (1.) *Lyranus* hoc loco per *arietes* non intelligi docet *pastores populi*, sed nomine *arietis & hirci* notari *bonum & malum*, planè ut *Matth.* 25. v. 33. ubi certè nemo *arietes* sumit pro *pastoribus*, sed intelligit duntaxat, *arietes & hircos* dictos, *bonos & malos*, sive ij *pastores* fuerint, sive de *grege*. Et favet ratio. Non enim constaret allegoria: quia *arietibus* nunquam committitur *gregis cura*; itaque non possunt *pastores* significare. (2.) Etiamsi concedamus, Ezechielem per *arietes* significasse *pastores*; tamen negatur consequentia. Nam primùm, quia id nusquam Propheta aut dixit, aut significavit: imò in toto illo sermone nulla est particula, quæ ad hanc consequentiam referri queat. *Allegoria* autem, quoties exspaciatur *ultra autoris mentem*, somnium est, non allegoria. Quasi ego dicerem: Propheta arietibus comparat Episcopos; at arietes habent duo cornua, ergo Episcopi debent habere mitram bifidam. Quis non rideat? Deinde, est contra mentem Prophetæ. Nam si alii sint Episcopi, atque alii Episcopis præfecti; & Episcopi significati sint per *arietes*: ergo *Episcopis præfecti* non significabuntur per *arietes*. Itaque Propheta tantùm comminatus esset Dei judicium Episcopis, non etiam *Episcoporum præfectis*; id quod est absurdissimum. Quod si in *arietibus* contineantur etiam *Episcopis præfecti*, ergo abibit in infinitum: ut quia ipsi *Episcopis præfecti* sint *arietes*, arietibus autem *pastore* opus est; ergo & *ipsis Episcoporum præfectis* sint alii præfecti, nullo fine facto. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 9. c. 14. §. 1. 5. 6. p. 167.

Vers. 18. *Nunquid parum à vobis, pascuum bonum pascemini, & reliquum pascuorum vestrorum conculcabitis in pedibus vestris, & sedimentum aquarum bibetis, & reliquas in pedibus vestris conculcabitis?*

Ezechiel utitur (1.) Ellipsi: *Parum à vobis*, subint. *est, quod* pascuum &c. (2.) *Enallage temporis* futuri, *pascemini, conculcabitis, bibetis*, pro præsenti, *pascimini, conculcatis, bibitis*. (3.) Hypallage: *Sedimentum aquarum*, pro, *aquas sedimenti*, h. e. *puras, limpidas*, in quibus omnis crassa aut terrea materia subsedit, & in profundum depressa est. (4.) *Synthesi*: Et reliquas in pedibus vestris *conculcatis*, h. e. *conculcando turbatis*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 132. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 486. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 43. p. 164.

Vers. 22. *Salvabo gregem meum, & non erit ultrà in rapinam.*

*Scheppius* in Syntagm. de Antichrist. p. 51. nugatur, *Iudæos omnes tempore Antichristi in Iudæam esse redituros*, quòd *Deus promiserit gregem suum salvandum, nec ultrà fore in rapinam.*

℟. N. C. Deus enim *gregem suum salvare* potest, etiamsi *in Iudæam is non redeat*. Deinde *Iudæis* Propheta non promittit *reditum in patriam*, sed loquitur de *spirituali pace & securitate*, quam pollicetur Dominus Ecclesiæ N. T. cui daturus *unicum illum pastorem, servum suum David*; quod vaticinium de seipso interpretatur *Christus*, Joh. 10. v. 14. qui *tyrannis* frænum injiciet, ne pro lubitu suo in electos grassari valeant, *Esa.* 11. v. 6. *Ose.* 2. v. 20. &c. *Baldvin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 6. thes. 145. p. 227.

Vers. 23. *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.*

I. In textu hoc habetur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *Christus* peculiariter, ratione *suavissimi sui officii* salvatorii, *pastor* appellatur, de quo *Iohan.* 10. v. 12. (2.) *Metonymia causæ pro effectu*: *quia David* pro *Davidide* (ut ita dicam) seu *Messia*, ex Davide secundum carnem genito, accipitur, quo de Rom. 1. v. 3. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 7. & cap. 7. p. 149.

II. *Papa Romanus non est universalis pastor totius Ecclesiæ in his terris*: unicus enim est universalis pastor totius per orbem terrarum Ecclesiæ, nempe *Christus*, ex *Davide* oriundus, & per *Davidem* præfiguratus.

*Papistæ* respondent, se papam Romanum non appellare Pastorem universalem, *eo modo & gradu*, quo *Christum*; sed gradu *inferiore*.

℟. *Verbis* quidem id negant, at *facto* ipso tentant, hanc supremam dignitatem *Papæ suo*, prætextu *Petri*, conciliare. Etenim inter significatum *Pastoris*, quemadmodum *Christo* tribuitur; & inter significatum id, quod in *Apostolos* competit, non est *tertia* significatio, quæ majorem dignitatem, quàm *Apostolicam*, denotet: & tamen *inferiorem* ea, quàm *Christi*. Quin quamprimum terminos *Apostolicos* numeris transcendere cupias, confestim invades ipsum *Christi* munus. Neque enim ulla est *intermedia* potestas aut dignitas in officio *Ecclesiastico*; neque possunt Papistæ ullam intermediam indicare: siquidem non est quicquam ratione officii datum *Petro*, quod non etiam in *omnes Apostolos* sit collatum, Joh. 20. v. 21. 22. 23. Quarè *Petrus* non potest fingi universalis pastor totius militantis Ecclesiæ, quin ob communionem *officii* etiam *reliqui Apostoli* universales Pastores agnoscantur Catholicæ per universum mundum Ecclesiæ. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 1355.

III. *Rauffius* in Colloq. Franckenthal. act. 16 q. 1. p. 310. opinatur, *pios* V. & N. T. *non esse unam Ecclesiam*, quia *Christiani in* N. T. *unum habeant pastorem Christum, quem non habuerint pii* V. T. ideoque *ab uno illo Pastore non fuerint pasti.*

℟. Dictum hoc nil facit ad rem: nam licèt pii veteres nō habuerint Christum ratione *humanitatis*, habuerunt tamen ratione *divinitatis*, 1. *Cor.* 10. v. 9. neque enim sunt *duo Christi*, sed *unus*, veteribus *exhibendus*, nobis *exhibitus*. Tam verò is pavit suos in V. quàm in N. T. teste Davide, *Psal.* 23. v. 1. *Dathen.* in Colloq. Franckenth. act. 16. q. 2. p. 312. *Meyfart.* in LL. Theol. loc. 19. cap. 2. q. ult obj. ult.

Cap. XXXV. v. 3. *Sic dixit Dominus Deus: Ecce ego ad te, ô mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolationem & desolationem.*

Propheta utitur (1.) *Ellipsi* verbi: *Ecce ego*, subint. *venturus sum*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim dicitur *extendere manum suam*, i. e. *pœnam immittere*. (3.) Hebraismô: *Dabo te desolationem, & desolationem* h. e. *reddam te desolatissimam*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 487. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 806. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 32. p. 117. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 110.

Vers. 5. *Pro eo quod fuit tibi inimicitiam seculi, & diffluere fecisti filios Israelis super manus gladii, in tempore contritionis eorum, in tempore iniquitatis finis.*

Occurrit (1.) *Metaphora*; quâ *diffluere* est *interire*. (2.) *Pleonasmus*: Super *manus gladii*, h. e. per *gladium*, nisi

... manum exponas aciem. Jun. in Bibl. h. l. ... Adam. par. 4. Bibl. p. 133.
6 Si non sanguinem odisti, & sanguis per sequetur te.
Metonymia est: nam sanguis pro cade ponitur, Jun. in Not. ad h. l. pag. 806. Confer Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. ... cap. 12. p. 351.
V. ... Desolatio erit mons Seir, & omnis Edom ... & cognoscent, quod ego Dominus.
Enallage est tum abstracti nominis, desolatio, pro concreto, desolatissimus, tum verbi activi, cognoscent, pro ... cognoscetur, Jun. in Not. ad h. l. p. ... 6. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. ... p. 28.
Cap. XXXVI. v. 22. Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam Domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, &c.
Pareus ... Calvin. Orthod. autumat, Esa. 43. v. 25. loqui Christum, ut Jehovam, sed non ut mediatorem; cum & idem sit, qui hic loquatur, se liberatorem & mundatorem esse Ecclesiæ propter nomen suum, nempe Christus, ut Jehovah, non ut mediator.

R. ... Negatur non patet, in hoc Ezechielis loco ... nam Messias, ut Mediator est, non exclusive ... fit emundationis & ablutionis peccatorum, ... Ubicunque vero fit mentio emundationis & ablutionis peccatorum, ibidem necessario simul persistetur de Christo testimonium, Act. 10. v. 43. atque ... includitur respectus Mediatoris. (2.) Phrasis, propter nomen meum, ubi de propitiatione peccatorum agitur, non complectitur nudam DEI clementiam, sine determinatione Christi Mediatoris consideratam, sed meritum designat Mediatoris Christi, velut. 1. Cor. 6. v. 11. & 1. Joh. 2. v. 12. Hunn. tom. 2. Oper. Latin. p. 772.
Vers. 25. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.
Bellarminus l. 1. de Sacram. Baptism. c. 13. class. 1. argum disputat, Baptismum in hominibus baptizatis ita delere omne peccatum, ut nihil amplius sit, quod ad culpam imputari possit, quia beneficio aquæ mundæ baptizati mundentur ab omnibus inquinamentis suis.

R. Perfecta illa purgatio inde non concluditur. Nam (1.) non sequitur: Si mundandi sunt, ergo uno momento; siquidem mundatio ab inquinamentis etiam tum fit, cum inquinamenta sensim ac paulatim amoventur, 2. Cor. 7. v. 1. & quidem ita, ut finis sit in perfectionem. Nam & nos efficaciam Baptismi negamus restringendam ad unum adspersionis momentum, sed in universam producimus vitam. (2.) Indicantur non singuli per capita, sed universus populus quorum sanctificatio est diversa. Nam dici potest populus sanctus sive mundus in universum, propter sanctitatis professionem: quanquam alioqui privata capita multis laborent defectibus. Sic Paulus ... propterea non appellat sanctos, Corinthios & Galatas, quos tamen severissime reprehendit. (3.) Omnia inquinamenta videntur ... sopher ... ... idololatriæ, & cultu falsorum Deorum, & propterea statim ad ..., omnia idola: neque vero ... ..., pollutio, omne peccatum ... ..., sed abominandum. 4. Ezechiel non negat, reliquias peccatorum remanere in omnibus ..., nam & id fatetur Apost. ... Joh. 1. ... 8. sed ... quitur de reatus ablatione, & inchoata naturæ renovatione, quæ in hac vita non ab ... ... sed gradus & incrementa sua habet, donec tandem in vita æterna ... gre in nobis ..., Ephes. 5. vers. 27 Selnecc. par. 3.

Exam. Ordinand. p. 140. Præl. par. 3. Arg. & Resp. Theol. p. 470. & 472. Gerhard. tom. 4. LL. CC. loc. 23. de Baptism. § 134. pag. to... Chem. tom. 4. Panstr. l. 5. c. 5. § 6. & 12. p. 118. seq.
Vers. 26. Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.

I. Flacius statuit, peccatum originis esse ipsam cordis substantiam, quoniam dicatur cor lapideum, quod omnino substantia est.

R. N. C. nam (1.) Scriptura non dicit in abstracto, cor esse ipsum lapidem, id est, peccatum; sed lapideum, hoc est, peccato pollutum, atque sic in concreto. Itaque male confundit Adversarius abstractum cum concreto (2.) Epitheton hoc, lapideum, non accipitur proprie, alioquin sequeretur, cor hominis non esse proprie carneum, sed lapideum; quod absurdum: verum metaphorice, propter similitudinem, quæ est inter cordis humani contumaciam, & lapidis durittiem, non diffitente ipso Flacio ... av. Theol. par. 2. fol. 54. (3.) Dominus ... dicit, ... quod substantiam cordis velit auferre, sed duritiem & malitiam, v. 29. ipsam autem cordis substantiam purgare, v. 25. At qui homini promittit salutem, non minatur substantiæ deletionem, sed promittit sanctitatis substantiæ sanationem. Heshus. in Antidot. contr. Flac. fol. 58. Gravver. par. 2. Præl. Theol. in A. C p. 98. seq. Gerhard. tom. 2. LL. CC. loc. 12. de Peccat. Orig. §. 94. obj. 5. p. 624. Jacob. Martin. in Partit. Theol. disp. 10. thes. 75.-85.

II. Nulla in hominis voluntate post lapsum superfuerunt vires, quibus divinæ gratiæ ad bonum spirituale cooperari possit: voluntas enim hominis peccatoris est cor lapideum, ast cor lapideum non habet in potestate sua, fieri carneum, id est, cooperari gratiæ divinæ ad bonum spirituale.

Bellarminus l. ... de Grat. & lib. Arb. c. 13. resp. ad 1. respondet ... liberum arbitrium non esse cor lapideum aut carneum, ed vim quandam mediam & naturalem, quæ lor... nam lapidis, id est, peccati duritiem; & formam ... arnis, id est, gratiæ teneritudinem recipere potest.

R. 1. Jesuita ludit vocabulo arbitrii, quod pro ipsa physica voluntatis essentia accipit, quo quidem pacto non liberum arbitrium aut voluntas tantum, sed & totus homo, & Diabolus etiam, est res media & naturalis; nos vero pro δυνάμει bonum malumque eligendi accipimus. Hæc δύναμις, quia per peccatum altissime corrupta est, recte dicitur lapidea, quia peccatum indurat cor hominis, ut non curet supercælestia, nec etiam curare queat. 2. Ambiguitas etiam est in termino recipiendi. Si enim intelligitur capacitas activa, nempe ... quædam ἐνεργητική, negamus, talem capacitatem, qua renitendo gratiæ recidi possit, in homine superesse. Si vero per eam intelligitur capacitas passiva, qua voluntas hominis subjectum παθητικὸν divinæ gratiæ constituitur, co... dimus, talem receptivitatem adhuc superesse. ... Qua vero illam Bellarminus propugnat, manifeste ... ... tradicit Ezechiel. Nam qui homo peccator, in statu & conditione sua, quam habet ratione peccati, consideratus, non habet ... cor lapideum, ideo ex se non potest mollescere, & teneritudinem gratiæ recipere; sed requiritur, ut divina gratia connatam ... ritiem auferat, & novas ad amplectendum bonum vires concedat, quo hac ratione fiat cor novum & spiritus novus, Ezech. xxxv. 19.

2. Vim illam naturalem liberi arbitrii, quando per *peccatum* est cor *lapideum*, non habere *ex se* potestatem, quâ se possit ad Deum convertere; sed quando per *gratiam Dei praevenientem* liberum arbitrium & excitatum & praeparatum est, posse per vires, quas à Deo recipit, conferari ad suam ipsius conversionem.

℞. Bellarminus verbis saltem largitur, *liberum hominis arbitrium post lapsum nullam ex se habere vim*; at illud prodit ex labiis dolosis. Nam (1.) per *gratiam praevenientem & excitantem*, nihil aliud Jesuita intelligit, quàm *suasionem moralem*. Suasio autem non *dat*, sed vel *praesupponit*, vel *exigit vires* ac potestatem agendi. quod fundetur. Voluntas igitur per *gratiam praevenientem*, quam Bellarminus intelligit, nullas *novas vires* accipit. (2.) Si *novas vires spirituales* accipit voluntas à gratia praeveniente, tum necessariò mutatur & convertitur, quoad *internam* dispositionem, *antecedenter* ad suam operationem: gratia enim praeveniens praevenit voluntatis operationem, & communicatio novae virtutis est *habitualis* commutatio vel conversio dispositionis. Si verò hoc sincerè faterentur Pontificii, finis esset controversiae hujus, quatenus spectat ad *conversionem*. Meisner. dec. 3. Anthr. disp. 2. thes. 52. p. 97. & 98. *Gerhard*. tom. 2. LL. CC. loc. 14. de Liber. Arbitr. §. 39. p. 906 seq. *Ames*. tô. 4. Bellarm. Enerv. l. 4. c. 3. thes. 14. p. 9.

III. Notas Philologicas, & caeteras controversias hujus loci vide in Vindic. *Ezech*. 11. v. 19. assignatas.

Vers. 27. *Faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.*

*Bellarm*. l. 4. de justif. c. 11. arg. 1. exinde cóncludit, *legem moralem in hac vita à renatis perfectè adimpleri posse*, quoniam Deus promiserit, se facturû, *ut sui in praeceptis divinis ambulent, & judicia divina custodiant*.

℞. Phrasis haec, *in praeceptis Dei ambulare, & judicia ejus custodire*, sumitur dupliciter. (1.) *absolutè*, pro omnibus numeris ac gradibus perfecta mandatorum divinorum observatione & impletione, atq; *hanc* in N. T futurá Deus non promisit, ideò sequeretur, *promissioni divinae eventum non respondisse*; nó enim eft ex S. Scriptura, *Israelitas nunquam in praeceptis* Dei ita ambulasse, ut inde *absolutè perfectam legis impletionem sibi polliceri potuerint*. (2.) *limitatè*, respectu tum *inchoatae novae obedientiae*, tum *hypocrisianum & impiorum*, qui observationem praeceptorum divinorum negligunt atque hunc sensum phrasis illa h. l. admittit, quod constat ex ἀντιθέσει *bonorum, malorumque operum*. De his enim Deus dicit, se ab Israel ob enormia scelera & peccata graviter offensum fuisse, v. 18. Jam vero eam mandat rum divinorum obedientiam futuram, quae pietatis omnes avertere, iramque Dei auferre possit. Haec verò est illa *inchoata justificatorum obedientia*. Thumm. in Dec. Exerc. Theol. di[illegible]

Cap. XXXVII. v. 1. *Fuit super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini, & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.*

I. Ez[illegible] usurpat (1.) ἀνθρωποπάθειαν. quia man[illegible] DEI appellatione *vim propheticam* in[illegible] qua DEUS sibi (Prophetae) adfuit, eum[illegible] d denunciandam *mortuorum resurrectionem*, seu *subsequuturae restaurationis typum*, impulit. (2.) *Metonymiam causa* pro *effectu*: Eduxit me in *Spiritu* Dominus, h. e. per *visionem*, seu *raptu Spiritûs*, c. 2. v. 22. *Jun*. in Not. ad h. l. p. 808. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 6. & cap. 7. p. 112.

II. Nonnulli censent, ex capite hoc non posse certò probari, *mortuorum resurrectionem aliquando futuram*, quia illa Prophetae fuerit ostensa in *visione* saltem, non autem in *re veritate* contigerit.

℞. *Visio* quidem illa fuit, non tamen *humana*, sed *divina*, quae si *resurrectionem mortuorum* probaremini posset utique nec ad *restitutionem Israelitarum in terram Chanaan* confirmandam idonea censeri deberet, quod est contra vers. 12. *Gerhard*. tom. 8. LL. CC. loc. 30. de Resurr mort. §. 13. pag. 1002. seq.

Vers. 3. *Et dixit ad me: Fili hominis, putásne, vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus tu nôsti.*

Instant illi, hanc visionem Propheticam non agere de *mortuorum resurrectione, qua tùm temporis in Ecclesia Israelitica publicè fuerit credita*; quòd Propheta non respondeat assertivè; *Vivent*, sed dubitativè: *Domine tu nôsti*.

℞. Credebat quidem Ezechiel, in *fine seculi* mortuos vivificandos; sed de *ossibus illis, qua ipsi tum temporis ostendebantur*, ignorabat, an *illâ ipsa hora essent excitanda*, ac proinde rē Deo in pia simplicis fidei obedientia committebat. *Gerhard*. ibid. obj. 1.

Vers. 5. *Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum.*

*Reformati* quidam statuunt, *animam hominis à Deo creari*, quoniam *DEUS in corpus intromittat spiritum*.

℞. *Junius* tom. 1. Oper. Theol. p. 42. arg. 5. fatetur, animae creationem ex eo loco *necessariò* concludi non posse, quòd sit *parabola*. Addo, sequi absurdum, videlicet in resurrectione mortuorum *novas animas creatum iri, & corporibus immittendas esse*; aut quod verius, *animas hominum immediatè non creari*.

Vers. 7. *Et appropinquaverunt ossa, os ad os suum.*

*Enallage* est personae secúdae in verbo, וַתִּקְרְבוּ, *appropinquavistis*, pro persona tertia, וַתִּקְרְבָה, *appropinquárunt* Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 50. m. 2. p. 390.

Vers. 10. *Et steterunt super pedes suos exercitus magnus valde valdè.*

*Hebraismus* est: גָּדוֹל מְאֹד מְאֹד *magnus valde, valde*, h. e. *quam maximus*. Fried lib. in Annot ad h. l. art. 3. class. p. 757.

Vers. 11. *Ossa hæc sunt universa domus Israel, &c.*

I. *Goclenius* Probl. Rhetor. 72. p. 244. putat, *tropum hic esse in copula* SUNT, quia propositio ista resolvatur in hanc: *Ossa referunt domum Israel*; Siquidem res *significata* dicantur de *significantibus*.

℞. (1.) Tò *Israel* ponitur in casu *obliquo*, ut ex constructione manifestum; unde resultat sensus planissimus iste: *Omnia haec ossa sunt domus Israelis*, vel, *sunt ossa Israelitarum*. (2.) Etiamsi *nominativus* retineretur, nullus tamen foret tropus in *copula*, sed ponus in *praedicato, domo Israel*, vel *Israelitis*, quorū nomine intelligerētur *exuviæ*, ex quibus aliquando corpora Israelitarum erant resuscitanda. *Meisner*. par. 1. Philos. sobr. sect. 1. cap. 5. q. 3. class. 2. obj. 7. p. 223. seq. *Gerhard* tom. 5. LL. CC. loc. 24. de S. Cœn. § 95. obj. 6. p. 199.

II. Nonnulli existimant, *in hoc capite non agi de universali mortuorum resurrectione*, cùm *ossa illa vivificata* dicantur *esse domus Israel*.

℞. Ut in aliis quibusdam Scripturae locis, ita etiam in hac ipsa visione Prophetica de resurrectione *justorum*, spiritualium Israelitarum, *propria ac deter-*

determinat ... sed ex eo non est inferendum, impio non esse resurrecturos, cum inclusio unius non ... exclusio ... Gerhard. tom. 8. LL. CC. loc. 30. de Res... mortuor. §. 13. p. 10 ... 2. obj. 2.

Vers. 12. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israel.*

*Mortuorum resurre... aliquando certo est futura: Deus enim promittit, se mortuorum tumulos aperturum, eosque de sepulchris educturum esse.*

Excipiunt quidam interpretes, hanc visionem Prophetiam fuisse duntaxat typum *liberationis ex Babylonica captivitate, ac restitutionis in terram Chanaan*, quod hanc accomodationem ipse ostendat Propheta: *Inducam vos, &c.*

℞. Sanè non diffitemur, hac visione Propheticam ... fuisse Israelitis promissionem de *liberatione e Babylonica captivitate, & prosperis vigoris recuperatione*: sed negamus, *tantum ad liberationem e Babylonica captivitate* respectum fuisse, ... etiam ad beneficium *resurrectionis ... futura*, deducimur. Nam (1.) vix ... locus, in quo *forma ac* ... tam emphaticis verbis atque phrasibus ... (2.) Der... dicitur, quòd ... *exercitus fuerit grandis nimis valde*, v. ... Sed *Israelitarum, è Babylone in Chanaan redeuntium*, non fuit tantus numerus. (3.) Promittit Dominus, *se aperturum tumulos Israelitarum*, v. 12. Jam verò *ossa jamdum erant in campo dispersa*, ac proinde etiam *tumuli aperti*, vers. 2. *Gerhard.* ibid. pag. 996. seq.

Vers. 16. *Et tu fili hominis, sume tibi lignum unū, &c.*

*Metonymia* est *materiæ* pro *materiato*: nam *lignum* pro *tabula lignea* ponitur. Chaldæus habet, לוחא *tabulam unam*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. ... cap. 1. in ult. p. 21.

Vers. 21. *Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt, & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam.*

*Theodoretus* in Comm. Ezech. sect. 15. opinatur, prophetiam *Ezech. 38. & 39. ad tempora reditus è Babylone referendam esse, quia illam proxime antecedat vaticinium de reditu.*

℞. N. C. siquidem (1.) in *vaticiniis* non observatur is ordo, qui in *historiis*, ut illa, quæ *tempore* sunt priora, præcedant, quæque simul in prædictionibus junguntur, *eodem etiam tempore eveniant*. (2.) Distincta hoc loco sunt vaticinia: nam v. 21. agitur de *liberatione à Babylonia*, mox v. 22. annectitur *prophetia de Ecclesia N. T.* quæ de Gogo prædictionem manifestò interstitio distinguit. *Gesner.* disp. 2. in Ezech. 38. & 39. c. 1. thes. 7. 42. 43. 44. seq.

Vers. 22. *Rex unus erit, omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna.*

*Sanderus* l. 4. de Visibil. Monarch. cap. 5. arguit, *unum esse debere in Ecclesia œcumenicum Pontificem ac Monarcham*, quia promittatur *unus Rex, omnibus Christianis imperaturus.*

℞. N. C. Propheta enim non loquitur de *Gentium vocatione*, sed de *Iudæorum unione in Christo*, qui post Salomo... mortem divisi erant in duo regna, Judaicum & Israeliticum ambo tamen restituendi in unum *spirituale* regnum sub *Messia*: ac proinde quem *Regem* Prophet... vocat, is nullus intelligendus est, præter *Christum*, teste ... *Glossis, Interlinear. & Ordinaria* ..., *Hectore Pinto, & Cornelio à Lapide* in h. l. ... inquam, frustra disputat *Sanderus*: omnibus Rex *Christus* est certè non est alius præter *Christum*, quoniam illa *ἀντιφατικῶς* opponuntur.

Regerit verò ibidem *Sanderus*, 1. Ezechielem quidem de *Christo* agere, sed ea ratione, qua *carnem* accepturus erat; alioqui non dicturum fuisse, *Rex unus erit*, sed *Rex unus est*.

℞. Ultro concedimus, agi hic de Christo, habita *incarnationis* ratione: verum in hoc non exiguum est *Sanderi* peccatum, quòd totam diversitatis rationem in *Christo* quærit, nullam in illa *unionis regnorum redintegratione*; quum tamen hæc sit præcipua, fore scilicet, ut, qui tunc non *regno tantum seculari*, sed etiam *religione* distrahebantur alii ab aliis, tandem uniendi essent in unum *spirituale* regnum.

2. Ezechielem significâsse, *fideles aliter futuros unam gentem & unum regnum post Christi adventum, quam antea*, nempe unum regnum, quoad *visibilem externamque speciem*; cum priùs quidem in *spiritu Christi* unum essent, sed per *externum & visibile regimen duorum Regum.*

℞. Prorsus ducebatur âmente Prophetæ. (1.) enim non prædixit, *alia ratione fideles futuros unum regnum, quam fuissent*, quasi aut supponeret unum esse, aut alluderet ad id, *quod olim fuerant*; sed omnino unum futuros, qui tum in duo erant divisi. (2.) Non id etiam spectat, *quomodo fideles fuerint unum in Christo*; sed docet potiùs, eos, qui tùm non erant in Christo, futuros in Christo, id est, eum populum, qui tùm temporis non *regni tantum legibus* divisus erat in duos *populos*, sed etiam *religionis* professione in duas *Ecclesias*, tandem in unam *religionem* uniendum. Ne nobis igitur *fidelium* nomine fucum faciat Sanderus, sed de præsenti *regnorum* statu cogitet. (3.) Si fideles futuri sint unum regnum *alia ratione, quam priùs*, ideo futuros unum non *spiritualiter*, sed secundùm *externam speciem*, tum nullam habet vim consequentiæ, ... dicitur falsò quia nunquam secundum *externam speciem* Christiani per totum mundum fuerunt unum regnum, sed tantùm *spiritualiter*.

3. Christi gubernationis modum non futurum *spiritualem*, quia *ab initio mundi solus sit imperaturus*; futurum ergò secundùm *carnis*, quam accepit rationem: id quod fiat, dum principatum, quem ipse suo corpore gessit, eundem in *altero* perpetuò gerit.

℞. (1.) Falsò sumit Sanderus, non fore *spiritualem* hunc gubernationis modum, ut ex jam dictis constat. (2.) Fatemur, Christum ab initio mundi *spiritualiter* imperasse fidelibus sed inde nihil sequitur. Non enim alia ratione Christum imperaturum Propheta prædixit, quàm unquam imperâsset; sed tantùm, iis etiam imperaturum, *quibus tum temporis non imperabat*. (3.) Illud de *carnis ratione* ambiguum est. Nam si significet, Christum, quatenus *incarnatum*, conceditur, illum prædici à Propheta, imperaturum Israelitis: sed hoc nihil ad *œcumenicum Pontificem*. Sin autem significet, Christum eadem ratione gubernaturum Ecclesiam *humanitate sua, quam cum in terris versaretur*; hunc verò sensum falsum esse asserimus. Nam prædicit Propheta, *Christum futurum Principem in æternum*; quod non potest intelligi, nisi de *spirituali* regimine: nam illud

*secundùm rationem carnis*, temporale est, non *aeternum*. Cham. tom. 2. Panstr. l. 9. c. 5. §. 1.-7. pag. 150.

Vers. 24. *Servus meus David Rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum: in judiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea.*

I. *Sanderus* l. c. instat, ex eo, quòd *unus Rex & Pastor omnium fidelium in* N. T. futurus promittatur, sequi, *unum esse debere in Ecclesia Christiana oecumenicum Pontificem ac Monarcham.*

R. De *solo Christo* in hoc vaticinio Prophetico agi, non tantùm *Hector Pintus* in h. l. *Ribera* in c. 5. Hose. n. 24. *Cornelius a Lapide* in h. l. fatentur, sed etiam ipse Propheta indicat. Nam per *Davidem* quis alium possit animo concipere, praeter *Christum*? Unde *Sanderus* ipse d. l. concedit, per hunc Regem *Christum* esse intelligendum. Jam verò, si is Rex *Christus* est, hoc nihil ad *oecumenicum Pontificem*.

Excipit ille, Ezechielem loqui de *Christo* ea ratione, qua *carnem* accepturus erat; alioquin Christum non vocaturum *David servum Dei*, quia *Verbum Dei non est servus*.

R. Hoc ipsum ultrò concedimus: nam certè Christus nec *David*, nec *servus* appellari potest, nisi habitâ *incarnationis* ratione: sed tamen in eo *totam esse vim prophetiae*, quod *Christus, qui antea tantùm Deus regnabat, deinceps qua Deus incarnatus regnaturus esset*; negamus; cùm alia, eaque *praecipua* sit, nimirum ab *Israelitarum statu*, qua de antea, *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. p. 669. seq. arg. 2. *Cham.* l. c. §. 1.-5.

II. Notas Philologicas, & caeteras controversias, quae huc pertinent, vide partim in Vindic. *Ezech.* 34. v. 23. partim in Vindic. *Ezech.* 36. v. 27. annotatas.

Vers. 26. *Ponam sancta mea in medio eorum in perpetuum.*

*Turrianus* opinatus est, *corpus & sanguinè Christi*, etiam extra Caenae usum, *conservari sub speciebus panis & vini*; quoniam *sint sancta Dei in medio Ecclesiae*: at qui negant, extra sumptionem esse corpus Christi, ejusque sanguinem, eos nolle, ut sancta sint in *medio eorum*, sed tantùm in *eis*; cum tamen aliud sit, esse in *eis*, aliud in *medio eorum*.

R. (1.) Jesuita discedit à *Vulgata Versione Latina*, quae non habet, *sancta mea*, sed, *sanctificationem meam*. (2.) Negatur i[llegible] sequi: nam sancta Dei non *conservantur* sub speciebus panis & vini, etsi verum sit, per panem & vinum *Sacramentaliter* in medio Ecclesiae Christum habitare. Etenim id intelligitur de pane & vino in *sumtione*, quibus corpus & sanguis Christi *Sacramentaliter* uniuntur, vi institutionis Christi. Quia scilicet Christus non habitat in medio Ecclesiae *localiter*, sed modo *mystico* Matth. 28. v. ult. (3.) Illud etiam falsò adjectum, aliud dici, *esse in eis*, & esse *in medio eorum*. Nam revera utrumque idem: siquidem *Christus* dicitur esse in *suis*, Ephes. 3. v. 17. & in *medio suorum*, Matth. 18. v. 20. similiter *spiritus Dei* dicitur esse in *fidelibus*, Esa. 59. vers. 21. & in *medio eorum*, Hagg. 2. vers. 6. *Cham.* tom. 4. Panstr. l. 7. c. 8. §. 6. & 7. p. 175. seq.

Cap. XXXIIX. v. 2. *Pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog, Principem capitis Mesech, &c.*

I. *Metaphora* est: *Principem capitis*, h. e. *praecipuum & primarium* sive *summum*, Chaldaeo interprete. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 493.

II. *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. [illegible] sent. 10. probabile judicat, per *Gog* signifi[illegible] *tichristum*, & per *Magog* exercitum ejus [illegible] chielem enim *Gog* vocare *Principem*, & *Magog* vocare *terram* sive *nationem*.

R. (1.) Locus hic non potest intelligi de *f[illegible]tto Papistarum Antichristo*, quoniam, ut ipsimet volunt, post mortem Antichristi, ad finem mundi erunt *tantùm 40. dies*: at post Gogum deletum habitatores civitatum Israelis urent arcus, sagittas, hastas &c. *septem annis*, Ezech. 39. v. 9. (2.) Ezechiel Gogum non vocat *Principem simpliciter*, sed *Principem Mesek & Thubal*, qui titulus quid ad *Antichristum illum Papisticum*? (3.) An vero *omnis Princeps est Antichristus*? Scharp. tom. 2. Curs. Theol. art. de Antichrist. p. 1696. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 17. c. 13. §. 14. seq. p. 377.

II. *Iudaei* recentiores clamitant, *Messiam nondum venisse*, quia *Gog nondū sit interemptus, & Magog nondum expugnatus*; cum tamen *isti* per *illum* fiot delendi.

R. Anile hoc est somnium: nam quod *Messias externa quadam vi pugnaturus sit adversus Gog & Magog*, Propheta non praedicit: quanquam *Gogi & Magogi interitum, ante finem mundi futurum* pronunciat. Sed inde frustra somniant Judaei, per *hostes illos* intelligi *Imperatores Romanos*, sub quorum jugo quasi captivi teneantur Judaei, & à quo Messias ille fictitius ipsos sit liberaturu[s] inqu[e] *Palaestinam* reducturus, cum tamen Judaei nunquam suam terram sint rursus possessuri, neque decem tribus sint isthic reversurae. Quod ipsimet *Iudaei* diffiteri nequeunt, cum in libro *Sanhedrim* in cap. *Helec.* haec ipsa expressè legantur: *Decem tribus non sunt futura ad revertendum*, id est nunquam sunt reversurae ad terram Israel. *Hutter* in LL. Theol. p. 858. seq. obj. 6. *Iacob. Marten.* [illegible] de trib. Eloh. c. 37. arg. 11. p. 195. & c. 41. resp. ad 11. arg. p. 215.

Vers. 4. *Et reducam te, & dabo hamos in maxillis tuis, & exire faciam te, & omnem potentiam tuam, equos & equites vestitos perfectionis omnes, coetum multum clypei & scuti, &c.*

Verba haec continent (1.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Deus* enim dicitur *hamos dare in maxillis Gogi*, h. e. *contumeliosè ipsum tractare*, Esa. 37. vers. 29. (2.) *Metonymiam* tum *adjuncti* pro *subjecto*, quia חיל *potentia* accipitur pro *exercitu potenti*, seu *copiis militaribus*. tum *subjecti* pro *adjuncto*, quoniam *clypeus & scutum* pro *militibus clypeatis & scutatis* ponitur. (3.) *Hebraismum*: Vestitos *perfectionis*, h. e. *perfectissimè*, puta *omni armorum genere*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 493. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 809. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m 1. p. 54.

Vers. 8. *In extremitate annorum venies ad terram, quae reversa est gladiò, & congregata est de populis multis, ad montes Israel, &c.*

*Theodoretus* in Comm. Ezech. sect. 15. statuit *prophetiam hanc Ezechielis statim post reditum Iudaeorum ex Babylone impletam esse*: quia *Iudaei istius temporis vere erant populus, a gladio & a servitute in libertatem vindicatus, & tum de gentibus reversus*.

R. Ratio haec nimis infirma est. Nam licèt cōcedamus, *Iudaeos tum ab exilio reduces, a gladio reversos esse*; tamen inde nondum inferri potest, quòd idcirco *ille ipse a gladio reditus*, de quo hîc sermo est, *per Ezechielem intelligatur*, cum & postea saepe

*è praliis*

... liberati, & non modò ducibus Esdra & Zorobabele, sed etiam Macchabæis è gladiis vindicati. Ita quoque largimur, Israelitas eo tempore de variis populis Hierosolymam rediisse, in quos dispersi fuerant: sed & alias idem factum est. Ergo non potest hinc inferri firmiter, quòd, quæ hîc dicuntur de reditu, intelligenda sint de illo ex Babylonico exilio adventu. Possemus etiam addere, Prophetam non loqui de liberatione Israelitarum ex multis nationibus, a quibus hactenus oppressi fuerant: sed de collectione Ecclesiæ, ex variorum populorum reliquiis. Ut taceamus, Ezechielem disertè loqui de extremitate annorum, quæ finem universi temporis notat. Gesner. disp. 2. in Ezech. 38. cap. 1. thes. 6. 16. 17. 18. & disp. 3. cap. 1. thes. 33.

Vers. 10. *Et erit, in die illa ascendent verba super cor tuum, & cogitabis cogitationem malam,*

Deprehenditur hoc loco (1.) Synecdoche speciei pro genere: Ascendere enim ponitur pro incidere, eò quod de mentis cogitationibus usurpetur. (2.) Hebraismus: Cogitabit cogitationem, h.e. multùm ac frequenter cogitabis apud te. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 494. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 6. p. 451.

Vers. 11. *Ascendam ad terram, absque muro, veniam ad quiescentes, habitantesque securè: Si omnes habitant sine muro, vectes & portæ non sunt eis.*

Theodoretus ibidem instat, Gogi irruptionem successisse in reditum Iudæorum ex Babylone: urbes enim Iudææ eo tempore non habuisse muros, neque portas, neque vectes, secundùm prophetiam.

R. Argumentum hoc evertitur ab ipso Ezechiele, addita securitatis & desidiæ notatione. Securos etenim habitare, magnaque confidentiâ præditos esse eos affirmat, qui insperata Gogi irruptione opprimuntur. Jam vero è Babylone reducti, etsi muros non inveniebant, tamen securi usque adeò non erant, ut insidias vicinarum gentiū accuratè observaverint, Esar. 4. v. 3. & excubias diu noctuque egerint, Nehem. 4. v. 23. Gesner. disp. 2. in Ezech. 38. c. 1. thes. 6. 20. 21.

Vers. 12. *Ad spoliandum spolium, & ad prædandum prædam &c. habitantes super umbilico terræ.*

Recurrit (1.) Hebraismus: Ad spoliandum spolium, & ad prædandū prædam, i.e. diripere spolia & manubias invadere. (2.) Metaphora: Super umbilico terræ, h.e. super altitudine terræ, juxta Chaldæum; vel in medio terræ, secundùm Kimchium. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 494. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 345.

Vers. 17. *Tu ille es, quo de locutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum Prophetarum, &c.*

Theodoretus l. c. pergit probare, Gogi irruptionem jamdudum factam esse, quippe de qua DEUS per Prophetas prænunciatâ loquatur, tanquam f[...].

R. Ezechiel hîc non sua ponit, sed Dei verba; neq; id narrat, quod Deus tunc, cum Ezechiel hæc scriberet, dixerit: sed id, quod postea dicturus, cum ea, quæ jam prænunciantur, evenirent. Ac si oculos circūferas, videbis, Deum hodie, quasi voce emissâ, hæc ipsa ad nos tonare: siquidem maximo nostro cum damno experimur, Turcam illum esse, cujus sævitiam Mosès in genere, Deut. 28. v. 49. seq. Ezechiel hîc in specie, Daniel, c. 7. v. 21. Iohannes, Apoc. 20. v. 8. depinxerunt. Gesner. disp. 2. in Ezech. 38. c. 1. thes. 6. 49. 50.

Vers. 21. *Et vocabo super eum in omnibus montibus meis gladium, &c.*

Hebraismus est: Vocabo gladium super eum, h.e. commovebo adversus illum viros armatos, qui eum occidant. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 495.

Vers. 23. *Magnificabor & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium, & scient, quia ego Dominus.*

Theodoretus ibidem urget, gentes incredulas ex interitu Gogi ad veri Dei agnitionem perventuras, cum tamen post Christum exhibitum nullæ sint ampliùs gentes a fide alienæ, sed per prædicationem Evangelii omnes ad Christianam religionem conversæ.

R. Malè censet Cyri Episcopus, post Christum exhibitum nullas ampliùs esse Gentes, à fide Christiana alienas: siquidem supersunt Persæ, ipsi Turcæ, &c. quorum aliqui ex Gogi interitu dubio procul ad veri Dei agnitionem pervenient. Gesner. disp. 2 in Ezech. 38. & 39. c. 1. thes. 8.

Cap. XXXIX. v. 4. *Super montes Israel cades tu, & omnes alæ tuæ, & populi, qui tecum, volucri avis, cujuscunque volatilis, & bestiæ agri dedi te ad comedendum.*

In versu hoc conspicitur (1.) Metaphora: nam cadere idem est ac interire; & alæ notant agmina exercitûs, certo ordine disposita. (2.) Hebraismus: Volucri avis, cujuscunq; volatilis, h.e. omnis generis avibus, omnibus alitibus; quæ fortissima est significationis auxesis & amplificatio. Ariam. par. 4. Bibl. p. 137. & Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 32. p. 117. Confer cap. 11. p. 311. & cap. 12. p. 377.

Vers. 9. *Et egredientur habitatores civitatum Israel, & succendent & comburent armaturam, & clypeum, & scutum, & arcum, & sagittas, & baculum manûs, & lanceam, & succendent ea igni septem annis.*

Offert se (1.) Metonymia adjuncti pro subjecto: nam abolitio armorum, συναθροισμὸς verborum prædicitur, & nonnisi stabilitas victoriæ illius promissa, & pacis ex victoria orituræ, ostenditur. (2.) Enallage numeri singularis, clypeum, scutum, arcum, baculum, lanceam, pro plurali, clypeos, scuta, arcus, baculos, lanceas. (3.) Synecdoche speciei pro genere. Septem annis, h.e. quam diutissimè & sæpissimè; numerus finitus pro infinito. (4.) Periphrasis jaculorum: Baculos manus; eorum scil. quæ non arcu emittuntur, sed manu. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 137. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 496. Iun. in Not. ad eund. loc. pag. 811. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 73.

Vers. 21. *Et videbunt omnes gentes judicium meum, quod feci; & manum meam, quam posui in eis.*

Est hîc (1.) Metonymia causæ pro effectu: nam judicium pro supplicio est. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: quia manus DEI sumitur pro plaga divinitus inflictâ. Jun. in Not. ad h. l. p. 811. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 11[...].

Vers. 28. *Congregaverim eos super terram suam, & non dereliquerim quenquam, &c.*

Schoppius in Syntagm. de Antichrist. p. 51. nugatur, Iudæos omnes tempore Antichristi in Iudæam esse redituros, quòd in ea eos Deus sit congregaturus super terram suam, nec unum ex iisdem derelicturus in nationibus, ad quas fuerant translati.

R. Exinde nihil pro suo instituto obtinet Apostata: neque enim de corporali Iudæorum in Palæstinam reditu Propheta, sermocinatur, sed agit de libera-

*liberatione populi Dei ex manu Gogi & Magogi*, quem communiter dicunt not. *Mahometem* seu *Turcicum Tyrannum*. Balduin. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 6 thes. 145. & 147. p. 227. seq.

Vers. 29. *Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, quia effudi spiritum meum super domum Israel, &c.*

Ἀνθρωποπάθεια iteratur: *Deus* enim dicitur (1.) *abscondere faciem suam*, i. e. *gratiam denegare, & iratum se exhibere*. (2. *Effundere Spiritum suum*, cum *ejus dona largiter concedit*. Jun. in Not. ad h. l. p. 811. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 105. & 134.

Cap. XL v. 2. *Super montem nimis excelsum erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum.*

*Tertullianus* lib. 3. contr. Marcion. c. 24. fabulatur, *electos Dei ante finem mundi in terris Hierusalem per mille annos cum Christo esse regnaturos*, cum *civitatem illam noverit Ezechiel*, in qua cum suis Christus sit regnaturus.

℞. Nihil hoc facit ad *regnum Electorum millenarium*: proponitur enim hic *Ecclesiæ restitutio*, & *regni Christi propagatio* sub figura alicujus *civitatis*, *ad Austrum vergentis*; ex quo colligitur, non agi de restauratione *terrenæ civitatis Hierosolymæ*, quippe quæ respectu montis *Sion* non ad *Austrum*, sed ad *Septentrionem* fuit sita, ut patet ex *Psalm.* 48. v 3. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 32. de Consumm. Secul. §. 89. seq. p. 475 & 478.

Vers. 4. *Fili hominis, vide in oculis tuis, & in auribus tuis audi. & pone cor tuum omnibus, &c.*

Occurrit (1.) Hebraismus: *Vide in oculis tuis, & in auribus tuis audi*, h. e. *diligentissimè adspice & attende.* (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *cor apponere alicui rei*, est, *omni desiderio, affectu & conatu ei vacare*. Junius: *Adverte animum tuum.* Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 498. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 1. p. 34.

Vers. 30. *Et vestibula erant circumquaque longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum.*

*Ellipsis* nominis est: *Latitudine quinque cubitorum*, h. e. *quinque* decadum *cubitorum*, qui *numerus denarius* ex collatione v. 21 & 25. supplendus est. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 814. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 1. m. [illegible] p. 701.

Vers. 48. *Et introduxit me in vestibulum domus & mensus est vestibulum, quinque cubitorum hinc, & quinque cubitorum inde, &c.*

Ezechiel sibi contradicere videtur: hîc enim asserit, *vestibulum domus longitudine fuisse quinque cubitorum hinc, & quinque cubitorum inde*; cum *longitudo vestibuli fuerit viginti cubitorum*, v. 49.

℞. Nulla est ἀντιλογία. [illegible] co[illegible] enim *priori* describitur *murus*, qui utrinque [illegible]ebat vestibulum, (Arias vocat *postem vestibuli*, Osiander *columnam portæ*, Bibl. N[illegible] die Mittel-Säule) quod min. utrin[illegible] fuerit quinque cubitorum crassus; in loco autem *posteriori* ipsum *vestibulum*, cujus longitud[illegible]t viginti cubitorum. *Friedlib.* in Annot. Eze[illegible] m. 1. p. 758.

Vers 4[illegible] *[illegible]udo ve[illegible]ibuli vi[illegible]nti cubitorum, & latitu[illegible] undecim cubitorum, [illegible]*

Alia q[illegible] c[illegible] dictio apparet: nam *latitudo vestibuli dicit[illegible] undecim cubitorum*, v. 49. at 1. Reg. [illegible] v[illegible] *[illegible]tudo decem cubitorum fuisse [illegible]ur.*

℞. C[illegible]at *Villalpandus* par. [illegible], lib. 3. cap. 46. *latum fuisse decem cubitorum cum dimidio*, atque ita liberum [illegible] ptor[illegible] el[illegible]ctum, *decem* [illegible] *decem* numerare vellet. æqualiter e[illegible] ab [illegible]que distat.

Cap. XLI. v. 16. *Limina & fenestras angust[illegible] angulos, &c.*

*Ellipsis* est adverbii, ex collatione loci p[illegible] c. 4. v. 16. supplenda, uti fecerunt Tigurini [illegible] *nestras angustas*, scil. *externè*. Friedlib. in [illegible] h. l. class. 1. p. 757.

Cap. XLII. v. 16. *Mensus est ventum Orientis in calamo mensuræ, quingentis calamis, [illegible]c.*

§. 1. *Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: [illegible]am *ventus Orientis* accipitur pro *plaga mundi Orientali*, unde ventus spirat. §. 2. In textu Hebræo l[illegible] bitur חמש־אמות, at juxta Masoret[illegible] n notam legendum est חמש־מאות, *quingentis*, [illegible] sequentes quatuor versiculi ostendunt, in quorum singulis verba illa חמש־מאות repetuntur. [illegible] in Bibl. h. l. pag. 817. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 1. pag. 10. Confer lib. 5. tract. [illegible]. cap. 4 m. 2. p. 56.

Cap. XLIII. v. 3. *Visio erat secundum visionem, [illegible]am vidi, in veniendo me ad perdendam urbem.*

*Hebraismus* est: לשחת *ad perdendam urbem*, h. e. ad *prænunciandum*, perdendam esse urbem. Chaldæus: *In prophetando* me de perdenda urbe. Ubi verbum *actionis* pro *notificatione* ponitur. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. can. 15. p. 269.

Vers. 7. *Et dixit ad me: Fili hominis, locus s[illegible] mei & locus plantarum pedum meorum, q[illegible]o habitabo ibi, in medio filiorum I[illegible]ael in sæculum, [illegible] non polluent ultra domus Israel nomen san[illegible]tatis meæ, ipsi & Reges eorum, in fornicatione sua, & in cadaveribus Regum suorum, excelsis suis.*

Verba hæc exhibent (1.) *Ellipsin* ver[illegible] *Fi[illegible] hominis* vide *locum*, &c. Verbum autem [illegible] Propheta, quòd esset turbatus. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: nam *Ecclesia* dicitur *locus solii divini*, & *locus plantarum pedum Dei*, quia in ea quasi sedet, & suam ipsi gratiam gloriamque exhibet. (3.) *Pleonasmum*: redundat enim τὸ IBI. (4.) Hebraismum: *In medio filiorum Israelis*, h. e. *inter Israelitas*. (5.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: nam per *cadavera Regum* intelliguntur *immanissima illa sacra*, quibus liberos suos idolis, *Molech*, Levit. 18. v. 2[illegible]. seu *Milcom*, 1. Reg. 11 v. 5. vivos cremabant. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. [illegible]7. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 817 *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 19. m. 2. p. 878. Confer lib. 5. tract. [illegible]. cap. 7. p. 115.

Vers. 11. *Ostende domui Israel templum, & figuram domus, & fabrica ejus exitus & introitus, & omnem descriptionem ejus, & universa, &c.*

*Judæi* adhuc [illegible]perant, *Me[illegible]am aliquando venturum, ut templum Hieros[illegible]is denuo instauret*, cùm *ejus templi figura Ezechieli fuerit monstrata.*

℞. Non agitur ibi de templo *corporali*, ut [illegible] de *altari*, quo[illegible] altum fertur 7. cubitorum, ut qu[illegible] sacrificia à nullo Sacerdote possint offerri, v. 1[illegible] & 14. sed de templo [illegible]*irituali*, quod est *Christi Ecclesia* [illegible] idquod etiam non diffitetur R. *Salomo* in Comm. [illegible] libr. *Sanhed.* c. 11. *Jacob. Martini* l. 3. de trib. [illegible] loh. c. [illegible]5. p. [illegible]6. seq. *Gebel.* in Expos. Jerem. 3[illegible] v. 16 p. 233. seq.

Vers. 13. *Et ista mensura altaris in cubitis: Cubitus cubitus & palmus, & sinus cubiti, & cubiti [illegible]atitudo, & terminus eju[illegible] &c.*

In textu hoc conspicitur [illegible] Ellipsis: *Cubitus* hic est *cubitus* communis. (2.) *Metaphora*: nam

*sinus*

finus, quia corporis medium est, pro medio accipitur. Hebræi pro fundamento accipiunt, quomodo & Chaldæus vertit. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 142. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 508. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. p. 346 seq.

Vers. 16. *Et ariel duo viginti longitudine, cum duodecim, &c.*

Iteratur (1.) *Metaphora*: nam altare holocaustorum in novo templo dicitur אריאל *leo* DEI, vel quòd altare templi, in quo victimæ offerebantur, sangvine maderet, ut leo prædam discerpens; vel quia, velut in[illegible]is leo, holocausta allata consumebat igne [illegible]uo. (2.) *Ellipsis* nominis: *Duo viginti* [illegible] *cubitorum.* Ariam. par. 4. Bibl. p. 142. *Glass.* lib. [illegible] Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. pag. 322.

Cap. XLIV. v. 5. *Pone cor tuum ad aditus domus, cum omnibus exitibus è sanctuario.*

*Ellipsis* est nominis, ex antecedentibus repetendi *Ad* (leges) *aditus domus, cum omnibus* (legibus) *exitibus* &c. Sunt autem ex leges pertinentes ad templum accessuros & egressuros. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 8. p. 717.

Vers. 6. *Et dices ad rebellionem, ad domum Israelis, &c.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: Et dices ad מרי *rebellionem*, h. e. *populum rebellem*, ut Chaldæus habet. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 54.

Vers. 9. *Nullus filius alienigena incircumcisus corde, & incircumcisus carne intrabit huc.*

*Judæi* moderni inculcant, *Circumcisionem præputii adhuc in N. T. necessariam esse*, quòd Ezechiel tractans de *nova Ierosolyma templo sub regno Messiæ*, disertè conjungat & *cordis & carnis circumcisionem*, sine qua nullus in idipsum sit intraturus.

℞. N. C. Junguntur enim Circumcisio *carnalis*, & circumcisio *spiritualis*, non quòd debeant esse *partis durationis*, sed quòd *illa* hujus figura sit. Describit namque Propheta phrasibus V. T. res N. T. Itaque mentionem faciens *circumcisionis carnis*, vocabulo *typi* designat *ἀντίτυπον circumcisionis*, nempe *Baptismum*, ubi circumcidimur, exuendo corpus peccatorum carnis, per Circumcisionem Christi, consepulti simul cum illo per Baptismum, *Coloss.* 2. v. 11. seq. ut sensus sit Prophetæ Ezechielis, neminem Ecclesiæ Christi membrum fore, nisi *renatus fuerit & verè baptizatus*, planè ut Christus, *Ioh.* 3. v. 5. de necessitate *Baptismi & regenerationis* loquitur. *Hunn.* tom. 3. Oper. Lat. p. 1563. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Circumcis. cap. 3. sect. 6. obj. 3. p. 1087.

Vers. 18. *Tiara linorum erunt super caput eorum, & femoralia linorum erunt super lumbis eorum, non accingent se in sudore.*

Occurrit (1.) *Enallage* partim *nominis* substantivi, *linorum*, pro adjectivo, *linea*; partim *temporis* futuri, *erunt* & *accingent*, pro imperativo, *sunto* & *accingunto*. (2.) *Metonymia effecti* pro *causa*: ביזע in *sudore* h. e. *veste lanea*, sudorem excitante, ut R. Salomo ex v. 17. explicat, q. d. *ulla re sudatoria*. Vatablus in Annot. ad h. l. p. 511. aliter: *In locis sudoris*, i. e. in partibus corporis in quibus excitatur sudor. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 143. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 819. *Glass.* lib. [illegible] Philol. Sacr. tract. [illegible] m. 3. p. 26.

Vers. 22. *Viduam & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel, sed & viduam, quæ fuerit vidua à Sacerdote, accipient.*

Controversias hujus loci vide in Vindic. *Levit.* 21. v. 14. decisas.

Vers. 25. *Ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem & matrem, & filium & filiam, & fratrem & sororem, quæ alterum virum non habuerit, in quibus contaminabuntur.*

*Pighius* contendit, *Sacerdotes N. T. licitè non posse ad vota matrimonii secunda transire*, quòd *ingredi prohibeantur à Deo ad sororem mortuam, quæ alterum virum habuerit, ne inde contaminentur.*

℞. *Hebraica* veritas nil habet de *sorore Sacerdotum, quæ alterum virum non habuerit*; sed *simpliciter* habet de *sorore Pontificis*; *quæ nondum tradita est viro*, sed *adhuc in paternis ædibus servatur*; illam Pontifex, si moriatur, ut *partem familiæ paternæ*, potest lugere. *Chemnit.* in Exam. Concil. Trident. par. 3. p. 524. & in LL. Theol. par. 2. p. 215.

Vers. 28. *Et erit eis in hereditatem, ego hereditas eorum; & possessionem non dabitis eis in Israel, ego possessio eorum.*

In versu hoc habetur (1.) Ellipsis: *Et erit*, subint. *sacerdotium*; & *ego*, scil. *sum*. (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *Deus* pro *oblationibus*, *Deo factis* accipitur. Chaldæus: *Pars reliqua sacrificiorum mei erit pars eorum &c. dona quæ dedi eis, ipsa hereditas eorum.* Vide antecedentia & consequentia, conferque *Num.* 18. v. 8. -20. *Deut.* 18. v. 1. -6. *Ariam.* par. 4. Bibl. pag. 143. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 3. p. 44.

Cap. XLV. v. 12. *Siclus erit viginti obulorum: viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli minam facient.*

*Iosephus Scaliger* lib. 6. de emendat. tempor. existimat, *illam hebdomadum partitionem*, Daniel. 9. v. 25. & 27. *in hebdomadas septem, hebdomadas sexaginta duas, & hebdomadam unam*, nihil magis in se habere arcanioris sensus, quàm habeat *divisio Minæ hoc in loco.*

℞. *Divisio minæ*, divinitus facta, in *viginti siclos*, & in *viginti quinq. siclos*, & in *quindecim siclos*, id est, in *siclos sexaginta*, nequaquam est *casualis aut temeraria*: ideo enim *minutatim Deus posuit sicli numeros*, quod tunc temporis, multi in *sicli numero* magnam commisissent fraudem, aliquibus pauperi obtrudentibus *viginti* pro mina, aliquibus *viginti quinque*, aliquibus vix *quindecim*, ut ex v. 9. 10. 11. & *Amos.* [illegible]. 5. 6. constat. Similiter igitur censendum est, etiam numeros diversos, in enunciatione *septuaginta hebdomadum* Danielis usurpatos, *causam gravissimam* in se complecti. *Franz.* in Schol. Sacrif. disp. 10. thes. 16. [illegible]-18.

Vers. 21. *Solennitas septem dierum, infermentata comedetur.*

*Enallage* est: quia verbum singulare, יאכל *comedetur*, jungitur substantivo plurali מצות *infermentata*; unde quidam vertunt: *In qua panis infermentatorum comedetur*, i. e. *panis infermentatus*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 514.

Cap. XLVI. v. 10. *Et Princeps in medio eorum cum intrant ipsi, intrabit; & cum exeunt ipsi, exibunt.*

Ezechiel utitur (1.) Hebraismo: *In medio eorum*, h. e. *inter eos.* (2.) *Enallage numeri* pluralis, יצאו, *exibunt*, pro singulari, *exibit*, ut ubi intelligas, *ipse & comites.* Iun. in Not. ad h. l. p. 822. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 51. m. 2. p. 392

Vers. 12. *Et cum fecerit Princeps voluntarium holocau-*

*locaustum aut eucharistica voluntarie Domino, & aperiet ei portam, &c.*

Deprehenditur hoc loco 1.) *Synecdoche generis pro specie*: nam *facere* sumitur pro *parare in sacrificium*. (2.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Et aperiet*, scil. *Sacerdos* vel janitor. Jun. in Bibl. h. l. p. 822. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 515. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. obs. 14. m. 1. pag. 698. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 14. m. 4. p. 446.

Vers. 13. *Et agnum [...]ium anni ejus integrum faciet holocaustum per diem Domino, in mane in mane faciet illud.*

*Hebraismus* est, Nam (1.) *agnus* dicitur *filius anni*, h. e. *anniculus*. (2.) *In mane in mane*, i. e. *in singulo mane*, ubi repetitio *distributionem* indicat, *Artam.* par. 4. Bibl. p. 145. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 822. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 515.

Vers. 21. *Et ecce atrium in angulo ipsius atrii, atrium in angulo ipsius atrii.*

*Hebraismus* pleonasticus repetitur, cujus sensus est: *atrium in unoquoq; angulo atrii erat*; ubi vero repetitio fit *distributionis* causa. Loquitur Propheta de *quatuor Levitarum atriolis*, ipsis attributis ad ministerium populi, quibus de vide *Exod.* 26. v. 3. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 14. m. 2. p. 729.

Cap. XLVII. v. 8. *Et sanabuntur aquæ.*

*Prosopopœja* est: nam *aquæ sanari* dicuntur, cum *salubres redduntur*, Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 204.

Vers. 12. *Et juxta torrentem ascendet, juxta labium ejus hinc & inde omnis arbor esca, non deficiet folium ejus, nec consumetur fructus ejus: in mensibus suis primogenitabit &c.*

Offert se (1.) *Metaphora*, quâ *labium* pro *ripa* seu *extrema torrentis ora* accipitur. 2) *Enallage numeri* singularis, *arbor*, pro pluralis, *arbores*. (3.) *Hebraismus*, In mensibus suis בכר *primogenitabit*, h. e. singulis mensibus *præstantissimos fructus afferet*; ubi pulcra emphasis & epitasis est. *Artam.* par. 4. Bibl. p. 146. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 518. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 17. m. 1. p. 61.

Vers. 13. *Sic dixit Dominus Deus: Iste terminus, quo hæreditabitis terram duodecim tribubus Israelis, Josepho funes.*

Verba hæc continent 1.) *Anallaxin*: nam pro זה *hic*, legitur גה *iste*; quod per literarum Alphabeti Cabalisticam permutationem, *Athbach* dictam, fieri. R. *Kimchi* tradit. (2.) E[...] *Josepho funes*, scil. bini. *duo attribuuntur*, unus Ephraimo, alter Manassæ. (3.) *Metonymiam* [...] effectus: quia *funis* pro *parte* est, [...] interpre[...]. Mensores enim agrorum, *fune* exte[...] per[...] gros, in Palæstina modum definieb[...]t. *Vatabl.* in Annot. a[...] h. l. pag. [...] 3. Philol. Sac. tract. 2. m. 2. p. 16[...] 2. observ. 3. pag. 705. seq.

Cap. XLIIX. v. ult. [...] civitatis ex eo die: *Jehovah ibidem.*

*Ejusdem* [...]plic. locor. V. & N. T. exinde probare [...] *Jerusalem vocari Iehovam*, quia *nomen* [...] Jehovah ibidem.

℟. [...]la non vocatur *absolutè* Jehovah, sed [...] *Jehovah illic*, nimirum quia *peculiari* [...] *sua præsentiâ* Deus adfuturus Ecclesiæ, cujus [...] typum *civitas illa* gessit. Estne verò idem, *Jehovah*, & *Jehovah ibidem*? Nullo modo. *Illud* enim *essentiam* notat, *hoc præsentiam*. *illud* inhabitatorem, *hoc* inhabitatoris domicilium significat. Estne igitur rursus *Iehovah* & *domicilium* [...] *civitas Iehovæ* [...] nomen? nequaquam. Non tantum intercedit di[...]rimen inter *Iehovam*, & [...] *vitatem, a Iehova inhabitatam*, quantum di[...] minis est inter *præsidem urbis*, & inter *ipsam urbem* quam præses inhabitat: aut quantum disc[...]men intercedit inter *patrem familias*, *domus conditorem ac inhabitatorem*, & inter ipsam *domum*, quam ipse instruit, ac præsidio suo tuetur. Itaque [...] vult phrasis Hebræa: *Ex eo die erit urbs hæc vocabitur inhabitatio Iehova*, **Gottes Wohnung**. *Iacob. Martin.* l. 1. de trib. Eloh. c. 19. p. 21[...] *Gerhard.* tom. 1. LL. CC. loc. 5. de Patr. & F[...]l. §. 24. p. 437. *Gebel.* in Expos. Jerem. 33. v. 16. p. 16[...] seq.

---

# VINDICIÆ
# PROPHETÆ DANIELIS.

Cap. I. v. 1. *Anno tertiô regni Ioakim, Regis Iudæ, venit Nabuchodonosor, Rex Babylonis, in Ierusalem, & obsedit eam, &c.*

Daniel contradicere videtur, I. *Ieremiæ* [...] v. 1. qui *annô quartô* dicit factum esse hoc, qui[...] ipse *annô tertiô* regni Jojakim h. l. assignat.

℟. Nulla est contradictio. Nam *primus annus* regni Nabuchodonosor, Vatablo & Junio testibus, inchoatus fuit *anno tertiô* Jojakim, & finitus *annô quartô* Jojakim. Itaque illa, quæ gessit Nabuchodonosor *annô primô regni sui*, dicitur gesta esse nunc annô *tertiô*, nunc anno *quarto* Jojakim. Cæpit enim expeditionem parare ad finem vergente *annô tertiô*, eamque perfecit currente adhuc *annô quartô*. Friedlib. in Annot. ad h. l. class. 2. pag. 7[...] seq.

II. Prophetæ, 2. *Reg.* 23. v. 36. dicenti, *Jojakimum* 11. *annis regnâsse Hierosolymis*: ubi ergo remanent *cæteri octo anni* ab anno regni ejus tertio?

℟. Nulla utrobique est pugna. Nam ex *Beroso* Josephus l. 1[...]. Antiq. Judaic. cap. 11. refert, *Nabuchodonosorem* anno circiter uno, antequam succeßisset patri *Nabolassar* in regno Babylonis, intulisse bellum etiam Judæis ac finitimis nationibus, & eodemmet anno, cum audisset patrem suum vitâ functum, domum properâsse ac aliquot Judæos cum aliis gentibus, duxisse captivos in Babylonian, nec non de præda & spoliis, in memorato bello acquisitis, fanum *Beli* Dei sui magnificentissimè exornâsse. Quæ omnia appositè respondent his, quæ *Daniel* breviter tangit. Itaque probabile est, ipsum Nabuchodonosorem post devictum Joakimum accepisse nuncium de obitu patris, ac proinde, ut expeditius propere pollet in Babylonem, confestim compo[...]e res cum Judæis, ac restituisse quidem *Ioakimum* in regnum, sed abstulisse ab eo magnam pecuniarum vim, & partem vasorum domus Dei, & captivos præcipue quosdam pueros, tanquam obsides, de regio sem ne, quos inter *Daniel* erat. *Inde*[...] *cum* ergo annis regnavit Joj[...]m, *supputando ab illo tempore, quo regnum a Chaldæis acceperat* 2. Reg. 24. v. 1. At Hebræi eum p[...]o *Rege plenario* non habuerunt, nisi post mortem fratris Joach[...] qui in Ægyptum avectus, fuerat, & rediturus sperabatur. Dicat aliquis, *Nabuchodonosorem*, dum

Joaki-

Joakimus in tertio regni sui anno ipsi tradebatur, vocari disertè *Regem Babylonis*, quia dubio procul ipse tùm temporis *jam rerum & regni sui fuerit potitus.*

℞. (1.) Daniel librum suum scripsit, cum *Nabuchodonosor jam pridem Rex factus* esset. (2.) Quicquid antehac fecit, *patris sui*, adeoque *regio* nomine factum est (3.) *Hæres* erat regni Babylonici. Nnn igitur mirum, quod pro *Rege* salutetur, licèt tùm *Rex* nondum fuerit. *Walther.* in Harmon. Script. Sacr. §. 173. p. 317.-321. *Friedlib.* l. c. p. 767.

Vers. 8. *Et posuit Daniel in corde suo, ut non pollueret se portione escæ Regis, & vino potuum ejus, & rogavit à Principe eunuchorum, ut non pollueret se.*

I. Daniel utitur (1.) *Metonymiâ subjecti* pro adjuncto: *Posuit in corde suo*, i. e. *statuit cum animo suo.* (2.) *Enallage numeri* pluralis, *potuum*, pro singulari, *potûs*: nisi explices, *varius vini generibus.* Aniæm. par. 4. Bibl. p. 148. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 523. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 825.

II. Daniel videtur *Paulo* repugnare, ut qui *omnem cibum*, cum gratiarum actione sumtum, pronunciat bnnum & impollutum, 1. *Tim.* 4. v. 4. secus autem facit h. l. *Daniel.*

℞. Distingue *tempora.* Etenim sub V. T. Deus condiderat leges de ciborum delectu, *Levit.* 11. has igitur rectè servavit Daniel: at in N. T. omnes illæ sublatæ sunt, *Coloss.* 2. v. 16. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. p. 767.

III. Aliqui apud *Damascenum* lib. 2. de Orthod. fid. c. 25. exinde collegerunt, *Danielem Eunuchum fuisse, & cælibem vitam egisse*; qòod Asphenes vocetur præfectus *Eunuchorum*, quos inter fuerit *Daniel.*

℞. Argumentum hoc inscitiâ linguæ laborat: nam Hebræum vocahulum סָרִסִים, quod Græci per *Eunuchos* reddiderunt, non semper *castratos & cælibes*, sed *aulicos ministros*, etiam *uxoratos*, significat. V. G. Potiphar *uxorem habuit*, & nihilominus appellatur סָרִיס, *Genes.* 37. v. 36. Et סָרִסִים freqoenter appellantur *Regum in populo Dei ministri.* 2. *Reg.* 8. v. 6. *Ierem.* 34. v. 19. & c. 41. v. 16. *Targum* eos vocat *Principes.* Danielem autem *uxoratum* fuisse, ex *Ezech.* 14. v. 20. constat. *Gesner.* disp. in Dan. proleg. quæst. 4. thes. 4. seqq.

Vers. 9. *Et dedit Deus Danielem benignitati & misericordiæ coram Principe eunuchorum.*

*Hypallage* est Hebraica: *Dedit Danielem benignitati & misericordiæ*, h. e. *dedit Danieli benignitatem & misericordiam*, q. d. effecerat Deus, ut Daniel esset charus & acceptus Principi &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 523. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 825.

Vers. 12. *Dentur nobis leguminaad vescendum, & aqua ad bibendum.*

*Papistæ* quidam pro *ciborum delectu in jejunio* urgent exemplum *Danielis*, qui *jejunans vinum non biberit, neque carnibus, sed leguminibus vesci voluerit.*

℞. Negatur id sequi. (1.) enim abstinentia illa non fuit *jejunium*, sed *metus pollutionis*, ut ex v. 8. planum est. (2.) Abstinebat Daniel à cibo & potu Regio, non propter *traditionem humanam*, sed propter *legê Dei* Levit. 11. v. 8. 13. 20. 29. quia non licebat Judæis edere ex iis, quæ *immunda* erant; at Babylonii promiscuè *mundis & immundis* utebantur. (3.) Daniel non ex *superstitione* quadam tùm à vino abstinuit, (nam alibi legitur bibisse vinum) sed *ne infirmos offenderet*: siquidem vinum Regium erat in nomine *idolorum* consecratum, *Dan.* 5. v. 4. (4.) Postulavit Daniel *legumina* ad vescendum, & *aquam* ad bibendum, non *opinione meritis*, sed in *usum continuum vitæ.* Neque nos verò oegamus, nullam Christiano habendam unquam rationem ciborum, qui legimus apud Paulum, 1. *Corinth.* 8. v. 13. *Si esca facit, ut offendat frater meus, non vescar carnibus in æternum.* Pezel. par. 9. Arg. & Resp. Theol. art. de Tradit. human. arg. 8. p. 230. seq. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. p. 1130. seq. obj. 1. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 19. c. 4. §. 5. & 8. p. 353.

Vers. 16. *Malassar tollebat cibaria & vinum potûs eorum, dabatque eis legumina.*

Rationem *Papistarum*, pro *delectu ciborum in jejunio*, vide modò refutatam in Vindic. *Dan.* 1, v. 12.

Vers. 17. *Et pueris istis quatuor ipsis dedit eis Deus scientiam & intellectum in omni libro, &c.*

*Pleonasmus* est: redundant enim duo relativa, *ipsis* & *eis*, more Hebræorum. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 523.

Vers. 21. *Vixit Daniel usque ad annum primum Cyri Regis.*

*Bodinus* Danieli conatur ἀντιλογίαν affingere: hic enim Daniel dicitur *vixisse usque ad annum primum Cyri*; ast c. 10. v. 1. refertur, quòd *adhuc superfuerit anno tertio Cyri.*

℞. Nulla ibi pugna. Nam (1.) in *Hebræo* non est, *vixit*, sed *fuit*, nempe in *honore & gloria*, ut *Glossa Interlinearis & Lyra* interpretantur. (2.) Verba *priora* nequaquam significant *Exclusionem reliquorum annorum*, quibus Daniel cum Cyro vixit; sed *continuationem*: Quandoquidem illic non dicitur, Danielem *non diutiùs, quam usque in primum annum Cyri supervixisse*; sed id solummodo, Danielem *apud Assyrios tamdiu in honore fuisse, quamdiu illorum Monarchia duravit, & postea quoque translato ad Persas imperio, Cyro charum fuisse*, atque ita *initium exilii* suæ gentis, *finemque* vidisse; siquidem Cyrus *anno primo* sui imperii Judæos libertate donavit; quæ etiam causa est, propter quam *primus annus Cyri* hîc nominatur. *Gesner.* disp. in Daniel. 1. par. 3. thes. 2. seqq. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 321.

Cap. II. v. 1. *In anno secundo regni Nebucadnezaris somniavit Nebucadnezar somnia, &c.*

Gemina hîc apparet ἀντιλογία: I. enim Nebucadnezar dicitur *somnia* somniâsse, cum tamen *unicum solummodo* fuerit, v. 4.

℞. Nominantur *somnia in plurali*, respectu *diversarum partium*, quæ cum *singula* singulas Monarchias concernant, ipsæ quoque totidem *somnia*, uno somno continuata, constituere videntur. *Gesner.* disp. in Daniel. 2. thes. 7.

II. Nebucadnezar fertur somnium vidisse in anno *secundo regni sui*; cum tamen Daniel unà cum sociis ante explicationem somnii per integrum *triennium* fuerit enutritus in schola Babylonica, *Dan.* 1. v. 5.

℞. Intelligendus est annus *secundus* ab eo tempore, *quo primum Daniel & socii perducti sunt ad Regem*, ut coram eo ministtarent, *Dan.* 1. vers. 18. & 19. Igitur ל non hîc *Genitivi* nota est, ut sit,

sit, *anno secundo regni Nebucadnezaris*, sed IN significat: cumque à præcedente membro per accentum *Rebbia* super vocula שְׁתַּיִם, vox illa distinguatur, tempus *indefinitè* notat, quòd *in regno Nebucadnezaris*, vel *regnante Nebucadnezare*, hoc factum sit. Ejus autem fit mentio, propter præcedentia, *Dan.* 1. v. 21. ubi dicebatur, Danielem fuisse usque ad annum *primum Cyri*. Ne quis ergo putaret, ipsum jam in initio *secundi capitis* loqui de *secundo anno ejusdem Cyri*, declarat se, *in regno Nebucadnezaris* id esse factum. Plana itaque est sententia: *Daniel quidem in aula Babylonica versatus est usque ad annum primum Cyri; biennio tamen post, cum e schola in aulam venisset, regnante adhuc Nebucadnezare, Rex Nebucadnezar vidit somnium.* Ita Waltherus in Harm. Script Sacr. p. 321. seqq. & *Glassius* l. 4. Philol. Sacr tract. 1. observ. 6. p. 677. Atque sic esset *annus* regni Nebucadnezaris *decimus quintus*. Friedlibius in Annot. ad h. l. class. 2. p. 767. veriorem judicat esse sententiam eorum, qui statuunt, quòd *secundus ille annus* non sit computandus ab *initio regni post obitum patris*, sed *adeptâ Monarchia*, cum jam non Judæos solùm, sed Ammonitas, Moabitas, Ægyptios, vicinasque gentes debellasset: Reges enim & Principes annos imperii sui à *plenissima & dignissima regni administratione* plerumque ordiri, uti quidem Romani Cæsares facere consueverint.

Vers. 3. *Et dixit eis Rex: Somnium somniavi, & consternavit se spiritus meus de cognoscendo somnio.*

In textu hoc reperitur 1.) Hebraismus: *Somnium somniavi*; ubi verbum regit nomen suum conjugatum. (2.) *Metonymia causa* pro *effectu*: nam *spiritus* pro *effectu* ponitur (3.) *Ellipsis* participii: *Solicitus* de cognoscendo somnio. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 827. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 524.

Vers. 4. *Et locuti sunt Chaldæi ad Regem Syriacè: Rex in æternum vive, &c.*

*Synecdoche* est *totius* pro *parte*: Rex לְעָלְמִין *in æternum* vive, h. e. precamur tibi *longævam vitam*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 16. m. 4. p. 459.

Vers. 15. *Quam ob causam tam crudelis sententia à facie Regis esset egressa.*

*Daniel* videtur esse *in Deum blasphemus*: nam sententiam istam Regis de *interficiendis Magis & Hariolis nominat crudelem*; cum tamen *congrua sit legi divina*, Levit. 20. v. 6.

℞. Versio *Latina* non usque adeò cum textu *Hebræo* convenit; is enim sic habet: *Quare sententia ista accelerarct seu festinaret, quæ à Rege egressa est*, id est, *cur properares in executione dictæ sententiæ?* Etsi autem multis modis *Magi isti & Harioli* supplicium fuerant meriti; *hac tamen in re* extra culpam erant, cum Rex ab illis postularet, quæ hominum nemo scire potest. *Gesner.* disp. in Daniel. 2. thes. 28. seq.

Vers. 18. *Ut quærerent misericordiam à facie Dei cæli super Sacramento isto.*

*Bellarminus* l. 1. de Sacrament. in gener. c. 7. probare intendit, vocem *Sacramenti* in Scripturis pro *signo rei sacræ vel arcanæ* poni, ut hoc in loco *statuam Nabuchodonosoris* dici *Sacramentum*, quia esset *signum rei latentis*, id est, *successionis quatuor regnorum, & regni Christi post illa exorituri.*

℞. (1.) Adversarius ignorat elenchum: non enim probandum erat, vocem *Sacramenti* in Scripturis poni pro *signo rei sacræ vel arcanæ*, quod nemo nostrûm unquam *simpliciter* negavit; illud verò demonstrari debebat, *ceremonias externas, gratiam Dei obsignantes, in Scripturis alibi dici Sacramenta.* (2.) Sed nec hic loci *Sacramentum* pro *signo rei* ponitur (nam ex textu ipso id non habet Bellarminus) sed pro *re arcana*. Tum enim Daniel ipse rationem nominis Hebræi רָזָא reddens, non *signum signive rationem* profert, sed *secreti, arcanique*, v. 22. *Ipse revelat profunda & abscondita, & novit in tenebris constituta.* Unde *Lyranus* vertit, *secretum sacrum*, & Emanuel Saa, *arcanum*. (3.) Nec verò habet רָזָא dictum *peculiariter* de *statua*, sed de *tota quæstione obscura sibi propositâ*. Postulabatur enim ab eo & *somnium*, & *somnii interpretatio*: utrumque tam *arcanum*, ut nemini hominum esset cognitum, ne Regi quidem somniatori. (4.) Etsi רָזָא diceretur de *statua*, ita tamen diceretur, non quòd *significaret aliquid ipsa*, sed quòd *esset abscondita & ignoraretur ab omnibus hominibus*. Quæ ratio nullo modo congruere potest *Sacramentis*, quatenus *signa* sunt; sunt enim ipsa in aperto, & quidem sensibus exposita. *Meisner.* par. 2. Philos. sobr. sect. 1. cap. 1. q. 15. pag. 149. *Cham.* tom. 4. Panstr. lib. 1. cap. 4. §. 2. 17. seqq. p. 4.

Vers. 19. *Tunc Danieli in visione noctis secretum revelatum est, &c.*

*Papistæ* exinde colligunt, *possibile esse, ut Sancti cælites divina revelatione cognoscant, quæ in his terris geruntur*; quòd *secretum Nabuchodonosoris divinitus revelatum sit Danieli.*

℞. Adversarii *ignorant elenchum*: non enim quæritur, num *sit possibile*, sed an *fiat*, secundùm immota Scripturæ effata? Hoc verò negatur: siquidem nihil quicquam ea de re habet Dei verbum, quòd *Deus Beatis in cælo nostras necessitates aut orationes revelet*, eosdemque propterea religiosè invocandos esse. Sunt hominum hæc commenta. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 4. obj. 1. pag. 768. seq.

Vers. 21. *Ipse Deus est, qui mutat tempora & dies, &c.*

*Reformati* quidam statuunt, *mutationem unius diei in alium non esse in potestate Ecclesiæ*, cum *mutare tempora & dies solius Dei sit.*

℞. (1.) Hæc ratio est contra *ῥητὸν Apostoli*, Rom. 14. v. 5. seq. Gal. 4. v. 10. *Coloss* 2. v 16. ideoque non est audienda. (2.) Ecclesia hoc non facit *proprio & carnali ausu*, sed ex *potestate, à Christo per privilegium libertatis Evangelicæ concessâ*, Galat. 5. v. 1. (3.) Solius *Dei* est, remittere peccata, *Psal.* 130. v. 7. & tamen ea potestas data est *Ecclesiæ ministris*, Ioh. 20. v. 23. (4.) Sic Ecclesia ex *libertate Evangelica* diem Sabbati septimum mutavit, & alias festivitates tum instituit, tum observat. *Meisner.* in Vindic. Evangel. dec. 6. disp 2. thes. 72. seq p. 42 & 43.

Vers. 30. *Mihi hoc Sacramentum revelatum est, &c.*

Controversiam hujus loci vide decisam in Vindic. *Daniel.* 2. v. 18.

Vers. 35. *Abstulit illa ventus, & nullus locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.*

I. *Hypallage* est: *Nullus locus inventus est eis*, h. e. *in nullo loco amplius ea inventa sunt.* Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 21. p. 739.

II. *Pazmanus* in Hodeg. argutatur, *Ecclesiam esse*

*ipso visibilem*, quòd *eam* Daniel *tantum montem nominet, qui universam implet terram.*

Resp. (1.) Daniel non prædicit *visibilitatem Ecclesiæ perpetuam*, sed *permanentem ejus firmitatem*, quòd videlicet *regnum Christi* inter rudera & ruinas imperiorum *stabile* sit permansurum, & in omnem æternitatem duraturum. (2.) *Montem* autem nominat, qui universam terram impleat, non ob *claritatem*, sed ob *magnitudinem cætûs in* N. T. *ex universo orbe terrarum, per prædicationem Evangelii collecti.* Balduin. in Phosph. Cathol. contra. Parman. lib. 8. cap. 7. p. 778. & 780. *Eckhard.* par. 1. Pandect. controv. Pontif. cap. 8. q. 4. obj. 3. p. 401. *Cham.* tom. 5. Panstr. lib. 1. cap. 4. §. 5. seq. object. 2. pag. 61.

Vers. 36. *Hoc est somnium illud, jam interpretationem dicemus coram Rege.*

Resp. *David Kimchi* in Michlol. pag. 9. docet, *illustrem quampiam personam in sancta lingua interdum pluraliter de se loqui*, ut hîc *Danielem*, qui dicat: *Interpretationem dicemus coram Rege.*

Resp. Daniel de *se solo* non loquitur, (quomodo enim is loqueretur linguâ *magnificentiæ*, hoc est phrasi *magnificentiam* exprimente, coram Nebucadnezare, qui fuit Rex Regum? inquit *Abenezra* in Comment. Gen. 1. v. 25.) sed includit *socios*, qui & conjunctis suis precibus, unà cum Ecclesia, interpretationem illam à Deo obtinuerant, v. 17. 18. 23. 30. *Gesner.* disp. in Daniel. 2. thes. 58. seq. *Hun.* tom. 1. Oper. Theol. pag. 71. *Glass.* lib. 3. Philolog. sacr tract. 3. can. 51. pag. 395.

Vers. 37. *Tu Rex es rex regum, quia Deus cælorum regnum, potentiam, & fortitudinem, & gloriam dedit tibi.*

*Enjedinus* in Explic. locor. V & N. T. pag. 439. infert, titulum hunc, *Rex regum*, Apoc. 17. v. 14. & cap. 19. v. 16. *Christo* tributum, non facere *æternum Deum*, secus & *Nabuchodonosorem fore æternum Deum*, cum & hic *Rex Regum* dicatur, Dan. 2. v. 37. & Ezech. 26 v. 7.

Resp. *Dispar utriusque est ratio.* Nabuchodonosor enim erat Rex regum *restrictè*, quia plurimos Reges terrenos habebat tributarios, non omnes tamen; at Christus Rex regum est *absolutè*, tum ratione *Deitatis*, est enim Deus super omnia benedictus in secula, Rom. 9. v. 5. tum ratione *officii*, cum sit Dei & hominum mediator, 1. Tim. 2. v. 5. ad dextram Dei super omnem principatum exaltatus, Ephes. 1. v. 20. seq. *Para.* in Comment. Apoc. col. 24.

Vers. 38. *Tu, Nebucadnezar, es caput aureum, &c.*

I. Quidam *Reformati* autumant, *tropum posse esse in copula alicujus propositionis*, ut in *hac propositione*, in qua copula ES eadem sit ac, *significat.*

Resp. (1.) In textu *Hebraico* illa propositio non legitur; sic enim habent verba, *Tu ipse caput ipsius de auro.* Ubi pronomen respicit vocem v. 37. præcedentem, מַלְכוּתָא, *regni*, cujus certè caput, id est, Rex verè erat Nebucadnezar. Et sic non in *copula* hæret *metonymia*, sed duplex *metaphora* in verbis, *caput de auro*, quæ pro *Rege & Monarcha summo ac maximo* sunt posita. (2.) Sed etsi retineretur propositio illa, prout legitur in *Vulgata* Versione; inde tamen non necessariò infertur, *tropum esse in copula.* In *subjecto* enim, TU, intelligi posset ipsum *Nabuchodonosoris regnum*, uti quidem v. 39. innuere videtur: in *prædicato* autem metonymicè, *caput aureum*, esset positum pro *regno præstantissimo*; unde sensus: *Regnum tuum est aureum*, id est, *præstantissimum*, sicut *aurum* inter metalla est præstantissimum. *Meisner.* par. 1. Philos. sobr. sect. 1. cap. 5. quæst. 3. class. 2. obj. 8. p. 224.

II. Nonnulli suspicantur, in *Nabuchodonosore demum primum Monarchiam initium sumsisse*, quia *Nabuchodonosor caput aureum appelletur, & Monarchia ejus capiti aureo assimiletur.*

Resp. *Ortus Monarchiæ primæ* dupliciter consideratur: (1.) ἁπλῶς & *simpliciter.*, & sic cæpit in *Nimrodo*, ut patet ex Gen. 10. v. 9. & *Justin. Histor.* lib. 1. (2.) Ἐξοχικῶς & *excellenter*, atque sic cæpit in *Nabuchodonosore*, qui *caput aureum* vocatur, quia ipse præ cæteris Regibus Babylonicis *potentiâ excelluit*, v. 37. *Matthi. Dumarf.* l. 2. System. Polit. pag. 220.

Vers. 39. seq. *Post te consurget regnum aliud minus te, argenteum; & regnum tertium æreum, quod imperabit universæ terræ; & regnum quartum erit ferreum, &c.*

I. *Porphyrius* Danielis volumen arguit, quod non à *Daniele Propheta*, sed ab *alio aliquo recentiore*, tempore *Ptolomæi Epiphanis* confectum esset; cum vaticinium de *quatuor Monarchiis* non *futurorum prædictioni*, sed *præteritorum narrationi* competeret.

Resp. Testimoniis omni exceptione majoribus constat, *Danielem Prophetam* tempore *Nebucadnezaris, Evilmerodachi, Belsasaris, Darii & Cyri*, Babylone vixisse, & librum hunc conscripsisse; ideoque meritò in fumum abit ista Porphyrii cavillatio. Rectè proindè *Hieronymus* rationem ejus invertit, & dixit, Porphyrii impugnationem esse veritatis testimonium. Tanta enim dictorum fides fuit, ut Propheta incredulis non *futura prædixisse*, sed *præsentia narrâsse* videatur. Et quia *Danielis* vaticinium ipse eventus comprobavit, inde certò constat, illud esse θεόπνευστον. *Gesner.* disp. prælimin. in Daniel. quæst. 3. thes. 2. 3. 4. 6.

II. Qui arbitrantur, *demum in Nabuchodonosore primum cæpisse Monarchiam*, hoc quoque urgent, quòd *ipse* expressè *primæ Monarchiæ Rex* appelletur.

Resp. Nabuchodonosor *primus primæ Monarchiæ Rex* dicitur, non *simpliciter* sed *secundùm quid*, quia ipsi visio de quatuor Monarchiis primùm offerebatur: & quia *ipse tum temporis regnabat*, ipse *primò locô ponitur*; planè sicut *Daniel.* 11. v. 2. *primâ* Monarchiâ omissa, *secunda* primô locô ponitur, quia tùm *secunda* Monarchia vigebat. *Dumarf.* l. 2. Syst. Polit. pag. 220.

Vers. 41. *Quia vidisti pedum & digitorum partem ferream, & partem testeam figuli, regnum divisum erit.*

*Bellarminus* lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 5. arg. 1. demonstrare satagit, *Antichristum non venturum, nisi post omnimodam desolationem Romani Imperii*; quia *Romanum imperium tandem in decem Reges sit dividendum, quorum nullus futurus Rex Romanorum*, sicut *nullus digitus*, ex *tibiis* ortus, *fit tibia.*

Resp. (1.) In tota hac visione ne unicum quidem apparet vestigium, quo *venturus Antichristus, post funditus deleturo Romanum*, innuatur. Contrarium potiùs firmissimè inde concluditur, *Antichristum videlicet ante hujus imperii interitum, venturum.* Venturus enim est, antequam Christus in die novissimo venerit: Romanum autem imperium non prorsus destruetur, donec Christus venerit. Nam *durabunt pedes ferrei & lutei*, donec *lapis e monte sine manibus excisus* (id est *Christus*, mundi judex) *eosdem percusserit & comminuerit*,

ut disertè traditur, v. 34. Atqui *hi pedes* sunt *Romanum Imperium*, debilius quidem, quàm erat antè *tibiarum*, v. 33. *Romanum* tamen. (1.) Falsum est, *Romanum Imperium tandem in decem Reges dividendum esse, quorum nullus erit Rex Romanorum*, sicut nullus digitus est tibia. Sic enim *quinta Monarchia* introduceretur: quam tamen Spiritus Sanctus per illam *statuam* non dicit, sed potiùs quatuor Monarchias, sibi invicem succedentes, etiam *ad mundi finem usque* describit, *Bellarmino* ipso teste. (3.) Non dicitur, divisione imperii *sublatum* iri imperium, sed *infirmandum & enervandum*, vers. 24. unde *regnum* manifeste dicitur, & quidem *regnum istud*, scilicet *Romanum*, v. 41. idque fatetur *Cornelius a Lapide* in Comment. sup. h. l. asserens, *imperium Romanum hic fore divisum*, id est, non *aliud*, sed *afferens viribus, & enervandum*. (4.) Sed etsi Romanum Imperium hîc prædiceretur *tollendum*; inde tamen non sequeretur, tam quoad *nomen*, quam quoad *rem* esse tollendum. Nam contrà patet exemplò: quia à Daniele prædicebatur, *tollendum imperium Persicum*; cujus tamen semper fuit *nomen non parvum*, ad hæc usque tempora. Ita quoque *Romanum* ad huc perstat imperium, sed majorem in modum *imminutum ac debilitatum*. Pererio teste. libr. 2. in Daniel. pag. 123. atque ita *nudo nomine* magis, quàm *re*, moderni Imperatores Romani idipsum habent. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 11. thes. 47. & 51. pag. 94. 96. seq. *Eckharh.* par. 1. Pand. controv. Pontif. cap. 4. quæst. 2. obj. 2. pag. 210. seq. *Thummi.* in Continuat. demonstrat. Pap. Antichrist. pag. 63. seq. *Brochmand.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Pontif. Rom. cap. 5. sect. 4. pag. 830. seq. *Cham.* tom. 2. Panstr. lib. 17. cap. 4. §. 2. & 6. pag. 366.

Vers. 44. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet & consumet universa hæc regna, & ipsum stabit in æternum.*

I. *Judæi* somniant, *Messiam adhuc venturum esse, & catholicum in mundo regnum inchoaturum*: id enim hic promitti *ante finem mundi futurum*.

Resp. Hoc non juvat *Judæos*: 1.) enim illi somniant regnum *mundanum* & *corporale*, at Messiæ regnum est *spirituale*, positum in scientia & virtute spiritûs. (2. Vaticinium illud *jam dudum est impletum*, quando Christus *universali Evangelii in mundo prædicatione regnum catholicum comparavit* atque constituit. *Gesner.* disp. in Daniel. 2. thes. 90. Jun. in schol. Bibl. ad h. l. p. 829. n. 65.

II. *Weigelius* par. 3. Postill. pag. 37. contendit, *Christum regnum corporale in terris ante novissimum diem cum Sanctis suis, ad id resuscitatis, per bene longum tempus instituturum, atque tum demum in cælum ipsos introducturum*; quòd expressè doceatur, *post quatuor Monarchias exoriturum aliud aliquod regnum sanctorum in terris, in quo Christus sit regnaturus.*

Resp. N. C. nam (1.) scopus Spiritus Sancti hîc est, ostendere, *quatuor tantùm, nec plura in hoc mundo ante novissimum diem corporalia universalia regna per corporalia arma constituta & conservata, esse futura, sicut & Daniel*, v. 37. seqq. eò idipsum interpretatur. Ergo *quintum universale terrenum seu corporale regnum, quod futurum sit piorum ante novissimum diem, hîc promitti non potest.* (2.) *Regnum*, quo de Daniel concionatur, & cujus spem facit Sanctis Dei hominibus, *stabit in æternum*, v. 44. At *regnum*, quod Weigelius somniat, etiam ex propria ipsius mente, *non erit sempiternum*, sed *ad tempus bene longum durabit*. (3.) Nulla id hoc textu *corporalis alicujus regni* Sanctis promissi fit mentio, quin potiùs regnum sanctis promissum *illis mundanis & corporalibus regnis aperte contradistinguitur*, v. 44. (4.) Neque hoc loco habetur, quod illud regnum sanctorum *corporali aliqua vi reliqua regna mundi sit oppressurum & contriturum*; quod tamen Weigelius infarcit. *Thum.m.* in Impiet. Wigel. pag. 353. 357.

III. *Regnum Christi non est mundanum*: stabit enim *in æternum*, nec *in æternum dissipabitur*.

*Judæi* excipiunt, *æternitatis* vocem non *absolutam* semper æternitatem, sed durationem saltem *longioris quidem, finiti tamen temporis*, notare.

Resp. (1.) Talia sunt *prædicata*, qualia permittuntur a *subjectis*. Jam quia Christus *absolutæ* æternitatis est capax, de eo etiam *absoluta* æternitas prædicatur; quomodo & *Deo Patri* æternitas *absoluta* attribuitur, quippe cujus est capax. (2.) Spiritus Sanctus *æternitatem illam* hic ita describit, ut non nisi de *absoluta æternitate*, accipi possit. Nam non modò dicit, *regnum Messiæ duraturum in æternum*, sed & *non esse corrumpendum in æternum*, uti textus *Hebræus* habet. Quin & expressa collatio, quæ *regnum hoc* a cæteris, evidenti antithesi *æternitatis*, huic soli regno promissæ, & è converso, abolitionis *cæterorum*, manifestè secernit. *Hunn.* tom 5. Oper. Latin. p. 124. thes. 29. 33. *Hutter.* in LL. Theol. pag. 868. b.

IV. *Bellarminus* lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 9. arg. 4. disputat, *necessario in Ecclesia debere esse unum caput*, quoniam *ipsa comparetur regno*: jam verò quod unquam *regnum* fuit, quod non regeretur ab *uno*?

Resp. N. C. nam *Ecclesia non dicitur regnum*, nisi *Christi Regis* habita ratione. Itaque quoties *regnum* audimus appellari, toties *is* nobis in mentem venire debet, non ullus alius. Cum autem, ex interpretatione *Angeli Gabrielis*, Luc. 1. v. 33. manifestum est, apud Danielem describi *Christi* regnum; Rex igitur *Christus* est.

*Bellarminus* ibid. regerit, quanquam *Rex Ecclesiæ Christus* est, tamen ex eo colligi. Ecclesiam habere debere, præter *Christum*, aliquem *unum*, a quo regatur; quòd *regna semper administrentur regie*, id est, per *unum*, qui omnibus præsit: & si quidem Rex *præsens* est, *per se* id faciat; si *abest*, per *alium*, qui dicitur *Prorex*: sæpe etiam Rege *præsente*, generalis aliquis *vicarius* constituatur.

Resp. (1.) Non est perpetuum, *unius Regis unum tantum esse Vicarium* sed quandoque *plures vicarii* constituuntur. Nam *Constantinus M.* cum abiret Constantinopolim, Romæ *Senatum* reliquit, non verò *unum aliquem*, quem penes esset rerum summa. Sic in *Gallia* non tantùm singulis Provinciis sui sunt *Proreges*, sed etiam multi *Senatores*, qui *Parlamentum* constituunt, à quibus *regia autoritate* jus dicitur. Fatemur, *aliquando* à Rege absente unum constitui Proregem; sed *semper*, negamus. At *Christus* ab Ecclesia sua non abest, sed perpetuò ipsi præsens est, Matth. 28. v. 20. ideoque non opus habet uno aliquo sive Vicario, sive Prorege. (2.) Absurdus est Bellarminus, è *rebus seculi* Ecclesiam metiens. Etsi enim *Ecclesia* regno assimiletur, tamen non sequitur, eam sic administrandam, ut solet administrari regnum mundanum: nam contra protestatur ipse Christus, Luc. 22. v. 25. & Johan. 18. v. 36. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. p. 542. seq. arg. 5. *Cham.* tom. 2. Panstr. lib. 9. cap. 6. §. 1. 12. 13. 14. pag. 151. & 152.

V. *Bellar-*

V. *Bellarminus* lib. 3. de Eccles. milit. cap. 13. arg. 4. statuit, *veram & visibilem Christi Ecclesiam nunquam esse interituram*, quia *sit regnum perpetuum*; *regnum* verò esse *multitudinem hominum congregatorum, qui se invicem noverunt*.

Resp. (1.) Jesuita probat id, quod nos non negamus: probare enim debebat, Ecclesiam visibilem *semper pariter esse gloriosam*, ut *perpetuam*; sed ipse probat nihil aliud, quàm *semper in mundo fore Ecclesiam aliquam visibilem*. (2.) Quod de *interna gloria regni Christi* verissimum est, Adversarius ineptè accommodat ad *externam, visibilem, & aqualiter semper florentem Ecclesia formam*; quæ non est de *essentia Ecclesia*. (3.) Sophista *regnum Christi* malè judicat ex *multitudine civium sive hominum, in unum locum congregatorum*: quasi Spiritus Dei adeò impotens sit, ut non possit regnare in iis, *qui per totum terrarum orbem longè lateque sunt dispersi, & à nobis videri non possunt*, quin in latebris in terdum & cavernis occultati latitant. (4.) Daniel affirmat, Christi regnum in una gente, nempe apud omnes eos, *qui in Christum credunt*, perpetuò duraturum, nec unquam *Tyrannorum savitia* eradicatum, & à *fidelibus* subtractum iri. Alia namque *regna* suam habent periodum, & ad alios etiam devolvi queunt: at *Christi regnum* apud *credentes ac pios* in omnem æternitatem durabit. *Hutter*. in LL. Theol. art. 16. de Eccles. cap. 2. controv. 1. arg. 4. pag. 523. *Reinecc*. tom. 4. Panopl. cap. 3. pag. 28.

VI. *Bellarminus* lib. 4. de Not. Eccles. cap. 6. probare nititur, *durationem diuturnam esse notam Ecclesia vera*, quoniam *Ecclesia dicatur catholica*, non solùm, quia *semper fuit*, sed quia *semper erit*: esse enim *regnum*, quod *non dissipabitur in aeternum*.

Resp. (1.) Concedimus, *Ecclesiam Catholicam perpetuo duraturam*: sed negamus, de *particulari aliqua Ecclesia*, qualis est *Romana*, id esse promissum. (2.) Ex eo autem, quòd *Ecclesia Catholica perpetuò sit duratura*, non potest inferri, quòd *omnis catus perpetuò durans sit vera & Catholica Ecclesia*: quia *Synagoga Satana* durabit usque ad mundi finem. Ita *Zizania* cum bono semine erunt permista usque ad tempus messis, Matth. 13. v. 39. *palea* cum tritico erunt permixtæ usque ad ventilationem in die novissimo futuram, Matth. 3. v. 12. *hadi* ab agnis in die judicii demum separabuntur, Matth. 25. v. 32. *Antichristum* destruet Dominus JEsus illustri demum adventu suo, 2. Thess. 2. v. 8. Itaque *soli Ecclesia Catholica*, duratio illa non est *propria*, neque *genuina ejus nota*. (3.) *Catholicam* esse, etsi *tempus* respiciat: non tamen *pracipuè*, sed *diffusam esse per totum orbem*, significat, ut habet *Augustinus* serm. 131. de Tempore. *Gerhard*. tom. 5. LL. CC. loc. 25. de Eccles. §. 171. pag. 921. seq. *Scharp*. tom. 2. Curs. Theol. art. de Corpor. Eccles. milit. controv. 4. quæst. 2. not. 3. obj. 1. pag. 1822.

Vers. 46. *Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit, & hostias, & incensum pracepit, ut sacrificarent ei.*

I. *Porphyrius*, referente *Lyra*, olim arguit, *hunc librum esse confictum*, cum non sit verisimile, quòd *Rex tam magnus & superbus Danielem captivum & servum adoraret*.

Resp. Ratio hæc dubitandi non est sufficiens. Nam cum Rex esset *Ethnicis* opinionibus imbutus, inter quas & illa fuit, ut opinaretur, *Deos aliquando in humana forma apparere*, mirum non est, illum audita somnii narratione & expositione, in admirationem raptum esse, ut existimaret, *Danielem* vel *Deum* esse, vel *divino spiritu afflatum*, (uti quidem *Regina* censuit, *Daniel*. 5. v. 11.) eamque ob causam *divinis dignum honoribus*. Quemadmodum *Paulo & Barnaba* apud Lystrenses accidit, Actor. 14. v. 10. & iterum *Paulo* in insula Melita, Actor. 28. v. 6. Ethnici enim omnibus iis, *qui insolita patrârunt*, divinitatem adscribere sunt soliti. *Gesner*, in Daniel. 2. disp. thes. 91. 92. 93.

II. *Bellarminus* lib. 1. de Sanctor. beatitud. cap. 13. arg. 3. disputat, *Sanctos defunctos à viventibus religiosè esse adorandos*, quia *Nabuchodonosor religiosè adorârit Danielem*.

Resp. (1.) Exemplum hoc *Nabuchodonosoris* non est ad rem. Quum enim is fuerit *idololatra*, pios multùm movere non debet. Quid enim? Nonne idem ibidem legitur, non tantùm *adorâsse Danielem*, sed & *jussisse eidem sacrificari hostias & incensum*? Hoccine Bellarminus probet? Detulerit ergo sanè Nabuchodonosor *religiosum cultum Danieli*, sed tanquam *idololatra*: nondum enim quisquam illum docuerat pietatem. (2.) Quamvis verò Spiritus Sanctus *expressè* non commemoret, *Danielem respuisse illum cultum, Regemque ab eo fuisse dehortatum*, tamen id colligi potest, tum ex *Danielis pietate*, quæ tanta in ipso extitit, ut legem *ceremonialem*, regios cibos assumendo, violare noluerit; quantò igitur magis ab *idololatria* sibi seriò cavendum esse censuit: tum ex *Danielis interpellatione*, quia, cum mox dicitur Nebucad[illegible]arem *respondisse*, ex eo intelligitur, Danielem sacrilegos honores sibi oblatos recusâsse, Regemque ad Deum revocâsse: tum ex *Nebucadnezaris confessione*, quam illi non caro & sanguis, sed per Prophetam *Spiritus Domini* mox instillavit, v. 47.

*Bellarminus* ibid. excipit 1. Scripturam hîc non loqui de *sacrificio*, quod *soli Deo debetur*, nempe de *immolatione animalium*, Hebraicè זבח vocatâ: ideoque Nabuchodonosorem obtulisse Danieli, non זבח *sacrificium Deo proprium*, sed מנחה & ניחוחין, hoc est, *munera & odores*, quorum utrumque tam *Deo*, quam *homini* offerri solet.

Resp. (1.) Non negamus, nomen מנחה latiùs patere, quàm *sacrificia*, quæ *DEO* offerebantur: at saltem *sacrificare munera*, nunquam Bellarminus inveniet dictum nisi *DEO*; hîc autem dicitur jussum fuisse, ut *sacrificarent munera*. (2.) Nisi ניחוחין esset *sacrificium soli DEO debitum*. Rex Ezechias non confregisset *serpentem aneum*, propterea quòd *Israelita incensum eidem adolerent*, 2. Reg. 18. v. 4.

2. Si hoc non placet, dici debere cum *Hieronymo & Theodoreto*, Nabuchodonosorem sacrificium obtulisse *Danieli*, id est, *DEO Danielis*.

Resp. (1.) *Hieronymus & Theodoretus* non juvant. Neuter enim negat *Danieli sacrificatum*, imò uterque asserit disertè. Quid ergo, nempe putâsse Nabuchodonosorem, *adorari Deum Danielis in ipso Daniele*. Verùm ita solebant *Ethnici* & lapides adorare, & in lapidibus Deum; quomodo nunc Papistæ. (2.) Nullus unquam *Patriarcharum, Prophetarum*, aut *Apostolorum*, passus est, Deum in *sua persona* adorari, aut Deo in *sua persona* sacrificari; sicut nec *Angeli* id permittere voluerunt, Apoc. 19. v. 19. & cap. 22. v. 9. *Gerhard*. tom. 8. LL. CC. loc. 27. de Mort. §. 438. pag 837. & 839. *Walther*. in Harm. Script. Sacr. pag. 324. seqq. *Cham*. tom. 2. Panstr. lib. 19. cap. 1. §. 8. 13. 14. 15. pag. 393.

Vers. 47. *Verè DEUS vester DEUS Deorum est, & Dominus Regum, & revelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum.*

I. *Bellarminus* l. c. instat, quòd *Nabuchodonosor non per errorem adorârit Danielem, Deum illum existimans; cum adorans, Deum Danielis fassus fuerit.*

Resp. N. C. nam *postmodum* quidem à Propheta edoctus. Deum Danielis Nabuchodonosor fassus est, cum *prius* tamen ex errore jussisset Danieli incensum adoleri; quæ sanæ hæresis est *Collyridianorum*. Epiphanio teste, hæres. 79. *Gerhard.* ibid.

II. Argumentum *Bellarmini*, pro *Sacramento*, signum rei sacræ vel arcanæ notante, vide solutum in Vindic. *Daniel.* 2. v. 18.

CAP. III. v. 9. *Responderunt & dicentes ad Nebucadnezarem Regem: Rex in æternum vive.*

In textu hoc habetur (1.) *Synecdoche* tum *species* pro *genere*, quia *respondere* est pro; *loqui*: tum *totius* pro *parte*, quoniam *in æternum vivere*, notat. *longævam vitam agere.* (2.) *Enallage* præsentis participii, *dicentes*, pro præterito verbi. *dixerunt.* Ariæm. par. 4. Bibl. p. 151. Confer. *Glassium* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 6. pag. 451. & cap. 16. m. 4. pag. 459.

Vers. 15. *Nunc si parati estis, ut, quo tempore audieritis sonum cornu, fistulæ, citharæ, sambucæ, Psalteriorum & Symphoniæ, omniumque generum Musices, procidatis & genuflectatis imagini, quam feci; sin autem non genuflexeritis, in ipsa hora projiciemini in medium fornacis ignis ardentis: Et quis ipse Deus, qui eripiat vos de manibus meis?*

I. Occurrit (1.) *Metonymia materiæ* pro *materiato*: nam *cornu* pro *buccina* est, ex cornu facta recurvo. (2.) Ellipsis: *Quam feci*, subint. *benè est*; quæ vox in sequenti membro contrario latet, ubi pœna non obtemperantibus denunciatur. (3.) *Enallage* pronominis demonstrativi, אית, *ipse*, pro verbo substantivo, *est*. Ariæm par. 4. Bibl. p. 152. *Jun.* in Bibl. h. l. p. 830. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 6. p. 714. & lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 20.

II. *Tannerus* in Relat. histor. Colloq. Ratisbon. autumat, non esse absurdum, hominem quempiam, v. g. *Antichristum*, habiturum esse discipulos, quamvis expressè dicat, *se majorem esse Deo*: Nabuchodonosorem enim *id de se dixisse*, *ejusque statuam Chaldæos adorâsse.*

Res. (1.) Nabuchodonosor non *se jactabat Deo*, quem ipse *verum Deum* esse crederet, *superiorem*, sicut Papistæ de *Antichristo* nugantur; sederat in ea opinione, cultum illum, quem instituerat, esse *Deo suo*, quem ipse colebat, ut *Ethnicus*, perquàm gratum: ideo putabat, *alterum illum Deum*, quem Sadrach. Mesach. & Abednego colerent, non posse illos è sua manu eripere, utpote quem non statuebat esse *verum Deum*. (2.) Nabuchodonosor, quia erat *potentissimus Monarcha*, poterat *armata vi* ad suum cultum idololatricum approbandum perducere *Chaldæos*, homines alioquin *Ethnicos*, & *ad omnem idolomaniam propensos*. Ut autem *Papistarum* Antichristus *seipsum Deo superiorem esse* probet, hominibus, non *Ethnicis*, sed iis, apud quos de *Deo uno*, conditore cæli & terræ, sententia profundissimas egit radices, quibus quæsò, quantisque fuerit opus argumentis? quantis præsidiis? quantis adminiculis? Certè nec *Christianos*, nec *Judæos* ad id perduci unquam poterunt. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 532.

Vers. 18. *Et si non, notum sit tibi Rex, quod Deos tuos non sumus colentes, & imaginem auri, quam erexisti, non adorabimus.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Ellipsis* verbi, ex vers. 17. præcedente repetendi: *Et si non*, subaudi, שֵׁיזִב, *eripiet*. (2.) *Enallage* nominis substantivi, *auri*, pro adjectivo, *auream*. Ariæm. par. 4. Bibl. pag. 152.

II. *Imagines & statuæ Sanctorum non sunt adorandæ: nam & tres viri religiosi adorare rectè noluerunt statuam, à Rege erectam.*

*Papistæ* excipiunt, *statuam Nabuchodonosoris fuisse confictis numinis imaginem, suas verò imagines repræsentare verum Deum & defunctos Sanctos.*

Resp. Hoc effugium planè nullum est. Deus enim *simpliciter nullam* vel eorum, quæ sunt in cælo, vel in terra, vel sub terra, atque ita etiam *suipsius* imaginem adorari vult, Lev. 26. & Deut. 8. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. clasf. 3. m. 1. p. 768.

Vers. 21. *Tunc viri isti vincti sunt in braccis suis, &c.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: vox enim Chaldæa, סַרְבָּל, *crura hominum tibiasque notat*, ὁμωνύμως verò etiam *braccas eorum, quibus crura teguntur & tibiæ*, ut *Hieronymus* in cap. 3. Dan. observat. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 3. m. 1. p. 35.

Vers. 24. *Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino, Stans, &c.*

*Papistæ* accusant *Lutherum*, quòd SS. *Biblia falsaverit, quia integros 66. versus, huc pertinentes, omiserit in versione sua Germanica.*

Resp. (1.) Etiam *Ariamontanus* in Bibliis suis, Antverpiæ excusis, hoc loco omisit illos versiculos; neque tamen *Papistæ* dicam ipsi scribunt, vitiove vertunt. (2.) Non *omisit* eos Lutherus in Bibliorum versione, sed ad *locum peculiarem & proprium inter apocrypha retulit*, idque jure ac merito. quia non habentur in *fontibus veritatis Hebraicæ*, Hieronymo teste in præfat. cap. 3. Daniel. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. sacr. §. 523. obj. 6. p. 579.

Vers. 25. *Ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eos est.*

I. *Hofmannus* docuit, *Philosophiam pugnare cum Theologia*, quoniam *illa* tradat, ignem urere, admota materia ustuli; *hæc* verò contrarium testetur in *hac sociorum Danielis historia.*

Resp. Nulla *utrobique* est pugna: Philosophia enim non loquitur. nisi de potentia *ordinaria* ignis ad urendum, quam non negat posse impediri à *potentia Dei absoluta*, quò minùs in *actu secundo* sit. *Vedel.* in Rational. Theol. libr. 3. cap. 2. object. 6. pag. 347. & 371.

II. *Costerus* in Enchirid. cap. 13. pag 415. exinde concludit, *ossa sanctorum defunctorum religioso cultu esse honoranda*, eò quòd *irrationalis creatura*, putà *ignis, socios Danielis honorârit, eos non corrumpens.*

Resp. Negatur id inde sequi: num (1.) quæritur de *mortuorum reliquiis*, hîc autem agitur de *vivorum corporibus*. (2.) Lis est de *cultu religioso*, qui certè ab *igne* proficisci non potest: neque enim ignis corpora sociorum Danielis in fornace Babylonica *religioso cultu* honoravit. *Scharp.* tom. 2. Curs. Theol. art. de Eccles. triumph. controv. 3. object. 8. pag. 1548.

Vers. 29. *A me positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus & lingua, quæcunq́ locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sadrach, Mesach & Abednego, dispereat, & domus ejus vastetur.*

*Beza* volum. 1. fol. 161. & *Bellarminus* lib. 3. de Laic. cap. 21. arg. 1. statuminant. *hæreticos à Magistratu politico capitaliter esse puniendos: siquidem Nabuchodonosor edictum constituerit, ut blasphemantes occidantur, eorumque ædes destruantur.*

Resp.

Resp. Edictum hoc *Nabuchodonosoris* non probat intentum. *Id* enim (1.) non adversus *hæreticos*, sed *blasphemos* directum est, quos *severiore animadversione* dignos esse, non negamus; ab *illis* autem ad *hoc* non valet argumentatio. (2.) Vastationem *totius populi & gentis*, à vero Deo alienæ, imperat; quod sanè *jam* imitari non convenit, Matth. 13. v. 30. (3.) *Recitatur* quidem, de *executione* autem nihil legitur. Ergo verisimile est, potiùs hoc decretum *in terrorem* promulgatum esse, quàm ut in *actum*, quoad *singulas nationes Nabuchodonosori subjectas*, deduceretur: siquidem illas omnes mox ad verum Deum conversas, & religionem Judaicam professas fuisse, faciliùs dicitur, quàm probatur. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 6. thes. 114. seq. pag. 459. & 460. *Meisner.* lib. 4. de Legib. sect. 1. quæst. 19. pag. 355. seq. *Eckhard.* par. 1. Pandect. controv. Pontif. cap. 16. quæst. 2. obj. 2. pag. 650. *Thumm.* tract. de Hæret. non-occidend. p. 39. & 41.

CAP. IV. v. 12. *Germen radicum arboris in terra sinite, &c.*

*Pererius* Comment. in Daniel. lib. 5. fol. 260. exinde concludit, *virginem Mariam peccato Adami nullatenus infectam fuisse*: id enim per *arboris*, Nebucadnezari in visione oblatæ, *radicem illæsam* significari.

Resp. Ratio hæc, præterquam quod *allegorica* est, non concludit: per *radicem enim illæsam* notatur *restitutio Nebucadnezaris in regnum*, uti Propheta idipsum disertè explicat, v. 23. Quid verò hoc ad *immunitatem Mariæ à peccato*? Glass. l. 2. Philol. sacr. par. 1. tract. 2. art. 6. p. 425.

Vers. 13. *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eum.*

I. *Bodinus* in Scripto contr. Wier. putat, *hominem verè in bestiam mutari posse*, quia *Regi Nabuchodonosori indicitur auferendum cor humanum, & dandum ipsi esse cor bestiæ.*

Resp. *Cor* accepit Nabuchodonosor ἀλλοῖον, non ἄλλο: neque enim *ipsam animæ humanæ substantiam* ipse perdidit, alioquin *resurrexisset, antequam fuisset mortuus*: nam rediit ejus *sensus*, v. 31. & 33. exactâ temporis mensurâ. Unde *cor humanum dicitur à Rege ablatum, & cor bestiæ ei datum*, quia adeò *spoliatus fuit omni rationis facultate, ut quantum ad externas actiones, inter illum & bestias ne tantillum discriminis fuerit*, ut ex v. 20. & 30. patet. Itaque phrasi *Hebraicâ*, mutationem cordis *accidentalem*, non *substantialem* intelligi oportet, ut sit sensus: *Nihilo plus intelligentiæ in eo remanebit, quàm in fera aliqua bestia.* Gerhard. tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 156. p. 270. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Mort. cap. 3. cas. conscient. 12. object. 1. pag. 6073. seq. *Dannhaw.* in Colleg. Psychol. disp. 1. controv. 5. object. 1. p. 29.

II. Cæteras controversias, fortè hic occurrentes, vide in Vindic. Dan. 2. v. 22. & 29. diremtas.

Vers. 14. *In decreto vigilum verbum hoc, & in sermone sanctorum decretum hoc, ut cognoscant viventes, quòd dominetur Altissimus in regno hominis, & cui, quod vult, dabit illud, & humilem hominum constituet super illud.*

I. Occurrit (1.) *Enallage numeri* singularis, אֱנָשׁ, *hominis*, pro plurali, אֲנָשִׁים, *hominum*. (2.) *Hebraismus*: tum quia verbum *velle* conditionem *effectûs* includit, siquidem Deus *vult regnum dare humiliantibus se coram ipso*, uti verba statim sequentia indicant; tum quia *humilis hominum* notat *humillimum*, i. e. abjectissimum & contemptissimum. (3.) *Pleonasmus*: abundat enim τὸ *quod* ante verbum, *vult*. Arian. par. 4. Bibl. pag. 153. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 536. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 13. pag. 262.

II. *Photiniani* sentiunt, Deum, Genes. 1. v. 26. *communicâsse consilium cum Angelis*; tum & *hic id faciat, in puniendo Nabuchodonosore.*

Resp. (1.) Deus hic non communicat consilium cum sanctis *Angelis*, sed ipsæ *personæ divinitatis* pœnam Nabuchodonosori destinant. Talis etiam phrasis extat, *Josu.* 24. v. 19. *Non poteritis servire Domino; Elohim enim sancti est ipse.* Vocantur autem *tres personæ divinitatis vigiles*; quia SS. Trinitas vigilat pro salute electorum, juxta Psalmistam: *Ecce non dormiet, neque dormitabit, qui custodit Israël*, Psal. 121. v. 3. & 4. (2.) Sed etsi *Deus* hoc in loco *consilium diceretur communicare cum Angelis*, exemplum tamen istud est alienum: tum quia apud Danielem sermo est de *pœnæ inflictione*; in Genesi autem de *hominis creatione*; tum quia Deus in Genesi cum illis consultat, ad *quorum imaginem homo conditus est*; id quod de *Angelis* Daniel non dicit. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. pag. 586. *Gerhard.* in Exeges. loc. 3. de SS. Trinit. §. 120. p. 1046.

Vers. 19. *Potestas tua pervenit in terminos universæ terræ.*

Danielis assertio *vero non videtur similis*: certum enim est, quòd in *Europa & aliis terræ partibus* Nebucadnezar nullum habuerit dominium.

Resp. Assertio Danielis non *propriè* est accipienda, sed *synecdochicè*, quâ *totum* ponitur pro *majore parte*: accommodata enim est ad verba *somnii*, v. 8. qualis locutio etiam reperitur, Gen. 41. v. 54. Non secus ac *Nebucadnezaris magnitudo*, in verbis versus hujus præcedentibus, *ad cœlum pervenisse*, hyperbolicè dicitur. *Gesner.* disp. in Daniel. 2. thes. 62. *Jun.* in Schol. Bibl. h. l. p. 831. n. 20.

Vers. 22. *Septem tempora mutabuntur super te, &c.*

I. *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 8. arg. 6. autumat, per *tempora*, Dan. 7. v. 25. intelligi *annos*, cùm & *Dan.* 4. v. 22. septem *tempora* sint septem *anni*.

Resp. Jesuita committit elenchum *partium*: malè namque comparat *tempus* illud, quo *Nabuchodonosor* exclusus erat è regno, cum *tempore Antichristi*; *hoc* enim futurum & incertum, *illud* verò præteritum & certum est. *Thumm.* tract. de Pap. Antichrist. p. 107. seq.

II. Notas Philologicas hujus loci vide assignatas in Vindic. *Dan.* 4. v. 14.

Vers. 23. *Ex quo cognoveris, quòd dominantur cœli.*

Est hîc (1.) *Ellipsis*: *Ex eo tempore*, quo cognoveris &c. (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: Dominantur *cœli*, h. e. *Deus cœlorum*, seu *dominator sit Altissimus*, ut v. 22. & 29. exponitur. *Arian.* par. 4. Bibl. p. 153. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 832. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 42.

Vers. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis.*

I. In textu authentico est (1.) *Metaphora*: radix enim פְּרֻק *abrupit*, accipitur pro *desistere* vel *desinere*. (2.) *Chaldaismus*: מִחַן עֲנָיִן *gratiâ afflictorum*, h. e. *erga afflictos*. (3.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: nam pax pro *incolumitate* sumitur. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 82. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 537. *Glass.* lib. 3. Phil. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 6. p. 108. & lib 5. tract. 1. c. 12. p. 381.

II. *Bellarminus* lib. 2. de Pœnitent. cap. 12. arg. 1. docet, *contritionem esse causam justificationis, & remissionis peccatorum*; quòd *eleemosynæ pœnitentium à peccatis redimant, Deumque ex congruo placent.*

Resp. (1.) Bellarminus *eleemosynas* alibi ad *tertiam* pœnitentiæ Papisticæ partem, nimirum ad *satisfactiones* refert: quomodo ergo hîc ad *contritionem* refert? (2.) Daniel non agit de *justificationis ratione*, aut *remissione peccatorum*, quippe de *qua* nec Rex quærebat, nec Daniel respondebat; sed de *aversione pœnæ temporalis*. fatente *Bellarmino* l. 4. de Pœnit. cap. 8. Nam, quia Nabuchodonosori, ob tyrannidem & immisericordiam suam erga subditos, Deus gravissimam pœnam comminatus fuerat, Daniel hoc Regi sollicito consilium suggerit, ut deinceps immisericordiam vertat in beneficentiam erga pauperes, quâ motus Deus *pœnas peccatorum temporales* avertere solet, sicut David attestatur, Psal. 41. v. 2. (3.) Distincta non sunt confundenda. Certum est, *pœnitentiam agentibus* remissionem peccatorum promitti: at falsum est, *propter nostras eleemosynas* dari, teste *Daniele*, cap. 9. v. 18. *Grawer.* Prælect. in Aug. Conf. par. 4. pag. 177. *Balduin.* in Phosphot. Cathol. contr. Parman. lib. 12. cap. 3. pag. 1089. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontif. cap. 24. quæst. 8. obj. 5. pag. 298. seq. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 3. pag. 31. arg. 2. *Osiand.* in Enchir. controv. Papist. cap. 10. quæst. 3. obj. 4. pag. 97. seq. *Gesen.* de Papism. disp. 34. thes. 32. seq. p. 610.

III. *Bellarminus* l. 1. de Purgat. cap. 14. resp. ad 3. ration. infert, *nullam Christo fieri injuriam*, si statuatur *homo ex parte aliqua redemptor suiipsius*, quia, si de *verbis* agatur, *Daniel id apertè dicat*.

Resp. (1.) De *verbis* non agitur, sed de *re maximè gravi*, honore scilicet *Christi*, qui unicus est redemptor noster, Esa. 63. v. 3. (2.) Si tamen de *verbis* agendum esset, *Bellarminus* ipse non affirmabit, *hominem suiipsius redemptorem* à peccatis suis coram Deo dici: neque enim id Daniel affirmat. *Ames.* tom. 2. Bellarmin. Enerv. l. 5. cap. 2. thes. 9. pag 192.

IV. *Bellarminus* l. 1. de Indulg. cap. 4. pag. 33. arguit, non ineptè *sanctos viros* dici aliquo modo *passionibus suis delicta nostra posse redimere*; quoniam Daniel Regi Nabuchodonosori non ineptè dixerit: *Peccata tua eleemosynis redime.*

Resp. Hic locus ad rem non facit. Nam (1.) quæstio est de *Sanctis*, at *Nabuchodonosor* erat *impius*, fatente ipso *Bellarmino*, l. 2. de Pœnit. cap. 12. arg. 1. (2.) Lis est de *expiatione peccatorum*, ast Daniel loquitur de *aversione pœnarum*, eodem *Jesuita* asserente, l. 4. de Pœnit. cap. 8. (3.) Vulgata inculcat *redemptionem propriam*, eamque propugnavit ipse *Bellarminus* l. 1. de Purgat. cap. 10. cur ergo infarcit *alienam Sanctorum*? (4.) Nec est ullus Scripturæ locus, in quo radix פָּדָה notet *redemptionem meritoriam & satisfactoriam a peccatis, eorumque pœnis, coram tribunali Dei*: tametsi aliquando notet *liberationem ab hominibus inimicis & perversis*, ut Psal. 136. v. 24. & Thren. 5. v. 8. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. pag. 1510. *Fewerborn.* fasc. 5. Dissert. Theol. disp. 2. thes. 35. & 39. pag. 63. & 67.

V. *Bellarminus* l. 4. de Pœnit. cap. 8. arg. 2. & l. 2. de Indulgent. cap. 8. & 10. disputat, *hominem bonis operibus Deo posse satisfacere pro pœna temporali, culpâ dimissa*; cum *eleemosynis suis peccata propria queat redimere*: vocem autem *redemptionis æquivalere voci satisfactionis, & redemptionem* non minùs ad *justitiam* pertinere, quàm *satisfactionem*.

Resp. Nabuchodonosor, quem Daniel alloquitur, erat *infidelis ac impius* homo, ac proinde nullo modo ad *satisfaciendum pro pœnis temporalibus* potens; non possunt igitur verba illa Danielis *propriè* intelligi de *satisfactione*, quia homo *infidelis & impius non potest Deo satisfacere pro suis peccatis*, quoad *pœnas*, quia culpa necdum est remissa. Hoc enim est axioma inter ipsos Pontificios receptum: *Opera facta sine gratia non sunt satisfactoria*; & tamen dicto illo probare conantur, *peccata per ea redimi*. (2.) Agitur hîc non de pœna, ab aliquo *Sacerdote* imponenda; sed de pœna *cœlitus immittenda*, nempe de *ejectione ex hominum contubernio ad bestias agri*: quod genus pœnæ *fatalis* clavibus Ecclesiæ non subest, ideoq; ad institutum Pontificiorum nihil quicquam facit. (3.) *Eleemosynas* quid Jesuitam coegit nominare, cùm Hebraicè צְדָקָה propriè *Justitiam* sonet; quod à nemine in dubium verti potest, atque ita hoc loco *Sanctes & Arias* sunt interpretati? At *Justitia* nulla est peccati pœna, nec *retenti*, nec *remissi*: quid ergo ad Papisticam somniationem? (4.) Ne *redimere* quidem fuit affectatum Daniel namque usus est verbô פְּרַק, cujus *propria* notio apud Hebræos, *abrupit*, ut Gen. 27. v. 40. & Exod. 32. v. 2. inde verò est *secunda* significatio, *liberavit*. Hoc cum ita sit, cur non rectum erit, *priori* sensu usurpari apud Danielem, & sic verti: *Peccata tua in Justitia abrumpe?* Non nego tamen esse, *liberavit & redemit*; sed ita, ut nunquam usurpetur de *re ipsa*, *à qua liberatur vel redimitur*, sed de eo ipso, *quod liberatur*: peccata autem non *ipsa liberantur aut redimuntur*, sed *ab iis homo liberatur seu redimitur*. (5.) Vocabulum *redemptionis* non semper, nec perpetuò *acquisitionem per merita* denotat: nam Psal. 136. v. 24. & Psalm. 7. v. 3. idem verbum est Hebræum, פָּרַק, & Latinum, *redemit*; neque tamen ulla *satisfactio*.

Excipit I. *Bellarminus* ibid. verba Danielis intelligenda esse de *perfecta* remissione peccati, quoad *culpam & pœnam*, ita ut cohortatio sit ad *magnas & frequentes eleemosynas*, quibus primùm disponatur Rex ad reconciliationem, & sic placet Deum ex *congruo*, & gratiam reconciliationis impetret, deinde etiam pœnam ex *condigno* redimat.

Resp. Suaves hæ nugæ sunt. Nam (1.) *infideles* non sunt cohortandi ad *eleemosynas*, ut inde remissionem peccatorum consequerentur; sed ad *resipiscentiam, conversionem & fidem*. (2.) Eleemosynæ magnæ & frequentes *sine gratia* non disponunt *infideles* ad reconciliationem: quia sine fide & charitate nihil prosunt, 1. Cor. 13. v. 3. (3.) Pœnam non potuit redimere Nabuchodonosor eleemosynis ex *condigno*: quandoquidem nulla est æqualitas proportionis inter *eleemosynas hominis tyranni*, in homines erogatas, (quibus injurias hominibus factas nunquam potuit compensare) & *injurias Deo illatas*. (4.) Si eleemosynæ tantam vim haberent disponendi ad reconciliationem cum Deo, & *satisfaciendi* pro pœnæ reatu; tum certè beati essent *divites* supra *pauperes* in ordine ad *regnum Dei*: quod tamen Scriptura passim negat. (5.) Non immeritò quis quærat: Quid ergo *Christus* fecit? quomodo consistit *gratuita* justificatio, ac *gratuita* peccatorum remissio cum *meritis* illis ex *congruo & condigno*?

2. *Schoppius* in Apolog. pro Bellarm. cap. 45. Bellarminum dictum illud non ad *indulgentias*, sed ad probandas *satisfactiones* allegare.

Resp. Quid tum verò? neque enim ex dicto hoc Bellarminum *satisfactiones* probare posse, ex ejusdem hypothesi sic ostendimus: Pœnæ *fatales* nihil pertinent ad doctrinam de *satisfactione*, teste ipso *Bellarmino* l. 2. de Indulgent. c. 1. harum enim liberationi ne quidem *Christi satisfactionem* esse adscribendam, asserit *Schoppius* in Apolog. cap. 40. *Pœna Nabuchodonosori inducta*, fuit *fatalis*, v. 14. Ergo *pœna ista Nabuchodonosori inducta* ad *satisfactiones* non pertinet.

pertinet. Quomodo igitur Bellarminus *satisfactiones suas* exinde probabit? *Hunn.* tom.1. Oper. Lat. pag.1498.seq. *Balduin.* in Exam. Apolog. Schopp. pag.354.seq. *Eckhard.* par.2. Pand. controv. Pontif. cap.25. quæst.2. p.323.seq. *Gerhard.* tom.3. LL.CC. loc.18. de Pænitent. §.130. pag.942.seq. *Zeaman.* in Carnif. Esawit. pag.64.& 66. *Cham.* tom.1. Panstr. l.14.c.12.§.8.p.256.& tom.3. l.23. c.9.§.1.-7. p.491. seq. *Ames.* tom.3. Bellarm. Enervat. l.5. c.4. thes. 11. p.214.& thes.27. p.220.seq.

VI. *Bellarminus* l.5. de Grat.& liber. arbitr. c.9. arg.1. orget, *bona opera hominis infidelis non esse peccata*; cum *avertere queant pœnam temporalem*, velut de *justitia & beneficentia*, Nabuchodonosori à Daniele suasâ, pateat: peccata autem iram Dei non mitigare, sed magis accendere.

Resp. (1.) N. C. oam quædam opera, quæ sunt *peccata*, iram Dei mitigare possunt, nimirum illa saltem, *quæ non ipso suo genere sunt peccata*, quomodo *cædes injusta, adulterium, blasphemia*; sed quæ, cum *sint alias conformia rectæ rationi*, tamen ab hominibus non fiunt sine peccato. Docet enim exemplum *Achabi*, 1. Reg. 21. v.27. etiam *externam infidelium obedientiam* aversione pœnarum temporalium divinitus remunerari. (2.) Bona opera hominis infidelis *in se* quidem & quoad *operum substantiam* non sunt peccata, atque ita quidem pœnam temporalem avertere queunt, velut de *Justitia & beneficentia*, Nabuchodonosori suasâ, patet: ratione autem *subjecti*, à quo proficiscuntur, & ratione *finis*, cujus gratiâ fiunt, sunt peccata, oon diffitente ipso *Bellarmino* lib.5. de Grat.& lib. arbitr. cap.11. resp. ad 8. arg. *Eckhard.* par.2. Pand. controv. Pontif. cap.20. quæst.3. object.2. pag.98. *Gerhard.* in Conf. Cathol. libr.2. spec. par.3. p.31. *Scharp.* tom.1. Curs. Theol. art. de liber. arbitr. cap.3. controv.2. obj.3. p.521.seq. *Cham.* tom.3. Panstr. l.4.c.9.§.2.seq. p.50.

VII. *Bellarminus* lib.3. de Justif. cap.6. arg.2. asserit, *neminem posse esse certum, an, cum agit pœnitentiam, consequatur remissionem peccatorum*: eò quòd *Daniel dubitet, num fortè Nabuchodonosoris peccatis Deus ignoturus sit*. Unde Jesuita porrò infert, *non debere hominem ita esse securum, ut non semper à Deo petat seriam pœnitentiam, & peccati remissionem*.

Resp. (1.) Est vitium *Vulgatæ* versionis, quia in textu *originali* dubitativa particula, FORSAN, non habetur, sed vocula הן, quam Arias vertit, ECCE, estque non *dubitantis*, sed *asseverantis* particula. (2.) Si vel maximè *dubitatio* esset in textu, non tamen de *remissione peccatorum*, sed de *aversione duntaxat pœnarum temporalium* (neque enim io *Hebræo* est, *Deus ignoscet delictis tuis*, sed, *erit prolongatio incolumitatis tuæ*) dubitaretur, quas Deum interdum avertere, interdum verò non avertere, certum est. Ab *hujus* autem dubitatione ad *illius* dubitationem, firmam aliquam collectionem institui posse, simpliciter negamus. Ratio enim diversitatis ex ipsarum etiam promissiooum *corporalium ac spiritualium* diversitate luculenter patet. (3.) Propheta hîc non agit cum *homine fideli*, sed cum *manifesto impio*. At Bellarminus ita disputat de *remissione peccatorum*, ut eam supponat, non *cuivis homini* contiogere, sed tantùm *fidelibus*. Uti ergo certum *impiis*, se non habere remissionem peccatorum: ita *fidelibus* non potest esse incerta peccatorum suorum remissio. (4.) Coocedimus, & hanc certitudinem talem esse, *quæ petat à Deo perpetuis precibus seriam pœnitentiam, & remissionem peccatorum*. Quandoquidem certum, noo tantùm non posse ad pœnitentiam *venire*, sed oeque in ea *perseverare*, nisi Deus dederit: & certum rursus, nos quotidie addere peccata peccatis. Tum autem, quia remissionis peccatorum finis est liberatio à miseria, cui sumus tota hac vita obooxii: semper oportet precari, remitti nobis peccata, donec illa plena liberatio advenerit, qua de *Petrus*, Actor. 3. v.19. seq. Si ergo *Bellarminus* saltem hoc vellet, *non debere hominem ita esse securum, ut non semper à Deo petat seriam pœnitentiam, & peccati remissionem*, pax esset. *Hutter.* in LL. Theol. pag. 462. seq. object. 7. *Balduin.* in Phosph. Cathol l.12. cap.6. pag.1122.seq. *Meisner.* dec.3. Anthr. disp.10. thes.10. pag.530. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de fid. justif cap.2. quæst. 10. obj. 6. p.431.& 433. *Walther.* in Harm. Scripr. Sacr. pag. 329. *Cham.* tom.3. Panstr. l.13. c.16. §. 8.9.10. p.218. *Glass.* l.3. Philol. Sacr. tract.5. can.25. m.3. p.495.seq.

VIII. Daniel sibi *contradicere* videtur: nam *Regi pollicetur hoc loco pœnæ dimissionem*, cum tamen à *Deo immutabiliter pœna illa fuerit decreta*, v.14.

Resp. *Consilium Dei* oon mutatur, etsi pœna remittitur: siquidem Deus non *absolutè* eam decernit, sed sub *conditione pœnitentiæ* non insecutæ, ut ex Jerem. 18. v.7. 8. 9. 10. patet. Unde ad preces *Ezechiæ, & Ninevitarum*, Dei sententia commutata est, Esa. 38. v.5.& Jon. 3. v.10. non *vanitate judicis*, sed *eorum conversione*, qui meruere indulgentiam, ait *Hieronymus*. Gesner. disp. in Dan. cap.4. thes.54.55.56.

Vers.29. *Septem tempora mutabuntur super te, &c.*

I. *Bellarminus* l.4. de Pænitent. c.11. demonstrare nititur *mulctam septem annorum pro peccato*, quoniam *Nabuchodonosori imponatur pœna septennis*.

Resp. Exemplum hoc non est ad rem: (1.) enim oon est pœna *arbitraria*, aut *vicaria*; sed *retenta*, oec *ullâ aliâ permutata*; itaque *satispassio* appellari posset, *satisfactio* minimè. (2.) Nabuchodonosor oon legitur *obtemperâsse consilio Danielis*, v.24. uode Jesoita necessariò cogitur agnoscere, *nullis satisfactionibus illum esse conatum avertere constitutam pœnam*. (3.) Pœna Nabuchodonosori imposita erat *fatalis*: pœnæ autem *fatales* nihil pertinere ad *satisfactiones*, fatetur *Bellarminus* ipse l.2. de Indulg. c.1. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. pag. 1499. *Cham.* tom. 3. Panstr. l.23. c.18.§.30. seq. p.513.

II. Objectionem quandam Bellarminianam hujus loci vide confutatam in Vindic. Dan.4. v.22.

Vers.30. *Nabuchodonosor ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cæli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus, quasi ungues avium.*

*Bodinus* in Scripto contr. Wier. *magos arte Diaboli convertere posse homines in bestias*, quia *Nabuchodonosor*, ob divinos affectatos honores, *in bovem aliquandiu fuerit transmutatus*.

Resp. (1.) Daniel non dicit, Nabuchodonosorem in *bestiam*, ceu *bovem*, fuisse transmutatum, *amissâ substantiâ humanâ*; aliàs oportuisset eum, in integrum postea ut restitueretur, è *bestia in hominem* mutatiooe *substantiali* transiisse, cum tamen ex v.31. constet, Nabuchodonosorem *solâ sensûs restitutione* restitutum esse: verùm disertè explicat Daniel, in quo *assimulatus fuerit Nabuchodonosor bestiis*, videlicet, quòd extra societatem hominum ejectus fuerit, cum bestiis concursitaverit, more boum fænum comederit, capillitii longitudine, pariter & unguium insolitis incrementis, ad aves quàm proximè accesserit. (2.) Si detur ex abundanti, talem Nabuchodonosori, qualem Bodinus somniat, *transmutationem* contigisse; oihil tameo ad rem faceret: quia

quia non *Diaboli*, sed *DEI solius* opus illud fuisset. *Balduin.* de Casib. conscient. libr. 3. cap. 5. cas. 8. pag. 745. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Mort. cap. 3. cas. 12. pag. 6073. *Thumm.* tract. de Sagar. impiet. pag. 46.

CAP. V. v. 2. *Quæ asportaverat Nabuchodonosor, pater Belsazaris, &c.*

Daniel videtur impingere in chronologiam, quæ docet, *Belsazarem fuisse filium Evilmerodachi*, Jerem. 52. v. 31. & *nepotem Nabuchodonosoris*, Jerem. 27. v. 7. quomodo ergo Daniel *Nabuchodonosorem* dicit *patrem* Belsazaris.

Resp. *Nabuchodonosor* appellatur *pater* Belsazaris, non quòd *eum genuerit*, sed quia *fuit ejusdem avus*. Osiand. tom. 2. Paraphr. Bibl. pag. 389. Jun. in schol. Bibl. ad Daniel. 5. pag. 832. lit. b. *Gesner.* disp. in Daniel. cap. 5. thes. 9.-17.

Vers. 12. *Quandoquidem spiritus amplior, & scientia & intelligentia, interpretatio somniorum, & indicatio ænigmatum, & solutio nodorum inventa est in eo, in Daniele, &c.*

Offert se (1.) *Metonymia causa* pro effectu: *Spiritus amplior inventus est*, h. e. *majora & præstantiora Spiritûs dona inventa sunt.* (2.) *Metaphora*: quia *nodi* significant *res perplexas & intricatas.* (3.) Hebraismus: *In eo, in Daniele*, i. e. *in ipso Daniele*; ubi relativum antecedenti energeticè præponitur. *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 833. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 5.

Vers. 19. *Pater tuus, quem volebat, occidebat; & quem volebat, vivificabat, &c.*

*Hebraismus* est: tum quia verbô, *volebat occidere*, respectus ad *occisionis causam* simul comprehenditur, ut ex cap. 2. v. 5. patet, tum quia *vivificare*, est, *in vita conservare.* Jun. in Bibl. h. l. p. 833. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 13. p. 262.

Vers. 21. *Cor Nabuchodonosoris cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque, ut bos comedebat, & rore cœli corpus ejus, &c.*

Rationes *Bodini*, pro *metamorphosi hominum in bestias*, vide confutatas in Vindic. *Dan.* 4. v. 13. & 30.

CAP. VI. v. 3. *Tunc Daniel ipse superabat Satrapas & Principes magnos, eò quòd spiritus amplior in eo esset, &c.*

*Metonymia* est *causæ* pro *effectu*: nam *spiritus amplior* pro *præstantioribus & majoribus Spiritûs donis* accipitur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. pag. 5.

Vers. 10. *Daniel fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & antè facere consueverat.*

I. Daniel fecisse videtur contra præceptum *Christi*, Matth. 6. v. 1 . *ostium in precibus claudi jubentis*: ille verò domi precaturus, non *occlusô ostiô* oravit, sed *apertis cœnaculi sui fenestris.*

Resp. Daniel non fecit contra præceptum Christi: orat enim *apertis fenestris*, non ad *ostentationem*, sicut *Pharisæi* & similes *hypocritæ*, de quibus Christus, Matth. 6. v. 10. sed quia intelligebat, *suam pete confessionem*, ideo illam *publicè* edere, minimeque dissimulare vel debuit, vel voluit, ut vel hac ratione *Gentiles* quidem ad veri cultûs societatem illiceret, *Judæos* autem captivos confirmaret, quò & ipsi Deum Israelis solenni professione colere non cessarent, nihil curantes indignationem Satanæ & mundi. *Hunn.* tom. 3. Oper. Latin. pag. 117. *Gesner.* disp. in Dan. 6. thes. 24.

II. *Bellarminus* lib. 3. de Cult. Sanctor. cap. 4. arg. 2. propos. 3. opinatur, *preces privatas, in templo fusas, efficaciores esse precibus, quæ alio in loco funduntur*: quia *Daniel*, Babylone oraturus, *obverterit faciem suam templo Hierosolymitano.*

Resp. Est elenchus *partium.* Nam (1.) templum Hierosolymitanum *expresso & particulari Dei mandato* fuit ædificatum; quod de *nostris* nemo asserere potest. (2.) Judæi in V. T. *obligati* erant, ut orantes in peregrinis terris, orarent, oculis ad templum conversis, 1. Reg. 8. v. 48. hoc autem, quia *ceremoniale* erat, nos in N. T. non obligat. *Gesner.* disp. in Dan. 6. thes. 35. & 36. *Thumm.* in Explic. Decalog. p. 79. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Leg. cap. 9. sect. 5. quæst. 9. obj. 2. pag. 110.

III. *Papistæ* quidam exinde *horas suas Canonicas* probare annituntur, quòd *Daniel tribus temporibus in die genua flexerit, & Deum oraverit.*

Resp. Ingens discrimen est inter *Danielis* supplicationes, & *Monachorum* inanem *βαττολογίαν*: (1.) enim Daniel *verū Deum* invocat, Monachi verò *Sanctos.* (2.) Daniel non *edit sine mente sonum*; Monachi autem & Moniales Psalmos *non intellectos* & preculas demurmurant. (3.) Daniel *instante confessionis edendæ casu* sæpius in die oravit: ast Monachos *ea necessitas* non urget. (4.) Daniel non *affingit suo opere meritum*, sed *sola Dei gratiâ nititur*, Dan. 9. v. 18. at Monachi & moniales *contrarium* faciunt. *Gesner.* disp. in Dan. 6. thes. 31.-34. *Franz.* par. 3. in Aug. Conf. disp. 5. thes. 76. & 80.

Vers. 21. *Tunc Daniel cum Rege loquutus est: Rex in æternum vivi.*

*Synecdoche* est *totius* pro *parte*: Rex *in æternum vive*, h. e. *precor tibi longævam vitam.* Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 16. m. 4. p. 459.

Vers. 22. *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo justitia inventa est in me.*

I. *Costerus* in Enchir. cap. 13. pag. 415. nugatur, *ossa Sanctorum religiosè esse colenda*, quoniam *leones Danielis corpori pepercerint.*

Resp. Exemplum hoc non est ad rem: siquidem (1.) leones pepercerunt Danieli *adhuc vivo*; at nos jam quærimus de reliquiis *defunctorum.* (2.) Fatemur ipsi, *in corpora Sanctorum non esse sæviendum*, uti nec leones in corpus Danielis sævierunt: ast exinde non potest inferri, *illa esse religiosè colenda.* Gerhard. tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 116. pag. 204.

II. *Papistæ* exinde colligunt, *virtutes, quæ sunt in renatis, mereri acceptationem coram Deo*, eò quòd *Daniel de sua justitia coram Deo glorietur.*

Resp. Daniel non loquitur de justitia *personæ*, quippe de qua nemo gloriari potest, se coram Deo esse *purè justum.* Psalm. 143. v. 2. Prov. 20. v. 9. idque etiam fatetur ipse *Daniel*, cap. 9. v. 18. verùm loquitur de Justitia *causæ*, ut paret ex textu originali, quem Arias sic reddidit: *Coram eo puritas inventa est mihi*; hoc est, Deus miraculo isto publicè testatum fecit, me nihil in eo peccâsse, quòd posthabitô Regis edictô, cum non adoraverim. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 20. de Bon. Operib. §. 132. obj. 7. pag. 365.

III. *Author ille Photinianus* Problem. Theol. part. 4. defendere nititur, *hominem renatum ita posse esse perfectum, ut actum peccati nullum committat*: Danielem enim *erga Deum inventū esse innocentem.*

Resp. Daniel dicitur *coram Deo innocens*, non *absolutè*, nam *ἀναμάρτητον* se non esse, fatetur ipse, cap. 9. v. 5. sed *determinatè*, in causa *læsæ majestatis regiæ.* Itaque de *omnimoda cordis puritate, & perfecta*

legis

*legis impletione*, hoc in loco Danielem ne cogitare quidem, scopus totius orationis evincit: interim autem *bonæ conscientiæ* testimonio, adversus obtrectatorum accusationes, famam suam coram Rege tuetur, subjiciens: *Coram te, Rex, delictum non feci*. Gesner. disp. in Dan. 6. thes. 78. *Thumm.* in Impiet. Photin. pag. 344. seq. m. 3.

IV. *Ofterrodius* Inst. Germ. cap. 2. pag. 18. putat, *Danielis fidem fuisse Danielis innocentiam & obedientiã, ut pote ob quã ex lacu leonũ fuerit liberatus.*

Resp. N. C. siquidem etiam *bona opera* in hac vita quandoque habent gratuitam compensationem & remunerationem: ideoque mirum non est, quòd de Daniele dicitur, *eum fuisse liberatum ex lacu leonum, quia justitia seu innocentia in ipso fuerit inventa*: nam *pietas* habet promissiones & hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8. *Grawer.* par 4. Prælect. Theol. in A. C. p. 67. seq.

Vers. 23. *Nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo.*

*Ofterrodius* ibid. instat, *fidem justificantem* non tantùm esse *fiduciam in Deum*, sed & *obedientiam, præceptis Dei præstitam*; cùm & talis fuerit *fides Danielis*, utpote qui liberatus fuerit ex lacu leonum, quia & *Deo suo credidit*, & *præceptis ejus obedivit*.

Resp. (1.) N. C. licet enim *uni* subjecto *varia* interdum tribuantur prædicata, non tamen sequitur, quòd *illa* inter se sint eadem: aliàs, quia uni eidemque homini justificando tribuuntur *charitas, spes & fides*; hinc sequeretur, *fidem* non solùm esse *fiduciam*, sed etiam *spem & charitatem*: quod tamen est falsum. Itaque *credidit & obedivit Daniel Deo*, at *identitas horum* inde non infertur, sed saltem *ea concurrere in uno subjecto*, nempe in Daniele. Et mirum est, ex qua Logicâ Ostrorodius illam rationem nectendarum consequentiarum didicerit, ut cum duo vel plura *diversa prædicata* de subjecto enunciantur, vel *diversa etiam officia* alicui injunguntur, illorum unum alterius *formam* appellandum & constituendum esse? (2.) Exemplum istud *Danielis* prorsus est alienum: siquidem *fides justificans* ibi non consideratur in *actu justificationis*, sed in *exercitio alicujus boni operis*, quatenus Daniel summa cum patientia injustam perferebat pœnam, & divinum auxilium implorabat atque expectabat. *Grawer.* par. 4. Prælect. in Aug. Conf. pag. 66. 67. seq. *Thumm.* in Impiet. Photin. pag. 398. *Jacob. ad Port.* contr. Osterrod. Instit. cap. 31. p. 393. & 404. ad 2.

Vers. 24. *Jubente Rege adducti sunt viri illi, qui accusaverunt Danielem, & in lacum leonum missi sunt ipsi, & filii, & uxores eorum.*

Darius videtur impegisse in legem divinam, Deut. 24. v. 16. ubi Deus cavet, *ne filii puniantur pro parentibus*; Darius verò non modò *ipsos Danielis accusatores*, sed illorum etiam *liberos & uxores* supplicio affecit.

Resp. Exemplum hoc est *singulare*, in quo Deus ostendit flagrantem suam iram adversus impios, quorum etiam *stirpem & familiam*, ob causas justissimas, ipsique soli cognitas, funditus deleri voluit. Cum enim cor Regis sit in manu Dei, Prov. 21. v. 1. *divino spiritus instinctu* Darius priorem suam mollitiem exuit, & *ferocem μεγαλοψυχίαν* induit. Neque dubium est, *pœnam hanc fuisse æquissimam*, quam non modò patres, sed etiam liberi & matres sua in Deum impietate & aliis peccatis commeruerunt. *Gesner.* disp. in Daniel. 6. thes. 87.-91.

CAP. VII. v. 8. *Cornu aliud parvulũ ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis evulsa sunt.*

I. *Bellarminus* lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 16. m. 1. negat, *Pontificem Romanum esse Antichristum*, utpote *qui ex humilimo loco sit prodeundus*, cum futurus esset *cornu illud parvulum*, quod inter decem cornua pullulabat; id quod in *Romanum Pontificem* non conveniat.

Resp. (1.) Daniel non loquitur de *Antichristo* illo magno, sed de *Mahomete*, infimæ sortis homine, sed qui brevi tempore in immensum crevit. Quæ ergo de *cornu parvulo*, ex decem cornibus enato, hic prædicuntur, per *Turcicam tyrannidem* jamdum sunt completa, ut *Johann. Antius Usterbiensis*, *Vatablus* & *Hector Pintus* rectè exponunt. (2.) Fatemur tamen, ex minimis initiis *Antichristum* erupturum in immanem potentiam, atque idipsum asserimus impletum in *Papa Romano*, sive *primam Papatus originem*, sive *Paparum quorundam natales* consideremus. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 2. thes. 32. seq. pag. 133. *Eckhard.* par. 1. Pandect. controv. Pontif. cap. 4. quæst. 4. obj. 6. pag. 232. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Pontif. Rom. cap. 5. sect. 4. p. 839. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 31. de Extr. Jud. §. 108. p. 249.

II. Aliud *Bellarmini* argumentum, contra *Papæ Antichristianismum*, vide solutum in Vindic. Dan. 7. v. 24.

Vers. 9. *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum, quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda, &c.*

I. *Bellarminus* lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 9. arg. 1. disputat, *Antichristum nondum venisse*, quippe *cujus adventus futurus sit paulo ante finem mundi*: at si *Antichristus* jamdudum venisset, mundum jamdudum fuisse finitum.

Resp. (1.) Locus hic non pertinet ad *Antichristum*, ac proinde probatio illa claudicat; verum agit de *regno Turcico*. (2.) Etsi non negamus, *Antichristum usq; ad diem extremum duraturum* (conficietur enim claritate adventûs Jesu, 2. Thess. 2. v. 8.) tamen locus ille non probat, *Antichristi adventum fore paulo ante finem mundi*. Balduin. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 2. thes. 3. 4. 5. p. 70. seq. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Pontif. cap 4. quæst. 2. obj. . p. 215.

II. *Vorstius* tract. de Deo & attrib. divin. p. 227. inficiatur, *Deum esse æternum*, quòd appelletur *antiquus dierum*.

Resp. *Deus* nominatur *antiquus dierum*, non propriè, quasi senectute esset confectus, ut senes inter homines; siquidem Deus semper est idem, nunquam junior, nunquam vetustior, Psal. 102. v. 28. verùm *metaphoricè*, nimirum Scriptura accommodat se ad nostrum captum, *æternitatem* Dei *antiquitate dierum* adumbrans. *Gesner.* disp. in Dan. 7. thes. 179. Grawer. Cent. 1. qq. illustr. Theol. disp. 2. quæst. 2. thes. 8. & 10. *Gerhard.* in Exeg. loc. 2. de Nat. Dei & attrib. divin. §. 143. p. 765. seq.

III. *Licet pingere etiam imaginem DEI in forma senis hominis*: nam Daniel vidit *eum, in forma senis sedentem in throno*; *& describit capus & capillos ejus canos, & vestimenta ejus alba.*

*Calvinus* lib. 5. Instit. cap. 11. respondet, quòd Deus interdum se ostenderit in *humana forma*, fuisse *præludium incarnationis*.

Resp. (1.) Sed quorsum hoc? Non enim quærimus, *ad quem finem* Deus apparuerit in forma corporea; sed contendimus, *posse Deum pingi in ea forma, in qua seipsum demonstravit*. (2.) Non est verum, *apparitionem DEI in forma humana semper fuisse*

*fuisse praeludium incarnationis*: hic enim *DEI Patris* persona visa est in forma humana, (*visus namque est antiquus dierum in throno, qui filio hominis*, id est, *Christo, regnum tradebat*, v. 14.) nec tamen *Deus Pater* erat incarnandus. *Bellarmin.* lib. 2. de Imagin. Sanct. cap. 8. arg. 2. pag. 2101.

Vers. 10. *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie Dei, millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei, judicium sedit, & libri aperti sunt.*

I. Daniel utitur (1.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: nam *millia millium* pro *maximo innumero numero* ponit, q. d. *infiniti Angeli*. (2.) *Enallage* abstracti, *judicium*, pro concreto, *judex*. (3.) *Ἀνθρωποπαθείᾳ*: Deo enim *humanitus* tribuit *libros judicii aperiendos*, quibus *actorum humanorum in judicium DEI productionem eorumque secundùm Scripturas dijudicationem*, intelligit. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 544. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 835. seq. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. pag. 157. & cap. 15. m. 4. pag. 450.

II. *Panigarolla* lect. 12. exinde probare vult *Purgatorium*, indicatum quippe per *fluvium igneum*, à facie Dei progredientem, id est, *ex Dei Misericordia atque Justitia fluvium igneum ortum*, per quem *animae* transeant, *Augustino* teste, libr. 16. homil. 50.

Resp. (1.) Daniel nihil cogitavit tale de *Purgatorio*, fatente *Suarezio*, qui; quòd alius sit *sensus literalis*, locum hunc, ceu *minùs commodè ad Purgatorium facientem*, missum facit. *Maldonatus* verò in Comment. h. l. ne micam quidem de *Purgatorio* affert. Nam hoc, quicquid est *fluminis, ignisque*, pertinet ad *magnificam descriptionem ultimi judicii*, ut non tantùm ex *contextu* patet, sed & asserunt *Lyranus* ac *Pererius* in Comm. h. l.. Itaque hunc *igneum fluvium* longè aliter Interpretes conceperunt. *Lyranus* ait, designari cō *poenam infernalem*, trahentem peccatores in infernum. *Pererius, Tirinus & Cornelius à Lapide* in h. l. exponunt de *sententia illius ultimi & generalis judicii*, ipsius judicis ore prolatâ, quam impii aequè difficulter, ac *fluvii alicujus ignei* cursum, inhibere & remorari possunt. (2.) Incertum est, homiliam illam, quam *Panigarolla* adducit, esse *Augustini*: & tamen de *Purgatorio Papistico* non videtur agere, sed de illo, quod futurum in *judicio novissimo*. Gerhard. in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 2. pag. 482. seq. arg. 17. *Thumm.* de Purgat. Papist. pag. 116. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 26. cap. 5. §. 32. 33 seq. pag. 568.

III. *Scriptura Sacra suo quoque loco & ordine sustinet judicii partes*: nam ex *scripturae libris etiam in supremo judicio totius orbis judicabuntur omnium religionum homines*, non solùm de *peracta vita*, sed etiam de *sua quisque religione ac fide*.

*Gretserus* in Not. ad thes. Hunn. de ineund. cum Pontif. colloq. excipit, per *libros illos* non intelligi S. *literarum volumina*; quippe quibus Judex ille non opus habeat, ne fortè inter judicandum memoriâ labatur; sed *conscientias* sive *memorias singulorum*, Hieronymô & Theodoretô interpretibus in *Dan.* 7.

Resp. (1.) Cavillatur *Gretserus*, quasi per *libros istos* judicii ultimi intelligamus codices, *ex charta & aliis materiis elementaribus constantes & compactos*, qualibus hoc in aevo utimur: verùm per *libros illos* intelligimus *Scripturam sacram*, hoc est, *sententiam Legis*, hominibus etiam natura notam; & *Evangelii*, in scripturis revelatam, quam ex iis in novissimo judicio Deus feret. (2.) Insolitatum est stylo Spiritus Sancti, *memorias* seu *conscientias* per se nominare *libros*; contrà verò in scriptura novum non est, nomine *librorum* venire *sententiam divinae voluntatis*, in scripto Dei verbo expressam. *Kibel.* in Anti-Gretser. p. 396. 397. seq.

IV. Nonnulli suspicantur, *actum novissimi judicii fore sensualem, & ad aliquot dies protrahendum*; cum quidem *ille ipse* sic describatur, quòd *judicium sederit, & libri aperti sint*.

Resp. Phrasis illa non *propriè* accipienda est, sed *metaphoricè*: illâ enim *ἀνθρωποπαθείᾳ* captui nostro Spiritus Sanctus inservire voluit. In extremo vero judicio tabulae legis & Evangelii sic aperientur mirabili Dei operatione, ut singuli *mox* in momento ictuque oculi sententiam divinae voluntatis de cujusque vel salute vel damnatione perspecturi, & arcana facta cogniturі sint, Marc. 4 v. 22. Luc. 8. v. 17. *Gesner.* disp. in Dan. 7. thes. 199. *Meyfart.* par. 1. Meletem. Theol. de Extrem. Judic. pag. 569.

V. *Hieronymus* in cap. 7. Daniel. scribit, *omnium omninò hominum peccata in extremo die publicanda esse*, idque arguere *apertionem librorum*, in die judicii secuturam, quae *omnium occultorum manifestationem*, divina virtute faciendam, innuat.

Resp. Aperientur *libri*, sed *dispari sensu ac fine*: nam *credentes* in Christum judicabuntur ex libro *Evangelii*, Johan. 5. v. 24. ideoque peccata ipsorum non memorabit Deus, Jerem. 31. v. 34. Contra verò *increduli* judicabuntur ex libro *Legis*, mala eorum opera damnantis, & in lucem protrahentis, Matth. 25. v. 41. eqq. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 31. de Extrem. Judic. §. 63. pag. 147. & §. 65. pag. 152. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Extr. Jud. cap. 3. cas. 3. obj 2. pag. 7029.

Vers. 13. *Angeli in nubibus caeli filium hominis obtulerunt in conspectum Antiqui dierum.*

I. *Monarchus quidam Augustinus* sacrificium *Missae* exinde probare voluit, quia quando Christus *in Missa a Sacerdote sacrificatur*, tunc simul etiam *in nubibus caeli ab ipsis Angelis sacrificetur*, & ideo *Canon* dicat: *Jube haec perferri per manum sancti Angeli, in conspectum majestatis tuae.*

Resp. Haec manifesta est sententiae Danielis depravatio, adeò ut ne ipsis quidem *Pontificiis* argumentum hoc probatur, Daniel enim ibi non loquitur de Christi *sacrificatione*, sed de *majestatis divinae collatione*, Christo homini facta, v. 14. Verbum quidem הקרב, quo Daniel utitur, aliquando de *sacrificiis* usurpatur; sed plerumque significat, *appropinquare fecit*. Unde *Arias* vertit: *Appropinquare fecerunt*; *sacrificandi* verò significatio prorsus non convenit isti loco Danielis. *Chemnit.* in Exam. Concil. Trident. par. 2. tract. de Miss. object. 3. pag. 337.

II. Rationem *Vorstii*, contra *DEI aeternitatem* vide confutatam in Vindic. *Daniel.* 7. v. 9. m. 2.

Vers. 14. *Et dedit ei potestatem, & gloriam, & regnum; & omnes populi, tribus & linguae ipsi servient: potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.*

I. *Judaei* garriunt, *Messiam nequaquam fore pauperem*, siquidem *in nubibus caeli venturus sit summa potestate & gloria.*

Resp. Duplex *Messiae* adventus describitur à Prophetis: unus cum *humilitate*, ad redimendum, alter cum *majestate*, ad judicandum. De *primo* loquitur *Zacharias*, cap. 9. v. 9. de *altero* loqui *Danielem*, asserit

asserit R. *Jehoshuas*, filius Levi, cujus verba ex libro *Sanhedrim.* allegat *Galatinus* lib. 4. de Arcan. Cathol. verit. cap. 1. *Baldusn.* in Comment. Zachar. pag. 580. seq.

II. *Humana Christi natura communicata est omnis præsentia.* Pater enim ei dedit *æternum dominatum in omnes populos, tribus & linguas*; qui certè non est *absentis*, sed *substantialiter præsentis*, *& ubique dominantis.*

*Sadeel* in libr. de verit. human. Christ. natur. p. 62. seq. regerit 1 agi hîc de *ipsa Christi persona*: sed quid hoc ad *humanam ejus naturam?*

Resp. Neque nos negamus, agi ibi de *Christi persona*: sed quæritur, *juxta quam naturam* sit intelligendum, quod de *Christo* enunciatur? Nimirum Propheta loquitur de Christo, juxta *naturam ejus humanam*, quia facit mentionem *filii hominis*, v. 13. Nam juxta *divinam naturam* Christus æternam habuit potestatem cum Patre immutabiliter commuoem. Hinc *Cyrillus* lib. 10. Thesaur. cap. 2. ait: *Christus, ut homo. à Patre accepit, qua naturaliter habet, ut Deus.*

2. *Dominatum illum appellari æternum*, non propriè, quemadmodum *Deus æternus* est; sed quia sit *regnum sempiternum*: alioquin inde sequi, *humanam Christi naturam æternam esse.*

Resp. (1.) Transigat ergo *Sadeel* cum *Daniele*, quòd sit καταχρηστικῶς locutus, *æternum* dicens pro *sempiterno.* (2.) Sermo est hîc de illa *gloria*, humanæ Christi naturæ datâ, *quam Christus habuit ab æterno apud Patrem*, Johan. 17. v. 5. *illa ipsa* autem est *æterna.* (3.) Nihil metuit Spiritus Sanctus, *carnem Christi fore æternam*, quando *ei gloriam adscribit æternam*, nempe in *temporis plenitudine*, per & propter *unionem personalem* eidem communicatam. *Winckelm.* tom. 7. Giess. disp. 17. thes. 55. & 56. pag. 434. 435. seq. *Mentzer.* in Elench. error. Sadeel. pag. 133. seq. *Fewerborn* Fasc. 1. Disert. Theol. disp. 3. thes. 125. 126. 127. pag. 217. 218. seq.

III. *Thummius* in Ταπεινωσιγρ. pag. 678. arguit, *Christum hominem in statu exinanitionis omnipotentiam a Patre sibi datam, actualiter usurpâsse*: quoniam *ei tribuatur potestas æterna, super omnem populum, tribum & linguam*: hoc verò sine *actuali omnipotentiæ usurpatione* Christo homini attribui non posse.

Resp. *Dissentiens* committit ignorationem elenchi: non enim *indifferenter* disceptatur de *actuali omnipotentiæ usurpatione*, quæ utrimque Christo, quà *homo* est, in statu humiliationis attribuitur; sed de *universali & incessante ejus in cælo & in terra gubernandâ* χρήσει, quæ ipsi, quà *homo* est, in *toto humiliationis statu* tribui nequit, quia tùm nondum sibi Christus homo usurpavit plenarium dominium super *omnem populum, tribum & linguam.* *Fewerborn.* in Κενωσιγρ. sect. 5. cap. 12. quæst. 2. p. 121.

Vers. 23. *Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, & devorabit, &c.*

Per *bestiam illam quartam* intelligenda est *Monarchia Romanorum*: hæc enim est *quartum regnum*, post Monarchiam *Græcorum* exortum, & majus fuit ac fortius omnibus regnis.

Respondent quidam *Reformati*, ut Junius Polanus, Piscator, & alii, per *quartam bestiam* intelligi, non *Monarchiam Romanorum*, sed *successores Alexandri Magni*, quorum regna in *quatuor regna* fuerunt divisa.

Resp. Hoc ipsum non potest esse verum. Nam successores Alexandri Magni præfigurantur per *bestiam tertiam*, ideoque pertinent ad *Monarchiam tertiam*, non *quartam.* Ipsimet enim Adversarii confitentur, quòd per *quatuor capita bestiæ tertiæ* quatuor regna *successorum Alexandri M.* denotentur, idque rectè. Nam ipsemet Angelus, *Dan.* 8. v. 21. dicit. quòd per *cornu grande* primus Rex Græcorum deootetur, qui fuit *Alexander Magnus*, & quòd pro *cornu illo fracto* surrexerint *quatuor*, per quæ *quatuor cornua* quatuor *regna successorum Alexandri* designantur. Cum igitur per quatuor *cornua* quatuor *regna successorum Alexandri* M. designentur, per *illa* non potest designari *quarta Monarchia*, quæ per *bestiam quartam* præfiguratur. Ergo *quarta bestia* præfigurabit *peculiarem Monarchiam*, quæ non potest esse alia, quàm *Romanorum.* Ditmars. in Syst. Polit. p. 232. & seq. *Glass.* lib. 2. Philol. Sacr. tract. 2. par. 1. sect. 4. art. 4. m. 3. p. 456. seq.

Vers. 24. *Cornua decem ipsius regni decem Reges erant, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.*

I. *Becanus* tom. 2. Opusc. Theol. cap. 1. p. 170. suspicatur, *Imperium Romanum, ante Antichristi adventum & revelationem, totaliter esse abolendum, ita ut ne nomen quidem & imago ipsius supersit*; quia *decem Reges illud ipsum sint destructuri, idque inter se divisuri.*

Resp. (1.) Consequentia est falsa: Exorientibus enim istis decem regibus, potentia Romani Imperii *frangetur* quidem & *imminuetur*, sed non *penitus & totaliter mox destruetur atque evertetur*, verùm duntaxat *in fine mundi*; multò minùs ita exorientur ex Imperio Romano, ut nullus illorum vel *Rex* vel *Imperator Romanorum* dicatur. Nam contrà testatur Daniel, *bestia illa admiranda* & ἀνωνύμῳ, quâ *Romanum Imperium* persigurabatur, fuisse decem ista *cornua*, quæ non magis destruent Romanum Imperium, quàm *cornua* animal, quod natura formavit cornutum. (2.) Si maximè Daniel diceretur, *Imperium Romanum à decem illis Regibus abolendum esse*, nihil tamen ad rem faceret: quia non dicit, ejusmodi totalem destructionem fore *ante adventum & revelationem Antichristi.* (3.) Si tùm Antichristus venire debet, *quando illa cornua dividentur in peculiaria regna*; quidni jam venerit oportet, posteaquam illam divisionem factam esse cernimus: siquidem *Romanum Imperium*, quale nunc est, non constat ampliùs *decem cornibus*, ut in ea demum dissolvi queat, quoniam ad *illud* hodie ferme sola *Germania* pertinet. Quarè sicut ex decem potentissimis *regnis* Imperium Romanum fuit congregatum: sic successu temporis in *eadem* rursus fuit dissolutum, ita tamen, ut unus ex *Regibus* illis *nomen & aliquam dignitatem Imperatoris Romani* retinuerit. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. pag. 536. *Grawer.* io Anti-Coster. disp. 9. thes. 23.-31. pag. 723. 729. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Pontif. Rom. cap. 5. sect. 4. pag. 831.

II. *Bellarminus* lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 2. arg. 4. statuit, *Antichristum fore unam tantùm & singularem personam*, eò quòd non vocatur *unum regnum*, sed *unus Rex*, aliusque post decem illos Reges.

R. (1.) In hoc Bellarmini argumento nulla est consequentia: Angelus enim, v. 17. quatuor illas *bestias magnas* vocat quatuor *Reges*, è terra resurrecturos; qui tamen non sunt *quatuor singulares personæ*, sed *totidem regna.* Isthoc namq; c. 7. semper per *singulas bestias* semper *singula regna* intelligi, nec *Maldonatus* In comm. Dan. 7. negat, nec *Bellarminus* negare potest. Ostendat igitur *Bellarminus*, cur in eodem loco

Propheta

Propheta magis designaret *singularem personam* in *uno Rege*, quam in *bestiis illis quatuor*, quæ aliorum *regnorum* erant figuræ. Quid? si *Bellarmini* argumentum valet, sequitur, *decem solummodo esse personas*, utpote per *decem Reges* indicatas, quæ ultimam Monarchiam constituant; id quod ab experientia hactenus est refutatum: relinquitur igitur, per *decem Reges* intelligi *decem regna*, quæ olim Romanum Imperium suo amplexu continebat. (2.) Per *alium illum regem* notatur. non *Antichristus*, sed *Mahometh* cum Regno Turcico, cujus fundamenta ille jecit. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Papist. cap. 4. quæst. 1. object. 3. pag. 207. *Thumm.* de Pap. Antichrist. p. 31. seq. *Ames.* tom. 1. Bellarm. Enerv. lib. 3. cap. 4. thes. 5. pag. 174. *Gesner.* disp. 2. in Ezech. 38. & 39. cap. 2. thes. 34. 35. 37.

III. *Bellarminus* lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 16. m. 2. probare vult, *Pontificem Romanum non esse Antichristum*, quoniam *tres reges non humiliaverit*, quemadmodum *Antichristus tres Reges sit humiliaturus*.

Resp. Hoc enim Danielis vaticinium non demum implendum est in *Antichristo*, sed dudum impletum est in *Mahomete Turcico*, cujus successores non quieverunt, donec tria illa cornua insignia, videlicet *Ægyptum*, *Asiam*, & *Græciam* in totum detruncârunt, sibique subjecerunt. *Eckhard.* par. 1. Pandect. controv. Pontif. cap. 4. quæst. 4. obj. 6. pag. 232. seq. *Dithmars.* in Syst. Politic. pag. 241. seq.

Vers. 25. *Et sermones contra Excelsum loquetur & sanctos Altissimi conteret, & putabit, quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.*

I. *Sanderus* de Visibil. Monarch. lib. 8. demonstr. 37. inficias it, *Papam Romanum esse Antichristum*, quia *Antichristus sit mutaturus tempora & leges*, quod *Papa* non fecerit: *tempora* enim esse, *festa Christianorum*, *leges* autem *eorundem ceremonias*; at Papam neque *festos dies* mutasse, neque *ceremonias*.

Resp. (1.) Vaticinium Danielis *propriè* pertinet, non ad *Antichristum*, sed ad *Mahometem*, ejusque in regno Turcico successores, utpote qui putavit, se mutare posse *tempora & leges*, quod factum est, quando dies festos & Judæorum & Christianorum abolevit, & peculiari quodam instituto diem *Veneris* feriari voluit, inprimis autem, quando annos *Solares*, Ecclesiæ & Scripturæ usitatos, mutavit in *Lunares*, quos *Hegiras* vocant quorum unus est dierum 354. horarum 8. & 48. minutorum: *leges* etiam Domini mutavit, quando alias hisce omnino contrarias in *Alcorano* suo commentus est. (2.) Hæc prophetia, si allegorice *Antichristum* significavit, verè impleta est in *Papa Romano*. Hic enim *leges Dei mutavit*, quando *communionem utriusque speciei in S. Cœna*, & a Domino sancitam, & à Paulo commendatam & ab Ecclesia frequentatam, sustulit: & *usum linguæ cognitæ*, ab Apostolis usurpatum, à Paulo etiam commendatum, ab Ecclesia usurpatum antiquavit: & *Sacerdotum conjugium*, in Scripturis fundatum, nonne est abominatus? Addidit autem *infinitas ceremoniarum*, *observationumque myriadas*, in quibus longè scrupulosiores sunt *Papistæ*, quàm in iis, quæ habent a *Christo*. *Tempora* etiam an is negari potest mutare, quo jubente tot festa instituta, quæ dies ex *communibus* faciunt *religiosos*? Non mutat autem leges is, cui autoritas de jure dispensandi? Annon quoque *tempora* mutat, qui *novum Calendarium*, priori emendatiori, orbi Christiano sub pœna excommunicationis obtrudere satagit?

*Becanus* tom. 2. Opusc. Theol. pag 157. excipiat, verbis illis, *sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret*, proprietates *Antichristi* notari, ideoque ipsum notari *Antichristum*.

Resp. Proprietates quidem sunt An[tichristi], sed non in *quarto Proprii modo*, cum & *Mahometi Turcico* competant. Siquidem in *Alcorano* is negat sacrosanctum gloriosissimæ *Trinitatis* articulum, eumque blasphemiæ reum agit: bellum quoque gerit adversus *orbem Christianum*, & victoriam obtinet, historiis testibus. Itaque negatur consequentia: Non enim, quicunque sermones contra Excelsum loquitur, & Sanctos Altissimi conterit, est *Antichristus in Ecclesia Dei propriè sic dictus*. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 1. thes. 8. pag. 74. *Hunn.* tom. 1. Oper. Latin. pag. 1428. seq. *Grawer.* in Anticost. disp. 9. thes. 104. 105. & to . p. 751. seq. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 17. cap. 14. §. 1. & 4. pag. 377.

II. Rationem *Bellarmini* lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 8. contra *Papa Antichristianismum*, de regno *trium annorum cum dimidio*, vide confutatam in Vindic. *Dan.* 12. v. 7.

Vers. 27. *Regnum, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo Sanctorum Altissimi, cujus regnum, regnum æternum est, omnes potestates servient ei atque obedient.*

I. *Reformati* quidam censent, v. 14. non notari *potestatem infinitam*, carni Christi datam; cùm *ista potestas*, de qua v. 14. Daniel agit, dicatur data *populo sancto Altissimi*.

Resp. *Christus* duplicia dona habet: quædam *pro se solo*, in quorum numero est etiam *regnum in dextra Dei Patris omnipotentis*, quod adeò *sanctis hominibus* non datur, ut etiam ipsis *Angelis* detrahatur, Hebr. 1. v. 13. Quædam verò accepit *pro hominibus*, Psal. 68. v. 19. *Ephes.* 4. v. 8. quæ iisdem etiam communicat, & de *his* loquitur Daniel. *Feuerborn.* Fasc. 1. Dissert. Theol. disp. 3. thes. 128. pag. 219.

II. *Weigelius* par. 3. Postill. pag. 37. opinatur, *regnum illud Sanctorum*, Daniel. 2. v. 44. promissum, *fore terrenum regnum*, quia *futurum sit subter cœlum*, adeoque *in terris*.

Resp. *Regnum Christi* dicitur esse *subter cœlum*, seu *in his terris*, quatenus illud *per gratiam in his terris inchoatur*, quamvis non modò *mundano & corporali*, sed *Spirituali* Christus super suos regnet, & pii etiam unà cum ipso regnent in his terris, in *Ecclesia militante*, quæ sub omni cœlo in toto orbe est dispersa. Jam verò nimis larga hæc foret consequentiæ πλεονεξία: *Regnum Christi, quoad inchoationem, est sub cœlo, ergo statim est regnum mundanum & corporale.* Nulla hic ratio connexi est. *Thumm.* in Impiet. Wigel. p. 357.

CAP. VIII. v. 6. *Et venit ad arietem, dominum cornuum, &c.*

*Hebraismus* est. בַּעַל הַקְּרָנַיִם *dominum duorum cornuum*, hoc est *possessorem duorum cornuum*, seu *cornutum*, q. d. *cornupotentem*, vel *bicornem*, Jun. in Not. ad h. l. p. 837. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 35. m. 1. pag. 127.

Vers. 10. *Et crevit usque ad exercitum cœlorum, & dejecit in terram de exercitu, & de stellis, & conculcavit eas.*

*Meta-*

*Metaphora* est: nam per *exercitum cælorum* populus Dei sive *Ecclesia*, in Judæa olim circumscripta; per *stellas* verò *viri principes & illustres* inter cæteros, qui administratione sua in Ecclesia & Republica aliis præluxerunt, denotantur. Unde v. 24. id ita explicatur: *Vastabit robustos, & populum sanctorum*, q. d. *summos cum infimis* perdet; cujus vaticinii eventus comprobatur 1. *Maccab*. 1. v. 25. seqq. *Jun*. in Not. ad h. l. p. 837. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 226.

Vers. 11. *Ab eo tulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus.*

I. *Bellarminus* l. 1. de Miss. cap. 9. arg. 5. disputat, *Missam esse sacrificium propriè sic dictum: Antichristum enim ablaturum esse juge illud sacrificium*, quod non possit aliter intelligi, quàm de *sacrificio Missæ*, Hippolyto Martyre teste in libr. de Antichrist.

Resp. (1.) *Bellarminus* ibidem fatetur, in sensu *literali* agi de *Antiocho* Epiphane, Leviticum cultum tollente Hierosolymis, 1. *Maccab*. 1. v. 47. ac *typicè* de *Antichristo*. Jam verò ex solo sensu *literali* ducuntur firma argumenta, ait idem *Bellarminus* l. 3. de V. D. cap. 3. Itaque si *typicè* & per *allegoriam* sermo est de *Antichristo*, ergo non ad *literam*, sed ἀναλόγως. (2.) In textu *Hebraico* habetur vocula, תמיד, quæ *continuum*, *juge*, *perenne*, per se tantùm significat; unde Græcus textus habet ἐνδελεχισμὸν, *continuitatem*. Ergo non necessariò vocabulum, תמיד explicandum per *juge sacrificium*, nisi textûs circumstantiæ id evidenter urgeant; id quod hoc in loco probare non poterit Bellarminus, uti nec ausus est. Nos *literaliter* per תמיד intelligimus *totum cultum Leviticum divinitus institutum*, quem Antiochus sustulit, superinductis per vim ac tyrannidem *Gentilium* superstitionibus, imò collocatô in templum Hierosolymitanum *Jovis Olympii* idolô, 1. *Maccab*. 1. v. 57. & seq. (3.) *Abolitio Missæ* pugnat cum hypothesi Pontificia de *perpetuo visibilis Ecclesiæ splendore*; sic enim concludimus: Quod nullo unquam tempore cessare potest, ita ut non sit publicum, solenne, visibile, cognitum etiam iis, qui sunt extra Ecclesiam, illud non est *sacrificium*, cujus abolitionem Daniel prædicit; quia Danielis *sacrificium* hoc ita cessabit. At *Missa*, stante mundi compage, nunquam ita cessare potest, aliàs *Ecclesia visibilis* esse desineret, quod *Pontificiis* videtur absurdum. Ergo *Missa* non est illud *sacrificium*, cujus abolitionem Daniel prædicit. (4.) *Bellarminus* l. 3. Eccles. cap. 16. resp. ad 5. ait, *Hippolytum & alios, prophetiam Danielis*, cap. 9. v. 27. *de tempore Antichristi intelligentes, sine dubio deceptos esse, cùm Daniel apertissimè loquatur de eversione Jerusalem & cessatione sacrificii Judæorum*. At hoc non satis convenit cum eo, quod habet l. 1. de Miss. cap. 9. *Hutter*. de Miss. contr. Bellarm. p. 192.-198. *Mentzer*. disp. Antipist. 14. thes. 61. pag. 681. *Gerhard*. in Conf. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. pag. 1186. seq. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 7. p. 452.

II. *Parmanus* in Hodeg. calumniatur, *Lutheranum & Evangelicos esse præcursores Antichristi, ut qui juge sacrificium sint sublaturi, & locum sanctificationis ejus destructuri*, hoc est, *non passuri, ut publicè retineatur juge sacrificium, & loca, in quibus istud administratum est, sit destructurus*: hoc autem ipsos facere, dum *Missam idololatriam abominandam* nominant, *templa, altaria, calices destruunt*.

Resp. (1.) Nullo apice monstrare potest Jesuita, *juge illud sacrificium* esse *Missam Papisticam*: neque enim cum *juge illo sacrificio Levitico* congruit, neque antitypus ejus est; hoc namque *solis sacrificio Christi, in ara crucis peracto*, competit, quem *Aaron* repræsentabat. (2.) Certum est, Danielem *propriè* loqui de *Antiocho*, per *allegoriam* verò transferri ad *Antichristum*: ex *allegoriis* autem non sunt facienda dogmata, nisi earum fundamentum in *Scripturis* habeatur. (3.) Hâc ratione Lutherus & Evangelici forent *ipse Antichristus*, non *ejus præcursores*: nam *ipsum Antichristum* Papistæ somniant *esse abrogaturum Missam Pontificiam*; itaque hinc sequeretur, jamdum *ante annos centum Antichristum venisse*. (4.) Lutherus *juge sacrificium* N. T. in *cruce peractum*, cujus vim Papa sustulerat, restituit; & contrà *Missam*, quam Antichristus, tanquam suum Deum venerabatur, adscribendo ei vim salutis nostræ, abrogavit. (5.) Apertum est mendacium, *Evangelicos templa, altaria, calices destruere*: hisce omnibus enim adhuc ipsos uti, in propatulo est. *Chemnit*. in Exam. Concil. Trident. par. 2. p. 337. seq. *Baldum*. in Phosph. Cathol. l. 10. cap. 9. p. 967. seq. *Eckhard*. par. 2. Pand. controv. Pontif. cap. 31. quæst. 10. obj. 5. pag. 633. *Reinecc*. tom. 4. Panopl. cap. 10. pag. 122. b.

III. *Pistorius* in Hodeg. pag. 679. autumat, *Papam non esse Antichristum*, *quia non everterit templa, Monasteria, &c.* quæ *loca sancta Antichristus sit eversurus*.

Resp. Illam Danielis prophetiam pertinere ad *Antiochum*, in *sensu proprio*, antea demonstratum est, non verò ad *Antichristum*, nisi fortè per *allegoriam*, à qua nullum esse potest argumentum solidum. Illum ipsum enim *templum Hierosolymitanum*, locum sanctuarii, profanâsse, ex 2. *Maccab*. 6. v. 2. & 4. constat. Deinde Daniel non dicit, *Antichristum esse Monasteria & templa eversurum*, sed *Antichristum esse verum cultum è loco sanctitatis eliminaturum*. Denique etsi Papa non ipsa *templorum ædificia* diruit, tamen *verum Dei cultum è templis* relegat, sui ἐθελοθρησκείας in ejus locum substitutis. *Gesner*. disp. in Dan. 8 thes. 73. *Mentzer*. disp. 14. Antipistor. thes. 61. pag. 681.

Vers. 14. *Usque ad vesperam & manè, dies bis mille trecenti, & justificabitur sanctuarium.*

I. *Osiander* tom. 2. Paraphr. Bibl. pag. 400. *Hebræum textum* hic in suspicionem *mendi* vocat, quasi *puncta neglegenda* sint, & pro אלפים legendum, אלפים, quod *mille*, & non *duo millia* significet.

Resp. (1.) Omnes in universum Codices *Hebræi* constanter legunt אלפים, *bis mille*. (2.) אלפים *millia* significat, quæ *bis mille* excedunt, v. g. *tria*, *quatuor millia*, &c. Nudum verò numerum *millenarium*, ein tausend / exprimit vox singularis אלף, Gen. 20. v. 16. (3.) Cumque certis conjecturis punctorum corruptio ostendi nequeat, lectionem *receptam* meritò hic retinemus, & à depravatione pronunciamus liberam. *Glass*. lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. obj. 73.

II. Vaticinio huic non videtur *eventus* respondisse: nam historiæ testantur, tantùm *tres solidos annos* intercessisse inter profanationem templi & repurgationem, uti constat ex collatione 1. *Maccab*. 1. v. 30. & 62. cap. 4. v. 52. 53. 54. & *Josepho* l. 12. Antiq. Judaic. cap. 7. & 11. hæc autem solùm *dimidia pars* est *numeri*, ab Angelo hic positi, quippe qui numerat 2300. dies à manè & vespera, qui conficiunt annos 6. & dies 110.

Resp. (1.) *Junius* in Not. ad h. l. pag. 837. censet, *annos profanationis ordiendos esse ab anno Seleucidarum* 141. quo primùm Antiochus cum exercitu in Judæam venit, & templum spoliavit, 1. *Maccab*. 1. v. 21. Inde ad *repurgationem templi* sunt *anni quinque*,

que, 1. Maccab. 4. v. 52. quibus si addas *tempus ad mortem Antiochi*, jam complebuntur paulò minùs sex anni. (2.) Sed meliùs Judicat *Bertramus*, nimirum illa Danielis verba, *à vespere & manè*, intelligenda esse, non *conjunctim*, pro νυχθημέρῳ; sed *divisim*, de *bino sacrificio quotidiano duorum agnorum*, de cujus cessatione vaticinabatur. Itaque numeranda sunt sacrificia quotidiana 2300. *bina* singulis diebus; sic fiunt dies integri 1150. *dimidium scilicet numeri Prophetici*: hoc modo emergunt anni 3. & dies 55. Colligamus jam hoc ex libris *Maccabæorum*. *Triennium* habemus, 1. *Maccab*. 1. v. 62. & 2. *Maccab*. 4. v. 52. seq. *dies decem*, 1. *Maccab*. 1. v. 57. restant dies 45. qui tribuendi sunt *primæ profanationi*, ab Antiocho promulgatæ, & executioni imandatæ, vers. 45. seqq. Certum enim ex his versibus est, tempus aliquod, quo sublatum est *juge sacrificium*, præcessisse ædificationem altaris idololatrici, vers. 57. atque ii sunt 45. dies, qui ad numerum Danielis complendum restant. Congruit hoc cum traditione *Judæorum*, qui annotârunt, ingressum *Apollonii* in urbem contigisse d. 29. Augusti, unde 91. dies ad d. 18. Novembris. Deduc illos 10. & 45. quibus captum profanari templum, & ablatum juge sacrificium, & relinquuntur 36. dies, intra quos ille sævit in cives, antequam juge sacrificium abrogaretur. *Walther*. in Harm. Sacr. Script. pag. 328. seqq. *Friedlib*. in Annot. Bibl. ad hoc loco class. 2. n. 7. pag. 767. seq. Glass. loc. cit.

III. *Papistæ* quidam exinde colligunt, *Justificare* quandoque idem denotare, quod *justum respsa facere*; quoniam sanctuarium hîc dicatur *Justificari*, id est, *respsa justum fieri*.

Resp. Allegatio hæc est impertinens. Nam (1.) phrasis illa non notat *infusionem Justitiæ*, sed *cultûs collapsi instaurationem*; siquidem in Hebræo non habetur *sanctuarium*, sed *sanctitas*, ut sensus sit: *Justè restituetur sanctitas*, id est, *præcisè hoc elapso tempore cultus Dei instaurabitur*. (2.) Si vel maximè concederemus, legendam esse, *sanctuarium*, & *justificare* hîc idem esse, quod *justitiam infundere*; attamen nihil patrocinii inveuirent Pontificii. Etenim de eo quæritur, an *hominem justificare*, in Scriptura quandoque denotet, *habitum justitiæ infundere*? quod nos inficiamur. Hoc verò exemplum non loquitur de justificatione *hominis*, sed de justificatione *sanctuarii* vel *templi*. (3.) Verbum Hebræum, נִצְדַּק, non est in *Hiphil*, sed in *Niphal*, sensus est, *mundabitur*, vel *mundum erit*: nos autem controvertimus de significatione in *Hiphil*. (4.) Dictum istud non absurdè posset de *declaratione* exponi: *Sanctificabitur*, id est, *sanctum purgatumque esse declarabitur*. Meisner. par. 2. Philos. sobr. sect. 1. cap. 1. quæst. 28. thes. 1. obj. 3. pag. 228. seq. & dec. 3. Antrop. sacr. disp. 4. thes. 23. pag. 169. seq. *Gesen*. de Papism. disp. 55. thes. 48. & 49. pag. 950.

IV. *Fevardentius* l. 11. Theomach. contendit, *Judam Maccabæum de sacrificio, pro mortuis oblato, habuisse verbum Dei: quia per Danielem esset prædictum, ipsum restituturum religionem Hebræorum, apud quos ab omni ævo oblationes factæ fuerint pro salute defunctorum*.

Resp. (1.) Prædixit Daniel *liberationem futuram Judæis*, & hæc illis obtigit per *Judam Maccabæum*: sed ille nunquam prædixit, *Judam oblaturum sacrificia pro mortuis*. (2.) Imò contrà, *si prædixit restituturum Judæorum religionem*, profectò non prædixit *oblaturum pro mortuis*: quia ea religio nullas agnoscebat oblationes pro mortuis, ideoque oblationes pro *salute defunctorum* commenta sunt Fevardentii. *Cham*. tom. 3. Panstr. l. 26. c. 16. §. 14. & 15. p. 591.

Vers. 17. *Intellige fili hominis: quia hæc visio pertinet ad tempus finis*.

Nonnulli suspicantur, v. 23. nomine *Regis fortis* intelligi *Antichristum*, ut qui *sub finem mundi sit venturus*: hanc enim visionem pertinere ad tempus *finis*, seu ad tempora *postrema*.

Resp. (1.) N. C. neque enim omnis *Rex fortis* sub finem mundi venturus, est *Antichristus*. (2.) *Tempora illa postrema* non sunt, quæ *finem mundi*, sed quæ *adventum Messiæ in carnem*, proximè sunt antecessura. (3.) *Antiochus* dicitur venturus sub finem *quatuor regnorum Græcanicorum*. Cum enim *imperium Græcorum* in Asia ante *Antiochum Epiphanem* annos 137. duraverit, 1. *Maccab*. 1. v. 11. post ejus autem interitum non plures, quàm 96. anni superfuerint, & postea stirps *Seleucidarum* à *Pompejo*, regiô titulô orbata sit; idcirco Antiochus *fini* meritò propinquior, quàm *principio* regni Seleucidarum censetur: vergebat enim tùm illud regnum ad interitum. *Gesner*. disp. in Daniel. 8. thes. 108. & 121.

Vers. 23. *Consurget Rex impudens facie, & intelligens anigmata*.

I. Argumentum *Scioppii*, contra *Papæ Romani Antichristianismum*, vide solutum in Vindic. *Daniel*. 11. v. 21. m. 2.

II. *Sanderus* l. 8. de Visib. Monarch. demonstr. 22. negat, *Papam esse Antichristum*, quòd *is quidem non intelligat anigmata*, cum constet, *Papam non æquare, nedum excellere mediocres Grammaticastros aut Philosophastros*; *Antichristum* verò *intellecturum anigmata*.

Resp. (1.) Daniel secundùm literam non loquitur de *Antichristo*, sed de *Antiocho Epiphane*. (2.) חִידוֹת, qua voce Daniel utitur, est *res obscura*, cujus intellectus non est facilis & obvius. Non est autem proprium illi *scientia secularis*, quam curiosissimi quique viri maximè admirantur, ut *Sanderus* putat, alioquin multa è Scripturis pertinerent ad illam scientiam, ceu illud, Psal. 78. v. 2. & Ezech. 17. v. 2. Ergo *is intelligit anigmata*, cujus *pectus munitum est intelligentia rerum difficilium, & in quibus alii laborant*. Quæ nota, si in hoc argumento quicquam habet momenti, næ nullus unquam magis *Antichristus* erit, quàm is, *qui se jactat habere omnia jura in scrinio pectoris*; quàm is, *quem in definiendis articulis fidei, aut condendis morum preceptis*, aut *canonizandis sanctis*, negant errare posse, quantumvis sit infra mediocres *Grammaticos & Philosophastros*. Cham. tom. 2. Panstr. libr. 17. cap. 12. §. 12. seqq. pag. 376.

CAP. IX. v. 13. *Sicut scriptum est in lege Mosis, omne malum hoc venit super nos &c*.

*Enallage* est casûs *accusativi* cum particula אֵת, pro *nominativo*: אֵת כָּל־הָרָעָה *omne hoc malum* (in accusativo) *venit* &c. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 29. m. 2. pag. 100.

Vers. 17. *Nunc exaudi Deus noster orationem servi tui, & preces ejus, & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, propter Dominum*.

I. Daniel videtur repugnare Christo: *ille enim* orat in nomine Messiæ, quod in V. T. Sanctos fecisse, negat ipse *Christus*, *Johan*. 16. v. 24.

Resp. *In nomine Christi oratur* bifariam: (1.) *implicitè*, nimirum sub typo ac propitiatorio, atque hoc respectu Sancti V. T. in nomine *Christi* orârunt. (2.) *Explicitè*, nullo propitiatoriô, quod jam abrogatum, exhibitô; atque sic jam in N. T. in nomine

mine *Christi* oramus, idque jubet Christus, Johan. 16. v. 24. *Walther.* in Harman. Script. Sacr. pag. 332.

II. *In una essentia divina sunt plures personæ divinæ, quàm una*: nam *Dominus Pater* exaudit propter *Filium Dominum*.

*Judæorum* & *Socinianorum* exceptiones eædem sunt cum illis, quas in Vindic. *Gesner.* 19. v. 24. adduximus & confutavimus, ubi ipsas vide. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 3. m. 4. pag. 768.

Vers. 18. *Non in justitiis nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

I. *Sancti non possunt satisfacere pro pœna temporali*: neque enim *Daniel*, vir Deo charus, *audet suis justitiis tribuere valorem satisfaciendi Deo pro pœna exilii Babylonici.*

*Schoppius* in Apolog. contr. Hunn. de Indulg. cap. 40. reponit 1. *Danielem quidem satisfecisse*, sed *pro sua modestia sibi satisfactionem non adscribere.*

Resp. Mirum est, tantum Prophetam *modestiâ* tantopere præpeditum fuisse, ut hoc tam utile compendium pœnas temporales satisfactionibus *humanis* evitandi, reticeret. Longè sequius *Augustinus* Judicat, qui in libr. de Eccles. dogmat. cap. 35. scribit, *sanctos indignitatem suam non ex animi humilitate, sed ex rei veritate agnoscere.*

2. *Liberationem à calamitatibus temporalibus hujus vitæ, satisfactioni non esse adscribendam*, cum *fatales pœnæ satisfactionibus non redimantur.*

Resp. (1.) *Nulla pœna temporalis absolutè tam fatalis est, quin interveniente pœnitentia possit aliis operibus tolli*, scribit *Bellarminus* l. 4. de Pœnitent. cap. 3. Si igitur opera ista *pœnitentialia* (quæ vocant) essent *satisfactoria*, satisfacere sanè possent pro *pœnis temporalibus etiam hujus vitæ*, si enim pro gravissimis pœnis *Purgatorii* satisfacere possunt, quidni possunt satisfacere pro longè *levioribus*, in hoc seculo sustinendis? (2.) Si opera ista *pœnitentialia* temporalem pœnam, etiam *fatalem*, tollunt; sine dubio pro ea quoque *satisfaciunt*: quid enim aliud est, *pœnam tollere*, quàm *pro ea satisfacere*? Sed prius asserit *Bellarminus*, ideoque ex ejus sententia, opera ea pro pœnis temporalibus hujus vitæ etiam *fatalibus* satisfaciunt. *Balduin.* in Examin. Apolog. Schopp. pag. 303. seq.

II. *Bona renatorum opera non merentur vitam sempiternam*: illa namque ne quidem *temporalia merentur beneficia*; unde nec Daniel *redemptionem ex captivitate Babylonica propter suas justitias, suaque postulat merita*, sed *solâ nititur Dei miseratione*, in Christo fundatâ, v. 17.

Excipit 1. *Bellarminus* l. 5. de Justif. cap. 5. resp. ad 2. obj. hunc locum ad rem non facere: siquidem Daniel non petat hîc *coronam*, sed *liberationem à captivitate*, in quam populus Dei propter peccata devenerat.

Resp. Hoc quidem verum est, sed vim argumenti nostri nulla ex parte infringit: si enim non sunt meritis exposita *temporalia*, quale fuit *liberatio ex captivitate Babylonica*, multò minùs *æterna*; cum sint *longè majora*, ideoque *longè minùs meritis proportionata*. At cum ex ipsa *Papistarum* doctrina necesse sit, *meritis suam esse ad præmia proportionem*, omnino oportet ea, quorum major est disparilitas, minùs esse proportionata: itaque si non *meritis* redduntur *temporalia*, multò minùs *æterna* redduntur. Quis enim sanus credet, mereri posse opera illa *vitam æternam*, quæ *temporalia bona* non merentur?

2. *Schoppius* in Apolog. pro Bellarm. de Indulg. cap. 27. negari non posse, *præmia temporalia & æterna dari bonis operibus.*

Resp. Quòd dentur, non negamus: sed quòd ex *debito* dentur, ut *meritum*, hoc ipsum est, quod negamus. Deus enim ex *mera misericordia* in nobis sua dona coronat, studiumque pietatis præmiis hujus & futuræ vitæ *gratuitò* compensat. Psal. 103. v. 4.

3. *Id. ibid.* magnam diversitatis rationem esse in eo, quòd *vita æterna* promissa est sub *definita conditione*, quæ si impleta fuerit, jure merces exigeretur; Deum verò non promisisse *liberationem ex captivitate Babylonica* sub *definita operis conditione.*

Resp. Omnino sub *definita operum conditione* liberatio illa à Deo promittitur, Deut. 30. v. 2. & 30. Quod si igitur promissio sive pactum *gratuitum* facit bonum opus *meritorium*, uti *Schoppius* opinatur; utique & Israëlitæ liberationem ex captivitate Babylonica propter *merita sua* petere potuissent. Verùm impossibile est, promissionem *gratuitam* facere bonum opus *meritorium*: sic enim non esset *gratuita*. Quicquid enim *gratis* promittitur, *gratis* datur, etiamsi sub *conditione* promissum fuerit: *conditio* namque non *causa promissi*, sed *modus acquirendi* est. Unde rectè *Basilius* in Psalm. 114. *Manet sempiterna requies illos, qui in hac vita legitime certaverunt, non ob eorum merita à factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, in qua speraverunt.* Balduin. in Exam. Apolog. Schopp. pag. 209. 213. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 20. de Bon. Oper. §. 90. p. 189. 190. 192. seq. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 14. c. 17. §. 7. 8. 9. p. 244. *Ames.* tom. 4. Bellarm. Enerv. l. 7. c. 2. thes. 10. pag. 260.

Vers. 20. *Cum confiterer peccata meà, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas, &c.*

*Etiam sanctissimi homines non sunt sine peccatis*: nam *Daniel & sua & totius Ecclesiæ Judaicæ peccata Deo confitetur.*

*Socinus* in Defens. disp. de loc. cap. 7. ad Rom. p. 100. replicat, ibi non agi de iis peccatis, *quæ jam committerentur*, sed de *commissis* peccatis, quæ induxerint captivitatem Babylonicam.

Resp. Largimur, Danielem respicere *commissa* peccata, sed non *tantùm*: nam v. 18. prosternit preces, non in *justificationibus suis ante faciem Domini*, sed in *miserationibus ejus multis*. At si *omnis omnino labis fuisset expers*, utique niti potuisset *justificationibus suis*, neque necesse habuisset *soli Dei miserationibus* incumbere. *Thumm.* in Impiet. Photin. p. 327. 330. 333.

Vers. 21. *Et adhuc ego loquens in oratione, & vir Gabriel, quem videram in visione in principio, volans in lassitudine, tangens ad me, secundùm tempus sacrificii vespera.*

Daniel adhibet (1.) *Metaphoram*: עוף enim *volare*, quod *volucrum alis* propriè fit, significat, *cito cursu & impetu ferri aut immitti*. (2.) *Hyperbolen*: ביעף *cum lassitudine*, h. e. *contentissime*: nam in sanctos illos spiritus *lassitudo* proprie non cadit. (3.) *Enallagen* nominis substantivi, *vespera*, pro adjectivo, *vespertini*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 159. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 839. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 312. & cap. 19. pag. 470.

Vers. 23. *Nam desideria tues, &c.*

*Enallage* est *abstracti* pro concreto: *Desideria tu es*, h. e. *desideratissimus*, seu *Deo acceptissimus*, Symmachus vertit, *ἀνὴρ ἐπιθυμιῶν*, estque idem sensus, ut cùm Maria vocatur *κεχαριτωμένη*, Luc. 1. v. 28. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 839. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 7. p. 28. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 765.

Vers. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum suum, & super urbem sanctitatis tuæ, ad consumendum prævaricationem, & ad finiendum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum Justitiam æternam, & ad obsignandum visionem & prophetam, & ad ungendum Sanctum Sanctorum.*

I. Interatur (1.) *Enallage* tum *substantivi* pro *adjectivo*, & affixum additur *posteriori*, cum potiùs pertineat ad *prius*, עַל־עִיר קָדְשֶׁךָ, super *urbem sanctitatis tuæ*, h. e. *urbem tuam sanctam*; tum *concreti* pro *abstracto*, נָבִיא, *prophetam*, i. e., נְבוּאָה *prophetiam*. (2.) *Metaphora*: nam *obsignare*, est, *perficere* seu *reipsa complere*, ideoque *obsignatio prophetiæ* est *ejus reale complementum in* exhibitione Messiæ, ejusque redemtionis opere præstitum. Sicut enim *sigillum* confirmatio scripti est, cui appenditur: ita *complementum vaticiniorum*, certissima eorundem confirmatio est & quasi sigillum. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 2. p. 3. can. 8. m. 2. not. un. p. 38. lib. 5. tract. 1. cap. 12. pag. 409.

II. *Istæ 70. hebdomades sunt hebdomades* non *dierum*, sed *annorum* (ita ut hebdomas *septem annorum* spacium absolvat) quo integrum tempus efficitur 490. annorum, & quidem non *Lunarium*, sed *solarium*: nam intra illud tempus *consumta est prævaricatio, finitum peccatorum, &c.*

*Beda* reposuit, Prophetam loqui de annis *Lunaribus*, utpote qui sint *breviores*, quam *Solares*: (annus enim *Lunaris* tantùm diebus 354. constat, annus verò *Solaris* diebus 365. cũ quadrante & minutis quinq; absolvitur) qui septimanæ dicantur *abbreviatæ*.

Resp. (1.) Ratio hæc nititur falsâ textus versione: quandoquidem in *Hebræis* fontibus non dicitur, *hebdomadas esse abbreviatas*, sed esse *præcisè definitas*; habetur enim verbum in Niphal, נֶחְתַּךְ, *decisum, præcisum, definitum est*, nempe descendens à radice חָתַךְ, quod propriè est, *decidere, præfinire, determinare*, ut sit verus sensus: *Hebdomades septuaginta præcisè definitæ sunt*. Gesner. disp. in Dan. 9. thes. 180.-114. *Jacob Martin*. lib. 3. de trib. Eloh. cap. 18 seq. pag. 82. 85. seq.

III. *Messias jamdudum venit*: illæ enim septimanæ, à Deo *præcisè definitæ*, ante sesquimille annos finem habuerunt, intra quas Messias venire debuit.

Obvertit 1. R. *Salomon*, per *Sanctum Sanctorum* notari *arcam & alia vasa templi*, quæ sint ungenda per manum Messiæ.

Resp. R. *Moses bar Nachman Gerundensis*, & R. *Levi ben Gerson*, per *Sanctum Sanctorum* rectè intelligunt *Messiam*: quomodo igitur *arcam* reducit R. *Salomon*, cum tamen Jerem. 3. v. 15. Deus neget memoriam fore *arcæ*, aut ullam ejus rationem habitum iri.

2. Vir quidam *juvenis* è Judæis apud D. *Franzium* in Schol. Sacrif. disp. 10. thes. 83. *unam hebdomadum* hoc loco non *septem annorum*, sed fortasse 100. vel 1000. annorum spacium denotare.

Resp. *Hebdomades* istæ nec *centenariorum*, nec *millenariorum*, nec *alterius cujusvis numeri*, sed *annorum tantùm esse* possunt spacium. Præterquam enim, quòd interpretatio illa *Judæi Juvenis* omnibus *Hebraicis doctoribus* & *Talmudo* ipsi contrarietur, ab ipso quoque *Angelo* obtunditur, qui v. 27. expressè docet, *Messiam debere exhiberi ante abrogationem sacrificiorum, à captivitatis Babylonicæ solutione restaurandorum*. Quarè Judæos oportet fateri, *adhuc stare sacrificia*, si nondum hebdamades Danielis effluxisse putant, nondum venisse Messiam: monstrent autem nobis, *ubinam locorum hodie sacrificent?* aut si hoc non possunt, concedant necesse est, *hebdomadas Danielis jamdudum effluxisse, & Messiam venisse*.

3. R. *Levi*, consummationem peccati Judæorum per præsentem captivitatem *adhuc futurum esse*: sensum enim verborum Danielis esse, *per venturam captivitatem diuturnam peccata Israëlis finem accepturа, & ipsum mortiturum justitiam æternam, quæ est Messias, cujus adventu visio & prophetia omnis implebitur*.

Resp. In hac interpretatione duo comprimis sunt vitia: (1.) quod consummationem peccati, & adductionem justitiæ rejicit *ultra finem septimanarum 70. post excidium Hierosolymorum*; cum tamen illa ipsa & cætera *ante excidium intra spacium illarum Septimanarum* complenda fuerint. Nam textus ait, *septimanas istas definitas esse, ut sub earum finem Christus morte sua auferret peccata, & justitiam æternam adduceret*. Et quam quæsò ridiculum est; Deum certum terminum constituisse, & præcisè annos 490. dinumerâsse, ut *post illos annos*, seu *post illum terminum*, Judæi in incertum expectare debeant Messiam, post multa demum secula nemini cognita, venturum? Cui bono ergo dinumeravit illos 490. annos? aut quid inde certitudinis redundat ad miseros Judæos? (2.) Quòd consummationem peccati Judæorum ait *per præsentem captivitatem adhuc futuram esse*. Nam ne ipsi quidem Judæi definire possunt *peccatum illud*, à se vel à majoribus suis commissum, cujus atrocitas tanta fuerit, ut *Messiæ adventum retardaret*: quin potiùs disertis verbis testatur Dominus, quòd hanc ob causam accelerare velit fœdus illud novum, ut nimirum peccata, contra vetus legis pactum commissa, *æterna oblivione deleantur*, Jerem. 31. v. 32. *Franz*. in Schol. Sacrif. disp. 10. thes. 83. seq. *Hutter*. in LL. CC. Theol. p. 850.-851. seq. *Hulsec*. tom. 4. Gis. disp. 13. pag. 328.-333. *Jacob. Mart*. l. 3. de trib. Eloh. cap. 18. pag. 82. & 83.

IV. *Osiander* in Confess. Germ. de un. Mediat. 5. 4. arguit, *hominem essentiali Dei Justitia justificari*, quoniam *hæc ipsa sit æterna justitia, à Deo adducenda*, ideoque eam oporteat *jam antè alicubi fuisse*, nec *de novo creandam*: at verò *obedientiam Christi non posse dici æternam justitiam, à Deo adducendam*; cùm *in tempore demum sit præstita*, neque *ab æterno extiterit*.

Resp. (1.) Angelus non loquitur de *essentiali Dei Justitia*, quâ homo justificetur, aliàs absurdum illud sequeretur, *homines perinde esse justos, ac ipse Deus est justus essentialiter*; sed de justitia *nobis donatâ*, seu de justia, *à Deo per Messiam reddita generi humano*, quippe quam per *peccatorum expiationem, & Christi occisionem* definit, v. 24. & 26. (2.) Justitia illa, quam Christus adduxit, *æterna* dicitur, non quòd *ipso actu ab æterno extiterit*, sed tum ratione *decreti*, quia Deus ab æterno decrevit, illam ipsam per Christum adduci; tum ratione *efficaciæ*, quia Christus vitæ suæ obedientiâ, & ignominiosa crucis morte, *æternùm duraturam* justitiam acquisiturus erat, Heb. 9. v. 12. (3.) In Hebræo proverbo, *adducetur*, ponitur verbum, יָבִיא, quod sæpe in Scriptura usurpatur de iis rebus, quæ non *ab æterno* sunt, sed *certi temporis* initium habent, ut 1. Reg. 21. v. 21. dicitur: *Adducam malum super domum Achab*; non quòd materia illa mali seu *pœna* ab æterno fuerit, sed quòd *certo tempore* Deus pœnam illam inflixerit. (4.) Daniel hanc justitiam ab ipsa *occisione Christi*, tanquam correlato, suspendit; quæ cum in *tempore* facta sit, utique etiam hujus acquisitionem in *tempore* factam esse, satis perspicuè & evidenter innuitur. *Pezel*. par. 5. Arg. & Resp. Theolog. pag. 212. 213. seq. *Hutter*. in

Explic.

Explic. Form. Concord. art. 3. cap. 3. antithes. 1. pag. 360. & 364. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Justif. cap. 2. quæst. 21. object. 3. pag. 566.

V. Quidam negant, *Filium Dei in V. T. ante incarnationem rectè vocari potuisse Christum*, quia *intra terminum 70. septimanarum unctio ipsi obtigerit*, videlicet *post factam incarnationem.*

Resp. N. C. quamvis enim *humanæ naturæ* demum in plenitudine temporis unctio contigerit, rectè tamen Filius Dei dici in V. T. potuit *Christus*, propter personæ ταυτότητα, 1. Cor. 10. v. 9. Non enim alius est Dei *Filius* in V. alius *Christus* in N. T. sed *una eademq; persona*, Joh. 8. v. 58. *Gerhard.* in Exeges. loc. 4. de Peson. & Offic. Christ. §. 16. p. 1124. seqq.

Vers. 25. *Ab exitu sermonis de readificanda Jerosolyma, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta ac dua erunt, & rursum adificabitur platea & muri, in angustia temporum.*

I. *Humblaus* in Epitom. de V. D. controv. 1. c. 8. §. 12. nugatur, *Judaos textum hunc corrupisse*, eò quòd separent *septem hebdomadas* à *sexaginta duabus* per accentum *Athnach* (qui unam sententiam distinguit ab alia) quò præclaram hanc prophetiam de tempore adventus *Christi* detorquere queant ad *Zorobabel*, qvi vixit post captivitatem Babylonicam.

Resp. (1.) Edisserat nobis Jesuita, quomodo *Zorobabeli Duci* accommodari meliùs possit textus, *absente* accentu *Athnach*, quàm eo *præsente*. Certè *Zorobabel* ante 70. hebdomadum inchoationem vixit, ut ex *Esdr.* 2. v. 1. constat (est enim is, quo duce solutio captivitatis Babylonicæ, & reditus populi Judaici tempore *Cyri* primùm contigit) neque demum ab exitu sermonis de ædificanda Jerusalem usque ad ipsum fuerunt *septem hebdomades*, hoc est, 49. anni. (2.) Positô autem, Judæos ad *Zorobabelem* verba isthæc referre: nondum tamen eô probatum dari potest, *distinctionem* hîc falsam & vanam eos posuisse, ut ad *Ducem istum* referre possint, præsertim eum optimè ii cognitum habuerint, *Athnach* non semper *distinguendi* officiô tam apertè fungi, uti vel Gen. 1. v. 1. Psal. 36. v. 8. Psal. 84. v. 3. Prov. 6. v. 26. ostendunt. (3.) Quin si viscera textûs penitiùs inspiciantur, planum evadet, accentum illum *distinctivum* hîc ut maximè necessarium requiri: id quod ostendit partim ipsa *phrasis*, quâ *distinctim* ponuntur *septem* hebdomades, & *sexaginta duæ* hebdomades; alioqui si nulla inter illas 7. & 62. hebdomadas statuenda esset distinctio, *conjunctim* potiùs *sexaginta novem* fuisse dictum, uti v. 24. præced. *septuaginta:* partim *res ipsa*, & *textûs connexio*. *Septem* enim illæ hebdomades, & *sexaginta* duæ, non ad *unum*, sed ad *duos terminos*, tempore & reipsa distinctos, ab Angelo referuntur. Ne igitur hebdomadum illarum fieret confusio, *distinctionis* certè notâ opus fuit. *Glass.* lib. 1. Philol. sacr. tract. 1. sect. 2. par. 2. object. 75. pag. 165.

II. *Promissus mundi Messias jamdudum venit:* nam ab egressu sermonis de reditu Judæ & ædificatione Jerosolymæ fuerunt hebdomades 69. usque ad *Christum*, mundi Messiam; quæ jamdudum præterlapsæ sunt.

R. *Salomon* excipit, nomine *Messia* notari *Cyrum*; siquidem *a destructione Jerusalem usq; ad Cyrum, ducem unctum, sint 7 hebdomades*, h. e. 49. *anni.*

Resp. (1.) Sophista pervertit verba Angeli: *hic* enim loquitur de Jerosolymæ *restitutione*, ille verò de Hierosolymæ *destructione*. Quis autem non videt, hæc esse contratria, à *restitutione*, & à *destructione?* (2.) Terminus annorum 49. non potest statui in *Cyro:* nam *longè plures anni* à destructione Jerosolymæ usque ad edictum Cyri, de templi & urbis restitutione, effluxerunt, juxta *Talmudicam* supputationem in lib. *Megilla*, cap. *Megilla nikreth.* (3.) Rabbini nondum sunt certi, quis nomine *Ducis uncti* intelligendus veniat. Nam R. Levi arripit *Jehosuam Sacerdotem*, R. Abraham Aben-Ezra *Nehemiam*, R. Saadia Gaon *regem Darium*, R. Salomon *Cyrum*; quæ prodigiosa inconstantia satis coarguit malitiam Judæorum, qui contra conscientiam malunt quemvis alium, quàm *verum Messiam*, pro Messia agnoscere, ne cogantur concredere, *Messiam jamdum venisse.* Verùm, neque *Cyrus*, neque *Darius*, neque *Nehemias*, neque *Zorobabel*, neque *Jehosua*, neque *quicunque alius* per *Messiam ducem* potest intelligi: quia post ipsorum mortem sacrificia non desierunt, quemadmodum ea desierunt post mortem *Messia ducis* in hoc loco. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 13. pag. 328.-335.

III. *Dölingius* l. 4. de Antichrist. cap. 20. pag. 694. seq. docet, *initium 70. hebdomadum esse edictum Cyri: hoc enim fuisse primum edictum, ad quod Angelus respiciat*, eò quod *indefinitè* loquatur: *Ab exitu sermonis, &c.*

Contrà objicitur, sermonem hîc esse, non de *instauratione Hierosolyma*; cum *Cyrus* Judæis tantùm concesserit *templum Domini* ædificare, non simul *urbem* seu *muros.*

Respondet *Dölingius* ibid. non solùm *templi*, sed & *urbis Hierosolyma* restaurationem edictum hoc continere, uti pateat ex Esa. 44. v. 29. & templo reædificando ibi præsupponatur.

IV. *Scaliger* lib. 6. de Emendat. temp. existimat, partitionem 70. septimanarum in *septem, sexaginta duas, & unam*, nihil *arcani* in se habere; cum duntaxat earum *historia*, non simul *subjecta divisio* sit attendenda.

Resp. Utrumque est attendendum: Angelus enim indicare voluit, quid *certis ac distinctis temporibus* futurum esset, nimirum primis septem septimanis *urbem cum muris suis readificandam esse*, v. 25. deinde ab urbe ædificata usque ad *passionem ac mortem Christi* decursuras hebdomadas sexaginta duas, vers. 26. & porro in *ultima septimana* Deum fœdus suum, quod olim cum Patriarchis pepigisset, potentissimè roboraturum, simulque in medio illius *septimana* effecturum, ut cessaret sacrificium & oblatio, vers. 27. ac demum 70. illis septimanis elapsis, πανωλεθρίαν *politia Judaica*, propter abominandum Christi excisi peccatum, insecuturam, vers. 26. *Jacob Martin*, lib. 3. de trib. Eloh. cap. 22. pag. 101. 103. seq.

Vers. 26. *Post hebdomadas sexaginta duas excidetur Messias, & non erit ei: & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.*

I. *Messias certò erat moriturus, & morte suâ peccata generis humani expiaturus*: erat enim *excidendus, ita ut nihil esset*; quæ phrasis de *mortuis* usurpatur, Jerem. 31. v. 15. Thren. 5. v. 7. &c. Causa hujus *excisionis* præmittitur vers. 24. ut scilicet *coerceatur pravaricatio, obsignentur peccata, expietur iniquitas, adducatur sempiterna justitia.*

*Judai* regerunt 1. *hunc Messiam* esse *Regem Agrippam*, eumque *Regem Judaorum* fore cotempore, quo *Vespasianus* Hierosolymam evertet, & *tum exitum iri.* Ita R. *Salomon.*

Resp. (1.) Poculô temulentiæ dementatus est R. *Salomon*: nam ex *Messia*, quem v. 25 *Cyrum* finxerat,

statim v. 26. veluti in Comœdia permutans personas, facit *Agrippam*, quæ est libido non ferenda, cum utrobique de *uno eodemque Messia* agatur. (2.) Ambo Hebræi Historici, *Josephus & Josippus*, R. *Salomoni* in faciem contradicunt: testantur enim, *Agrippam* cum Romanis, durante toto bello, confœderatum fuisse, & à seditiosis Judæis fecisse secessionem. Et *Josephus Græcus*, qui sub *Domitiano* scripsit, longè post bellum Judaicum, affirmat, se commentarios suos legendos obtulisse *Agrippæ*. Ergo supervixit excidio Jerusalemico, nec tùm fuit excisus. *Photius* etiam è *Justo Tyberiadensi* refert, *Agrippam* vixisse usque ad annum tertium *Trajani*.

2. Danielem non loqui de *Messia*, quòd *seipsum excludat*, non dicens, *Messias noster*: ideoque hunc esse sensum: *Quando noster Messias veniet, tùm occidetur Messias eorum, & Reges eorum cum Messia suo, quem pro Deo sanctè sanctorum colebant.*

Resp. (1.) Itane *Daniel se excludit*, cum dicit, *Messias*? Ergo etiam *Esaias se exclusisset*, cùm cap. 45. v. 17. ait: *Et salvabitur Israël in Domino*; quia scil. non dicit, *in Domino nostro*? (2.) Perquam ineptum est, quòd *occisionem Messiæ de Christianorum Regibus* interpretantur. Annon enim ipsorummet *Judæorum* interpretes, vi clarissimi textûs adacti, fatentur, *intra 70. septimanarum spacium cædem istam Messiæ eventuram*? Quî ergo *post elapsa quindecim secula à fine septimanarum* demum continget?

3. Sensum verborum Angelicorum esse: *Post 62. septimanas occidetur Messias*, id est, *Sacerdotio finis imponetur à populo Ducis Romani Titi.* Sic R. *Levi.*

Resp. *Rabbinus* iste non advertit, hoc contra ipsum facere, quia fatetur, *divina authoritate Sacerdotium Leviticum esse abrogatum*, idque *ultima destructione*, ante quam venire debuit promissus mundi *Messias*, v. 25.

4. Verbum כָּרַת non denotare *occidere & interficere*, sed *abscindere*.

Resp. Omnino *propria* significatio illius verbi est, *interficere*, cum de *viventibus* enunciatur, ut ex Gen. 9. v. 12. & 1. Reg. 18. v. 5. patet. Ut verò Angelus omnes elabendi rimas impudentissimis Judæis obstrueret, *exscindendi* verbum statim interpretatus est per alterum, *non amplius erit*; quod aliter accipi non potest, quàm quòd Messias *vivere hac mortali vita desiturus sit*.

5. Danielis verba intelligenda esse de Messia *filio Joseph*, non de Messia *filio David*, *illum* ajentes occisum iri, *hunc* non item.

Resp. (1.) Putidissimum commentum est, *geminum esse Messiam*: Scriptura enim *unicum novit Messiam*, cui & *humilia & magnifica* disertè tribuit, ut Esa. 53. v. 10. 11. 12. Zachar. 9. v. 9. 10. &c. (2.) Talem cædem Messiæ quærimus, quæ sit λύτρον & *Kappara pro peccatis*, v. 24. qualem Judæi non credunt esse cædem *Messiæ filii Joseph*. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 7. thes. 3. & 5. pag. 151. seq. & disp. 13. pag. 329. 331. 332. 334 seq. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Offic. Jes. Christ. cap. 6. quæst. 2. pag. 989. & quæst. 5. pag. 991. *Gesner.* disp. in Dan. 9. thes. 174. seq.

II. *Scaliger* l. 6. de Emendat. tempor. arbitratur, *ultimum Hierosolymæ excidium non demum post illas 70. septimanas futurum fuisse*, eò quòd *Angelus id intra eas immisceat*.

Resp. (1.) Quæ Angelus hoc loco de *eversione urbis & politiæ Judaicæ* per ἐπιμέτρησιν inseruit, intra spacium 70. hebdomadum includi nequaquam possunt, eò quòd ad Christum Ducem 7. & 62. integræ hebdomades numerentur, v. 25. post quos, *in media videlicet ultima*, Christus esset exscindendus, v. 26. *Christus* autem exscissus est anno ætatis 34. excidium *Hierosolymæ* demum contigit anno 71. (2.) Ab Angelo hîc non *finis excidii urbis*, sed *initium calamitatis* annectitur, ut ex collatione v. 26. & 27. patet. Nam *statim post exaltatum Christum*, ante excursum 70. hebdomadum Danielis, Judæi malè habere cæperunt, teste *Eusebio* l. 2. Hist. Eccles. cap. 6. Sufficit autem, quòd indicatum sit *vastitatis illud chaos*, cujus principium cæpit circa ultimam septimanam, quæque postmodum continuata fuit tempore *Titi Vespasiani*, annô 71. *Adriani*, annô 134. *Juliani* annô *Christi* 365. *Franz.* in Schol. Sacrif. disp. 10. thes. 43.-52. *Döling.* l. 4. de Antichrist. cap. 20. pag. 696.

III. *Judæi frustra jam alium expectant Messiam*, qui *Hierosolymam* reædificet, & *templo* sacrificia restituat: siquidem *urbis & templi desolatio perseverabit usque ad finem*, ideoque nec *Hierosolyma*, nec *templum* reædificabitur.

*Judæi* reponunt, *desolationem illam duraturam esse saltem usque ad finem belli Messiæ contra Gentes, quibus devictis desolationem Hierosolymorum & templi esse cessaturam.*

Resp. Daniel ibi ne unicum quidem verbum facit de *bello externo Messiæ in regna mundana Gentium*, quippe cùm ibidem perspicuè asserat, *Messiam circa finem 70. hebdomadum*, adeoque *dudum ante illam Hierosolymæ desolationem, excisum*, & in regno ipsius, peccatô abolitô, æternam ac perfectam justitiam reparatum iri, ideoque nullo post id tempus sacrificiô pro peccatis opus fore. *Gibel.* in Explic. Jerem. 33. v. 16 pag. 232.

Vers. 27. *Confirmabit pactum multis hebdomade una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & in templo ala abominationum desolationis, & usque consummationem & finem perseverabit desolatio.*

I. *Metaphora* est: nam per *alam abominationum* intelliguntur *legiones militares*, copiæ nimirum *Romanorum*, ob idololatriam & crudelitatem abominabiles ac detestabiles; ut ex collatione Matth. 24. v. 15. cum Luc. 21. v. 20. patet. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. pag. 311.

II. *Salmeron* proleg. 8. tom. 1. pag. 97. autumat, *unius ejusque sententiæ posse esse plures sensus literales*, quoniam hæc prophetia *abominatione desolationis in templo Hierosolymitano*, secundùm *literam* videatur intelligi posse, non solùm de desolatione Hierosolymitana, quæ futura erat *sub Antiocho Rege*, sed etiam de ea, quæ futura erat *post mortem Christi*.

Resp. *Pererius* l. 10. Comment. in Dan. 9. *priorem* interpretationem, sicque etiam *Salmeronem*, refellit duobus argumentis: (1.) enim Gabriel apud Danielem significat mala, quæ Judæis, *exactis jam 70. hebdomadibus*, contigerunt; illud autem Antiochi idolum positum est in templo *circa 41. hebdomadem*, scilicet non minùs 160. annis *ante Christi adventum*. (2.) Gabriel affirmat, abominationem desolationis *usq; ad finem*, id est, *in perpetuum* mansuram: idolum autem illud non plus *tribus annis* stetit. *Vasques* ait, vaticinium Danielis ab Autore historiæ Maccabæorum citari *per accommodationem*. At hoc sensu plures veri non sunt. Ergo relinquitur jam, prophetiam illam secundùm *literam*, non intelligendam esse de desolatione Hiero-

solymi-

solymitana, quæ futura erat *sub Antiocho Rege*, 1. *Maccab.* 1. v. 57. sed de ea, quæ futura erat *post mortem Christi*, Matth. 24. v. 15. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. pag. 240. seq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 15. cap. 3. §. 20. & 25. pag. 264. seq. *Glass.* l. 2. Philol. sacr. par. 1. tract. 2. sect. 1. art. 3. can. 2. obj. 8. pag. 390.

III. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. pag. 55. probare annititur, *Antichristum regnaturum esse tribus annis cum dimidio*, quia *ipse abominationem desolationis in templum Hierosolymitanum sit positurus in dimidio hebdomadis*, hoc est, *tribus annis & dimidio*.

Resp. Quæ de *Christo* hîc prædicta sunt, Apostata ad *Antichristum* suum malè torquet: illud enim *dimidium hebdomadis*, in quo deficiet hostia, notat tempus illud, quod *mortem Christi paulò post fuit insecutum*, fatentibus eruditioribus *Pontificiorum* interpretibus: unde *Pererius* l. 10. in Daniel 9. pag. 939. infert, quod de *abominatione desolationis* dicitur, ad *Antichristum* referri non debere, quippe cujus adventum Pontificii in *ultimum articulum mundi* rejiciunt. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 1. thes. 3. pag. 70. & cap. 6. thes. 111. seq. pag. 211. & 212.

IV. Idem *Schoppius* ibid. infert, tempore *Antichristi sacrificium Missæ esse cessaturum*, cum *defectum hostiæ & sacrificii ante abominationem desolationis in templo Angelus prædixerit*.

Resp. Daniel hoc loco nihil habet de *sacrificio Missæ*, sed, *Bellarminô* l. 3. de Eccles. cap. 16. resp. ad 5. & *Pererio* l. 10. in Dan. pag. 632. testibus, apertissimè loquitur de *sacrificiis Judæorum*: ea enim abroganda erant, postquam verus ille *agnus Dei* in ara crucis pro nobis immolatus fuit, hostiam & oblationem offerens pro peccatis, Hebr. 10. v. 12. *Balduin.* l. poster. c. & *Gerhard.* in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 2. pag. 1186 b.

V. *Scaliger* libr. 6. de Emend. temp. conjicit, *excidium Hierosolymæ non demum post illas 70. hebdomadas futurum fuisse*, quoniam *sacrificia cessare debuerint in medio hebdomadis ultimæ*; id verò in *ipso urbis excidio*, Titi Vespasiani auspiciô, contigisse.

Resp. N. C quandoquidem *principalis sacrificiorum abrogatio* facta est munere *Apostolorum*, per verbum Evangelii, & quidem circa *medietatem illius septimanæ ultimæ*; siquidem anno *tertio* post ascensionem Christi primum concilium Apostolicum Hierosolymis celebratum est, in quo expressè Judæi & Christiani ab observatione *legis*, *ceremoniarum & sacrificiorum Mosaicorum* absolvuntur, Actor. 15. v. 23. *Secundaria* autem sacrificiorum abrogatio facta est per *Titum Vespasianum*, qui templum & altaria, ceu sacrificiorum subjecta, sustulit. At non de *hac*, sed de *illa* Angelus *propriè* loquitur. *Franz.* disp. 10. Schol. Sacrit. thes. 20.-29. *Jacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 22. p. 106.-110.

VI. *Apostolus*, 2. Thess. 2. v. 4. non asserit, *Antichristum in templo Hierosolymitano esse sessurum*: nam *illud paulò post erat desolandum, & nunquam reædificandum*.

*Bellarminus* lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 13. respondet 1. Danielem voluisse dicere, non esse reædificandum templum, *nisi in fine mundi*, quo Antichristus aderit.

Resp. Assertio hæc contra mentem Prophetæ allata est: non enim hoc vult, non esse reædificandum templum, *nisi in fine mundi*; sed hoc docet, desolationem illam *usq; ad finem seculi esse duraturam*, Theodoretô orat. 9. in Daniel. & *Johanne Mariana* Jesuita in Schol. sup. h. l. interpretibus.

2. Etsi templum reædificaretur, nunquam tamen futurum non *profanatum*, post eversionem factam à Tito: quando enim erigetur ab *Antichristo*, tunc *maximè mansuram in eo abominationem desolationis*, id est, ipsum *Antichristum*, vel *ejus imaginem*.

Resp. *Bellarminus* distincta confundit: neque enim Gabriel dicit, *in templo reædificando abominationem desolationis mansuram*; sed primùm *abominationem desolationis in templo ad alas Cherubim staturam*, & deinde *desolationem urbis & templi perseveraturam esse usque ad finem* mundi, id est, *in perpetuum*, Pererio exponente lib. 10. Comment. in Dan. 9.

3. Nunquam reædificandum *perfectè* templum, sed tamen *inchoandam* reædificationem, & in templo illo *utcunq; inchoato* Antichristum sessurum.

Resp. Neque hoc vult Gabriel, templum *inchoatè* saltem, & non *perfectè* reædificandum; sed *desolationem illam*, velit nolitvé Bellarminus, *ad consummationem & finem usq; perseveraturam*: neque enim est spes aliqua *restituendæ iterum Hierosolymæ*, vel *templi denuò excitandi*, ut rectè ait *Baronius* tom. 1. Annal. ann. 72. §. 28. Quod intellexerunt *Judæi*, cùm malis auspiciis templum reficere tentarent, ludente Domino conatus eorum, & insanas operas flammis & terræ motibus disturbante, velut refert *Theodoretus* l. 3. Histor. Eccles. c. 20. Quo tempore *Cyrillus*, Episcopus Hierosolymitanus, de prophetia *Danielis*, & *Christi* prædictione, securus in eo perstitit, *nullo modo fieri posse, ut ibi Judæis lapis super lapidem poneretur*, teste *Ruffino* l. 1. Histor. Eccles. cap. 37. Nunquam igitur sic attollent se Judæi sub *Antichristo*, ut minimum potestatis habeant, ad aliquod hujusmodi moliendum, sed semper desolati & oppressi manebunt, Matth. 23. v. 38. *Thumm.* in Contin. Demonstr. Pap. Antichrist. p. 164. & 165.

VII. *Promissus mundi Messias jamdudum venit*: is enim venire debuit *adhuc stantibus sacrificiis secundi templi*; quia verò circa tempora ultimæ destructionis Hierusalem, *illa ipsa* desierunt, necessariò inde sequitur, *ante tempora ultima destructionis venisse Messiam*.

Resp. *Salomon* textum sic pervertit: *Et confirmabit*, scil. Vespasiani filius, *pactum multis*, scil. Judæis, *veruntamen non servabit, sed in medio septimanæ fidem violabit, & abrogabit sacrificia & oblationes; quæ desolatiô ita permanebit usque ad adventum Messiæ*.

Resp. (1.) Ludicrum est, quòd Rabbinus *roborationem pacti* de *induciis inter Romanos & Judæos* interpretatur, quas ex nullo *Historico*, nec etiam ex *Josepho* potest demonstrare. (2.) Planè falsum dicit de *Tito*, quòd *fœdus violaverit, & fidem fregerit*: hoc enim mendacium expressè refutant *Josippus*, pag. 266. edit. Basil. prior. & pag. 126. edit. poster. & *Josephus ben Gorion* pag. 127. edit. Cracov. quorum libros *Hebraicè* scriptos *Judæi* magnifaciunt. (3.) Etsi verò versus iste 27. non habet annexum *auctorem roborationis pacti*, *absolutionis sacrificiorum*, & *continuationis πανωλεθρίας Judaicæ*; tamen *Messias* necessariò subintelligi debet, (pro more alioquin in Scripturis usitato) qui tria illa per ministros suos effecit, priora duo per *Apostolos*, postremum per *Romanos*, juxta tenorem textûs Hebræi. *Franz.* in Schol. Sacrif. disp. 10. thes. 29. & 91. item disp. 4. Vindic. thes. 69. *Helvic.* tom. 4. Gies. disp. 13. pag. 329. 331. seq.

CAP. X. v. 1. *In anno tertio Cores, Regis Persi, arevelatum est verbum Danieli, cujus vocatur*

*nomen*

*nomen ejus, Beltheſazar & veritas verbum, & militia magna, & intelligere verbi, ac intelligentia ipsi in visione.*

Daniel utitur (1.) *Pleonasmô:* namly *ejus* abundat. (2.) *Enallagem* tum abstracti, *veritas*, pro concreto, *verum*; tum infinitivi, *intelligere*, pro nomine, *intellectus*. Conjungitur infinitivus & ipsum nomen, illum explicans, puta *intelligentia*. (3.) *Ellipsin* verbi: *In visione*, scil. *obvenis*. Ariæm. par. 4. Bibl. pag. 160. *Jun.* in Bibl. hoc loco pag. 840. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 5. pag. 364.

Vers. 3. *Panem desideriorum non comedi, & caro & vinum non venit in os meum, & ungendo non unctus sum, &c.*

I. Verba hæc continent (1.) *Enallagen* partim *nominis* substantivi *desideriorum*, pro adjectivo, *desiderabilem*, i. e. *delicatum* (panem *similagineum*, pani *siligineo* oppositum) partim *numeri* singularis, *venit*, pro plurali, *venerunt*. (2.) Epizeuxin: *Ungendo non unctus sum*, h. e. *planè* non unctus sum. *Ariam.* par. 4. Bibl. pag. 160. *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 840. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. pag. 553.

II. *Bellarminus* l. 2. de Bon. Oper. in particul. cap. 5. contendit, *ad rationem jejunii pertinere abstinentiam à certis cibis*, ac potissimùm *à carnibus*; quia in jejunio suo non solùm abstinuerit Daniel à *pane desiderabili*, sed etiam in specie à *carnibus & vino.*

Resp. Negatur sequi: (1.) enim exemplum Danielis ad *abstinentiam* pertinet, non ad *delectum ciborum*. Carnibus abstinuit, an *piscibus indulsit?* Nam hæc nostræ accusationis causa est, quòd Papistæ tùm se jejunare credant, cùm *piscibus vescuntur opipare, & oleribus*. Neque vitat Daniel non jam *vinum*, quod apud eos in nulla est *abstinentia* parte; sed ne quidem vitant *panem desideriorum*, quia nullas fugiunt in *piscibus* aut *oleribus* lautitias, contrà, quàm fecit *Daniel.* (2.) Exemplum *Danielis* fuit *voluntatis propria*, non *legis:* itaque ad imitationem nos non *obligat*. Veruntamen, uti tùm Daniel *liberè*, nulla lege adactus, à *carnibus, pane delicatiore & vinô* abstinuit, ut verè se in doloribus esse ostenderet: pari modo & nos *libere*, tempore *calamitoso*, à *carnibus, vinô & quibusvis cibis lautioribus* possumus abstinere. (3.) Daniel suum illud jejunium non *statis vicibus quotannis iteravit*, quemadmodum *Papista* jejunium *certo alligant tempori*, idque *statis vicibus quotannis pracise iterare* jubent. (4.) Papistæ suo jejunio affingunt *opinionem singularis meriti*, qua de nihil prorsus in *hoc Danielis jejunio* audimus. *Franz.* par. 3 disp. 5. in A. C. thes. 35. & 38. *Gerhard.* tom. 2. disp. 26. thes. 68.-74. pag. 3072. 3073. seq. *Gesner.* disp. in Dan. 10. thes. 13.-17. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 19. cap. 4. §. 5. & 10. pag. 353. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. pag. 1130. & 1131. obj. 1.

Vers. 12. *Exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos.*

*Bellarminus* l. 1. de Sanctor. beatit. cap. 18. propos. 4. arg. 1. probare allaborat, *Sanctos, cum Christo in calis regnantes, in particulari pro nobis orare*; quoniam *Angeli orent pro nobis, & curam nostri gerant, etiam in speciali*, ut pateat de *Angelo Gabriele, qui venerit in adjutorium Danielis.*

Resp. (1.) Concedimus, *Angelos nostri etiam sigillatim curam gerere*, at non *pro nobis intercedendo apud Deum*, sed *exequendo Dei mandata ad nos, in nostram utilitatem*. Nec contrà probat locus, ab Adversario prolatus: nihil enim ibi habetur de *intercessione Angeli Gabrielis apud Deum pro Daniele*, sed de *informatione Danielis, jussu Dei ab eodem Angelo peractâ*, ut ex v. 14. patet. (2.) Negatur consequentia: quia *Angeli* in mundum veniunt apud nos hujus curæ causâ, non *Sancti*, Hebr. 1. v. 14. ideoq; non est eadem ratio *horum*, quæ est *illorum*. Cham. tom. 2. Panstr. lib. 8. cap. 5. §. 19. 22. & 28. pag. 139. seqq.

Vers. 13. *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & una diebus, & ecce Michaël, unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta Regem Persarum.*

*Scholastici* existimârunt, *singula regna habere suum custodem Angelum*; siquidem *Angelus custos regni Persici* dicatur *Princeps regni Persarum.*

Resp. (1.) *Princeps regni Persarum* eo in loco non est *Angelus quispiam bonus*, regno Persarum præfectus; sed *Angelus aliquis malus*, utpote qui divino mandato se contrarium opposuit. Ecce verò *malum regni Persici custodem!* (2.) Negatur id sequi: quia licet sæpe Deus per *unum Angelum* pro *regno uno* contra hostes pugnaverit, 2. Reg. 19. v. 35. non tamen sequitur, unicuique *unicum* præfectum esse: quoniam aliquando per *unum*, aliquando per *plures* Deus judicia sua exequitur. *Gesner.* disp. in Daniel. 10. thes. 54. & 56. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. pag. 366. obj. 2.

Vers. 14. *Veni, ut docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus.*

*Hodierni fanatici* persuasi sunt, *se ex revelatione Angelorum, eorumque colloquiis, multa cognoscere secreta, multa etiam futura in mutationibus Ecclesia & regnorum, qua aliis postea pradicere possint*; cum & *Angelus venerit ad Danielem, ut ipsum doceret, qua ventura erant populo Judaico in novissimis diebus.*

Resp. N. C. hoc enim aliter accipi nequit, quàm quòd *Angelus, à Deo missus, Propheta revelârit, qua ipse à Deo in mandatis habuit:* ast Fanatici ostendere debent, 1. quòd, quæ prædicunt, *certò à bono Angelo acceperint*; 2. quòd *illi Angelo à Deo revelata fuerint*. Tales autem revelationes extra *Scripturas* petere non possunt, in *Scripturis* verò non inveniunt: unde sequitur, omnem ipsorum persuasionem solidô carere fundamentô. *Baldvin.* de Casib. Conscient. lib. 3. cap. 1. cas. 5. pag. 562. seq.

Vers. 19. *Et dixit: Ne timeas vir desideriorum, pax tibi, confortare & corporare, &c.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Hebraismus:* איש חמדות, *vir desideriorum*, hoc est, *desideratissime*. (2.) *Synecdoche speciei* pro genere: *Pax tibi*, hoc est, *Salvus es*. (3.) Pleonasmus: *Confortare & confortare*, id est, *etiam atque etiam* confortare, q. d. sume bonum animum; ubi idem verbum emphaticè repetitur. *Vatabl.* in Annot. ad huc loc. pag. 553. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 841. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 14. m. 1. pag. 729.

CAP. XI. vers. 2. *Ecce adhuc tres Reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes, & cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversus regnum Græcorum.*

*Dölingius* l. 4. de Antichrist. inter. cap. 20. pag. 697. statuit, *post Cyrum in Persia tantùm quatuor Reges usque Alexandrum Magnum, Macedonia Regem ac Monarcham regnâsse:* tot enim, & non plures, Danielem exprimere.

*Bellarmi-*

*Bellarminus* l. 1. de V. D. cap. 7. obvertit, *illum quartum Persiæ Regem* fuisse *Xerxem*, qui cum innumerabili exercitu venerit in Græciam.

*Dölingius* ibid. respondet, manifestam tam illustri vaticinio fieri injuriam: quia, licet *Xerxes* ingentem in Græcia cladem passus fuisse feratur, regnum tamen Persiæ *in ipso propterea haud defisse* scribatur, quod tamen Angelus in *quarto* desiturum innuat, atque eo ipso ad alium Regem alteriusgentis translatum iri, vers. 3. nempe ad *Alexandrum Macedonem*, 1. Maccab. 1. v. 1. cum illud *sub tribus post Cyrum Regibus Persiæ staturum*, ac minimè labefactatum iri prædixerit.

Vers. 3. *Stabit vero Rex fortis, & dominabitur potestate multa, & faciet, quod placuerit ei.*

I. *Enallage* est verbi *simplicis* pro *composito*: Et *stabit*, hoc est, *obstabit* seu *obsistet*. Præcedit enim, quòd Rex Persidos contra regnum Græciæ *insurrecturus sit*, cui hic potens Rex (Alexander Macedo, cognomento Magnus) *resistet*, & *in contrarium quasi stabit*. Glass. lib. 3. Philol. Sact. tract. 3. can. 1. pag. 225.

II. *Dolingius* l. jam c. pergit probare, per *quartum illum Persiæ Regem* non posse intelligi *Xerxem*, sed *Darium*; cum ab *illo* Daniel statim transeat ad *Alexandrum Magnum*, Regem fortem & præpotentem, qui *Darium* vicit.

*Bellarminus* ibid ex *Hieronymo* regerit, ideo Danielem post *Xerxem* continuò transire ad *Alexandrum Magnum*, quia sibi non proposuerit *historiam Regum texere*, sed *prædicere regnorum mutationes*.

*Dölingius* d. l. reponit: (1.) Angelum à *Xerxe* ad *Alexandrum M.* ibi non transiisse, quòd alias saltum fecisset per annos 135. quorum nullam fecisset mentionem. (2.) Angelum sibi *utrumque* proposuisse, alioqui quem in finem dixisset, *quatuor adhuc fore in Persia Reges*, cum *plures futuros novisset?* Et quomodo, quæso, meminisset Angelus *priorum quatuor Regum* (Cambysis, Smerdis Magi, Darii Hystaspis, & Xerxis) sub quibus, quid in Ecclesia Judaica peractum sit, ne apex quidem habeatur in Scripturis, quæ tamen res in Ecclesia gestas, à *Cyro* usque ad *Alexandrum M.* ordine recenseant, *posteriorum* autem minimè, sub quibus acta populi Judaici descripta extent.

Vers. 17. *Et filiam fœminarum dabit ei, ad corrumpendum illud & non stabit, & non ei erit.*

§. 1. *Filiam fœminarum*, hoc est, *virginem*. Sic vocat Angelus *Cleopatram*, filiam Antiochi Epiphanis, quam ipse Antiochus dedit in uxorem Ptolomæo Epiphani. §. 2. Ad corrumpendum *illud*, subint. *regnum*; ut sit relativum sine antecedente. §. 3. *Et non stabit*; id est, non *perstabit*, Jun. in Not. ad hoc loco pag. 843. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. pag. 555.

Vers. 21. *Stabit in loco ejus despectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.*

I. *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. cap 16. m. t. disputat, *Antichristum ex humillima loco oriundum esse*, quia in ejus loco sit staturus *despectus*, neque *ipsi tribuendus honor regius*; id quòd in *Romanum Pontificem* non quadret.

Resp. Probatio hæc claudicat: Propheta enim *literaliter* non loquitur de *Antichristo propriè sic dicto*, sed de *Antiocho Epiphane*, quem nominat *despectum* ob tres causas, quas Historici annotant; 1. quòd *pravis moribus*, & imprimis *crudelitate* fuit præditus: 2. quòd ob *furorem* pro *furioso* est habitus, unde *Polybius* tradit, pro *Epiphane* nuncupatum fuisse à Græcis *Epimanem*: 3. quòd pater *Antiochus Magnus eum ad regnum ineptum existimavit*, ideoq; Romanis *obsidem* dedit. Licet verò hæc prophetia Danielis *literaliter* in *Antiocho Epiphane* fuerit impleta, *typicè* tamen *Romanum Pontificio* ortum designat: hunc enim ex *minimis initiis* erupisse in *immanem potentiam*, restantur *Æneas Sylvius* in Epist. 301. & *Marsilius Patavinus* in Defens. par. 2. c. 26. Itaque vel maximè primùm fuit *despectus*, neque *honorregius* ei tributus; postea verò *coronam triplicem* sibi imposuit, sibique *Reges habet ligios & vasallos*, ipsosque Imperatores sibi ad mensam & strepam servire compellit. *Thuanus*. in Contin. demonstrat. Pap. Antichrist. p. 104. seqq. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 17. cap. 13. § 1. 2. 3. p. 376.

II. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. pag. 64. nugatur, *Antichristum per fraudes & dolo regnum Judæorum adepturum*, quòd *venturus sit clam*, & *regnum obtenturus in fraudulentia*: hoc cum non conveniat in *Papam Romanum*, itaque eum non esse dicendum *Antichristum*.

Resp. (1.) Isthic loci Angelum agere de *Antiocho Epiphane*, fatentur *Maldonatus & Cornelius à Lapide* Comm. in Daniel. & sic de *Antichristo* non nisi *typicè*, quod ex parte *Schoppius* ipse concedit, latiùs autem diduxit *Pererius* l. 14. in Daniel. pag. 843. (2.) Neque ibi sermo est de regno *Judæorum*, sed de regno *Syriæ*, quod *Epiphanes* absque ulla legitima vocatione, sub specie amicitiæ invasit. Cum enim frater, *Seleucus Philopator*, regni hæredem, *Demetrium*, reliquisset, ipse cognita fratris morte, clam Româ aufugit, inque regnum *blanditiis* se ingessit, & ditionem, quæ nepotis ex fratre jure naturæ erat, sub *titulo tutoris* invasit. (3.) Simile quid fecit *Papa Romanus*: quæ enim major impostura excogitari potuit, quàm quæ persuasit *Petro* dari, quæ dabantur *Papæ*, ut ex donatione *Constantini* patet? Quid illud de *remedio animæ in donatione Ottonum*? Ut taceam, Pontificem Romanum aliquando *apertè bello* usum esse, ut nuper in *Ferraria* occupanda, & olim in occupandis *Imperii* locis. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 2. thes. 32. seq. p. 133. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Pontif. Roman. c. 5. sect. 4. obj. 9. p. 827. & 838. *Cham.* ibid. §. 8.

Vers. 22. *Et brachia inundatione inundabuntur coram eo, & frangentur, & dux etiam fœderis.*

I. *Metaphora* est. Nam (1.) *brachia notant copias fortissimas*, (2.) *inundatione inundari*, est, *multitudine hostium obrui*, velut *aquis exundantibus*; (3.) *frangi* significat *perdi*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 555. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 843. *Glass.* lib. 5. Philol. Sact. tract. 1. cap. 10. pag. 265.

II. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. cap. 5. §. 1. inficias it, *Pontificem Romanum esse Antichristum*, cum non sit *dux fœderis*, id est, *vindex legis Mosaicæ*, qualem fore *Antichristum*.

Resp. (1.) Loquitur hic textus non de *Antichristo*, sed de *Antiocho Epiphane*, conscituto eos, qui inse conspiraverant, non diffitente Apostata: *Epiphanem* autem *vindicem legis Mosaicæ* nunquam fuisse, constar. (2.) Illa verba, *insuper & dux fœderis*, non ad *Antiochum* pertinent, sed Vatablo teste in h. l. ad *Ptolemæum Philometorum*, Ægypti Regem, qui fuit *princeps illius fœderis*, quod contra *Antiochum* pro *Demetrio*, minorenne adhuc puero, consobrino suo, ipse cum Syriæ proceribus inierat. Verùm *Ptolemæus ille Philometor* aperto Marte cum *Antio-*

*Antiocho* congressus, victoriam amisit, contritis & concisis copiis inter *Pelusium* & *Casium* montem; ita ut accepta hac clade, inducias cum *Antiocho* facere cogeretur. Atque sic verba Angeli ab *Hieronymo*, & qui eum sequuntur; etiam inter *Pontificios*, exponuntur; unde sequitur, verba illa de *duce fœderis* nihil commune habere cum *Antichristo*: ejus enim non *Ptolomæus ille Philometor*, aut alii contæderati, sed *Antiochus* typus fuit. (3.) Quòd si autem hic analogiam aliquam *Antichristi* petit Apostata, hanc habeat pro tempore; quòd *Romanus Pontifex* tutorio & vicario nomine *Christi* regnum invasit, & dum se res *Christi* promovere simulat, interim sacrilega manu res *suas* auget, ita ut ne *duces quidem fœderis divini*, hoc est, *orthodoxæ Ecclesiæ defensores* (permittente Deo) coram ipso consistere potuerint. *Baldu*in. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 5. thes. 2.-7. pag. 147. 148. seq.

Vers. 31. *Brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.*

Controversias, fortè hîc motas, vide in Vindic. Dan. 8. v. 11. definitas.

Vers. 33. *Docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & captivitate, & in ruina, &c.*

*Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. cap. 6. sect. 6. pergit probare; *Papam Romanum non esse Antichristum*, cum *in eos, quos in fide Christi constantiores reperit, crudelissimis suppliciis non sæviat*; id quod de *Antichristo* referat Angelus.

Resp. (1.) Adhuc de *Antiocho*, ejusque furore, vaticinatur Gabriel, nec nisi *typice* id in *Antichristum* quadrat, quod de *Antiocho* Angelus prædicit. (2.) *Antiochi* verò vestigiis institit *Papa Romanus*. Nam *σφάξεις Italicæ*, furores *Hispanici*, proditiones *Gallicæ*, &c. testantur, quantis persecutionibus hactenus sævierit in *constantiores fidei Christianæ confessores, & sinceros Ecclesiæ doctores*; qua de re videri potest Catalogus testium veritatis *Flacii*, & Martyrologium D. *Rabi*. Gesner. disp. in Dan. 11. thes. 150. *Baldui*n. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 6. thes. 39. 40. seq. 181. seq.

Vers. 35. *De intelligentibus corruent, ut conflentur, & mundentur, & dealbentur usque ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus erit.*

*Irenæus* lib. 1. contr. hæres. cap. 16. de *Marci* hæretici discipulis narrat, eos gloriari solitos, *se esse albos illos & intellectores*, de quibus *Daniel* hoc loco dicat. *Histor. Magdeb.* Cent. 2. cap. 5. p. 88.

Resp. Vaticinatur Angelus de *syncerus Ecclesiæ doctoribus*, fore ut corruant in Antiochena illa persecutione, & quidem hunc in finem, ut *probentur, purificentur & dealbentur*. Quid verò hoc ad *fanaticos Marci illius socienno*s? Osiand. tom. 2. Paraphr. Bibl. pag. 413. Jun. in schol. Bibl. hoc loco n. 113. pag. 844.

Vers. 36. *Faciet juxta voluntatem suam Rex, & elevabitur & magnificabitur adversus omnem Deum & adversus Deum Deorum loquetur magnifica.*

I. *Polanus* in h. l. negat, de *ullo alio* Angelum hîc loqui, quàm de *Antiocho Epiphane*, quia in textu dicatur הַמֶּלֶךְ *Rex ille*; ubi ה ostendit, de *Antiocho*, cujus mentio præcesserat, nunc porrò agi.

Resp. ה non semper est *demonstrativum ad præcedentia*, verùm sæpe ex usu saltem Hebrææ linguæ sine *ἐμφάσει* ponitur, ut docet *Buxtorfius* lib. 2. Thesaur. Grammat. cap. 5. pag. 351. Instat, absurdum esse, quòd *deserat Angelus persecutionem Antiochi, & describat illam, quæ tot seculis postea demum evenit.*

Resp. Non est absurdum, ut ex improviso à *typo* ad *antitypum* se convertant Prophetæ, ut ex præf. *Cornelii à Lapide* ad Pentateuch. & lib. 1. Philol. Sacr. *Glass.* tract. 4. sect. 1. reg. 8. pag. 324. & 325. patet. *Friedlib.* in Annot. ad h. loci class. 7. quæst. 45. pag 781.

II. *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. cap. 2. arg. 4. suspicatur, *Antichristum fore unicam personam*, quia vocetur *unus quidam Rex*.

Resp. (1.) N. C. *Antichristus* enim nominatur *unus Rex*, quomodo *quatuor illa Monarchiæ appellantur quatuor Reges*, Dan. 7. v. 17. in quibus tamen certum est, non regnâsse *unum numerô hominem*. (2.) Non autem abs re *Antichristus vocatur Rex*: siquidem ipse ratione *personæ suæ* nullas partes obit *Ecclesiastici ministerii*, sed administrationi *politicæ regnorum hujus mundi* potiorem dat operam, quæ ipse pro suo lubitu transfert & distribuit, quibus vult. Quin etiam *Ecclesiasticum* statum ad *formam regnorum seculi hujus* instituit, in quo ipse emineret, tanquam *Rex & Monarcha*; qua de causa à suis quoque salutatur *Rex Regum*, & *dominus dominantium*. Hunn. tom. 1. Oper. Latin. pag. 1381. *Cham.* tom. 2. Panstrat. l. 17. cap. 1. §. 22. seqq. pag. 363.

III. *Papa Romanus est Antichristus*: siquidem *ipsi* competit genuina *Antichristi* nota, nempe *omnia facere pro lubitu, elevare se supra omnem Deum, & adversus Deum Deorum loqui magna, mira & stupenda.*

*Parmannus* in Hodeg. regerit, hoc ipsum *Papam* non facere, sed *intra cancellos ordinis sui se continere.*

Resp. Hoc non est *respondere*, sed *negare* duntaxat: ad verò ex ipsis *Pontificiis* constat, prophetiam istam Danielis in *Papam Romanum* quadrare. Nam (1.) *Papa facit omnia secundùm voluntatem suam*; de eo enim scribunt *Hostiensis* & *Franciscus de Ripa*, quòd habeat voluntatem pro ratione in his, quæ vult. (2.) *Elevat se supra omnem Deum*: siquidem in *Angelos* (Psalm. 8. v. 6. *Deos* dictos) *Clemens* VI. imperium affectavit, supra *summa imperii capita*, Imperatores, Reges, Principes, (qui omnes in scriptura appellantur *Dii*, Psalm. 82. v. 6.) etiamnum extollit *Papa*. (3.) *Adversus Deum Deorum loquitur magna & stupenda*: quandoquidem statuere audet, *se unum cum Christo habere Consistorium, posse contra Epistolas Pauli aliquid sancire*, & *Laicis calicem è S. Cœna surripere*. *Balduin.* in Phosph. Cathol. l. 10. cap. 5. pag. 939. & cap. 7. pag. 946.

Vers. 37. *Et Deum Patrum suorum non reputabit, neque amorem fœminarum, neque quenquam Deorum curabit: quia contra universa consurget.*

*Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. cap. 14. negat, *Papam Romanum esse Antichristum*, quòd *ipse Deum patrum suorum reputet, Deumque verum curet*, contrà quàm facturus sit *Antichristus*, quippe *non passurus ullum præter se Deum.*

Resp. (1.) Textus *Hebræus* non habet, quòd Antichristus *nullum Deum sit culturus*; siquidem v. 38. Propheta disertè dicit, ipsum eundem Regem *adoraturum Deum aliquem*, videlicet *Maozim*: verùm dicit, quòd *spreta à patrum suorum religione, novum cultum sit introducturus, & nullos Deos curaturus. Nullos autem curare Deos*, non est necessariò,

nullum

*nullum Deum agnoscere*, sed eos ipsos, qui pro *Diis* agnoscuntur, non curare: quomodo solent perfrictissimæ frontis homines nullo duci *Dei timore*. Et hic videtur ejus loci sensus commodissimus; nam præcessit: *Et faciet juxta voluntatem suam Rex, & elevabitur ac magnificabitur adversus omnem Deum*. (2.) Neque etiam Angelus dicit, Regem illum *palam & publicè oppugnaturum esse omnes Deos*, (quis enim illi hac ratione adhæreret?) sed ita se *effectu* gesturum, ut *opponat se Deo*, etiamsi alioquin *verbis* Deum agnoscat. (3.) Prophetia illa vel maximè in *Pontifice Romano* impleta est: is enim veri Dei cultum, à *Prophetis & Apostolis* præscriptum, nil curat; sed sua ἐντάλματα sequenda proponit: *conjugium aversatur, Principes & Magistratus spernit, neminique subjici vult*.

Replicat 1. *Bellarminus* lib. 1. de Miss. cap. 1. *Antichristum contra universa numina consurrecturum esse*, quod non faciat *Papa*, qui cum suis *innumerabiles Deos colat*, Evangelicis fatentibus.

Resp. Per *numina* sive *Deos* non *sanctis defunctis*, sed *Principes & Magistratus* Propheta intelligit, quos Scriptura *Deos* vocat, Psalm. 82. v. 6. Malè ergo applicatur ad *defunctos*, quod de *vivis* intellectum vult Daniel. *Papam* autem Romanum *contra universos Principes se extollere*, Bellarminus diffiteri nequit.

2. *Pistorius* in Hodeg. pag. 679. *Papam non tollere desiderium erga mulieres*, imò *Papistas nimiùm mulieres amare*.

Resp. (1.) Daniel loquitur de *ordinato amore, & desiderio legitimo erga mulieres*, hoc est, *de amore conjugum*, quem *Papa* aversatur, suisque satellitibus prohibet: quo ipso sese *Antichristum* demonstrat. Certum enim est, & negari nulla veritatis specie potest, in eo ipso *Antichristum* adversari Deo, quòd prohibeat *desiderium fœminarum*, Deo aliàs complacitum, teste Paulo, 1. Tim. 4. v. 3. idque aliud esse non potest, quàm *amor conjugalis*. (2.) Confessionem *Pistorii* de *nimio mulierum desiderio apud Papistas*, opponimus ipsius assertioni de *facilitate servandæ in cælibatu castitatis*, & de *perpetua Clericorum continentia*, pag. 645. quam quidem non servârunt *Johannes* XIII. in adulterio confossus; *Alexander* VI. cujus *Lucretia* filia fuit, & sponsa, & nurus; & *Johannes* VIII. fœmina, scortum, in processione partum enixa; 15. Historicis testibus. *Mentzer*. disp. Antipist. 14. thes. 59. & 60. pag. 680. seqq. *Meisner*. par. 2. Philos. sobr. sect. 1. cap. 3. quæst. 4. object. 2. & 4. pag. 409. 410. 411. *Cham*. tom. 2. Panstr. l. 17. cap. 11. §. 13. 15. 16. pag. 375.

Vers. 38. *Deum Maozim in loco suo venerabitur, & Deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet aurô, & argento, & lapide precioso, & desiderabilibus.*

I. Angelus hîc non loquitur de *Antiocho Epiphane*; neque enim dici potest, quis sit ille *Deus Maozim*, ab *Antiocho* cultus.

*Polanus* in h. l. regerit, *Deum Maozim* esse *Jovem Olympium*, qui hactenus apud *Syros* cultus non fuerit, verùm primus Antiochus illum coli voluerit.

Resp. *Jupiter* apud omnes gentes fuit celebris, & diu ante Regem Antiochum cultus; quod omnium Historicorum & Poëtarum monumenta produnt. Hinc Antiochi superstitiones dicuntur Ethnicis usitatæ fuisse, 1. *Maccab*. 1. v. 46. *Friedlib*. in Annot. ad hoc loco class. 7. quæst. 45. pag. 781. seqq.

I. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. inficiatur, *Papam Romanum esse Antichristum*, quia *Antichristus seipsum, ut Maozim, Deum fortitudinis, sit jactaturus, & in templo, à se ædificato, preciosum sui cultum* (aurô, argentô & margaritis) *ab aliis expetiturus*; id quod non faciat *Papa Romanus*.

Resp. (1.) Spiritus Dei non dicit, *Antichristum fore ipsum Deum Maozim*, sed *alium à Deo Maozim*: nam disertè distinguit inter *Antichristum*, qui Deum Maozim colet; & inter *Deum Maozim*, cui Antichristus divinos honores deferet. (2.) Neque Propheta de tali Deo agit, *qualem seipsum facturus sit Antichristus*, sed qualem *ipse sibi colendum atque glorificandum effecturus* sit. Quis enim sensus: *Glorificabit se aurô, argentô, lapidibus preciosis?* (3.) *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. cap. 14. nomine *loci*; non *templum Hierosolymitanum*, sed ipsum intelligi *Antichristum*, existimat, cur ergo Apostata *templum Hierosolymitanum* infarcit? (4.) *Papa* multis jam seculis impleto hoc Danielis vaticinium; siquidem Deum suum *Missaticum* sumptuosissimè colit, & nemini non adorandum prostituit, piæ licet *antiquitati* ignotum.

*Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. cap. 14. excipit 1. illud, *venerabitur*, in Hebræo non esse, יִשְׁתַּחֲוֶה, *adorabit*; sed יְכַבֵּד, *glorificabit*: unde & LXX. vertisse, δοξάσει; & illud, *in loco suo*, pro, *seipsum*, positum esse, teste *Theodoreto*: sic igitur *Antichristum seipsum glorificaturum esse*, cum *se ab omnibus adorari faciet*.

Resp. (1.) *Jesuita* repudiare non debebat *Vulgatam Versionem*, (ex Concilio Tridentino sess. 4. cap. 2. ipsi authenticam) quæ legit: *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur*. Atqui verò, *seipsum Antichristum venerari*, dici non potest: ideoque nec *Antichristus ipse Deus Maozim erit*. (2.) Expositio illa Bellarminiana seipsum evertit. Quòd si enim verbum Hebræum, יְכַבֵּד, & Græcum, δοξάσει, significat, *glorificabit*, habetque non *reciprocam*, sed *transitivam* significationem; utique non poterit reddere illud verbum, *glorificare faciet*: fieri enim non potest, ut unum idemque verbum in una & eadem conjugatione, imò in uno eodemque loco, habeat significationem geminam, *transitivam* & *reciprocam*. Significatio autem *transitiva* verbi illius quia est *propria & usitata*, insania est, sine causa urgente ad *impropriam & peregrinam* confugere. (3.) Nec appositè Theodoretus: *In loco suo*, id est, *seipsum*; quod non fert *lingua sacra* usus.

2. Per *Deum Maozim* meliùs intelligi *Diabolum*, quem Antichristus more aliorum magorum *occultè* adoraturus sit.

Resp. (1.) *Bellarminus* sibi contradicit: suprà enim negavit, Antichristum esse ullum Deum unquam curaturum, sed solum *sese Deum* dicturum; jam verò affirmat, ipsum etiam *Diabolum* esse culturum, & *Deum* dicturum. (2.) Illud, *occultè*, unde est? Non certè à Daniele: hic enim non de *privato cujusdam Dæmonis*, sed de *publico cultu* loquitur, *cujus Antichristus multos habiturus est socios*, vers. 39. Num hoc putabimus *clam* posse contingere? (3.) Deum ille, quem Antichristus colet, Deus erit, *quem majores ipsius non agnoverint*, v. 38. Cui verò ignotũ est, à non paucis cultum esse *Diabolum?* Notum est illud *Psal*. 96. v. 5. *Omnes Dii Gentium, Dæmonia*. Et num *Diabolus aurô & argento ornari solet*, quod de *Deo Maozim* affirmatur? Imò tantùm abest hæc dona petat, ut illa *cultoribus* promittat, Matth. 4. v. 9. *Hunn*. tom. 1. Oper. Lat. pag. 1429. seqq. *Balduin*. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 5. thes. 21.-28. pag.

pag. 156. 157. seqq. *Thumm.* in Contin. demonstr. de Pap. Antichrist. pag. 178. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Pontif. Rom. cap. 5. sect. 4. pag. 820. seq. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 17. cap. 11. §. 13. 17. 18. 19. pag. 375.

III. *Deus ille Maozim est cultus Missaticus, in Papatu usitatus*: *hic* enim 1. est מעוז & *propugnaculum* totius Papatus: 2. ejusdem est *Deus*, quippe cui adscribitur *vis immutandi rerum naturas*, ut ex pane carnem, & ex vino sanguinem faciendi, quod *solius Dei proprium* est: 3. Panem consecrat ad *religiosè adorandum*; 4. ignotus fuit *Apostolis & primitiva Ecclesiæ*. quid enim nôrunt de *Canone Missifico*, de *Missa sacrificio ἱλαστικῷ*, de *sacrilegio calicis*, &c. 5. Locupletatus fuit *aurô & argentô* per venditiones palliorum Episcopalium, per inventiones anatatum, per figmenta variarum Missarum, &c.

*Bellarminus* lib. 1. de Miss. cap. 1. obvertit 1. *Missam longè esse antiquiorem Antichristo*, juxta *Evangelicos* post annum Domini 600. demum natô; ideoque *ipsam* non posse esse *Deum illum Maozim*, ab *Antichristo* erectum.

Resp. (1.) *Vocem quidem Missæ* antiquiores Patres Latini tenuerunt, non verò *sacrificium Missaticum propitiatorium*, quod hodie Antichristus Romanus sub voce *Missa* vendit. (2.) Quando Evangelici affirmant, *Antichristum natum esse post annum Domini 600.* non *prima ipsius initia*, sed *plenum ipsius in Ecclesia dominatum respiciunt*: aliàs non ignorant, jam tum ipsius *Apostoli* ætate Antichristum mysterium iniquitatis, tardiore licet processu, operari cæpisse, 2. Thessal. 2. vers. 7.

2. Antichristum Deum Maozim culturum esse *clam in arce quadam munitissima*, adeoque in *loco occulto*, in quo erunt præcipui ejus thesauri; *Missam* autem *publicè* celebrari: quare *hanc* non posse esse *Deum illum Maozim*.

Resp. (1.) Nullo *probati authoris* testimonio probari potest, voce מעזים locum designari *munitum & clancularium, in quo thesauri recondantur & asserventur*. Nemo certè adeò imperitus est linguæ sanctæ, ut nesciat, מעוז idem esse, quod *robur*, & מעזים tantundem valere, atque *robora* sive *fortitudines*, ita etiam hanc vocem vertentibus *Theodosione*, *Aquila*, *Syro*, *Arabe*, *Vatablo* & aliis. (2.) *Antichristum clam culturum Deum Maozim*, assertio est, quæ adversa fronte cum Daniele pugnat, quippe qui planissima oratione testatur, Antichristum culturum Deum Maozim *aurô*, *argentô*, *lapidibus preciosis*. Illa verò quorsum *in secreto*, *nulloque conscio*? Non is mus est, aut fuit unquam. *Hutter.* in Refut. Bellarm. de Miss. pag. 16. seq. *Balduin.* libr. cap. pag. 159.-162. *Brochm.* & *Cham.* ibid.

Vers. 39. *Et faciet, ut muniat Maozim cum Deo alieno, quem non cognovit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram dividet gratuito.*

I *Bellarminus* lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 14. probare annititur, *Maozim* esse nomen *loci munitissimi*, in quo Antichristus Diabolum sit adoraturus; quoniam Antichristus sit facturus, ut *muniat Maozim cum Deo alieno*, quem cognovit.

Resp. (1.) *Jesuita* seipsum confundit, dum scribit, per *Maozim* intelligi *arcem munitissimam*: hoc si verum, jam non *Diabolum in arce*, sed *arcem potiùs ipsam*, quippe *Maozim*, colet. Rursum, si *Diabolum* colet, cui nomen sit futurum *Maozim*, utique *arx illa munitissima*, non erit *Maozim*. (2.) *Hebraicè* sic legitur: *Et faciet, ut ii, qui confirmabunt Maozim, alienum numinum Deum, quem ille agnoscit, dignitatibus augeantur, &c.* Ubi nihil de *arce quadam munienda*, sed de *assensu Dei illius alieni, ejusque cultu confirmando*. Angelus loquitur, futurum scilicet, ut Antichristus *defensoribus Missaticæ suæ religionis dignitates, opes & Principatus conferat*. Osiand. tom. 2. comm. Bibl. p. 414. b. *Hutter.* contr. Bellarm. de Miss. pag. 18. 19. seq.

II. *Scioppius* in Syntagm. de Antichrist. cap. 6. concludit, *Papam Romanum non esse Antichristum*, quòd *Antichristus magnis sumptibus sit conducturus homines, qui persuadeant aliis, ea, quæ de Antichristo prædicta sunt, jam pridem esse impleta*; cum tamen *contrarium* faciat *Papa*.

Resp. (1.) Hic non dicit Propheta, *Antichristum magnis sumtibus homines conducturum esse, qui aliis persuadeant, ea, quæ de Antichristo prædicta sunt, jampridem esse impleta*; sed pronunciat, *Antichristum suis satellitibus & asseclis terram esse distributurum*. (2.) Viderit verò *Apostata*, quomodo huic vaticinio satisfaciat *Papa Romanus*, alliciendo muneribus & honoribus doctos ac indoctos, terramque gratuitò dividendo inter *Cardinales* & *Episcopos*, cæterosque *magnates*, qui ad *Sandalia Papæ* deosculanda se humiliter demittunt. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 6. thes. 37. seq. pag. 180.

Vers. 40. *Et in tempore præfinito cornupetet se cum eo Rex Austri, & turbinabit super eum Rex Aquilonis in cursu, & in equitibus, & in navibus multis, & ingredietur in terras, & inundabit, & transibit.*

I. In versu hoc reperitur (1.) *Metaphora* quâ יתנגח *cornupetere* significat, *potentiam adversus hostes pugnando exserere seu præliari*: & ישתער *turbinare*, de *hominibus* usurpatum, notat, *hostiliter impetere*, seu *instar turbinis infestare* ש est locô ס (2.) *Enallage numeri* singularis, *curru*, pro plurali, *curribus*. Ariæm. par. 4. Bibl. pag. 162. *Vatabl.* in Annot. ad hoc loco pag. 557. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacra. tract. 1. cap. 10. pag. 250. & cap. 11. pag. 308.

II. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. pag. 64. nugatur, *Antichristum nasciturum esse ex tribu Dan.* quia *ipsum* Daniel vocet *Regem Aquilonis*.

Resp. Nulla est consequentia: siquidem *Rex Aquilonis* vocatur Antichristus, tum quia *Rex Babyloniorum* typus fuit, qui ex parte *Aquilonari* exercitum duxit in Judæam, ut scribit *Lyra* in Jerem. 4. tum etiam quia generale Scripturæ proverbium est, *ab Aquilone omne malum venire*, Jerem. 1. v. 14. & cap. 4. v. 6. Quid autem hoc ad *ortum Antichristi*? Balduin. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 2. thes. 13. seq. pag. 125.

III. *Bellarminus* lib. 1. de Miss. cap. 1. probare conatur, *Deum Maozim*, vers. 38. non esse *Deum Romanorum*, neque esse *Missam*, nisi velimus dicere. *Missam a Romanis oppugnari*, & ab *Aquilonaribus defendi*: Regem enim illum: qui colit *Deum Moazim*, esse Regem *Aquilonis*, & contra eum pugnaturum Regem *Austri*, & nominatim *Romanos*.

Resp. (1.) Per *Regem Austri* intelligendus est *Christus* ipse, qui spiritu oris sui præliatus est & debellavit *Antichristum*, 2. Thess. 2. v. 8. non verò Romani intelligi possunt, cũ, v. 44. disertè dicatur, *Regẽ Aquilonis*, h. e. *Antichristũ*, consternandum esse

rumoribus

rumoribus ab *Oriente* & *Aquilone* sive *Septentrione*: siquidem *Roma, totaq; Italia* Occidentalem plagam obtinet. (2.) Neque verò ex eo sequitur, *Romanos Misiam oppugnaturos, & Aquilonares, id est, Septentrionales eam esse defensuros*; sed hoc saltem sequitur, *Regem Aquilonis*, hoc est, *Antichristum, pro Deo suo Maozim adversus Regem Austri esse pugnaturum*. *Hutter*. de Miss. contr. Bellarm. p. 11.-15. *Meisner*. part. 2. Philos. sobr. sect. 1. c. 3. q. 4. obj. 1. pag. 408. seq.

Vers. 41. *Introibit in terram gloriosam, & multa corruent; hæ autem sola salvabuntur de manu ejus, Edom, & Moab, & primitiæ filiorum Ammon.*

*Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. c. 6. autumat, *Ecclesiam Christianam à furore Antichristi fugituram esse in desertum Arabiæ, ibique salvam mansuram*; eò quòd *Antichristô, in terram sanctam ingressurô, sola sint salvanda de ejus manu Edom, Moab, & primitiæ filiorum Ammon*: hoc autem ad *Romani Pontificis* tempora non quadrare.

℞. Neque de *fuga Ecclesiæ*, neque de *fuga in desertum* hoc in loco ullum exiat verbulum; sed de *nonnullis è manu Antichristi liberandis*, quod licet non *per fugam in desertum*, alio tamen fieri potuit modo, idque factum est, durante *Papæ Romani* tyrannide, plenisque velis in Ecclesia grassantibus ejusdem persecutionibus. Ibi enim ex *Antichristi* manibus erepti sunt: (1.) *Edom*, id est, *sancti Martyres*, (אֱרוֹם enim *rubicundum* significat, unde Christus, *cruoris sui effusi rubedine* tinctus, *ab Edom venire* dicitur, *Esa*. 63. v. 1.) qui bestiæ Romanæ ad sanguinem usque restiterunt, & Christi Evangelium contra errores Antichristi morte sua obsignárunt. (2.) *Moab*, id est, *confessores veritatis cælestis intrepidi*, (significat enim מוֹאָב idem quod *à patre*, seu *paternus*) qui à Patre suo cœlesti & fide in Christum non defecerunt, licet ob confessionem illam non fuerint interfecti. (3.) *Primitiæ filiorum Ammon*, id est, *infantes baptizati in Papatu*, & post baptismum statim defuncti. *Hos* autem propterea Spiritus Sanctus introducit sub imagine *Edomitarum, Moabitarum, Ammonitarum*, gentium abjectissimarum in conspectu *Iudæorum*, quia nihil vilius est *Antichristi* satellitibus in *Papatu*, quam illi tres hominum cœtus. *Balduin*. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 6. thes. 101.-105. pag. 206. 207. seq. *Döling*. l. 2. de Antichrist. interit. c. 13. p. 177. seq.

Vers. 42. seq. *Terra Ægypti non effugiet, &c. per Libyam quoq; & Æthiopiam transibit.*

*Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 16. m. 2. inficiatur, *Papam Romanum esse Antichristum, cum ipse non pugnaverit cum Regibus Ægypti, Libyæ & Æthiopiæ, neque eorum regna, illis devictis, occupaverit*; idquod tamen *facturum esse Antichristum*, Daniel prædixerit.

℞. (1.) Celebres Pontificii, *Maldonatus* & *Cornelius à Lapide*, locum hunc de *Antiocho Epiphane* explicant; qua quidem ratione argumentum *Bellarmini* expirat, cum quæstio sit de *Antichristo*. (2.) *Ægyptus* solùm dicitur debellata, non etiam *Libya* & *Æthiopia*, utpote *quæ saltem erunt in gressibus ejus*. Pagninó & Ariá interpretibus, sive, ut Vetus Interpres reddidit: *Per Libyam quoque & Æthiopiam transibit*. (3.) Hoc Danielis de *Antichristo* vaticinium in *Romano Pontifice* impletum est. *hic* enim misit manum suam in terras Ægypti, dominaturus super thesauros auri, argenti, & omnium pretiosarum rerum Ægypti. Neque enim contentus fuit Imperiô *Occidentis*, sed *Orientale* quoque fraudulenter avidissimeque affectavit: ideoque sub prætextu *religionis*, & speciosô tituló *recuperandæ terræ sanctæ*, præstantissimum florem nobilitatis subinde in Asiam, indeque etiam in *Ægyptum, Lybiam & Æthiopiam* ad bellum sacrum emisit, ut earum quoque regionum thesauros possideret, &, dum illi trans mare bellum gerebant, ipse interim eorum bona invaderet. (4.) Absurdum est, hæc, quæ *Bellarminus* dicit, de *Antichristo* intelligere: sic enim tunc regna iterum restituenda essent *Regibus Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ*, & omnia ad idem punctum redire deberent, ut locus & via *Antichristo* patefieret; quod planè novum est. *Balduin*. tom. 2. Witteberg. disp. 2. cap. 2. thes. 32. & 37. pag. 133. 134. seq. *Thumm*. in Contin. Demonstr. Pap. Antichrist. pag. 207. *Brochm*. tom. 2. Syst. Theol. art. de Pontif. Rom. c. 5. sect. 4. obj. 9. p. 827. & 839. *Cham*. tom. 2. Panstr. l. 17. c. 13. §. 9. & 10. p. 377.

Vers. 45. *Et figet tabernaculum suum Apadno inter duo maria, super montem inclytum & sanctum, & veniet usq; ad summitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei.*

I. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. c. 4. arbitratur, *Antichristum*, simul ac in terram sanctam venerit, *palatium sibi extructurum juxta Nicopolim sive Emaus, inter lacum Asphaltiten & mare mediterraneum*; quoniam *ipse fixurus sit tabernaculum suum Apadno inter duo maria*: hoc autem in *Pontificem Romanum* non quadrare.

℞. (1.) Hebræum, אַפַּדְנוֹ, non notat *Nicopolim* sive *Emaus*: neque enim hoc oppidum ita olim fuisse nuncupatum, ex ullo probato Scriptore ostendere potest *Apostata*: sed nomen *appellativum* est, descendens ex nomine אַפֶּדֶן. significante *palatium*, Aria interprete, & ex suffixo pronomine, ו, *sui*. (2.) Neque ulla probabili ratione Adversarius *duo illa maria* de mari *mortuo* & *mediterraneo* interpretatur, inter quæ *Apadnon* illam sitam esse fingit; nam mare *mortuum* non est ejusmodi *mare insigne & magnum*, quale notare voluit Daniel. (3.) Prophetia hæc de *Antichristo* in *Romano Pontifice* impleta est: hîc enim palatium suum fixit in urbe *Roma*, quæ & *montosa*, & inter duo insignia maria, *Thyrrenum* & *Adriaticum*, sita est. *Hunn*. tom. 1. Oper. Lat. p. 1425. seq. *Balduin*. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 4. th. 1.-9. p. 141. 142. seq.

II. *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 22. resp. ad error. 4. opinatur; *Antichristum in monte oliveti interfectum iri*: ipsum enim *venturum esse ad summitatem montis inclyti & sancti, & neminem ei auxiliaturum*.

℞. (1.) *Vetus Interpres* discessit ab *Hebræis*, reddens, *& veniet usq; ad summitatem ejus*, ac multò melius, *& veniet ad suum finem*. Nam si reddis, Ejus, referasque ad *montem*; omnino postea, *& nemo auxiliabitur ei*, referendum erit ad *eundem montem*, cum tamen Jesuita referat ad *suum Antichristum*. (2.) Daniel non loquitur de *monte Oliveti*, sed de *Roma*, quam vocat *montem inclytum & sanctum*, tum quia S. Paulus *doctrinam sanctam de Christo in illa urbe fideliter tradidit, & sanctam Christo Ecclesiam ibidem collegit*; tum quia *sancti Martyres*, ab Ethnicis Imperatoribus *Romæ* confessi, in sepulcris quiescunt; tum quia Dominus etiam in media illa Babylone, & olim & etiamnum, *sanctum suum semen* sibi reservavit. (3.) Posuô, locum illum de *monte Oliveti* intelligendum esse (quod tamen est falsissimum) quæ quæso consequentia.

*Antichristus veniet ad summitatem Oliveti, & nemo auxiliabitur ei* : ergo *ibi interficietur*, hoc est, ut *Schoppius* addit, *in præruptum dehiscentis montis & in stagnum ignis infernalis, vivus* præcipitabitur? Annum enim *non auxiliari* est *interficere*, aut *vivum in infernum detrudere*? Nugæ! *Balduin*. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 7. th. 9. p. 233. *Reinecc* tom. 4. Panopl. c. 10. p. 103. seq. *Cham*. tom. 2. Panstr. l. 17. c. 10. th. 2. & 7. p. 373. seq.

CAP. XII. v. 1. *In tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro.*

I. Ἀνθρωποπάθεια est: *Deus* enim *scribere* dicitur *pios in libro* i. e. *singulariter nosse salvandos*, utpote quos per fidem in Christum ad vitam æternam elegit. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 135. & 157.

II. *Schoppius* in Syntagm. de Antichr. c. 6. censet, *multos Iudæorum ex Enochi & Eliæ prædicatione, tempore Antichristi futurâ, conversum iri*; quia in *tempore illo salvandus sit populus Iudaicus*.

℞. (1.) Libenter concedimus, sermonem hîc esse de temporibus, *Antichristi revelationem insecutis*; non verò de *conversione Iudæorum, ex Enochi & Eliæ prædicatione subsecuturâ* : de *hac* enim altum est silentium. (2.) *Iudæorum nonnullorum conversionem, ante diem novissimum futuram*, non imus inficias; at de *salute populi tantùm Iudaici Angelum loqui*, simpliciter negamus. Non enim *Iudaicus tantùm populus* inscriptus est in librum vitæ, quemadmodum nec *ille solum salvabitur*; sed inscriptio & salus omnium est, *qui finaliter in Christum credunt*, sive *Gentes* sint, sive *Iudæi*: atque hanc ob causam Angelus Domini *universaliter* loquitur de salute *omnis populi, in librum vitæ inscripti*. Solatur itaque Deus Ecclesiam, quòd in mediis Antichristi furoribus nihilominus sibi reservaturus sit *electos & verè fideles*, qui miraculis ac prodigiis Pseudoprophetarum in regno Antichristi seduci non potuerunt, *Matth*. 24. v. 24. sed salvabuntur, quotquot inscripti fuerint in librum vitæ, sine respectu *gentis* aut *personæ*. *Balduin*. tom. 2. Witteb. disp. 2. c. 6. th. 91. 92. 93. p. 202. seq.

III. *Infideles non sunt inscripti in librum vitæ* : illi enim non salvabuntur, siquidem de *inscriptis in librum vitæ* pronunciat Angelus, *omnes illos salvatum iri*. Ergo *qui non salvantur*, veluti *infideles*, *non sunt in libro vitæ consignati*.

*Huberus* in Confutat. brev. p. 14. excipit, dictum hoc non sonare de *inscriptione*, *quæ ab æterno facta est*; sed de *consignatione hominum in pectore Dei, quæ per fidem fit demum in tempore, & non ab æterno*.

℞. Adversarius convinci potest ex propriis suis thesibus *Tubingensibus*, quod illic, *electos*, & *in libro vitæ scriptos*, pro *iisdem* planè habuerit. Uti verò *electio* facta est *ab æterno*, Ephes. 1. v. 4. ita quoque *inscriptio in libro vitæ*, Apoc. 17. v. 8. Deinde quia *Huberus consignationem in librum vitæ* concedit, non nisi *fidelium esse & hæredum vitæ æternæ*, necesse est, ut concedat, *electionem* ad vitam æternam non nisi *fidelium esse & hæredum vitæ æternæ*; qua de re vide thes. 757. *Hunn*. tom. 1. Oper. Lat. p. 888.

IV. *Electi ab æterno non possunt æternùm perire, sed certò salvabuntur : sunt namq; inscripti in libro vitæ*; quicunque autem *inscriptus est in libro vitæ, is certò salvabitur*.

*Socinus* in Prælect. Theol. c. 12. p. 56. obvertit, *nomen alicujus scriptum esse in libro vitæ*, non significare, *eum nulla prorsus ratione interire posse*; sed *ipsum esse in certissima salutis via, in qua si perseveraverit, vitam æternam adepturus sit*.

℞. *Inscriptio in librum vitæ* est duplex: una fit tur ex *Dei dilectione*, altera simul ex *finalis perseverantiæ prænotione*. Illo modo inscripti deleri rursus possunt: *hi* quamvis deleri ex *sua parte* queant, tamen ex *infallibilitate eventûs*, actu non delentur, sed certò salvantur. *Stegm*. disp. 14. Antiphotin. q. 4. arg. 3. p. 161. & 163.

Vers. 2. *Multi de his, qui dormiunt in terra pulveris, evigilabunt : alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper.*

I. Offert se (1.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: nam *multi* pro *omnibus omnino hominibus* accipiuntur, uti à Christo *Iohan*. 5. v. 28. explicatur. (2.) *Metaphora* : uti enim *dormire* notionem *mortis*, ita *evigilare* notionem *vitæ* habet. (3.) *Pleonasmus*: In *terra pulveris*, h. e. *in terra*: nisi exponas, in *terra pulverulenta*. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 845. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 32. not. un. p. 118. lib. 5 tract. 1. cap. 12. p. 362. cap. 15. p. 446.

II. *Vulgata versio hic est vitiosa*: quid enim est, *Ut videant semper*? aut quorsum spectat? nam id non est in *Hebræo*.

*Lyranus* in h. loc. excusat, Latinum Interpretem hunc intendisse sensum: *Ut videant opprobrium suum*.

℞. Quasi verò non satis *viderent*, qui *sentirent*. At LXX. εἰς αἰσχύνην αἰώνιον, & rectè, *in ignominiam sempiternam*: Arias, *in contemtum seculi* sive *sempiternum*. *Cham*. tom. 1. Panstr. l. 14. c. 12. §. 13. p. 257.

III. *Futura aliquando est universalis mortuorum resurrectio : dormientes* enim *in pulvere terræ, evigilabunt*, & quidem *alii in vitam æternam, alii in opprobrium & ignominiam sempiternam*.

Respondet 1. *Porphyrius* apud *Hieronymum*, agi hîc de *Iudæis*, qui sub *Mathathia & Iuda Maccabæo* ad eremum confugerant, & latitabant in speluncis ac cavernis terrarum, & quasi metaphoricè *dormiebant*, & operti erant malorum pondere, & quasi in *sepulcris miseriarum* reconditi, & postea ad *insperatam victoriam* de *terræ pulvere surrexerint*, & de humo elevaverunt caput, quasi ita *observatores & zelatores legis divinæ* surrexerint ad gloriam & vitam nunquam intermorituram, *prævaricatores* autem paternarum legum, & veræ pietatis osores ad opprobrium sempiternum.

℞. Opinio hæc cum textu stare nequit (1.) enim afflictiones, quibus sub *Antiocho* Israelitæ premebantur, non erant *graviores*, quàm unquam extiterint; cum sub *Nebucadnezaro* in Hierosolymitanæ eversione gravissimas passi fuerint; Propheta autem loquitur de tempore *omnium afflictissimo*, quale non fuerit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud, v. 1. (2.) Post miseriam illam *pii & impii simul* metaphoricè in Judæa surrexerunt, & bona temporalia intra eam ad tempus receperunt: jam verò Daniel de *tali resurrectione* loquitur, in qua *piorum & impiorum erit discretio sempiterna*. (3.) Doctores *legis Iudaicæ* non cœperunt ab *eo tempore* fulgere ut firmamentum in æternum, quod de *doctoribus* Angelus affirmat, v. 3. siquidem paulatim fuit lex depravata, & sensim imminuta felicitas externa, ut ex Chronicis patet.

2. *R. Sahadia Gaon*, sermonem hîc esse de *solis vitæ hæredibus*, qui expergiscentur; *impiis*, qui non expergiscentur, in infimo Gehennæ antro relictis.

℞. Expositio hæc contorta est: nam (1.) *expergiscentes illi* dicuntur *multi*, at vitæ æternæ hæredes sunt *pauci*; multi verò non sunt pauci. (2.) Daniel illos *multos*, qui expergiscentur, dividit in *salvandos*, & *damnandos*: alii vitæ æternæ hæredes non erunt *damnandi*, sed *impii*. *Franz.* part. 2. disp. 7. in August. Conf. prior. thes. 117. 118. seq. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 30. de resurrect. mort. §. 13. argum. 9. p. 003. seq. *Calixt.* lib. de universal. mortuor. resurr. p. 126. seq.

IV. *Impii in inferno æternùm sunt cruciandi*: resurgent enim ex terra in *ignominiam sempiternam*.

Obvertit 1. *Smalcius* contr. Franz. fol. 414. locum illum de *captivitate Babylonica*, & de *liberatione ex illa* propriè intelligendum esse; ad negotium verò *resurrectionis* non nisi *impropriè* pertrahi posse, cum ibi non sit sermo de *omnibus*, sed de *multis tantum*.

℞. (1.) Textus ille non potest intelligi de *liberatione ex captivitate Babylonica*. Nam primùm dicit, *dormientes sub terra pulvere evigilaturos*. Ubi verò Apostata didicit, *dormire sub terra pulvere*, idem esse ac, *in captivitate servire*; & *evigilare*, idem quod, *liberari ex servitute & captivitate*? Nullum potest exemplum proferre vel ex universa Scriptura, vel ex alio quodam classico autore. Deinde post captivitatem Babylonicam solutam, nec *pii statim in vitam æternam admissi*, nec *impii in æternum opprobrium actutum præcipitati* sunt; id quod tamen post illam multorum evigilationem illico futurum, Angelus prædixit. (2.) Etsi obtinere posset Smalcius, quod tandem ad *captivitatem Babylonicam* respexerit Propheta, tamen non aliter illud obtineret, quam ad illam rationem, quâ *Ezechiel*. c. 37. v. 12. in visione eadem *resuscitationis defunctorum* à Deo accipit *pignus solutionis captivitatis Babylonicæ*. (3.) *Multi* hîc *absolutè* potiùs, quàm *relatè* capiuntur; ad quem modum dicere licet: *Multi* Angeli à Deo creati sunt, *multi homines* ab Adamo orti, &c. in quibus locutionibus *res* potius *in se* spectatur, quàm *ad quid aliud* referatur. Revera enim ingens est *multitudo Angelorum* à Deo creatorum, & *hominum* hactenus ex Adamo natorum, etiamsi ad *alium numerum* non referas. Unde *multi* interdum notant *omnes*, ut *Rom.* 5. vers. 18. & 19. priori enim versu dicuntur *omnes*, qui posteriori vocantur *multi*.

2. *Piscator* part. 2. Resp. ad Amic. Collat. Vorst. p. 40. vocabulum, *multi*, non posse hoc loco exponi per vocabulum, *omnes*, quia expositio illa implicaret contradictionem, nempe *omnes ex dormientibus*; quippe nomen *omnes* significaret *totam multitudinem illorum dormientium*, & præpositio EX *eorundem partem*.

℞. (1) Falsum est, vocabulum *multi* non posse hîc exponi per *omnes*. Nam non *quidam homines tantum*, sed *omnes & singuli dormientes* in terra expergiscentur, teste Christo, *Ioh* 5. v. 28. idque etiam fatetur *Feguernekinus* in Enchir. p. 421. asserens, vocem *multi*, Dan. 12. v. 2. notare *omnes*. (2.) Falsum est quoque, *hanc explicationem implicare contradictionem*. Nam quando Spiritus Sanctus dicit: *Multi ex dormientibus in terra pulveris evigilabunt*; præfixum מ non notat *solam partem illorum dormientium*, sed *illos in universum*. Sensus enim est: *Multi dormientes expergiscentur*, id est, *omnes homines sepulti prodibunt ex sepulchris suis*; siquidem *multi dormientes in pulvere terræ non evigilabunt*. *Franz.* in Vindic. disp. de Extrem. Judic. sect. 5. arg. 3. *Thumm.* in Imp. Phot. p. 627. *Meyfart.* par. 1. Melet. Theol. de Resurr. Mort. p. 100. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Resurr. Mort. c. 2. q. 3. p. 6089. *Feuverb.* fasc. 3. Dissert. Theol. disp. 1. thes. 5. 6. 7. p. 5. & 6.

V. *Salmero* tract. 48. in Epist. ad Rom. suspicatur, *pueros Sacramento initiationis non regenitos, ob peccatum originale in inferno non esse passuros pœnam sensus*; eò quòd *illi non sint resurrecturi vel ad vitam æternam, vel ad opprobrium æternum*: cum enim *multos* dixerit Daniel, & *non omnes* ideo cum voluisse exclusos intelligi *pueros*.

℞. *Bellarminus* l. 6. de Amiss. grat. & stat. pecc. c. 3. resp. ad 2. obj. fatetur, *locum hunc non irrefragabiliter concludere contra eos, qui negant, parvulos extra cælum & gehennam sedem quandam tertiam post judicium habituros*, nimirum ubi pœnam sensus non sint passuri. Nam *Theodoretus* in Comment. h. l. & *Augustinus* l. 20. de C. D. c. 23. nos admonent, vocem illam, *multi*, positam hoc loco pro voce, *omnes*, quia revera *multi* erunt, qui resurgent, cum *omnes* resurgent. En tibi *Veterum* sententiam, quâ & *Pererius* acquiescit, & *Emanuel Saa*, unà cum *Glossa Interlineari*. Et hanc necesse est interpretationem admitti. Nam si ad *literam*, tùm negabuntur omnes resurrecturi. Et absurdum erit, ita interpretari; *Multi resurgent*, id est, *omnes quidem resurgent*, verùm *non omnes ad vitam aut opprobrium*. Hoc enim Grammatica ἀκρίβεια nunquam ferat. *Gerhard.* in Conf. Cathol. lib. 2. spec. part. 3. p. 463. seq. argum. 1. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 6. c. 4. §. 12. & 13. p. 83.

Vers. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui justificant multos, quasi stellæ, &c.*

I. *Fevardentius* l. 10. Theomach. c. 30. nugatur, *veris Ecclesiæ Doctoribus in cœlis datum iri aureolam*, & quidem *in ore*, juxta *Altenstaig*; quoniam *illi ipsi fulsuri sint quasi stellæ*.

℞. N. C. Etenim *Doctores aliquando fulsuros*, quasi stellas, ex Daniele scimus: sed *splendere tanquam stellam*, idem esse, quod *aureolam habere*, hoc demum persuadere non poterit ullus Monachorum. Res enim ipsa refutat. Aureola Doctorum est in *ore*, non in *universo corpore*. At *qui splendet sicut stella*, totus splendet. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 25. c. 4. §. 6. & 15. p. 546. seq.

II. *In vita æterna futuri sunt gradus gloriæ*: nam inter *auditores* & *doctores* hoc in dicto tale discrimen *splendoris* statuitur, quale est inter *firmamentum*, & *stellas*; quæ sanè in *splendoris* ratione differunt.

*Petrus Martyr* in LL. Theol. p. 735. excipit 1. esse hîc *exegesin, & unius ejusdemque sententiæ repetitionem*, cùm *subjecta sint eadem*, (qui enim *alios docent*, & qui *alios ad justitiam erudiunt*, prorsus iidem sunt, & eodem gradu continentur) proinde etiam *diversa præmia* ipsis non reddantur.

℞. (1) Participium, הַמַּשְׂכִּלִים hoc loco non *transitivam*, sed *intransitivam* habet significationem, & notat *doctos, intelligentes*, qui *viam Dei rectè didicerunt*, atque in hoc significatu ipse utitur *Daniel*, c. 1. v. 4. c. 11. v. 33. & 35. c. 12. v. 10. Unde LXX Interpp. verterunt, οἱ συνιέντες, & Latinus, *qui docti fuerint*. (2.) Negamus *subjectum* in utroq; dicti Prophetici membro esse idem: tum quia in altero membro fit mutatio prædicati; siquidē pro *splendore firmamenti* ponitur *splendor stellarum*, qui inter se *gradibus* distinguuntur: tum quia alias Daniel *justificatoribus*, in via Domini rectè institutis, nihil splendoris cœlestis reliquisset, quippe quem *solis doctoribus* assignâsset. (3.) Si vel maximè concederemus

Participium illud *transitivè* hic sumendum esse, ut exponatur per *τὸ intelligere facientes*; tamen ad discrimen *officii, laborum, passionum, &c.* quod ipsis Ecclesiæ doctoribus intercedit, recurri posset, ut hac ratione inter *illos ipsos* quoque gloriæ diversitas statueretur. Certè *Paulus* 1. *Cor.* 15. v. 10. & 2. *Cor.* 11. v. 23. plus reliquis *Apostolis* sese laborâsse asserit; utique ergo etiam majori præ reliquis gloriâ ornabitur: nam retributio in altera vita fiet secundùm *opera*, Rom. 2. v. 6. & *labores*, 1. Cor. 3. v. 8.

2. Danielem propterea potiùs voluisse *docentium* mentionem facere, quòd *isti magis confirmandi essent*, quoniam plus quam cæteri persecutionibus essent expositi, ideoque etiam *peculiari consolatione* opus habuerint.

℞. (1.) Nos haud inviti concedimus, *docentium* specialem fuisse mentionem factam; sed *pie informatos* penitus esse prætermissos, non admittimus, cùm *utriq;* persecutionibus Antichristi, quibus Propheta hanc consolationem opponit, sint expositi. (2.) Invertimus rationem Martyris: Si *doctores* Ecclesiæ magis confirmandi fuere, quàm *cæteri*; ergo non *communi*, sed *peculiari argumento & præmio* fuere confirmandi.

3. *Unam eandemq; gloriam iisdem promissam* explicari duplici similitudine *splendoris firmamenti, & stellarum*: nec enim *inæqualitatem gloriæ æqualibus competere*, ex dissentientium hypothesi.

℞. (1.) Non promittitur *iisdem una eademq; gloria*: alii enim sunt *intelligentiâ præditi*, i. e. *pii auditores*; alii verò *intelligere facientes*, & ad justitiam erudientes, h. e. *pii doctores*: item, aliꝰ est splendor *firmamenti*, alius splendor *stellarum*, ut ex principiis sincerioris *Astronomiæ*, & ipso *oculorum* sensu patet. (2.) Invertimus argumentum: quia duplici similitudine, à *distincto firmamenti ac stellarum splendore* petitâ, beatorum gloria explicatur; ideo non potest *una eademq; gloria iisdem* promissa intelligi.

4. Gloriam hanc *corporum* esse, non *animarum*: ac proinde hunc locum non facere ad rem.

℞. Omnino facit ad rem: nam claritas *corporum* erit veluti quędam resplendescentia ex claritate *animæ* orta; ergo etiam major claritas *corporum* præsupponere videtur majorem claritatem *animæ*. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 22. q. 1. arg. 1. & 2. p. 646. *Gerhard* tom. 9. LL. CC. loc. 34. de vit. ætern. §. 121. seq p. 955. - 960.

III. *Bellarminus* l. 2. de Justif. c. 3. resp. ad 2. except. arg. 1. putat, *justificare hominem* hîc idem esse ac *ei justitiam infundere*, cùm doctores dicantur *justificare multos*, non ut *judices declarantes justos*, sed ut *præcones ad justitiam docentes, & ex impiis justos efficientes*.

℞. Doctores dicuntur *auditores suos justificare*, non *infundendo novas justitiæ qualitates*, cum hanc immediatam solius Dei actionem esse, ipsi fateantur *Papistæ*; sed *justitiam docendo*. Est enim Hebraismus, teste *Vatablo*, tribuens *ministerio*, quod *principaliter* est *Deo* proprium. Nam Deus justificat *principaliter*, Rom. 8. v. 33. Ecclesiæ doctores *ministerialiter*, dum prædicant Evangelium, 1. *Tim.* 4. v. ult. Unde etiam *Vulgata Versio* habet: *Qui erudiunt multos ad justitiam*; ab ea verò discedere, *Bellarmino* non erit integrum, propter anathema Tridentinum. Falsum autem est, quòd *erudiens ad justitiam*, statim *justum faciat discipulum*. Nec enim *Ethicus* docens *temperantiam* aut *fortitudinem*, è vestigio *omnes facit fortes & temperantes*. Nam alia ratio est *habituum theoreticorum*, qui paulatim introducuntur per informationem; & alia *virtutum moralium*, quas præceptor non *ingenerat*, sed duntaxat *modum illas consequendi monstrat*. Deinde, *Bellarminus* sibi non constat: hoc enim loco negat, doctores pronunciare homines justos, *more judicum*, sed aperire viam ad justificationem; at l. 3. de Pœnit. c. 3. scribit, Sacerdotes esse *judices* super terram constitutos. *Gravver.* par. 4. prælect. in Aug. Conf. p. 17. seq. *Meisn.* par. 2. Philos. sobr. sect. 1. c. 1. q. 28. thes. 1. obj. 1. p. 226. seq. & dec. 3. Anthr. sacr. disp. 4. th. 24. p. 170. *Gerh.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de Justif. §. 12. p. 1002. seq. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3 can. 22. m. 4. p. 294. *Friedl.* in Ann. ad h. l. class. 4. m. 10. p. 772.

Vers. 4. *Tu Daniel claude sermones, & signa librum usq; ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.*

I. *Pererius* in Comm. Daniel. p. 905. urget, *Scripturam sacram esse obscuram*. quòd *Angelus jubeat prophetiam occultare*: itaque clausos esse sermones Propheticos & signatos, ut magna indigeant lectoris diligentia.

℞. (1.) Adversarius pervertit statum controversiæ: non enim docemus, *omnem Scripturam cuilibet lectori facilem esse intellectu*, sed *esse Scripturæ partes quasdam obscuras*, ut *oracula Prophetarum de rebus futuris*: Danielis autem prophetia *pars est tantum Scripturæ*. At nos de illo cum *Pererio* contendimus, *articulos fidei*, quorum notitia ad æternam salutem cuivis Christiano necessaria est, *planè & perspicue in Scriptura esse explicatos*, ut non indigeant *traditionibus non-scriptis*. (2.) Daniel non jubetur prophetiam suam *occultare*, quod cum *ejus revelatione* pugnâsset; (ideo enim Danieli prophetia revelata fuit, ne esset occulta) sed *obsignare*. h. e. *instar rei pretiosissimæ asservare*. In Hebræo est, סָתַם, quod significat *claudere*; & חָתַם, quod notat *sigillo confirmare*; sicut *literæ finitæ* solent claudi & obsignari sigillo. LXX. Interpp. reddiderunt: *ἔμφραξον τοὺς λόγους, καὶ σφράγισον τὸ βιβλίον*. (3) Ab eo, quod Angelus *secundum quid* dixit, Jesuita veteratoriè infert *simpliciter* dictum. Nam Angelus non ait, hæc oracula *simpliciter & omnibus temporibus* fore clausa & obsignata, sed disertè docet, fore duntaxat hanc prophetiam *usq; ad novissima tempora* obsignatam; tunc enim eventus, optimus prophetię interpres, eandem exponet. *Gesn.* disp. in Dan. 12. th. 154-160. *Gerb.* in Exeg. loc. 1. de Script. S. §. 426. p. 463. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 15. c. 13. §. 12. & 14. p. 277.

II. *Salmero* proleg. 8. in Evang. sibi persuasit, *unius ejusdemq; loci posse esse plures sensus literales*, quoniam *Deus ob eam causam aliquot Scripturæ locos difficiles reddiderit, ut plures sensus habere possemus*: pręcepisse enim Danieli, ut *clauderet sermones, & signaret librum*; atque hinc futurum, ut *plurimi transeant*, i. e. *legant, & quærant historiæ veritatem*, verùm *multiplex sit scientia*, h. e. *propter obscuritatis magnitudinem diversa opinentur*, Hieronymo interprete.

℞. (1.) Jesuita sumit falsum, *adeo voluisse Deum obscuros esse quosdam locos, ut plures sensus habere possemus*: quia *obscurus locus* ex usu communi is dicitur, *cujus sensus literalis latet*. At si habetur, non latet. Itaque cujuscunque loci habetur sensus literalis, is obscurus dici non potest. (2.) Nec iste *Danielis* locus favet *Salmeroni*. Nam illud, *claude sermones, & signa librum*, significat, omnino neminem assequuturum sensum ejus libri, donec tempus constitutum impleatur. Itaque necesse est non *intelligi*, id est, non *haberi sensum literalem*. (3.) Apud Hieronymum, *historiæ veritas* est sensus literalis. Quærent ergo sensum literalem, h. e. non habebunt. Quid ergo? varia opinabuntur. Ergo hæc *opinio* erit tantùm,

non *historia veritas*. Quare non habebunt sensum literalem. *Cham.* tom. 1. Paustr. l. 15. c. 3. §. 9. 10. 11. p. 363. seq.

III. *Weigeliani* gloriantur, *se habere clavem verborum obsignatorum, & mysteria divina intelligere, ut poteqasibus multiplex illa sit scientia.*

℞. Locus iste impertinenter allegatur: neque enim Propheta asserit, *quidvis ex quovis, fallaci conjectura, sine ullo solido principio, concludendum esse,* uti quidem *Fanatici* illi faciunt; sed *tempus esse ventarum, quo multi, experientiâ edocti, ex eventu prophetiam sint intellecturi*: evenient enim certò aliquando, quæ prædicta sunt, uti Propheta seipsum, c. 8. v. 26. explicat. *Thumm.* in Impietat. Wigel. p. 46. & 49.

Vers. 7. *Quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis, &c.*

*Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 8. argutatur, *Papam Romanum non esse Antichristum*, quia *non regnaverit per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, hoc est, *tantum tres annos cum dimidio*, sed *plus quam* 1500. *annos*; totidem autem annos *Antichristi regno* Angelus adscribat.

℞. (1.) Si Antichristus per *tres annos vulgares & sex menses* regnaturus esset, *præcise constare posset de fine mundi*. At huic hypothesi toties contradicunt *Pontificii*, quoties nobiscum docent, *tempus & annum diei novissimi sciri non posse*. (2.) *Per tempus, tempora, & dimidium temporis* non possumus intelligere *annos tres cum dimidio vulgares*. Non enim potest ullus monstrari Scripturæ locus, in quo *tempus* annum, *tempora* biennium, *præcise* significent. neque etiam *dimidium* semper *æquale* dimidium totius significat, sed *partem* aliquando minorem, aliquando majorem. Voluit ergo Spiritus Sanctus hæc tempora *indefinite* ponere, ut temeritatem hominum in dimetiendis his mysteriis compesceret. (3.) *Dan.* 7. v. 25. eadem periodus adscribitur *Turcæ*, quæ *Antichristo propriè sic dicto*. Constat verò tyrannidem *Turca* longè diutiùs, quam *tres annos cum dimidio* durâsse. Ergo etiam *Antichristi propriè sic dicti* tyrannis longius spacium requirit. (4.) *Acosta* lib. 2. de temp. noviss. c. 8. fatetur, neminem hominum certò scire præcisam regnaturi Antichristi durationem, ac proinde *tres illos annos cum dimidio* nihil nisi *regni ejus extremitatem, summitatem aut fastigium* significare. Quare, si *tempus, tempora & dimidium temporis* hoc loco pro *tribus annis cum dimidio vulgaribus* omninò accipienda essent, saltem hoc ipsum indicarent, ultimam Antichristianæ persecutionis ἀκμὴν, hunc à Deo præfinitum ipsi terminum minimè excessuram. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 1. thes. 3. & 10. p. 70. 75. seq. & in Phosph. Cath. l. 10. c. 8. p. 955. seq. *Gerhard.* par. 1. lib. 2. spec. de Conf. Cathol. p. 780. 782. 784. *Doling.* l. 2. de Antichrist. inter. c. 8. p. 147.

Vers. 9. *Clausi sunt signatiq; sermones usque ad præfinitum tempus.*

Controversias, si quæ hic moveri poterant, vide in Vindic. *Dan.* 12. v. 4. decisas.

Vers. 11. *A tempore, cum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.*

I. *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 7. disputat, *Antichristum nondum venisse*, cum *nondum ab Antichristo oblatum fuerit juge sacrificium*, h. e. *Missa*: atque hinc *Jesuita* porrò colligit: *Romanum Pontificem non esse Antichristum, sed ei maximè contrarium*; cum *sacrificium*, quod *ille* ablaturus est, *hic* maximè ornet & tueatur.

℞. (1.) Notatur conatus Antichristi, non in abroganda *Missa*, (hoc enim nunquam probari potest) sed in abrogando *vero Dei cultu*, Gloss. *Ordinaria & Interlineari*, itemque *Cardinali Hugone de Charo* in Postill. interpretibus. (2.) Convenit autem illud in *Romanum Pontificem*, qui revera *juge sacrificium*, id est, *verum Dei cultum* in Ecclesia Christiana abstulit, substitutis suis ἐθελοθρησκείαις, ceu *invocationem Dei in solo Christi merito, communionem Cœnæ sub utraque specie, &c. Hutter.* de Miss. cont. Bellarm. p. 348. *Balduin.* tom. 2 Witteb. disp. 2. cap. 6. thes. 13. p. 213. seq. *Grawer.* Prælect. in Aug. Conf. par. 8. p. 99. seq *Gerhard.* in Conf. Cathol. lib. 2. spec. par. 2 p. 1186. seq.

II. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. c. 1. auguratur, *Antichristum regnaturum esse tres annos cum dimidio*, cùm *ipsius regno assignentur dies* 1290. qui *illam temporis periodum* constituant.

℞. (1.) *Ludovicus Alcasar* in Apoc. 11. v. 2. not. 2. p. 529. non ad *Antichristi*, sed ad *Antiochi Epiphanis* persecutionem tempora illa refert: qua quidem ratione *Schoppii* argumentum labasceret. (2.) Illa *periodorum synonymia* falsa est. Nam si *annum* intelligas *solarem*, tùm dies 1290. nequaquam constituunt *tres annos cum dimidio*: ubi enim annus continet dies 365. horas ferè sex, *tres anni cum dimidio* habent dies ferè 1277. Sin *annum* intelligas *lunarem*, neque tùm dies 1290. faciunt *tres annos cum dimidio*: nam ubi annus continet dies 354. *tres anni cum dimidio* habent dies 1260. fatente *Bellarmino* l. 3. de Rom. Pontif. c. 8. Ubinam verò remanebunt *dies cæteri*? Unde *Lyranus* in Dan. 12. incertum dicit, an *dies* ibi *propriè* sumatur pro *naturali die*, vel *metaphoricè* pro *anno*. (3.) Si *annos tantùm tres cum dimidio* regnaturus esset Antichristus, *non esset possibile, ipsum tam parvo tempore tam multa regna & provincias obtinere*, probè ait *Hentenias* præfat. in Comm. Aret. in Apocal. Quapropter hîc vel numerus annorum *certus*, pro *incerto* ponitur, quod eò verisimilius apparet, quia non *unus ubique dierum numerus* observatur, ut ex v. 11. & 12. patet; vel anni *magni & Angelici* intelliguntur, ita ut *anni* in *dies* resolvantur, & *dies* pro *annis* computentur, secundùm illud *Ezech.* 4. vers. 6. *Diem pro anno dedi tibi*: & sic tempus Antichristi *annos mille ducentos* excedet, quorum pars una *occultæ ejus operationi*, altera *plenariæ dominationi*, tertia *ejusdem revelationi* tribuenda erit. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 1431. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 1. p. 75. 76. seq. thes. 9. - 14. *Grawer.* in Anticost. disp. 9. thes. 109. p. 753. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontific. c. 4. q. 2. obj. 5. pag. 214. seq. *Gerhard.* in Confess. Cath. lib 2. spec. par. 1. p. 780. 781. seq.

III. Cæteras hujus loci controversias vide in Vindic. *Dan.* 8. v. 11. m. 1. & 2. definitas.

Vers. 12. *Beatus, qui exspectat & pervenit usq; ad dies mille trecentos triginta quinq;.*

*Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. p. 56. exinde infert, *Antichristum diebus* 45. *ante extremum judicium e medio sublatum iri*; quoniam *post dies* 1290. *Antichristi regno assignatos, beati demum prædicentur, qui perveniant ad dies* 1335. hoc est, *ad illos* 45. *dies, post* 1290. *dies futuros, & in morte Antichristi defuturos.*

℞. Consequentiæ huic refragatur (1.) *Christus*, qui *Actor.* 1. v. 7. *certum tempus extremi judicii nulli hominum notum esse voluit*; innotesceret autem iis, qui illo tempore in vivis essent futuri, si ab interitu Antichristi adhuc 45. dies superessent. (2.) *Apostolus*,

qui *adventu Filii Dei ad judicium extremum*, Antichristum interficiendum esse, clarè indicat, 2. *Thess.* 2. v. 8. (3.) *Angelus*, qui haud dubiè tam *perplexe* loqui voluit, ne acciperent homines ansam inquirendi *in certum aliquod & definitum tempus novissimi judicii*: quod facilè fieri potuisset, si de *certo die* interitus Antichristi ante diem extremum constitisset. (4.) *Schoppius* ipse, qui p. 55. scripsit: *Durabit Antichristus atq; ad finem mundi.* Itaque cum Antichristi finis nondũ venerit, & prophetia de ejus duratione nondum sit impleta; nihil mirum, si annorum computatio nondum sit perspicua, remaneantq; in eo argumento gryphi, quibus solvendis non *Oedipò* opus sit, sed *Propheta*. Discat verò *Apostata*, se neque *Prophetam* esse, neque *filium Prophetæ*: ac proinde suam nobis *conjecturam* ne pro *oraculo* vendicet. Nobis sufficit, *mysterium* hic describi, quod non nisi *mystico* sensu accipiendum est. Beatum igitur prædicat Angelus eum, qui *pervenerit usq; ad dies* 1335. hoc est, qui *tempus gratiæ viderit*, in quo salutaris & orthodoxa Evangelii doctrina felicem habitura erit successum in mundo; id quod ante Antichristi interitum adhuc futurum indicat. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 7. thes. 13.-20. p. 234. 235. seq. *Meyfart.* part. 1. Meletem. Theol. de fin. mund. p. 370. seq. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 17. c. 7. §. 2. & 6. p. 370.

## VINDICIÆ

## H O S E Æ.

CAP. I. v. 2. *Principium loquendi in Hosea, & dixit Dominus ad Hoseam: Vade, accipe tibi uxorem fornicationum, & fac tibi natos fornicationum, quia fornicando fornicabitur terra hæc a post Dominum.*

I. Hoseas utitur (1.) *Synecdoche generis* pro *speciei*: nomine enim *loquelæ* intelligit *prophetiam*, quam inspiravit Deus in animum Hoseæ. (2.) *Hebraismo*: Uxorem *fornicationum*, h. e. mulierem *valde fornicationibus deditam*; &, *à post Dominum*, i. e. *ne sequatur Dominum*. (3.) Epizeuxi; *Fornicando* fornicabitur, h. e. *omnino & continuò* fornicabitur. (4.) *Enallage temporis* futuri, *fornicabitur*, pro præsenti, *fornicatur*. (5.) *Metaphora*: nam *fornicari* sumit pro *idololatriam exercere*. (6.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: quia per *terram* intelligit *ejus incolas*, populum decem tribuum. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 566. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 846. *Glass.* lib. 4. Philolog. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 4. p. 656. *Friedlib.* in Annot. h. l. class. 1. p. 784.

II. *Bellarminus* l. 2. de V. D. c. 15. arg. 5. denegat *rudi populo Scripturæ sacræ lectionem*, quòd *in Scriptura stylo isthoc aliquid obscœne reperiatur*, atque *hinc errandi occasionem populus accipiat*.

℞. Verba Oseæ, prout à *Bellarmino* adducuntur [qua ratione possent videri cum *obscœnitate* conjuncta] non habentur in textu *originali & authentico*; sed ex vitiosa versione, quam *Vulgatam* appellant, desumta sunt. Ita enim in *Hebræo* est: *Vade, accipe tibi uxorem fornicationum, & filios fornicationum.* Vulgatus Interpres de suo addidit: *Fac tibi.* *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 3. sect. 8. p. 309. seq. ad 4. obj.

III. *Scholastici* quidam censuerunt, *Deum posse dispensare in lege naturæ*, quoniam *dispensaverit in fornicatione cum Hosea Propheta*, quando *ex mandato Dei accesserit mulierem fornicariam, & ex ea natos fornicarios susceperit*.

℞. Nulla hic est *dispensatio in lege naturæ*: nam *lex naturalis*, quæ prohibet *fornicationem*, consistit in eo, ut non liceat accedere ad fœminam *sine prævio contractu matrimoniali*. In ea verò non dispensavit Deus cum *Hosea*: non enim concessit illi, ut accederet fœminam *ante contractum matrimonii*, sed potiùs jussit, ut illam, quæ priùs fuerat fornicaria, *duceret in uxorem*, & sic eam *affectu maritali* accederet. *Becan.* par. 2. Theol. Schol. tom. 1. tract. 3. c. 3. q. 4. n. 2. & 7. p. 223. & 225.

IV. *Jesuitæ* contendunt, *lupanaria esse toleranda*, quod *Propheta Hoseas jussus fuerit a Deo, scortum ducere uxorem, & ex eo liberos suscipere.*

℞. Negatur id sequi: neque enim probari potest, Deum amandâsse Prophetam in *lupanar*, ut inde sibi protritum aliquod & obsoletum scortum pro uxore deligeret; sed ut *scortum duceret*, atque ita *idololatriam Israelitarum repræsentaret*. Hoc autem factum erat *extraordinarium*, nec magis patrocinatur *lupanarium* defensioni, quam *cædes Isaaci*, quam jussu Dei extraordinario meditabatur Abraham, *humanæ cædi*; & *spoliatio Ægyptiorum* furto patrocinatur. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Leg. c. 12. sect. 2. q. 2. obj. 4. p. 145. seq. *Walther.* in Harm. Script. S. §. 174. p. 333.

V. *Faustus Manichæus*, apud *Augustinum* l. 22. contr. Faust. c. 80. rejecit *Scripturam Veteris Test.* tanquam *erroneam*, quia *Hoseas a Deo jussus fuerit scortum publicum in matrimonium sibi jungere*, cum tamen *Propheta* non sit, cum *meretricibus* sese polluere.

℞. Hæc non est sufficiens causa rejiciendi *Hoseæ* prophetiam: neque enim *veritati divinæ*, aut *muneri prophetico* inimicum est, *scortum ducere uxorem*; unde nec *Deus* nec *Propheta* ex eo inquinatur: uterque verò inquinaretur, si *ille* scortari juberet, & *hic* scortaretur, cum tamen neutrum factum sit. *Lal.* de V. D. p. 139. *Mosaer.* in Comm. Hos. p. 89.

VI. Ἀντιλογία quædam hoc loco apparet: Hoseas enim *Propheta à Deo jubetur uxorem ducere fornicariam*; id quod tamen *Levit.* 21. v. 14. prohibetur.

℞. Hæc non pugnant: quia lex de non *ducenda meretrice* solùm concernebat *summos Sacerdotes*, hoc autem *Prophetæ* exemplum est *extraordinarium*. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. n. 1. p. 793. seq.

VII. *Vera hoc loco narratur historia*: idipsum enim arguit, tum *textûs litera*, à qua sine urgente causa non est discedendum; tum *scopus & intentio Dei*, qui voluit turpitudinem idololatriæ non modò *verbis* exaggerare, sed *factô* etiam repræsentare, ut eò magis percellerentur obstinati animi.

Excipit 1. *Junius* in Schol. Bibl. ad h. l. n. 6. p. 846. verba textûs evincere manifestò rem *non gestam*, cum non potuerint *iidem liberi* à Propheta & *assumi cum matre, & ex ea gigni*.

℞. Occurrit *Ellipsis*: siquidem ad nomen יַלְדֵי, *natos*, subintelligendum est verbum conjugatum, הוֹלֵד, *gigne*; id quod & in aliis exemplis videre est, ut *Numer.* 21. vers. 14. 1. *Samuel.* 13. vers. 8. &c. Atque ita explicandum esse, ex collatione v. 3. 6. 8. patet.

2. *Polanus* in c. 1. Hos. p. 11. *liberos illos Hoseæ dici filios fornicationum*, ideoq; non fuisse *reverà in conjugio genitos*.

℞. Dicuntur *filii fornicationum*, non quod *per*

*for-*

*fornicationem gentis*, sed ob *matrem meretricem*, cujus infamem notam retinuerunt, præsertim cùm *illa in ipso matrimonio fuerit scortata*, ut ex c. 3. v. 1. videtur.

3. *Burgensis* in h. l. non potuisse per *conjugium meretricis* figurari *synagoga fornicationem*, quoniam *illa* Prophetæ matrimoniô *pudica* effecta fuerit.

Rc. (1.) Omnino fœmina illa repræsentare potuit continuam Israelitarum idololatriam, cùm scortata fuerit in ipso etiam matrimonio. (2.) Idem dubium redibit, si *in spiritu* matrimonium factum dicatur, ut vult *Burgensis*: quomodo enim illud fornicationem *mysticam* repræsentare potuit? *Mesn.* in comm. Hos. p. 95. & 98. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 15. p. 270. & l. 4. tract. 2. observ. 5. m. 1. p. 712.

Vers. 4. *Voca nomen ejus Iizreel, quia adhuc modicum, & visitabo sanguines Iizreel super domum Iehu, &c.*

I. Occurrit (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *visitatio*, Deo tributa, notat *realem pœnæ inflictionem*. (2.) *Metonymia*: quia דָּמִים *sanguines* pro *cædibus* ponuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 566. seq. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 144. & cap. 12 p. 351.

II. *Anonymus quidam Semijudæus* in tract. de fundam. relig. Christ. blaterat, *eadem & ejusdem pueri*, Esai. 7. v. 14. *esse nomen Immanuel, &* Esa. 8. v. 1. *Maher Schalal Chasebbaz*: quòd, sicut *Hoseas* imposuerit infantibus nomina, quibus aliquid Judæis significaret; ita quoque *Esaias* filio suo nomen imposuerit, quibus significaret, brevi tempore Achazum & populum Judaicum à duobus illis Syriæ & Samariæ Regibus liberandum esse.

Rc. *Illud ex hoc* non sequitur, sed potiùs contrarium: quia ibi *diversa* quidem imponuntur nomina, sed *diversis infantibus*, masculis simul & fœmellis. *Jacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 99. seq. p. 537. 571. seq.

III. Deus sibi non constare videtur: hic enim domui Jehu, ob *sanguinum effusionem* minatur extirpationem; cum tamen ad *Dei voluntatem* id omne factum sit, 2. Reg. 10. v. 30.

Rc. Deus pœnam *familiæ Jehu* denunciat, non *simpliciter* propter *familiæ Achabicæ* internecionem, sed propter *innocentum in Israel* occisionem, quam vel *ipse* peregit, vel ad minimum *suo consensu* approbavit. *Mesner.* in Comm. Hos. p. 44. seq.

Vers. 5. *Et erit in die illa, & frangam arcum Israelis in valle Iizreelis.*

*Synecdoche* est tum *partis* pro *toto*, quia *diei* pro *tempore* est; tum *speciei* pro *genere*: nam uno hoc instrumento *arcûs* reliqua *omnia instrumenta bellica* Hoseas intelligit, q. d. omnem *potentiam bellicam*, ut Chaldæus exponit. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 567. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 3. p. 438.

Vers. 6. *Non addam ampliùs misereri domûs Israel, quia tollendo tollam eos.*

I. Iteratur (1.) Hebraismus: *Non addam ampliùs misereri*, h. e. *imposterum non ampliùs miserebor*. (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *domus Israel* pro *Israelitis* ponitur, velut plurale *eos* ostendit. (3.) Epizeuxis: *Tollendo tollam*, i. e. *planè tollam*. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 846. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 784.

II. Deus sibi contradicere videtur: nam hoc in loco negat, *se ampliùs misertum esse domûs Israel*; cum tamen *misericordiam suam eidem* promittat, v. 10.

Rc. Est *Hebraismus*: hæc enim adverbialis constructio, *non addam ampliùs misereri*, hîc non *omne futurum* removet tempus, sed pro *diuturno temporis spacio* sumitur. Itaque sensus non est, *in æternum toti Israeli, omnibusque ejus individuis, omnem misericordiam à Deo denegari* [ea enim multis promittitur, v. 10. & præstita est tempore N. T.] sed tantùm *diu afflicturum esse eos graviter*. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 13. p. 459.

Vers. 7. *Servabo eos in Iehova Deo ipsorum, &c.*

*Photiniani* putant, *Gen.* 19. v. 24. (*Iehovah pluit à Iehova*) esse *enallagen antecedentis* pro *relativo* (*Iehovah pluit a seipso*) cum & hîc ea fiat; sensum enim esse: *Iehovah servabit domum Iuda in Iehova Deo ipsorum*, id est, *in seipso*.

Rc. Non est necesse, ad *Enallagen* confugere; hîc enim manifesta est *personæ a persona* distinctio: *Iehovah*, id est, Pater, *servabit domum Iuda in Iehova*, seu *per Iehovam*, h. e. *per Christum*. *Glass.* lib. 3. Phil. Sacr. tract. 2. can. 13. p. 199.

Vers. 10. *Erit in loco, quo dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filii Dei viventis*, scil. estis.

Species quædam ἀντιλογίας occurrit: ille enim populus, *qui non est Dei populus*, non potest dici *filii Dei viventis populus*; id quod tamen hoc loco fit.

Rc. (1.) Propheta vaticinatur de vocatione *Gentium* ad Christum, Apostolo interprete, *Roman.* 9. v. 25. & 26. quæ olim non erant *populus Dei*, per *Christianismum* autem factæ fuerant filii Dei viventis, *Ephes.* 2. v. 12. seq. (2.) Etsi mentio fiat *Israelis*, non tamen eadem ratione. Israeli enim *antiquo* & secundùm *carnem* dicitur: *Non populus meus vos*; sed *novo* & secundùm *promissionem*: Vos *filii Dei viventis*. Utrumque ergo verè dicitur. *Osiand.* tom. 2. comm. Bibl. p. 419. *Mesner.* in comm. Hos. c. 1. par. 3. q. 1. p. 111.

Vers. 11. *Congregabuntur filii Iuda, & filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum, & ascendent de terra: quia magnus dies Iizreelis.*

I. Verba hæc continent (1.) *Metaphoram*: quia *caput* pro *gubernatore* sumitur, sicut *corpus regitur à capite naturali*. (2) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: Magnus *dies Iizreelis*, h. e. tunc magna *populo Dei* (*semini Dei*, quod vox Hebræa exprimit) continget *felicitas & gloria*, dum ut *semen Dei* à Messia acceptabitur, ad ipsum quippe verbô Evangelii conversus. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3 p. 58. Confer cap. 7. p. 102.

II. *Sanderus* l. 4. de Visib. Monarch. c. 5. exinde concludit, *unum esse debere œcumenicum Pontificem*, quòd Christiani sibi posituri dicantur *unum caput*.

Rc. Negatur consequentia: nam *caput illud unum* est solus *Christus*; quod tum *Christiani* tum *Iudæi* doctores agnoverunt. *R. Salomon* enim interpretatus est, *David Regem eorum*, alludens ad locum, *Ezech.* 37. v. 24. Et *R. David Kimchi*, Messiam Regem. Quibus assentiuntur *Christiani*, ut *Hieronymus*, *Augustinus*, *Rupertus*, *Lyra*, *Ribera*, unà cum *Glossa Ordinaria* ac *Interlineari*. Quam interpretationem *Christophorus à Castro* in h. loc. dicit esse *veram & communem*: quo ergo jure nos à *Christo* Sanderus ad *alium* avertit?

*Sanderus* ibid. regerit, *Christum* ita per *caput unum* hoc loco intelligi, ut *alius* tamen præter *illum* & sub *illo* in iisdem comprehendatur, nempe *Zorobabel*,

*babel*, qui fuerit figura Christi, *Theodoreto* teste. Unde conficit, unum caput toti Ecclesiæ tunc præesse, quando is, qui præest, non *suo*, sed nomine *Christi* præest: nam ut *Zorobabel* figura Christi, & *Christus* ipse, non *duo*, sed *unum caput* constituunt; sic multò magis *Christum & Vicarium Christi*, non *duo capita*, sed *unum* constituere.

℞. (1.) Etsi concederem, hinc confici, *Regis & Vicarii unum esse regnum*: tamen id non probat, *aliquem esse Vicarium*, de quo quæritur. (2.) Regnum *Zorobabelis & Christi*, toto genere differunt: *Christi* enim regnum nunquam fuit de hoc mundo: *Zorobabelis* autem nunquam cœleste. Itaque *hoc* quidem *illud* adumbrare potuit, sed nunquam esse idem utrumque. (3.) Absurdè concluditur à *figura* ad *Vicarium*: nam *Vicarium* oportet simul & semel existere cum eo, cujus est *Vicarius*: *figuram* autem tempore esse priorem re figurata. At quando *Zorobabel* regnavit, tum *Christus* ratione *assumptæ carnis* nondum erat Rex, & cum *Christus* advenit, *Zorobabel* desierat esse. (4) Nulla est ratio, quæ à Zorobabele *Vicarium Christi* concludat: non ratione *figurationis*, quia ridiculum est, à *summo & absoluto* Principe, qualis fuit *Zorobabel*, figurarum esse Principem *subalternum*; neque ratione *successionis*, quia *dignitatum genera* sunt diversa. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. p. 670. seq. arg. 3. *Chem.* tom. 2. Panstr. l. 9. c. 5. §. 7. seqq. pag. 150. & 151.

CAP. II. v. 2. *Increpate matrem vestram, increpate, quoniam ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus: ut auferat fornicationes suas a facie sua, & adulteria sua ab uberibus suis.*

I. Propheta adhibet (1.) *Prosopopœiam*: nomine enim *matris* intelligit *Synagogam Judaicam*, quæ filios spirituales Deo gignere debebat. (2.) *Pleonasmum*: רִיבוּ רִיבוּ, *contendite contendite*, q. d. *omnino & acriter contendite.* (3.) *Hebraismum*: in plurali enim זְנוּנִים *scortationes maximas*, & נַאֲפוּפִים *adulteria maxima* designat. In *illo* secundæ radicalis (à זָנָה *scortatus est*) in *hoc* tertiæ radicalis (à נָאַף *adulteratus est*) est *reduplicatio*, quâ magnitudinem & multitudinem scortationis; per *raritatem* autem horum nominum, insolentiam hujus flagitii indicat. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 6. p. 59. lib 4. tract. 2. observ. 14. m. 1. p. 729. lib. 5. tr. 1. cap. 9. p. 206.

II. Deus sibi repugnare videtur: hîc enim *liberos jubet increpare matrem*, quod in *quarto Decalogi præcepto* prohibuit, *Exod* 20. v. 12.

℞. (1.) Hebræum רִיב *propriè* non notat *increpare*, sed *jure cum aliquo contendere*. Itaque pii non jubentur matrem *increpare*, sed cum ea *contendere* de commissa idololatria. (2.) Pii non *probri*, sed *commodi* causâ jubentur matrem corrigere; quomodo *Asa*, Rex Judæ, correxit matrem, & sine ulla injuria eam semovit à sacris *Priapi*, 1. Reg. 15. v. 13. (3.) Pii acceperunt hic à Deo mandatum *speciale*, quod *generali* semper derogare, exempla plurima confirmant. *Meisner.* in comm. Hos. c. 2. par. 1. q. un. p. 150. & 151.

III. *Tremellius* in Comment. Hos. p. 44. taxat *Lutheri* versionem, 1. quia verbum Hebræum רִיב notet tantùm *expostulare*, non *condemnare*; Lutherum autem vertisse: Sprich das Urtheil.

℞. Fatetur ipse *Tremellius*, quòd non malè quadret *sensus*; cur ergo de *nudis verbis* adeò est sollicitus: neque enim *nuda verba*, sed *ipsum sensum* spectavit Lutherus.

2. Quòd neglexerit particulam כִּי *causalem*, & verterit *simpliciter*: Sie sey nicht mein Weib.

℞. *Causa* involvitur, licet *causalis particula* expressè non ponatur: id ipsum enim non erat necesse.

3. Quia loquendi modum absque necessitate immutaverit, dum verba, *ego non sum vir ejus*, ita reddiderit: Ich wil sie nicht haben.

℞. Lutherus non mutationis *primam negationem*, sed *ruptionem & solutionem* vult innuere, q. d. Ich wil sie nicht mehr / oder / nicht länger haben / Ich wil nicht länger ihr Mann seyn. *Meisner.* ibid. p. 143. seq.

Vers. 4. *Et filiorum ejus non miserebor, quia filii scortationum ipsi.*

In textu hoc habetur (1.) *Hebraismus*. לֹא אֲרַחֵם *non miserebor*, h. e. *duriter & immisericorditer eos habebo*; ubi *negatio* vehementissime contrarium affirmat. (2.) *Enallagen* abstracti pro concreto *Filii scortationum*, i. e. *scorti*. *Jun.* in Not. ad h. l. pag 847. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. pag. 785.

Vers. 5. *Ibo post amatores meos, dantes panem meum & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potiones meas.*

Offert se (1.) Hebraismus: *Ibo post amatores meos*, i. e. *fervidè sequar amatores meos*; ubi verbum *sequendi* magis *affectum* notat. (2.) *Synecdoche speciei pro genere*: nomine enim *panis & aquarum* victus, *lini & lanæ* amictus, *olei* balsamus, *potionum* omnis generis delitiæ indigitantur. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 847. *Friedlib.* in Annot. ad eund loc. class. 1 p. 785.

Vers. 8. *Et hæc non novit, quod ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.*

I. *Metonymia* est *causa* pro *effectu*: Non *novit*, h. e. non *curat*, non *vult scire*; ubi *crassa & affectata ignorantia* intelligitur. *Friedlib.* in Ann. ad h. l. class. 1. p. 785. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. p. 13.

II. *Bellarminus* l. 1. de Miss. c. 12. disputat, verbum *facere* in verbis institutionis Eucharisticæ *Luc.* 22. v. 19. notare *veri sacrificii oblationem*; cum & id verbum hic idem sit, quod *sacrificare*, ut: *Fecerunt Baal*, i. e. *sacrificârunt*.

℞. (1.) Argumentum procedit ex *particulari* quia *facere* non semper ponitur pro *sacrificare*, licet aliquando id fiat. (2.) Vox Hebræa עָשָׂה admodum *generalis* est, notans *quemcunque actum*, velut *præparationem*, Gen. 18. v. 7. *exornationem*, 2. Sam. 19. v. 18. &c. idcoque nihil *certi* inde concluditur sed statuendum est de illius significatu ex *subjecta materia*, qua de agitur. At demonstrari nequit, quod in hoc Prophetæ loco *facere* sit idem, quod *sacrificare*. Unde LXX. saltem verterunt per *ποιεῖν*, & *Chaldæus* per *conficere*: ut ita notetur *confectio idolorum ex auro, eorumque exornatio per aurum*, quomodo *Arias* reddit, *ex auro fecerunt Baal*; & Vatablus, *aurum fecerunt in Baal*, idest, *insumserunt in conflando & ornando Baal.* Quibus assentitur *Ribera*, qui in Comm. Hos. p. 57. num. 60. hunc ait esse sensum verborum Propheticorum: *Hoc argentum & aurum fabricârunt Baßali, idolo videlicet ex eis faciendo.* Quare juxta autores illos, per *facere aurum in Baalem*, non notatur *oblatio sacrificiorum*. *Meisner.* in Comm. Hose. c. 2. par. 2. q. 1. p. 178. 179. seq.

Vers. 13. *Et visitabo super eam dies Baalim, quibus adolebat eis &c.*

I. Deo

I. Deprehenditur hoc loco (1.) *Ἀνθρωποπάθεια*: *Visitabo super eam*, h.e. *puniam eam*. LXX. *ἐκδικήσω*, *ulciscar*. Junius: *Animadvertam*. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *dies Baalim* notant *flagitia*, quæ admisit synagoga tempore, quo coluit Baalim. (3.) *Synecdoche species* pro *genere*: quia per *Baalim* intelliguntur *omnis generis idololatria*. (4.) *Pleonasmus*: siquidem ly *eis* abundat. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 164. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 568. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 786. class. 2. n. 3. p. 794.

II. Deus sibi non constare videtur: hic enim dicit, se visitaturum super synagoga dies *Baalim*, cum tamen *cultus Baaliticus* jamdum sub *Jehu* fuerit extirpatus, nec postea unquam legatur in usum reductus.

℞. Etsi *Baalitæ* à Jehu fuerunt interfecti, nihilominus tamen ea superstitio subinde repullulavit, & lamarunt hinc inde *Baalitica* impietatis sectatores; id quod ex præsente, aliisque Prophetarum testimoniis manifestum est. *VValther.* in Harm. Scrip. Sacr. p. 333.

Vers. 14. *Propterea ecce ego lacto eam, & deducam eam in desertum, & loquar ad cor ejus.*

I. Observa (1.) conclusivam, לָכֵן *propterea*, exponendam esse adversativè, *veruntamen*, ut *comminationi* opponatur *consolatio*. (2.) Tempus præsens, *lacto*, poni pro futuro, *lactabo*: ubi est loco ה radicalis literæ. (3.) Phrasin, *loqui ad cor alicujus*, synecdochicè notare, *summam consolationem*, *& mœsti per latum alloquium erectionem*. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 568. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 7. can. 12. pag. 606. lib. 5. tract. 1. cap. 14. m. 4. p. 446.

II. *Papistæ* hæc verba adducunt, pro *comprobando Monachorum statu*, quippe *quos Deus in solitudinem sit ducturus, & ad cor eorum locuturus*.

℞. (1.) *Solitudo* illa propriè non est *locus aliquis desertus*, sed *tribulatio*, in quam Deus nos ducit, interprete *Ribadeneira* lib. 1. de tribul. c. 8. (2.) *Secessus in solitudinem* alius est *perpetuus*, alius verò *temporarius*. Ille est *Monachorum*, hic omnium *Christianorum*, de *quo* & Deus loquitur, eosque in mediis tribulationibus blandè solatur, *Es. 66. v. 13. Gerhard.* in Conf. Cath. li. 2. spec. par. 2. art. 7. cap. 2. arg. 1. p. 279.

Vers. 15. *Et dabo ei vinitores ibi, & vallem Achor in ostium spei, &c.*

I. Occurrit (1.) *Anallaxis* adverbii loci, מִשָּׁם *exibi*, pro adverbio temporis, *tum*, i.e. *ab eo tempore*. (2) *Allegoria*: nam *vallis Achor* pro *perturbatione & tribulatione* sumitur, sicut olim ob Achanis furtum & lapidationem, in *valle Achor* Israelitæ perturbati fuerunt. (3.) *Metaphorâ*, quâ *ostium spei*, ipsam ejus *confirmationem cœlestem, & cœli spiritualem quasi apertionem*, quæ *fidei* fit, notat. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 4. not. 3. p. 436. lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 277. cap. 12. p. 391.

II. *Costerus* in Enchir. c. 5. p. 216. arguit, *homines non renatos Deo cooperari in actu conversionis*, quia *sint Dei vinitores*.

℞. *Vulgata Versio* hic vitiosa est: neque enim de *vinitoribus*, sed de *vineis* loquitur textus *Hebræus*. Nam כֶּרֶם significat *vineam*, atque inde plurale כְּרָמִים, *vineæ*. & cum affixo, כְּרָמֶיהָ, *vineas ejus*; vinitores autem dicuntur, כֹּרְמִים. Sed etsi vox, *vinitores*, in *Hebræo* haberetur, nondum tamen probatum esset, *vinitores illos esse homines non renatos, qui Deo in actu conversionis cooperentur*: de hac enim re controversia est. *Meisner.* in Comm. Hos. c. 2. part. 3. p. 203. seq. *Meyf.* in Anticost. disp. 6. thes. 94. & 96. p. 318. seq.

Vers. 17. *Auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultrà nominis eorum.*

I. *Hyberbole* est: Sic enim loquitur divina majestas, ad ostendendam idololatriæ coram se turpitudinem. Non erunt in recordatione nominibus suis idola, ita ut *ut vocentur*, vel *cum reverentia quadam usurpentur*: aliàs enim nomen *Baal*, Rom. 11. v. 4 & nomen *Moloch*, Act. 7. v. 43. Paulus & Stephanus recitativè repetunt; & impossibile est, omni memoriâ hominum quid excidere. *Glass.* lib. 5. Phil. Sact. tract. 1. cap. 19. p. 475.

II. *Pareus* in c. 2. Hose. p. 48. suadet, *statuas omnes è templis Christianorum eliminatum iri*, cum *ne nomina quidem earum audire debeant in Ecclesia*.

℞. Aliud sunt *statuæ Sanctorum*, & aliud *idola Deastrorum*. *Hæc* abolenda esse, ipsi fatemur; non verò *illas*, cum nihil nocumenti afferant. Vult enim Deus, ut nomina *Baalim*, quæ erant *idola Deastrorum*, auferantur, non verò *statuas atque imagines*, utpote quas in templo Hierosolymitano esse voluit, *Exod.* 25. v. 18. & 1. *Reg.* 8. vers. 7. *Meisner.* in Comm. Hose. c. 2. par. 3. q. 3. p. 245. seq.

III. Nonnulli arbitrantur, *Poetas Christianos peccare*, quando *in carminibus suis Phœbi, Junonis, Musarum, & similium faciunt mentionem*: quoniam Deus velit, *nomina Deastrorum Gentilium perpetuò involvi silentio, neq; unquam citari*.

℞. Licitè possunt à Poetis citari nomina *Phœbi, Junonis, Musarum, &c.* non citatione *religiosa*, ne committatur idololatria; sed citatione *politica*, per *prosopopœiam introducendo*. Ita si introducantur *Musæ* invicem colloquentes, non fit hoc ex *superstitione gentili*, sed *habitu Rhetorico*, ipsimet *Scriptura* & *Patribus* non insuetô. *Meisner.* ibid. q. 2. p. 239. 243. seq.

Vers. 18. *Percutiam cum illis fœdus in die illa cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ: arcum & gladium, bellum conteram de terra, & dormire eos faciam cum fiducia.*

*Theodoretus* in Comment. Ezech. sect. 15. statuit, id, quod ab *Ezechiele*, c. 38. & 39. *Judæis in Chaldæa exulibus de Gogo prædictum fuit, illico exactis 70. annis, à Jeremia definitis, per Esdram & Zorobabelem impletum esse*; quia *de illo reditu Hoseas prædixerit*.

℞. Propheta non loquitur de *corporali illa pace & tranquillitate populi Israelitici post reditum è Babylone* [ siquidem ejusmodi *felix rerum status* Israelitas nunquam excepit, quoniam sub *Cyro & Dario*, & post ea tempora continuis vicinarum gentium incursionibus miserrimè vexati sunt, aliisq; hostibus imprimis *Antiocho*, perpetua quasi præda fuerunt ] verùm de *spirituali novo fœdere N.T.* cum *bestiis metaphoricè sic dictis*, id est, cum *efferatis Gentibus*, quæ ad communionem populi Dei sint perventuræ, pacemque cum Deo & Israelitis culturæ, v. 23. & *Rom.* 9. v. 25. *Gesner.* disp. 2. in Ezech. 38. & 39. c. 1. thes. 5. 6. 22. -28.

Vers. 19. *Sponsabo te mihi in perpetuum, in justitia, &c.*

I. *Reformati* docent, *nullum verè renatum peccatis, contra conscientiam commissis, ad tempus posse Spiritum Sanctum perdere*; quòd *cum illo ipso Spiritus Sanctus se sponsaverit in perpetuum in justitia, &c.*

℞. (1.) Præsens locus intelligendus est de *tota Ecclesia*, quam Deus sibi in perpetuum despousavit; semper

semper enim in his terris habet *aliquam sponsam mysticam.* Consequentia verò nulla est: *Deus sibi sponsavit Ecclesiam in perpetuum*, ergo *nullum ejus membrum ad tempus peccando Spiritum Sanctum potest perdere.* Ab *Ecclesiæ* enim conservatione ad *singulorum* in Ecclesia existentium salutem non licet argumentari: & à *non distributo* ad *distributum* non valet collectio. (2.) Desponsatio Dei cum Ecclesia non est facta *absolute*, se *certo ordine*, uti ex *formula spiritualis istius desponsationis*, Lev. 26. v. 11. seqq. & ex *ejusdem exemplis*, 2. Cor. 11. vers. 2. seq. ac *Rom.* 11 v. 20. seqq. patet. *Eckhard.* tract. de Pœnit. c. 8. p. 282. seq. *Meisner.* dec. 2. Anthrop. sacr. disp. 9. thes. 40. p. 367. seq.

II. *Becanus* in Manual. controv. l. 1. cap. 3. n. 26. p. 63. autumat, *Ecclesiam visibilem a Christo nunquam separari posse*, adeoque *nec in fide errare*; quia *ipsam Christus sibi tanquam sponsam perpetuam vinculo indissolubili desponsaverit.*

℞. (1.) Adversarius committit crimen *falsi*: neque enim textus Propheticus quicquam habet de *indissolubili vinculo*, quo Christus se visibili Ecclesiæ conjunxerit. *Offert* quidem Christus Ecclesiæ visibili *perpetuum amorem*; sed quod Ecclesia visibilis *perpetuò maneat Christo nupta*, inibi non dicitur, sed potiùs contrarium: nam ex v. 2. & 5. constat, quod *eadem sponsa quandoque fiat adultera.* (2.) Jesuita occultat fraudem in verbis, *vinculo indissolubili.* Vinculum enim *indissolubile* dicitur, non quòd nunquam *actu dissolvatur*, sed quod nunquam *dissolvi debeat.* Ita maritus *vinculo indissolubili* uxorem, tanquam perpetuò castam, sibi conjungit; hinc tamen non sequitur, quòd uxor, quam maritus hac ratione sibi conjunxit, nunquam *fiat adultera*, sed saltem, quòd non *debeat fieri adultera.* Pari ratione Ecclesia, quam Christus vinculo *indissolubili* tanquam sponsam *perpetuam* sibi conjunxit, nunquam *debeat separari* à Christo; sed quod nunquam propterea *separetur*, hoc inde non sequitur. (3.) Christus non *absolute* Ecclesiæ visibili sese obstrinxit, quicquid etiam agat Ecclesia; sed *conditionate*, veluti requisita ex parte *sponsæ* indicant, v. 19 & 20. *Gravver* part. 6. Prælect. Theol. in August. Confess. p. 248. seq. *Meyfart.* in Anti-Becan. tom. 1. p. 321. 322. seq.

Vers. 20. *Et desponsabo te mihi in fide, & cognosces Dominum.*

I. Recurrit (1.) *Metaphora*: nomine enim *desponsationis* omnium jucundissimè *unio spiritualis inter Christum & Ecclesiam* exprimitur. (2.) *Metonymia causæ pro effectu*: nam *cognoscere Dominum*, est, *in ipsum credere & sperare.* *Glass* lib. 5. Philol. Sacr. tractat. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. pag. 14. & cap. 12. p. 366.

II. *Fide anima nostra Deo copulatur*: nam *in fide se animæ nostræ Deus desponsat.* *Bellarminus* lib. 1. de Justific. cap. 23. §. penult. respondet, dictum hoc accipiendum videri de *fide*, non *quâ credimus Deo*, sed *quâ Deus præstat promissa.*

℞. Per *fidem* intelligitur *fiducia*, quâ promissioni huic credimus, eidemque firmiter innitimur. Nam (1.) *beneficia illa Dei*, quæ in spirituali desponsatione nobis obtingunt, præcedunt v. 19. necessariò igitur addendum fuit, quid ex *parte nostra* requiratur, nempe *fides*, v. 20. *Desponsabo te mihi in fide*, quâ sc. beneficia promissa tibi applices. (2.) Per *Domini cognitionem*, usitata Scripturæ phrasi, *fides in Dominum* intelligitur. (3.) Bellarmini *videtur*, per nostrum *non videtur*, rejicitur. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de Justif. §. 156. n. 4. p. 1423.

Vers. 21. seq. *Tum exaudiam cœlum, & ipsum exaudiet terram, & terra exaudiet triticum, & mustum & oleum, & ista exaudient Iszraelem.*

Gradatio hæc omnes *conservationis ipsius hominis causas* elegantissimâ ἀνθρωποπαθείᾳ, ac pulcerrimâ προσωποποιΐᾳ enumerat. Nam *Iszrael* expectat *triticum, mustum, oleum*: & *hæc* quasi inclamant *terram*, ut succum & vigorem ab ea accipiant ad suam productionem & accretionem; & *terra* quasi implorat *cœlum*, calorem, pluviam, imbres, rorem, nivem, ventos & cœlestes influentias expectans: & *cœlum* quasi invocat Deum, causam omnium primam, quo volente, cœlum fit tanquam æs & terra instar ferri, *Deut.* 28. v. 23. Rursus, *exaudit Deus*, hominibus propitius factus, *cœlum*, vim ei conferens, ut nubes facere ex collectis vaporibus, & varia ratione salutariter influere in terram possit: & *cœlum exaudit terram*, dando pluviam, & alia ad fructificationem necessaria: & *terra exaudit triticum, mustum, oleum*, atque alia terræ nascentia, dum à cœlo madefacta, succum & vigorem iis dat & *hæc exaudiunt Iszraelem*, hoc est, votis piorum respondent, atque sic benedictio divina reipsa peragitur, &c. *Glass.* lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 140. cap. 9. p. 200. seq. tract. 2. cap. 1. m. 3 p. 518.

CAP. III. v. 1. *Dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & duc mulierem dilectam ab amico & adulteram.*

*Polanus* in c. 1. Hos. p. 11. opinatur, verba Dei c. 1. v. 2. de *scorto ab Hosea ducendo*, non esse *literaliter* accipienda, cum nec verba illa, de *adultera ducenda*, literaliter possint intelligi, eò quòd Jehovah *adulterium* improbet.

℞. Deus non *præcepit*, ut Propheta *committeret adulterium*; sed ut *Gomeram suam, quamvis adulteram, tamen diligeret, ipsique cohabitaret* id quod non est, *adulteria probare aut injungere.* Nos ergo potiùs argumentum invertimus, quòd, quemadmodum cap. 3. vers. 1. ipsa textûs perspicuitas *historiam & rem verè gestam* narrari indicat. Ita cap. 1. vers. 2. κατὰ τὸ ῥητὸν exponi debeat *Meisner.* in Comm. Hos. c. 1. par. 2. q. 1. obj. 8. p. 96.

Vers. 2. *Et fodi eam mihi in quindecim argenteis, & corò hordeorum & dimidio hordeorum.*

Hisce usurpat (1.) *Metalepsin*, quâ *fodere*, significat, *emere* seu *comparare.* Nam in *emtionibus* seu *contractibus* dexteræ junguntur contrahentium, postea ab aliquo adstante dirimuntur, & quasi *fodiendo* discinduntur. (2.) *Metonymiam materiæ pro materiato*: כֶּסֶף enim *argentum*, nomini *numerali* additum, notat *denarium* seu *siclum argenteum.* (3.) *Enallagen numeri* pluralis, *hordeorum*, pro singulari, *hordei.* *Ariam* part. 4. Bibl. p. 164. *Glass.* lib 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 20. *Friedlib.* in Annot. ad h. loc. class. 1. p. 786.

Vers. 3. *Et dixi ad eam: Dies multos sedebis mihi, non fornicaberis, & non eris viro, & ego etiam ad te.*

I. In versu hoc occurrit (1.) *Enallage* indicativi, *sedebis, fornicaberis*, & *eris*, pro imperativo: *sedeto, fornicator*, & *esto.* (2.) *Ellipsis*: Non eris *viro*, subint. *alteri*: & *ego etiam ad te*, scil. *sedebo* vel *ingrediar.* *Jun.* in Not. ad h. l. p. 848. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 787.

II. *Hieronymus* in Comment. h. l. tacitè insinuare

voluit

voluit, *ministros Ecclesiæ debere à consuetudine conjugali abstinere*, quoniam *Hosea Propheta Gomeram non debeat esse viro*. i.e. *nulli omninomodo jungi, & absque toru maritali esse.*

℞. Nec interpretatio *Hieronymi*, nec dogma inde petitum consistere potest. Nam (1.) Propheta jubetur *adulteram diligere*, quæ sanè dilectio *maritalem* συνοικίαν non excludit, sed potiùs includit. (2.) Propheta inquit: *Ego etiam ad te*, scilicet *ingrediar*, vel *tecum cohabitabo*; quæ verba propriè *conjugalem consuetudinem* significant. (3.) Propheta c. 1. v. 2. seqq. ad mandatum Dei *& uxorem duxit*, & *liberos procreavit*. (4.) Gomera jubetur *non esse viri alterius*, ut *Vatablus* & *Arias* observant; non verò jubetur, *simpliciter esse absq; viro*. *Meisner*. in Comm. Hos. 3. par. 2. q. un. p. 306. seq.

Vers. 5. *Post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.*

I. *Pelagiani* olim statuerunt, *homines non renatos libero arbitrio in spiritualibus præditos esse*; cum de *filiis Israel*, hominibus certè non renatis, pronunciet Propheta, fore ut *revertantur*, *& quærant Dominum Deum suum, & Messiam suum*, Davidis nomine metonymicè indigitatum.

℞. Consequentia probari nequit: tantùm enim prædicitur, *quid facturi*, non autem, *quâ potestate facturi sint*. Revertuntur non renati, non ex suis *suis viribus*, sed per *gratiam Dei*, & *illuminationem Spiritus Sancti*. Sic 1. *Corinth*. 15. v. 52. dicitur: *Mortuus resurgent*; non autem hinc sequitur, quòd *propriâ virtute* resurrecturi sint. Pari modo *resurgunt homines è somno peccati*, non per *suam potentiam*, sed per *Altissimi gratiam*, Philipp. 2. v. 13. *Meisner*. in Comm. Hose. c. 3. par. 3. q. un. p. 323.

II. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. p. 78. nugatur, *tempore Antichristi multos Iudæos ex prædicatione Enochi & Eliæ conversum iri*, quia illi *ipsi in novissimo dierum ad Deum sint reversuri, & Christum exhibitum quæsituri.*

℞. Non sequitur: hæc enim conversio non *demùm fiet annis tribus cum dimidio ante diem novissimum*, sed *jam facta est*, & *etiamnùm fit*, quando nimirum subinde *Iudæorum* aliqui, Deo largiente virtutem, partim diuturnô suô exiliô edocti, partim vana Messiæ sui expectatione defatigati, partim etiam verbô Dei, viva voce, scriptisque à Christianis prædicatô, adducti & convicti, agnoscunt, promissiones de *Messia* in *Jesu Nazareno* adimpletas esse. Hi nimirum sunt *dies illi novissimi*, videlicet non dies *Antichristi Papistici*, sed dies *Christi incarnati*, quo tempore absque Rege, absque Principe, absque sacrificio & sacerdote fore *Judæos*, ipsorum *Rabbini* ex hoc Prophetæ loco agnoverunt, quemadmodum illorum verba annotavit *Galatinus* l. b. 9. de Arcan. Cathol. Verit. c. 6. Unde sequitur, complementum hujus vaticinii non *præcisè ad ultimos tres mundi annos*, sed ad *totum tempus* N. T. referendum esse. *Balduin*. tom 2. Witteb. disp. 2. cap. 6. thes. 89. seq. p. 201. & *usus*.

III. *Casista* quidam suadet, *Iudæos non tantùm inter Christianos tolerandos*, sed & *ab ipsis recipiendos esse, ut habeant occasionem conversionis, cujus spes eis facta sit ab Hosea.*

℞. Conversionem *Iudæis* non invidemus: propter hanc verò causam ad nos non afficiendi, multò minus *synagoga*, omnis blasphemiæ receptacula, ipsis concedendæ sunt, cum Deus *alia ratione* occasionem suæ conversionis eis monstrare possit ac soleat. *Balduin*. de Casib. Conscient. lib. 2. cap. 6. cas. 5. p. 188. seq.

CAP. IV. v. 2. *Pejerare, & negare, & occidere, & furari, & adulterari, fregerunt, & sanguines in sanguinibus tetigerunt.*

Propheta utitur (1.) *Enallage* tum infinitivi, *pejerare*, & *negare*, & *occidere*, *& furari*, & *adulterari*, pro indicativo, *pejerant*, & *negant*, & *occidunt*, & *furantur*, & *adulterantur*: tum præteriti, *fregerunt* & *tetigerunt*, pro præsenti, *frangunt* & *tangunt*. (2.) *Ellipsi* nominis: *Fregerunt*, subint. *legem*. (3.) *Metonymiâ*: דמים enim *sanguines* significant *cades*, q. d. cædes aliæ aliis sunt contiguæ. *Vatabl*. in Annot. ad h. loc. p. 570. *Iun*. in Not. ad eund. loc. p. 848. Confer *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 351.

Vers. 3. *Propterea lugebit terra, & infirmabitur omnis habitator in ea, cum bestia agri, & cum volucri cælorum, & etiam pisces maris colligentur.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Prosopopœia*: nam *terra* introducitur *lugens*, i. e. *desolata* & *devastata*, eò quòd lugere videatur homo, qui devastatur; nisi *terra* metonymicè accipiatur pro *terræ incolis*, ut qui lugebunt ob terræ vastitatem. (2.) *Enallage numeri* singularis, *bestia* & *volucri*, pro plurali, *bestiis* & *volucribus*. (3.) *Synecdoche generis* pro *specie*: nam *colligi*, est, *mori*. *Artem*. par. 4. Bibl. p 164. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 570. *Iun*. in Not. ad eund. loc. p. 848 *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 200.

Vers. 4. *Et populus tuus sunt quasi litigantes cum Sacerdote.*

I. Observa (1.) *populum* sumi pro *popularibus*. (2.) Particulam similitudinis כ *certitudinem rei*, notare, idemque esse ac *certè*. (3.) Singulare, *Sacerdote*, poni pro plurali, *Sacerdotibus*. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 570. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 28. p. 506.

II. *Pontificii* persuasi sunt, non esse litigandum cum *Pontifice Romano*, quoniam *litigium cum Sacerdote Deus in populo Israelitico improbat.*

℞. *Sacerdos* est vel *verus*, qui rectè docet, & piè vivit; vel *falsus*, qui veram doctrinam adulterat, ac impiam vitam agit. Improbat Deus litigium cum Sacerdote *vero*, non diffitente *Vatablo*; haud verò cum Sacerdote *falso*: nam cum *falsis Sacerdotibus* ipse expostulat, v. 8. Jam verò qualis Sacerdos sit *Papa Romanus*, jamdudum Christiano orbi innotuit, nempe *injuriosus Christi testamentorum, expilator opum, &c.* quem increpari, summa est necessitas. *Meisner*. in Comm. Hose. c. 4. par. 1. q. 2. p. 365. seq. m. 1.

Vers. 5. *Et corrues hodie, & corruet etiam Propheta tecum nocte, & succidam matrem tuam.*

§. 1. *Hodie*, i. e. *hoc tempore & propediem*. §. 2. *Propheta*, h. e. *pseudopropheta*, juxta Chaldæum. §. 3. *Noctu*, i. e. *de improviso*. §. 4. *Matrem tuam*, h. e. *regnum totum*, *Iun*. in Not. ad h. l. p. 848. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 5. m. 2. p. 437. *Friedlib*. in Annot. ad eund. loc. elf. t. p. 787.

Vers. 6. *Repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum & ego.*

I. Verba hæc continent (1.) *Ellipsin* conjunctionis כי *quia*, ex membro præcedente repetendæ: *Et quia oblita es &c.* (2.) *Metonymiam causæ pro effectu*: nam *oblivisci legis divinæ*, est, *eam animo proterve spernere*. (3.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Deus* enim *humanitus* dicitur *oblivisci*, cum *homines negligit*, & *malos*

*malis exponit, atq; sine auxilio & solatio derelinquit.* *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 165. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tr. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. p. 15. & cap. 7. p. 124.

II. Gemina hic apparet ἀντιλογία: enim Deus *Sacerdotibus Israeliticis minatur repulsam à Sacerdotio, ne illo sibi fungantur;* cum tamen alias *in legitimo Sacerdotio non fuerint constituti*, quia non erant de *tribu Levi*, 1. *Reg.* 12. v. 31. & 2. *Paral.* 11. v. 15. Qui ergo *à Sacerdotio poterant repelli*, & cur *dicebantur sacerdotio fungi ipsi Deo*

℞. Loquitur Dominus ex *Sacerdotum illorum, populiq; sensu*. jactabant se *Sacerdotes*, & vulgò pro *talibus* habebantur, ut qui Sacerdotiô *ipsi Deo* fungerentur, quando *vitulis Ieroboamicis* ministrabant. Istum ergo, quo hactenus potiti, honorem sacerdotalem Jehovah se ablaturum innuit. *Id.* ibid. m. 2. q. 1. p. 406. 407. seq.

2. Deus minatur *Sacerdotum filiis pœnam, quia patres eorum obliti erant legis divinæ*; cum tamen contrà protestetur, *filios non esse portaturos iniquitatem parentum*, Ezech. 18. v. 20.

℞. Conciliatio est facilis: filii enim vel *recedunt à parentum impietate*, vel *imitantur eandem*. Si *recedunt*, non puniuntur ob peccata aliena, *Ezech.* 18 v. 20. Sin *imitentur*, quod *Sacerdotum posteri fecére*, tum sanè ob sua & parentum delicta meritò pœnas incurrunt, *Exod.* 20. v. 5. *Meisner.* l. c. q. 3. p. 410. seq.

Vers. 7. *Secundùm multitudinem eorum, sic peccaverunt mihi: gloriam suam in ignominiam mutabo.*

I. Nota (1.) phrasin Hebraicam, כְּרֻבָּם *secundum multitudinem eorum*, h. e. *prout aucti sunt à me*, puta numerô, opibus, honore. (2.) Particulam כֵּן *sic*, intendendi significationem habere, idemque esse ac, *tanto magis*. *Glass.* lib. 3. Philolog. Sacr. tract. 5. can. 29. not. un. p. 511. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 787.

II. *Porchetus* in Victor. advers. Judæ. c. 15. accusat *Iudæos*, quòd *textum hunc post natum Christum corruperint*; quia, *gloriam suam*, substituerint pro, *gloriam meam*.

℞. Nulla hîc est textus corruptio, *post natum Christum* facta: siquidem *ante Christi nativitatem* eodem modo lectum fuit, quo hodie in codice *Hebræo* nos legimus. Nam LXX. Interpp. habent: *τὴν δόξαν αὐτῶν εἰς ἀτιμίαν θήσομαι*. *Chaldæus Paraphrastes*: Gloriam SUAM cum ignominia commutârunt. *Vulgata Versio* post Christum natum legit: *Gloriam* EORUM in ignominiam commutabo. Neque potuit vera lectio esse, כְּבוֹדִי, *gloria mea*: illam enim Deus in ignominiam in æternum non mutat; sed intelligitur *gloria Iudæorum*, h. e. felicitas, opulentia, regni splendor, &c. atque hanc ob peccata se sublaturum fore, Deus minatur. *Glass.* lib. 1. Philolog. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 1. art. 1. obj. 14. pag. 53. seq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 11. §. 3. & 18. p. 216. seq.

Vers. 8. *Peccatum populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum levabunt animam suam.*

I. In versu hoc reperitur (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: nam *peccatum* accipitur pro *sacrificio*, quod pro peccato expiando offerebatur. (2.) *Enallage* tum *temporis* futuri, *comedent* & *levabunt*, pro præsenti, *comedunt* & *levant*: tum *numeri* pluralis, *eorum*, pro singulari, *ejus*, nempe *populi*. (3.) *Hebraismus*: siquidem *levare animam suam ad iniquitatem populi*, est, *anxiè desiderare iniquitatem populi*; quia sic sacrificia pro iniquitate admissa cumulatur, unde lautè victitare, & voluptatibus indulgere possint Sacerdotes. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 570. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 4. p. 47. *Friedlib.* in Annot. ad eund. l. class. 1. p. 787.

II. *Flacius*, lib. de Peccat. Orig docuit, *peccatum originis esse ipsam hominis substantiam*, quod in Scriptura *victimas* vocet *peccata*.

℞. Quid hoc facit ad controversiam, quâ quæritur, quid *propriè sit peccatum originis in homine?* suntne *pecudes victimæ*, ejusmodi *vitiositas?* Neque verò ignorabat *Flacius*, peccatum Scripturis alias *reatum*, aliàs *ipsam naturæ vitiositatem*, quæ reatum meretur, notare. jam cum quæstio sit de ipsa *vitiositate*, cur *victima* huc trahuntur? *Hesib.* in Epist. ad Flac. Illyric.

III. *Pareus* in Comm. Hosc. c. 4. p. 81. *Evangelicis Pastoribus* exprobrat, quòd *a confitentibus nummos confessionarios accipiant*, non secus ac *Sacerdotes Israelitici victimas*.

℞. Hoc nihil ad rem. Reprehendit enim Propheta *avaritiam Sacerdotum Israeliticorum*, qui victimas requirebant ut *debitum*, à peccatoribus *singulis*, & *propter illas absolvebant*; id quod *Pastores Evangelici* non faciunt: neminem enim ad dandum aliquid *adigunt*, *à ditioribus* verò, cum nummi offeruntur, eos recipiunt, non ut *emta absolutionis pretia*, sed ut *signa gratitudinis*; & quidem tum demum, quum *jam ipsis confitentibus* absolutionem à peccatis annunciarunt. Ex quibus apparet, quanta inter *Sacerdotes Israeliticos*, victimis inhiantes; & *Pastores Evangelicos* absolventes sit differentia. *Bald.* de Casib. Consc. lib. 4. cap. 10. cas. 5. p. 1121. & seq. *Meisner.* in Comm. Hosc. c. 4. par. 1. m. 2. q. 4. pag 411.-415.

Vers. 9. *Et fuit sicut populus sicut Sacerdos, & visitabo super eum vias ejus, &c.*

Iteratur (1.) *Enallage* partim *temporis* præteriti, *fuit*, pro futuro, *erit*: partim *numeri* singularis, *ejus*, pro plurali, *eorum*. (2.) *Hebraismus*: כָעָם כַּכֹּהֵן *sicut populus, sicut Sacerdos*, h. e. populus erit sicut Sacerdos, & Sacerdos sicut populus. (3.) *Ἀνθρωποπάθεια*: quâ *visitatio* Deo tributa notat *punitionem*. (4.) *Metaphora*: nomine enim *viarum* intelligitur *vivendi ratio in hoc seculo*. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. p. 570. Confer *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tr. 1. observ. 3. p. 651. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 144. cap. 12. p. 376.

Vers. 11. *Fornicatio, & vinum, & mustum capiet cor.*

Offert se (1.) *Enallage temporis* futuri, *capiet*, pro præsenti, *capit*. (2.) *Metaphora*: verbum enim לקח significat *captivum tenere*, ut *Iosu.* 11. v. 19 (3.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *cor* pro *sapientia* est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 571. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 27. & cap. 3. m. 1. p. 32.

Vers. 12. *Populus meus lignum suum interrogabit, & baculus ejus annunciabit ei: nam spiritus fornicationum errare fecit, & fornicati sunt à sub Deo suo.*

Occurrit (1) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *lignum* pro *idolo ligneo* est. (2.) *Enallage temporis* futuri, *interrogabit* & *annunciabit*, pro præsenti, *interrogat* & *annunciat*. (3) *Synecdoche generis* pro specie: *Spiritus fornicationum*, h. e. *Satan*. (4.) *Metaphora*: nomine enim *fornicationum* notatur *varia idololatria*, quæ *scortatio spiritualis* est. (5.) *Hebraismus*: Fornicati sunt מִתַּחַת *a sub Deo suo*, id est, *excutiendo jugum Dei sui ejusque subjectioni se subducendo*. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. p. 571. *Iun.* in

Not.

... nd. loc. p. 849. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. ... o. 1. m. 1. p. 554. lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. ... *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 788.

... *Populus non intelligens vapulabit.*

... arguunt *Deum injustitiæ*, quòd *populum* ... *gentem*, h. e. *ignorantem puniat*.

℟. Inde Deus non est *injustus*: Israelitarum enim *inscitia* non fuit κατ' ἀπόφασιν & *pura negationis* ignorantia, sed κατὰ διάθεσιν & *prava dispositionis*, quia veram cultus divini rationem, & rectam ... institutionem ex lege *Mosis* facilè discere potuissent, si modò voluissent, quam ob causam jure optimo pœna illis inflicta fuit. *Meisner.* ibid. ... 4. p. 495. seq.

Vers. 15. *Nolite ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Bethaven, neq; juraveritis: vivit Dominus.*

I. *Bethel*, oppidum, in quo Jeroboam instituerat idololatriam, 1. Reg. 12. v. 29. à Propheta dicitur בֵּית אָוֶן *domus vanitatis*, pro בֵּית־אֵל *domus Dei* Genes. 28. v. 19. Denominationis propheticæ, quasi rationem dat *Amos.* 5. c. 5. v. *Bethel erit* לְאָוֶן *in vanitatem* h. e. *redigetur in nihilum*. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 13. m. 2. p. 831. seq.

II. Quidam negant, *posse quempiam licitè proficisci ad loca idololatrica*, quoniam *Dominus prohibuerit Judæis, ne ingrederentur Gilgal vel Bethel.*

℟. Non *simpliciter* prohibet Deus Judæis, *Gilgal vel Bethel ingredi*; sed *secundùm quid*, videlicet *communicandæ idololatriæ* causâ, quo etiam fine nemo licitè adhuc proficisci potest ad loca idololatrica, 1. *Joh.* 5. v. ult. *Meisner.* in Comm. Hose. c. 4. par. 2. q. 1. p. 492.-496.

II. Deus sibi *contradicere* videtur; hîc enim prohibet Judæis, ne jurent, *vivit Dominus*; cum tamen, *Deut.* 6. v. 13. hoc ipsum, ut partem *veri cultus*, ab ipsis exegerit.

℟. Nulla utrobiq; pugna est: siquidem, *Deut.* 6. v. 13. Deus loquitur de juramento *legitimo*, at *Hose.* 4. v. 15. de juramento *illegitimo*, apud idola cum nominis divini mixtura, præstito. Itaque hîc *per nomen Jehova jurare* vetat, quòd *sui cultum* nullo modo cum *idololatrico* vult permisceri, sed integrum, purumque custodiri. cum autem in *Bethel* coram *aureo vitulo* Israëlitæ jurarent, & nomen *Jehova* usurparent, sacrosanctum DEI nomen pro argumento nefariæ suæ idololatriæ adhibebant, ne viderentur *vitulis*, sed *Deo* honorem invocationis tribuere; idquod divina majestas pati noluit, & ideo in nostro textu taxavit, *Meisner.* ibid. q. 5. p. 500. seq. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 335. seq.

Vers. 18. *Recessit potus eorum, fornicando fornicati sunt, dilexerunt, afferte, ignominia clypei ejus.*

En (1.) *Metonymiam effecti* pro *causa*: Recessit *potus eorum*, h. e. *causa est recessionis eorum* à DEO, seu *recedere facit eos*, q. d. merum, quo se obruunt, istos efficit retractarios & apostatas. (2.) Epizeuxin: *Fornicando fornicati sunt*, i. e. *indesinenter* fornicati sunt, nim. *spiritualiter*. (3.) *Enallagen temporis* præteriti, *fornicati sunt & dilexerunt*, pro præsenti, *fornicantur & diligunt*. (4.) *Synchysin*: *Diligunt, afferte, ignominia, clypei ejus*, pro, *Clypei ejus diligunt*, afferte, *quæ est ignominia*. (5.) *Metaphoram*: Principes enim dicuntur *clypei*, quia subditos à vi injusta, *clypeorum* instar, protegere & defendere debent. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 571. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 849. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 27. seq. & cap. 12. p. 397.

Vers. 19. *Ligavit ventus eam in alis suis, & pudefient à sacrificiis suis.*

Recurrit (1.) *Enallage temporis* præteriti, *ligavit*, pro futuro, *ligabit*. (2.) *Metaphora*: nam *alæ venti* ejus *celerrimum impetum & pervasionem* notat. (3.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: quia *sacrificia* pro *impiis cultibus*, ab Israëlitico populo exercitis, ponuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 571. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 849. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tractat. 1. cap. 11. p. 311.

CAP. V. v. 1. *Vobis judicium: quia laqueus fuistis in Mizpah, & rete expansum super Thabor.*

Hoseas utitur (1.) *Metonymiâ causæ* pro *effectu*: Vobis *judicium*, h. e. *pœna* imminet. (2.) *Metaphorâ*: nam *laqueum & rete* pro *causa exitii* ponit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 321.

Vers. 2. *Et ad jugulandum declinantes profundaverunt, & ego eruditio omnibus ipsis.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Metaphora*: verbum enim הֶעְמִיק *profundandi* de *peccatorum*, [quibus in profundum inferni pervenitur] *multitudine* usurpatur; unde Chaldæus *multiplicandi* verbum habet. (2.) *Periphrasis latronum*: Quemadmodum [inquit Deus] *aucupes* in profundo latitare solent, ad intercipiendas volucres; sic etiam vos, ô *latrones*, ex abdito loco, alienæ vitæ insidiamini. (3.) *Enallage* abstracti, *eruditio*, pro concreto, *eruditor*, q. d. ero *acerrimus castigator*. Jun. in Not. ad h. l. p. 850. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 278. *Friedl.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 788.

Vers. 5. *Et testificabitur superbia Israëlis in faciem ejus. & Israel & Ephraim ruent in iniquitate sua, ruit etiam Jehuda cum eis.*

I. Verba hæc continent [1.] *Prosopopœiam*, quâ *superbia* introducitur *testificari contra Israëlitas*, h. e. *palàm convincere & confundere*. [2.] *Synecdochen partis* pro *toto*: nam *Ephraim* ponitur pro *decem tribubus Israëlis*, quia *Ephraim* erat præcipua pars decem tribuum. [3.] *Enallagen temporis* præteriti *ruit*, pro futuro, *ruet*. Jun. in Bibl. h. l. p. 850. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 788. seq.

II. Ἀντιλογία quædam apparet: hîc enim Deus minatur *Judæ*, quòd debeat *corruere unà cum Israel & Ephraim*, cum tamen suprà cap. 1. v. 7. dicat, *Judam non abjectum iri*, sed misericordiam consecuturum.

℟. [1.] Utrobique sunt *Synecdochicæ locutiones*: hîc ergo *mali & incorrigibiles*, illic *boni & pœnitentes* intelliguntur. [2.] Etsi pii communibus calamitatibus quandoque involvantur, tamen Deus misericordiam suam illis simul non denegat, verùm in istis mirabiliter servat, & quasi per ignem salvat. [3.] Rectè etiam h. l. τὸ *corruere* de *statu regni*, ad quod nunquam postea pervenerunt Judæi & Israëlitæ, accipitur.

Vers. 6. *Cum grege suo, & cum armento suo ibunt ad quærendum Dominum, & non invenient: recessit ab eis.*

I. In textu hoc habetur [1.] *Metonymia causæ* pro *effectu*: Cum *grege suo, & cum armento suo*, i. e. *amplissimis sacrificiis & oblationibus*. [2.] *Ellipsis* conjunctionis causalis, כִּי *quia* recessit &c. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 850.

II. Gemina contradictionis species offenditur. Nam 1. Israel hîc dicitur *Deum quærere, & non invenire*; at *Matth.* 7. v. 7. seq. Christus ait: *Quærite & invenietis.*

℟. Conciliationem ipse textus subministrat. Aliter enim Deus quæritur ab *hypocritis*, aliter à

*pij*: unde quia ipsum *quærere* distinctum est, distinctus quoque eventus sequitur. Nam *pii* quærunt Deum *juxta voluntatem ejus*, in humilitate scil. & vera fide; atque sic invenitur Deus. *Hypocritæ* verò Deum quærunt cum *ovibus & victimis*, adeoque ex *simulato corde*, atque ita non invenitur Deus. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. m. 6. p. 794.

2. *Deus fertur ab Israelitis recessisse*, juxta Prophetam; at *omnibus adest*, neq; procul abest ab unoquoque *Act.* 17. v. 28.

℞. Nulla est contradictio. Nam ratione *essentiæ* omnibus adest, quod vult Paulus; at ratione *gratiæ* recessit ab Israel, quod docet Hoseas. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 789.

Vers. 8. *Clangite buccinâ, tubâ Rama; vociferamini Bethaven, post te Benjamin.*

Occurrit 1. *Anastaxis* præpositionis pro nomine: אַחֲרֶיךָ *post te*, h. e. *posterior te.* (2.) *Ellipsis* verbi, ex membro præcedente repetendi: *Post te Benjamin*, scil. *clangat*, i. e. *ad bellicas clades perferendas seipsum comparet*, qui post regionem tuam habitat. (3. *Synecdoche partis* pro *toto*: nam *Benjamin* sumitur pro *regno Iudaico*, ad id quippe pertinens. *Iun.* in not. ad h. l. p. 850. *Glass.* l. b. 3. Philol. Sacr. tract. 6. can. 11. m. 1. p. 543. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 789.

Vers. 10. *Fuerunt Principes Iehuda, sicut moventes terminum: super eos effundam, tanquam aquam, iram meam.*

Iteratur (1.) *Enallage temporis* præteriti, *fuerunt*, pro præsenti *sunt.* (2.) *Ellipsis* nominis: *Moventes terminum*, subint. *alienum.* (3.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim dicitur *iram suam effundere, tanquam aquam, cum gravissimè & celerrime plectit.* Ariam. par. 4. Bibl. p. 165. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 850. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 28. p. 506. & lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 267.

Vers. 13. *Et vidit Ephraim morbum suum, & Iehudah ulcus suum, & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem Iareb, & ipse non poterit sanare vos, & non curabit à vobis ulcus.*

Redit huc (1.) *Enallage temporis* præteriti, *vidit, abiit, misit*, pro futuro, *videbit, abibit, mittet.* (2.) *Prosopopæia*: *Videbit Ephraim morbum suum, & Iehudah ulcus* suum h. e. *regna*, Israeliticum & Judaicum, *sentiens mala sua.* Sic enim Scriptura agit de *ægris*, ac si de *corporibus* sermo esset. (3.) *Metaphora*, quâ *sanare* & *curare* significat, *ab adversitatibus liberare, & prosperitatem instaurare.* (4.) *Hypallage*: Non *curabit a vobis ulcus*, pro, non *curabit vos ab ulcere.* Jun. in Bibl. h. l. p. 850 *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 5?2. *Friedlib.* ibid. class. 1. p. 789. Confer *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 393.

Vers. 14. *Ego quasi leana Ephraimo, & quasi catulus leonis domui Iuda: ego, ego, capiam, & vadam, &c.*

Quidam *Zvvinglio* faventes statuerunt, *Deum esse causam peccati, quia ipse Assyrios excitârit, & in Samariam deduxerit, ut instar leonis in Israelitas sævirent*, ideoque *hanc cladem & perditionem sibi ipsi attribuerit.*

℞. N. C. distinguendum enim est inter *hostium actionem*, & *Israelitarum passionem.* Displicuit Deo *hostium prævaricantium actio*, utpote cum odio Israelis, blasphemia nominis divini, & summa tyrannide conjuncta; sed placuit Deo *Israelitarum passio*, quam volebat ipsos experiri, ut justam scelerum vindictam. Proinde cum dicit Deus: *Ego, ego discerpam*: duntaxat ad *cædem* respicit, non ad *peccata cadentium.* Meisner. in Comment. Hose. c. ... par. 2. q. 1. p. 56... seq.

Vers. 15. *Vadam revertar ad locum meum, usq; ... rei sint, & quærant faciem meam, in tribulatione sua quærent me diluculo.*

I. Offert se (1.) *Ellipsis conjunctionis copulativæ*: *Vadam & revertar.* (2.) Ἀνθρωποπάθεια tum quia *Deus* dicitur *reverti ad locum suum*, cum *pœnas immittit*; siquidem in pœnis & dilatione auxi... Deus abesse ab hominibus videtur, *Iudic.* 6. v. 13 *Thren.* 3. v. 43. seq. tum quia homines dicuntur *faciem Dei quærere.* h. e. *gratiam ejus precibus expetere.* (3.) *Hebraismus*: Usque dum יֶאְשְׁמוּ *rei sint* h. e. *reos se agnoscant & peragant*, ut sequent... verbis declaratur. *Descriptio seriæ contritionis.* 4 *Metaphora*: verbum enim שחר *diluculo quærere* significat, *tempestivè & studiosissime quærere*, sicut ... curæ & cordi sunt *diluculo surgendo* peraguntur. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 165. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 85. *Glass.* l. 3. Phil. Sacr. tract. 3. can. 17. p. 279. & li... tract. 1. c. 7. p. 144. Confer c. 7. p. 105. & c. 10. p. 234.

II. Objectionem *Anthropomorphitarum*, & *Vorstianorum*, contra Dei *incorporeitatem*, & *illocalitatem*, vide confutatam in Vindic. *Esa.* 26. v. 21. m. 1. & Mich. 1. v. 3. m. 1.

III. *Bellarminus* l. 5. de Grat. & lib. arbitr. c. 21. argutatur, *homines non renatos habere liberum arbitrium in rebus spiritualibus, quòd eos Deus exspectet, donec ponant in corde suo, & quærant faciem suam.*

℞. (1.) Eodem argumento olim utebatur *Pelagius Brito*, pro stabiliendo *libero arbitrio in actu conversionis*: videant ergo *Papistæ*, quomodo se liberent à *Pelagiana hæresi.* (2.) In *Hebræo* non est, *donec ponant in corde suo*, sed, *donec deficiant*, ut fatetur *Pagninus* & *Vatablus*, id est, *quoad agnoscant, quòd peccaverint*, ceu *Targum* exponit. Radix enim est, אָשַׁם, quam *Vulgata* versio vertit, *defecit* Arias autem, *deliquit*, h. e. ut ipsam explicat, *defecit* (3.) Sensus non est, *Deum subtracturum gratiam suam, & homines sibi relicturum, interim vero expectaturum, ut ipsi suis sese ad eum viribus convertant* (repugnat enim is universæ Scripturæ) sed *absconditurum faciem suam in afflictionibus, ut his, ceu stimulis, ad pœnitentiam iuventur.* Et ideo immediatè subjungitur: *Ubi fuerit ipsis afflictio, properabunt ad me.*

*Bellarminus* ibid. regerit 1. hac ratione nihilominus stabiliri *liberum arbitrium*: Si enim *possunt homines afflicti quærere Deum, quod antè non faciebant, eos certè habere liberum voluntatis arbitrium.*

℞. N. C. neque enim hinc probatur, quid *homines possint*, sed quid *Deus velit facere in iis.* Nam quia *afflictiones* sunt veluti *reales legis conciones*, ideo sunt *medium*, per quod Spiritus Sanctus vult opus conversionis inchoare: quandoquidem afflictiones *per se* conversionem non operantur, nisi Spiritus Sanctus intùs corda afficiat. *Esa.* 26. v. 20. & *Prov.* 27. v. 22. Quarè hîc non significatur quòd *homo conversioni suæ ex se cooperari possit*, sed quòd *Spiritus Sanctus non absq; mediis eam operari velit.*

2. Adhuc probari *liberum arbitrium*: hominem enim, siquidem *possit cum auxilio gratiæ Deum quærere & non quærere*, omnino *posse gratiæ cooperari & non cooperari.*

℞. Per *auxilium illud gratiæ* intelligit Bellarminus *suasionem, excitationem, hortationem* &c. quâ Spiritus Sanctus *innatas* liberi arbitrij vires erigat, & in actum deducat; cum per *illud auxilium* intelligenda sit *regeneratio & renovatio*, quâ *novæ* vires

homini

... nt dantur, quibus eum *jam renatum ac renovatum* gratiæ divinæ cooperari vel non cooperari ... concedimus. *Chemnit.* par.1. LL. Theol. ... de Lib. Arb. c.9. m.2. p.209. *Gerhard.* tom.2. LL. CC. loc.14. de Lib. Arb. §.75. p.980. seq. & §.85. p.1005. seq. *Scharp.* tom.1. Curs. Theol. art. de Lib. Arb. cap.4. controv.3. obj.15. p.544.

CAP.VI. v.1. *Venite & revertamur ad Dominum, quia ipse cepit & sanabit nos, percussit & alligabit nos.*

*Paræus* in Calvin. Orthod. p.168. negat. *Hoseam* v.2. de *resurrectione Christi, tertio post mortem die futurâ* vaticinari; cùm v.1. Propheta quoad *literam* de *populo resipiscente* loquatur, ideoque etiam verba illa v.2. *vivificabit nos*, de *populo resipiscente* sint intelligenda.

℞. Nulla prorsus hîc sequela est: quia Propheta ultra vivificationem *externam* mentes resipiscentis populi ad eam *vivificationem* attollit, quæ *per Christum futura* erat. Certè sonus verborum arguit, digitum intendi ad *Christum*, ob peccata nostra *percussum*, & die tertia *resuscitatum*, cujus resurrectio non est *ipsius privata*, sed (*fructus* ratione) *communis* iis omnibus, qui in illum credunt. Itaque *populus est vivificatus tertia die, sed in Christo.* Hunn. tom.2. Oper. Lat. p.789. seq. *Meisn.* in Comm. Hose 6. par.1. q.2. obj.1. p.616.

Vers.2. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.*

I. *Judæi* fingunt, *extremum judicium intra tres dies absolutum iri, quia post biduum Deus vivificaturus nos sit.*

℞. N.C. Propheta enim his verbis respicit ad *beneficium venturi Messiæ*, tum *mortis & sepulturæ*, tum *resurrectionis*: ipse enim tertio die resurrexit, & sua resurrectione omnes pios vivificavit, & dixit: *Vivo ego, & vos vivetis*, Johan.14. v.19. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class.7. quæst.55. p.806.

II. Hoseas vaticinatur de *Messia*, *tertia post mortem die resuscitando*: nam expressa fit mentio *diei tertiæ*, quâ erat *vivificandus ac resuscitandus ex mortuis*.

*Paræus* in Hose. p.358. seq. replicat, Prophetam ideo *literaliter* de *Christo* non vaticinari, cum non in *singulari*, sed in *plurali* loquatur; alioqui geminam figuram fuisse adhibendam, nimirum *Enallagen numeri* pluralis pro singulari, & *Synecdochen totius* pro parte.

℞. Adversarius subdolè nobiscum agit, quasi tam stolidi essemus, ut *pluralem numerum in singularem*; quin potiùs *pluralem* retineamus, & sine *figura tropoq;* dicimus, *nos verò tertio die resurrexisse*, sed non in *propria persona*, verùm in *Christo*, sicut *Apostolus* illud exponit, *Ephes.* 2. v.4. & *Zanchius* in Comm. Hose. p.377. item par.1. lib.2. de trib. Eloh. c.6. p.64. seqq. *Meisner.* ibid. p.610.-618.

Vers.5. *Propterea dolavi per Prophetas, occidi eos per verba oris mei, & judiciorum tuorum lex egredietur.*

In versu hoc videre est. (1.) *Ἀνθρωποπάθειαν*: *Deus* enim per Prophetas *dolare* dicitur, cùm *crebris monitis minisq;* legalibus homines perterrefacit, & *spiritualiter* eos *occidit*; ut ibidem sequitur, qua de re confer 2. *Corinth.* 3. v.6. sumtâ *metaphorâ* à *latomis*, qui lapides tundere & contundere solent. (2.) *Enallagen temporis* futuri, *egredietur*, pro præterito, *egressa est*. Jun. in Bibl. h.l. p.851. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.7. p.134.

Vers.6. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium; & scientiam Dei præ holocaustis.*

I. Verba hæc exhibent (1.) *Synecdochen*: nam per *misericordiam* notantur *charitas & cuncta officia tabulæ secundæ*, per *scientiam* verò idem & *officia primæ tabulæ*. (2.) *Enallagen temporis* præteriti, *volui*, pro præsenti, *volo*. (3.) Hebraismum: *Scientiam Dei præ holocaustis*, seu *magis quam holocausta*, h.e. *scientiâ Dei delectos & non holocaustis*; ubi pro *negativo* adverbio *comparativa* particula ponitur. *Artam.* par.4. Bibl. p.166. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.5. can.21. p.483. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class.7. quæst.57. p.806.

II. *Ἀντιφάσεια* gemina occurrit: 1. *Deum noluisse in V.T. sacrificium*, quod tamen *præceperat Israelitis*.

℞. Loquitur Deus non de *sacrificiis ritè & fideli corde*, sed *sine fide ex hypocrisi oblatis*, quæ utique non vult, *Jesa.* 1. v.11. *Prov.* 15. v.8. *Jerem.* 7. v.9. *Glass.* l.1.

2. Deum *cultum secundæ tabulæ* præferre *primæ tabulæ cultui*, nempe *misericordiam* sacrificio; cum tamen cultus *secundæ* tabulæ cedat cultui *primæ* tabulæ.

℞. Cultui *morali & interno* semper cedit cultus *ceremonialis & externus*, non autem verum hoc est de *cultu ceremoniali & externo*: hunc enim Deus ipse *secundæ tabulæ* postponit, & Christus in Evangelio *sabbatum* dilectioni postponendum esse docet. *Meisner.* ibid. par.2. p.648. seq.

Vers.7. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum*, &c.

*Pelagius* olim docuit, *peccatum Adæ transiisse in mundum imitatione & exemplo*, quoniam *homines dicantur transgressi pactum Dei, sicut Adam.*

℞. (1.) Vox, כְּאָדָם potest accipi *appellativè*, ut sensus sit: Isti *tanquam hominis* transgressi sunt fœdus, h.e. tanquam si cum *homuncione* sibi res esset; cùm contrà deberent cogitare, se non cum *homine mortali*, sed cùm *divina majestate* fœdus pepigisse. Inde verò non sequitur, *peccatum Adæ transiisse in mundum imitatione & exemplo*. (2.) Si omninò *propriè* acciperetur vox, כְּאָדָם, & ad *primum parentem nostrum Adamum* respiceretur, nec sic probari posset, *peccatum Adæ transiisse in mundum imitatione & exemplo*. Nam, ut *Augustinus* observat, quando Scriptura loquitur de *primo auctore* peccati, *quem peccatores imitentur*, tunc non nominat *Adamum*, sed *Diabolum*, Sap. 2. v.24. & 1. *Joh.* 3. v.8. quando verò loquitur de *primo* auctore, *à quo in posteros peccatum derivetur*, tunc nominat *Adamum*, Rom.5. v.12. Sic ergo *peccatum originale* quodammodo innuitur, ex quo, tanquam *fonte*, pullulant *actualia*. Cœpit *Adam* fœdus cum Deo initum violare, unde natura ejus corrupta est, quæ corruptio in nos propagatur; Idemque sicut *Adam*, fœdus Dei haud rarò transgredimur. *Chemnit.* in LL. Theol. art. de peccat. origin. c.6. p.243. *Meisn.* in Comm. Hose.6. par.3. p.655. seq.

Vers.8. *Galaad civitas operantium idolum*, &c.

Probationem *Bellarmini*, pro *idolo*, Hebraicè אָוֶן *mendacium*, dicto, & *aliquid falsi* significante, vide refutatam in Vindic. *Num.* 23. v.21.

Vers.9. *Et sicut expectant aliquem latrones, collegium Sacerdotum viâ interficiunt humerò, quiâ scelus fecerunt.*

Propheta usurpat (1.) *Ellipsin* tum adverbii כֵּן *sic* collegium &c. tum nominis adjectivi, *humero* scil. *uno*, ut *Chaldæus* suppler. (2.) *Metaphoram*: quia *viam* pro *ratione*, eaque dolosâ; & *humerum* pro *consensu* accipit, adeò ut *cædem humero uno patrare*, sit, *consensu summo malum illud perficere*. (3.) *Enallagen temporis* futuri, *interficient*, & præteriti,

*fecerunt*, pro præsenti, *interficiunt* & *faciunt*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 166. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 573. *Inn.* in Not. ad eund. loc. p. 851. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 6. not. un. p. 785. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 343.

Vers. 11. *Etiam Iehudah posuit messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.*

*Metaphora* est: nam *ponere messem alicui*, significat, *reducere in idololatriam, atq; ita pœnarum divinarum causam præbere*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 302.

CAP. VII. v. 1. *Cum sanarem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium* &c.

I. In textu hoc cepceritur (1.) *Hebraismus*: Cum *sanarem*, h. e. *sanare vellem*, uti *vulgata* habet. (2.) *Enallage* tum *numeri* pluralis, *malitia*, pro singulari, *malitia*, nim. *summa*; tum *temporis* præteriti, *operati sunt*, pro præsenti, *operantur*. (3.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *Samaria* pro *hominibus, ejus incolis*, ponitur. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 166. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 574. *Inn.* in Not. ad eund. loc. p. 851.

II. *Bellarminus* l. 2. de Imagin. Sanctor. c. 5. arg. 2. opinatur, *idolum aliquid falsi significare*, quòd Hoseas idipsum vocet שֶׁקֶר, *mendacium*, ut *Hieronymus* notet in c. 7. Hose.

℞. (1.) שֶׁקֶר non est nomen *propriè idolum* significans, sed *epitheton idolo impositum*: itaque non pertinet ad significationem vocabuli *idoli*. (2.) Id ipsum epitheton impositum est, non ex eo, quod ab *idolo* significetur, sed ex *malo idoli usu*: nam omnis imago, quatenus *religiose colitur*, docet *falsum*, nempe fallam religionem. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 21. c. 9. §. 17. & 18. p. 426.

Vers. 4. *Omnes ij adulterantes sicut clibanus succensus à pistore, desinit vigilans, ex quo subacta est massa, usq; dum fermentata sit*.

Hoseas adhibet (1.) *Metaphoram*: quia *adulterari* est, *idololatriam exercere*. (2.) Ellipsin: *Adulterantes*, scil. *æstuant*, (comparat verò ferventissimum idololatrarum studium calori clibani succensi) *quando is* desinit &c. (3.) *Enallage participij* pro *verbo infinito* שֹׁמֵר מֵעִיר *desinit vigilans*, h. e. *vigilare*, seu cùm somno se dedit, v. 6. quod Græce esset, παύεται γρηγορῶν. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 574. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 4. can. 12. m. 1. p. 424.

Vers. 8. *Ephraim in populis ipse commiscuit se, Ephraim fuit libum non versum*.

Iteratur (1.) *Enallage temporis* præteriti, *fuit*, pro futuro, *erit*. (2.) *Ellipsis* comparativa particulæ כְּ: *Vt* libum &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 574.

Vers. 9. *Comederunt extranei robur ejus, & ipse non cognoscit: etiam canities sparsit se in eo, & ipse non cognoscit*.

Recurrit (1.) *Enallage temporis* præteriti, *comederunt*, pro præsenti *comedunt*. (2.) *Metonymia* tum *effecti* pro *causa*, quia *robur* pro *opibus* & *facultatibus* ponitur, tum *causa* pro *effectu*, quoniam *cognoscere*, est, *curare* vel *sentire*. (3.) *Prosopopæia*: loquitur enim Propheta de *signo*, ut de *corpore*, in quo cum *canities* venit, venit imbecilitas & languor; ita & Ephraim paulatim fit imbellis & imbecillis, eò quòd nunc ante tempus justum, ob crebras devastationes & oppositiones & nunc excidio proximum est hoc regnum. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 574. *Friedlib.* in Not. ad eund. loc. p. 790. class. 1.

Vers. 11. *Et fuit Ephraim velut columba seducta, absq; corde: Ægyptum invocarunt, Assur abierunt*.

Videre hic est (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *cor* accipitur pro *sapientia*, cujus sedes *cor* est. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *invocarunt* & *abierunt*, pro futuro, *invocabunt* & *abibunt*: ut ex sequentis versus futuro apparet. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 574. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 5. m. 1. p. 32.

Vers. 15. *Et ego castigavi, roboravi brachia eorum* &c.

*Metaphora* est: *Roboravi brachia eorum*, h. e. *potentiam ipsorum*, dum attritum Israelem victoriosum navi. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 790.

Vers. 16. *Revertentur non Excelsum: fuerunt tanquam arcus doli, cadent in gladio Principes* &c.

Ecce (1.) *Ellipsin* præfixi לְ, quod deest: לְ pro לְאֵל *ad Excelsum*, h. e. *ad verum Deum*. (2.) *Enallagen* tum *temporis* præteriti, *fuerunt*, pro præsenti, *sunt*; tum *nominis* substantivi, *doli*, pro adjectivo, *dolosus*. (3.) *Metaphoram*, quâ *cadere* hic mitur pro *interire*. (4.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam *gladius* pro *vi hostili* & *cade cruenta* accipitur. *Ariam* par. 4. Bibl. p. 166. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 575. *Glass.* lib. 4. Phil. Sacr. tract. 1. observ. 6. not. 3. n. 1. p. 683.

CAP. IIX. v. 1. *Ad palatum tuum buccinam veluti aquila in domum Domini*, &c.

*Ellipsis* est: *Ad palatum tuum*, subint. *pone vel adhibe*: & *veluti aquila in domum Domini*, scil. *involat*, nim. *hostis*. Omittit verò Hoseas aliquot verba in hoc sermone, ut exprimat *magnam trepidationem*, quæ hic significatur. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 166. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 575. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 56. m. 1. p. 402.

Vers. 4. *Ipsi regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognovi*, &c.

I. *Anabaptistæ* negant. *A Magistratum politicum esse à Deo, cum ipse ex Deo non regnet, eumq; nec Deus cognoscat sive approbet*.

℞. [1.] Verba in textu *Hebræo* sic habent: *Ipsi regnare fecerunt, & non ex me; Principem constituerunt, & non cognovi*. Ubi Deus non improbat electionem Regis *propriè*, utpote quæ ex Deo est, Deut. 17. v. 15. & Rom. 13. v. 1. sed electionem Regis *alieni atq; gentilis in tutorem ac patronum*, sicut suprà dixit de *Assyrio* & *Ægyptio* ascito, & quidem *Deo non consulto*. Quâ verò specie ex eo inferri potest, quòd *Magistratus non sit Dei ordinatio*? [2.] Etiamsi luculenter hic una intelligeretur de *propriâ Regis* electione, neque sic tamen pro *Anabaptistis* faceret. Nam Regis Jeroboami *electio ipsa* [ad hanc enim Propheta respiceret] fuit à Deo, 1. *Reg.* 11. v. 31. 35. 37. & c. 12. v. 15. 24. *modus tamen electionis* Deo displicuit: populus enim Israeliticus in Deum & Regem suum *seditionem* movit, atque *tumultuariè* Regem sibi, *inconsulto Deo*, creavit, 1. Reg. 12. v. 16. Quemadmodum verò non licet inferre: *Quidam sine Deo officium Propheticum invadunt*, Jerem. 23. v. 21. ideoque *ipsum officium Propheticum non est à Deo*: ita quoque non licet colligere: *Aliqui non missi à Deo invadunt Magistratum politicum*, ac *proinde ipse Magistratus politicus non est à Deo*. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 27. de Magistr. Polit. §. 50. p. 680. seq. *Meisner.* in Comm. Hose. c. 8. par. 2. p. 733. seq.

II. *Armacanus* lib. 10. qq. Armen. c. 4. arbitratus est, *Principatum sive dominium non posse esse in impijs, quia ab ex Deo non regnent*.

℞. Negatur sequi: quia Deus ibi tantùm improbat *particulare factum populi Israelitici*, partim *in seditione Ieroboamum in Regem eligentis*, partim ex diffi-

[illegible] *Deum alienos Principes sibi defensores* [illegible]: non autem dicit, *impios Reges non* [illegible] *dominium.* Bellarmin. l. 3. de Laic. c. 8. resp. [illegible]. *Scharp.* tom. 2. Curs. Theol. p. 1963.

Vers. 5. *Deseruit te vitulus tuus, ô Samaria, excanduit furor meus in eos, quousq; non poterunt innocentiam.*

Propheta utitur (1.) *Enallage* partim *temporis* præteriti, *deseruit*, pro futuro, *deseret*; partim *numeri* singularis, *vitulus*, pro plurali, *vituli*. (2.) *Synecdoche partis* pro *toto*: quia *Samariam* accipit pro *toto regno Israelitico*, cujus caput & metropolis [illegible], unde mandatum de *colendis vitulis* prom[illegible] 1. Reg. 12. v. 18. Aliàs ipsi vituli erant in Dan & Bethel. (3.) *Ellipsi* verbi infiniti: *Non poterunt innocentiam*, scil. *colere*. Jun. in Bibl. h. l. p. 853. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 575. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tractat. 3. can. 56. m. 2. n. 1. p. 403. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 7. quæst 6. p. 808.

Vers. 7. *Quia ventum seminaverunt, & turbinem metent, culmo stanti non est germen, non faciet farinam: si fortè fecerit, extranei deglutient eam.*

Verba hæc continent (1.) *Enallagen temporis* præteriti, *seminaverunt*, pro præsenti, *seminare solent*. (2.) *Metaphoram*, quâ *seminare* est *operari*, & *metere* significat *mercedem operum recipere*: *illud* exprimit studium impietatis, *hoc* verò pœnas impietatis, & judicium Dei adversus improbos. (3.) *Hebraismum*: סוּפָתָה, *maximam procellam*. Simplex nomen סוּפָה est *turbo, procella*, ejus ultima litera in ת mutatur, & alterum ה, fœminini nota, *intentionis augendæ* causâ adjicitur. (4.) *Ellipsin* verbi substantivi: *Culmo stanti non*, scil. *erit*. (5.) *Pleonasmum*: τὸ *ei* enim abundat. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 166. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 575. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 6. p. 59. [illegible] tract. 1. cap. 11. p. 286. & 302.

Vers. 9. *Quia ipsi ascenderunt Assyrium, onagrum solitarium sibi. Ephraim mercede conduxerunt amores.*

Iteratur [1.] *Ellipsis* præpositionis אֶל *ad Assyrium.* [2.] *Metaphora*, nam Rex Assyrius dicitur *onager*, quia sibi tantum prospicit, ut *onager* solus per desertum vagatur pascua quærendo. [3.] *Pleonasmus*: siquidem τὸ *sibi* redundat, licèt non sine ἐμφάσει καὶ ἐνεργείᾳ. [4.] *Metonymia causæ* pro effectu: *Ephraim* enim pro *Ephraimitis* ponitur. [5.] *Enallage* abstracti, *amores*, pro concreto, *amatores*. Ariam. par. 4. Bibl. p. 166. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 575. seq. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 6. p. 184.

CAP. IX. v. 4. *Non libabunt Domino vinum, & non dulcescent ei: sacrificia eorum sicut panis lugentium eis, omnes comedentes eum, contaminabunt se; quia panis eorum pro anima eorum non veniet in domum Domini.*

Hoseas usurpat [1.] *Ellipsin* tum nominis, ex verbo conjugato, יִסְּכוּ *libabunt* eruendi, *non dulcescentes*, scil. נִסְכֵּיהֶם *libamina eorum*; tum verbi passivi, *sicut panis lugentium*, subint. *reputabuntur*. [2.] *Metaphoram*. Non *dulcescent*, h. e. non *placebunt*. [3.] *Synecdochen speciei* pro *genere*: [illegible] *panem* pro *cibo*, seu *quibusvis, ad vitam sustentandam necessariis*, accipit. [4.] *Ironiam*: לְנַפְשָׁם pro *anima ipsorum*, h. e. pro *mortuo* ipsorum; ubi *animam* pro *corpore exanimi* per antiphrasin ponit. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 167. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 576. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 853. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 5. m. 1. p. 712. lib. 5. tract. 1. cap. 5. p. 79. & cap. 15. m. 3. p. 449.

Vers. 6. *Desiderium argenti eorum, urtica, hæreditabit eas, spina in tentoriis eorum.*

Offert se [1.] *Ellipsis* nominis substantivi: *Domus desiderii*, h. e. *desideratissimas*. [2.] *Prosopopœia*: denotatur enim *longa & diuturna vastitas*, cujus signum est *spinarum accrementum & abundantia*, hæreditariæ possessionis verbô expressa. [3.] *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: Spina erit in *tentoriis* eorum, h. e. in *locis*, ubi olim erant sita tentoria. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 576. *Jun.* ibid. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 2. p. 55. & c. 9. p. 192. m. 3.

Vers. 9. *Profundârunt, corruperunt, ut diebus Gibea, recordabitur iniquitatis eorum, visitabit peccata eorum.*

Conspicitur hoc loco [1.] Hebraismus: *Profundârunt, corruperunt*, h. e. *profundissime corruperunt*. [2.] *Metaphora*: verbum enim הֶעְמִיק *profundandi de peccatorum* (quibus in profundum inferni pervenitur) *multitudine* usurpatur; unde Chaldæus verbô *multiplicandi* utitur. [3.] Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim humanitus dicitur tum *recordari iniquitatis*, cum ad illam puniendam accingitur; tum *visitare peccata*, quando actu & realiter pœnam immittit. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 35. p. 346. & lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 278. Friedlib. in Annot. ad h. l. class. 1. p. 791.

Vers. 10. *Venerunt ad Baal Peorem, & separaverunt se pudori, & facti sunt abominationes, sicut amor eorum.*

*Metonymia* est tum *effecti* pro *causa*, quia *pudor* pro *idolo* accipitur; tum *adjuncti* pro *subjecto*, quoniam *amor* pro *adamata* ponitur, puta pro *idolis*, quæ ipsi cultores amant. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 26. & cap. 4. m. 5. p. 66.

Vers. 12. *Si enutrierint filios suos, & orbabo eos ab homine: quia etiam væ est, cum recessero ab eis.*

I. *Hebraismus* est: *Orbabo eos ab homine*, h. e. *ne sint homines*, neque supersint. Chaldæus: *Ne sint viri.* Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 1. n. 4. p. 656.

II. *Lyra* in Comment. h. l. & cum eo *Galatinus* l. 1. de Arcan. Cathol. Verit. c. 8. hunc locum à *Scribis Judæorum* statuit *esse corruptum*, ut mysterium *incarnationis Filii Dei* tenebris involverent: olim enim lectum fuisse, *caro mea ex ipsis*, quomodo etiam LXX. habeant, ἡ σάρξ μου ἐξ αὐτῶν; at si significaret Hebræum, בְּשׂוּרִי מֵהֶם, *cum recessero ab eis*, vocem hanc per ס esse scribendam, בְּסוּרִי cùm סוּר significat, *recessit*, sed בָּשָׂר, rectè exponatur *caro*.

R. [1.] *Ribera* in h. l. n. 22. nihil minus videtur Judæos cogitâsse, quàm ut hunc locum depravarent, sed si intellexissent ita, illustraturos potiùs & confirmaturos fuisse: quid enim illis potuit esse gloriosius, quàm Deum sumere ex illis carnem? Et cur *illustriora loca & magis perspicua* non delevissent, quibus Christus ex *domo Davidis nasciturus* prædicatur? [2.] In *Latina Versione* itidem habetur: *Væ est, cum recessero ab eis*; ergo & illa esset corrupta. [3.] Vox illa, בְּשׂוּרִי, non potest exponi, *caro mea*, alias sub שׂ deberet reperiri ָ, & abesse vocalis ו, בְּשָׂרִי, à בָּשָׂר quod *caro* est, ubi litera ב non amplius foret *servilis*: verùm aliud nihil sonat, quàm, *in discedere me*: Est enim infinitivus cum pronomine primæ personæ, & præfixa

præp... ione, à radice שור; & annotat *Marinus*, apud H... ... ש haberi loco ס, ad *augendam forsitan ... ... ificationem*. Neque hæc literarum talium, quibus magna affinitas intercedit, permutatio rara est & infrequens. Quemadmodum 1. *Par.* 15. v. 22. pro יָשַׂר legitur יָסַר, ita vicissim pro ס in vocabulo סכלות scribitur ש, *Eccles.* 1. v. 17. Et quid per similem *ἀντίστοιχον* in forma quartæ conjugationis *Hithpael* fiat, Grammaticæ Hebrææ gnaris notum est. (4.) Lectionem aliam, quam habent LXX. non moramur: fieri enim poterat, ut quemadmodum multis aliis in locis, sic etiam in hoc præsente, ab *Hebraica* veritate deflecterent, quam retinuerunt *Hieronymus* & *Arias*, eamque intendit *Paraphrastes Chaldaica*, quæ legit: *Cum sustulero majestatem seu præsentiam* meam. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 150. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. p. 98. seq. arg. 23. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 334. 337 *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2 obj. 75. p. 165. seq.

III. *Ἀντιλογία* quædam apparet: hic enim *Deus* dicitur *ab hominibus recedere*; at *est ubiq*, *Ps.* 139. v. 7.

℞. Nulla est contradictio. *Deus* enim *recedit ab impiis*, non *mutando locum*, quia omnia implet *Ierem.* 23. v. 24. sed *subtrahendo gratiam*, quâ pœnâ nulla gravior esse potest. Ut enim Deo *gratiosè præsente*, omnia bona in & cum summo bono adsunt: ita *eodem gratia suâ recedente*, omnia illa simul evanescunt, & statim omne malum succedit, ut *Sole* recedente tenebræ ingruunt, *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. m. 7. p. 794.

Vers. 16. *Percussus est Ephraim, radix eorum exaruit, fructum non faciens: etiamsi genuerint, tamen ... ... ficiam desideria uteri eorum.*

En (1.) *Enallagen temporis* præteriti, *percussus est* & *exaruit*, pro futuro, *percutietur*, & *exarescet* (2.) *Metonymiam* tum *causa* pro *effectu*, quia *Ephraim* pro *Ephraimitis* est; tum *adjuncti* pro *subjecto*, quoniam *desideria* pro *personis desideratissimis*, puta *liberis*, ponuntur. (3.) *Metaphoram*: siquidem *radicis arefactio* denotat *impiorum interitum*. Jun. in Bibl. h. l. p. 854. *Glass.* lib 5. Philol. Sacr. tractat. 1. cap. 4. m. 5 p. 66. & cap. 11. p. 287.

CAP. X. v. 1. *Vitis evacuans Israel est, fructum posuit sibi, secundùm multitudinem fructûs sui, multiplicavit altaria* &c.

*Metaphora* est: *Israel* enim dicitur *vitis evacuans*. h. e. instar *luxuriantis vitis copiosè ferre fructum*. ac si semel omnem fructum evacuare vellet; at non bonos fert fructus, sed malos. Sequitur enim: *Fructum posuit sibi* &c. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 296.

Vers. 2. *D... ... isit cor eorum, nunc desolabuntur: ipse decollabit altaria eor... ...*

Propheta adhibet (1.) ... *lagen verbi* activi, חלק *divisit*, pro passivo *divisum est*. (2.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*. nam *cor* pro *animo* est. (3.) *Ellipsin* ... substantivi: *Ipse*, scil. *Deus meus*, c. 9. ... 7. (4.) *Metaphoram*, quâ verbum ערף *decollare* notat *confringere*. Habebant altaria Is... tarum quædam superiùs imposita, quasi *capi... lla*, vel etiam *cornua*: ea quando demuntur in destructione, ipsum *caput* quasi præsci... ur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 854. *Glass.* lib. 3. ... Sacr. tract. 3. can. 23. in. *c*. p. 303. & lib. 5. tract. ... ap. 11. p. 311.

Vers. 11. *Et Ephraim vitula assueta diligens triturare, & ego transivi super bonitatem colli ejus, equitare faciam Ephraim, arabit Iehudah, occabit sibi Iacob.*

Occurrit (1.) *Metaphora* nam ... dicitur *vitulæ diligenti triturare*, quia ut ... *tura bos* ... *gratus* ... *uit*, quod libere d... rreb... & suppetebat eis ... abundanti... ... Ephraim hactenus *habitavit securè*, & ... omni... bonis abundavit. (2.) Hebraismus: *Trans... super bonitatem colli ejus*, pro, *consideravi præstantiam colli ejus*, i. e. *collum ejus pingue & obesum*. (3.) *Pleonasmus*: nam τὸ *sibi* redundat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 578. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 8... seq. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tractat. 1. cap. ... 325. seq.

Vers. 12. *Seminate vobis ad justitiam, metite ad os misericordiæ, arate vobis arationem, & tempus requirendi Dominum, donec veniat pluat* &c.

Recurrit (1.) Ellipsis: *Et dixi illis*, Se... &c. (2.) *Metaphora*: tum quia *seminare* exp... *studium pietatis*, tum quia *metere* notat *ampli... mam mercedem reportare*: tum quia *arationis* ... hô *vera pœnitentia* intelligitur: tum quia *pluere* significat *reficere* & *fœcundare*, sicut *pluvia* t... ram reficit & frugiferam reddit. (3.) *Enallag...* imperativi, *metite*, pro futuro indicativi *metetis*. (4.) *Pleonasmus*: לְפִי־חֶסֶד *ad os misericordiæ*, h. e. ad *misericordiam*. Jun. in Bibl. h. l. p. 85... *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 579. *Glass.* lib. 5 Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 252. cap. 11. p. 28... 309. 302.

Vers. 13. *Arâstis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii: quia confisus es in via tua* &c.

Iteratur (1.) *Metaphora*: uti enim *arare impietatem*, est, *magno studio flagitiis dare operam*; ... *iniquitatem metere*, est, *dignam factis mercedem reportare*. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *messuistis*, pro futuro, *metetis*. (3.) *Allegoria*: nam *panem mendacii comedere*, significat *mentiri* & *fallere*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 579. *Glass.* lib. . Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 300. & Friedlib. in Annot. ad eund. loc. p. 791. class. 1.

Vers. 14. *Et consurget tumultus in populis tuis ... omnes munitiones tua vastabitur, ut vastavit Salmanem domus Arbeel in die belli, mater super filios allisa est.*

I. Conspicitur hoc loco (1.) *Enallage* partim *numeri* singularis, *vastabitur*, pro plurali, *vastabuntur*, ... si sic explices. *Unaquaq. munitionum tuarum*; partim *temporis* præteriti, *allisa est*, pro futuro, *alliditur*. (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *domus* pro *domesticis* est. (3.) *Parœmia*: hac enim proverbiali loqutione, *matrem super filios allidi*, notatur *promiscua internecio*, *sine ullo sexûs ætatisve discrimine*. Gen. 32. v. 11. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 168. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 579 *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 855.

II. *Grotius* in h. l. suspicatur, *Hebræum textum esse mendosum*, cum pro בֵּית *domus*, scribendum sit בְּיַד *per manum*, sive *opera Arbeelis*, seu Jerobaalis h. e. *Gideonis*.

℞. Non assentior *correctioni*, quia nullum incommodum est, *domum* hic accipere pro *exercitu*: constat enim ex *Iudic.* 6. v. 34. *exercitum Gideonis* maximam partem ex *ipsius domesticis* & *cognatis* fuisse collectum. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 791.

Vers. 15. *Sic fecit vobis Bethel propter malitiam malitiæ vestræ, in aurora succidendo succisus est Rex Israel.*

Repetitur (1.) *Enallage temporis* præteriti, *fecit*

& *sue*

*successum est*, pro futuro, *facies* & *succedetur*. (2.) [illegible]*necdoche*: nomine enim *Bethelis* designantur *loca omnia idololatrica*, & *metonymicè* sceleratissima [illegible]*menta*. (3.) *Hebraismus*: Propter *malitiam* [illegible]*tia vestra*, h.e. *summam malitiam*, *extremam* [illegible]*sitatem*. (4.) Metaphora: *In aurora*, i.e. [illegible]*ubitoq*. (5.) Epizeuxis: *Succidendo succedetur*, h. *plane succidetur*, nim. *Hosea filius Ela*, ul[timus] Israelitarum Rex, 2. *Reg*. 17. v. 1. 5. &c. *Va*[*tabl*.] in Annot. ad h.l. p. 579. *Jun*. in Not. ad eund. [illegible] p. 855. [illegible] lib. 3 Philol. Sacr. tract. 1. can. 16. [illegible] 2. p. 56. & [li]b. 5. tract. 1. cap. 10. p. 235.

[C]AP. XI. v. 1. *Quia puer Israel, & dilexi eum, & ex Ægypto* [vo]*cavi filium meum*.

*Judai* [illegible]tur, hoc vaticinium à *Matthao*, c. 2. [v.] 15. ad [fut]*uram Christi evocationem ex Ægypto*, [m]ale applicari, cum in *Hebrao* sit præteritum, *vo*[*ca*]*vi*, non futurum, *vocabo*.

R. R. *Salomo* sup. [c.] 42. Esa. ait: *Omnis lingua* [p]*rophetica loquitur de futuro, tanquam de præterito*. [E]t hoc ideo, quia *dictum Dei habetur pro facto*, juxta veterem [T]*almudistarum* sententiam, notante [P]*alatino* l. 8. de arcan. Cathol. verit. c. 4. Ita igitur [u]num verbum, *vocavi*, ob diversitatem objectorum, *Israelis* nimirum & *Christi*, tum ad *præteritum*, tum ad *eventum certissime futurum* respicit. [Ju]*lianus* Apostata volum. 7. excepit, *Oseam* loqui [de] *Israele*, id verò, quod de *Israele* dictum sit, Ma[tthæ]um ad *Iesum* malè detorsisse.

R. (1.) *Tremelius* putat, hoc oraculum *literaliter tantùm de Christo* loqui, non de *Israele*, ut sit [sensus]: *Cum Christus adhuc esset puerulus, dilexi illum, & revocavi ex Ægypto, quo jussu meo priùs profugerat ob Herodis tyrannidem*. Ita enim vertit: *Quia puer Israelis est, & diligo eum, ideo ex Ægypto vocavi filium meum*. Quæ expositio omnium [o]ptimè conciliat *Hoseam* & *Matthæum*. (2.) Sed concedimus, apud *Hoseam* nostrum vocationem ex Ægypto intelligi de *Israele*; nihilominus tamen unà respicitur ad evocationem *Christi*, tanquam *antitypi*, ut ita tum demum *perfecte & totaliter*, sit impletum hoc oraculum, quum *Christus* ex Æ[gy]pto reverteretur. Fuit enim *Israel* in eo exitu *typus Christi*. Nam sicut olim *Israel* in Ægypto habuit aliquandiu hospitium, deinde evocante Deo inde est egressus: Sic & *Messias* (cui *f.ly* nomen illud *propriè & secundùm naturam* competit) aliquando in Ægypto peregrinaturus, & suo tempore illinc vocandus erat. Quæ ratio tangit nervum, & solidè [e]st. *Hunn*. tom 3. Oper. Latin. p. 39. *Meisner*. Comm. Hose. 11. par. 1. pag. 922.-931. Glass. [lib.] 2. Philol. Sacr. tractat. 2. par. 1. sect. 4. art. 5. pag. 464.

V[e]rs. 2. *Vocaverunt eos, sic abierunt à faciebus eorum: Baalim immolabant, & simulachris sacrificabant*.

I. Propheta utitur (1.) Ellipsi: *Prout Propheta vocaverunt* &c. (2.) *Hebraismo*: כן *sic abierunt à faciebus eorum*, h.e. *tantò magis abierunt*, q.d. obvertebant illis terga. *Ariam*. par. 4. Bibl. p. 168. *Vatabl*. in Annot. ad h.l. p. 579. *Glass*. lib. 3. Philol. [S]acr. tract. 5. can. 29. not. un. p. 511.

[I]I. *Judai* instant, *Christum non esse illum filium* [vo]*catum*, quippe *cui ingratitudo objiciatur*, quæ ad [Christ]*um* referri nequeat.

R. Ut in omni *simili* datur aliquod *dissimile*, sic [non] conveniunt *typus*, quæ ait ibi, nequeunt *anti*[*ty*]*pus*. Oportet *figuram* minus habere, quam *veritatem*, quia alioqui non fuisset *figura futurorum*, [Chrys]o*stomus* homil. 61. in Genes. Conveniunt ergo *Israel* & *Christus*, ratione *evocationis ex Ægypto*; differunt verò ratione *ingratitudinis*, quæ non *Christo*, utpote Sancto Sanctorum, *Dan*. 9. v. 24. sed *Israeli* convenit, quia in *hoc* typum *Christi* non gessit. *Meisner*. ibid. p. 929. seq.

Vers. 4. *In funibus hominis traham eos in funibus amoris, & ero eis tanquam levantes jugum à maxillis eorum, & admovebo ei cibum*.

In verbis his habetur [1.] *Metaphora*: In *funibus hominis traham eos*, id est, *humaniter*, *amice ac paternè castigabo eos*, uti membrum immediatè sequens indicat. [2.] *Enallage* relativi, *eorum*, pro antecedente, *boum*. [3.] Hebraismus: *Admovebo ei cibum*, hoc est, *refocillavi eum*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 579. *Friedlib*. in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 792.

Vers. 6. *Et impendebit gladius in urbibus ejus, & consumet vectes ejus, & comedet, propter consilia eorum*.

Offert se [1.] *Metonymia causa* pro *effectu*: nam *gladius* pro *bello* est. [2.] *Metaphora*: quia *vectes* sunt *heroes*, qui armis Rempublicam sustentant. [3.] *Prosopopæia*: siquidem *gladio* *interimenti* tribuitur *comedere*. [4.] *Enallage numeri* pluralis, *eorum*, pro singulari, *ejus*, ut ex præcedentibus constat. *Ariam*. par. 4. Bibl. p. 168. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. class. 1. pag. 792. Confer *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 2. p. 10. & cap. 9. p. 203.

Vers. 7. *Et populus meus suspensi, propter rebellionem meam: & ad Excelsum vocabunt eum, simul non exaltabit*.

Versus hic continet (1.) *Enallagen* tum *numeri*, quia participium plurale, *suspensi*, respondet nomini collectivo singulari, *populus*; tum affixi pro separata voce, בי *contra me*, ut לִמְשׁוּבָתִי *rebellionem meam*, sit pro לִמְשׁ בִּי *rebellionem contra me*: tum *temporis* futuri, *vocabunt* & *exaltabit*, pro præsenti, *vocant* & *exaltat*. (2.) *Metaphoram*, quâ *suspensum esse*, pro, *dubium & incertum esse* ponitur. (3.) *Ellipsin* nominis substantivi. *Ad excelsum vocant*, scil. *Propheta*; & *non exaltat*, subint. *laudibus*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 168. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 579. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract 4. can. 9. p. 422. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 382.

Vers. 8. *Conversum est in me cor meum, pariter commota sunt pœnitentia mea*.

Ἀνθρωποπάθεια est: de DEO enim *humanitus* dicitur (1.) quod *conversum sit cor ipsius*, h.e. *in sententiam concedat aliam*, ut cum antea ad *justitiam*, nunc magis ad *misericordiam* inclinet. (2.) Quòd *commota sint pœnitentia ejus*, ubi nomine *pœnitentia* divina *commiseratio*, & *pœnarum ablatio* innuitur, uti ex v. seq. patet. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 580. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 119. Fried[li]b. in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 792.

Vers. 9. *Non faciam iram furoris mei, non revertar ad perdendum Ephraim, quoniam Deus ego, & non vir, in medio tui sanctus, & non veniam in civitatem*.

Redit huc [1.] *Ellipsis* particulæ כ: *Non faciam secundùm iram* &c. [2.] *Hebraismus*: *Non revertar ad perdendum*, h.e. non *perdam ampliùs*. [3.] *Synecdoche speciei pro genere*: nam איש

*vit* pro *homine* ponitur. *Num.* 23 v. 23. & 1. *Sam.* 15. v. 29 [4.] Ἀνθρωποποιῆσαι: Non *veniam in civitatem*, i.e. non *perdam civitatem*; ubi *adventus Dei ad puniendum* innuitur. *Ariam.* in Bibl. par. 4. p. 168. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 580. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 856. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 143.

CAP. XII. v. 2. *Ephraim pascit ventum, & sectatur Eurum, omni die mendacium & vastitatem multiplicabit, & fœdus cum Assur percutient, & oleum in Ægyptum ducetur.*

Hoseas adhibet [1.] *Metaphoram*: tum quia *pascere ventum*, est, *rem nihili magnô studiô agere*, hoc agendo, vana spe seipsum lactare; non secus ac si *famelicus* aperto ore ventum hauriret, quo os quidem implet, sed famem minimè sedaret: tum quia *sectari Eorum* significat *perniciosa sectari*; Eurus enim in terris Orientalibus est noxius. quod statim de *fœderibus cum exteris* explicatur. (2.) *Metonymiam effecti* pro *causa*: nam *vastitatem multiplicare*, est, *ejusmodi perpetrare mala, ex quibus non potest non vastitas & calamitas oriri*. (3.) *Enallagen temporis* futuri, *multiplicabit*, *percutient*, *ducetur*. pro præsenti, *multiplicat*, *percutiunt*, *ducitur*. (4.) *Synecdochen speciei* pro *genere*: siquidem *oleum* pro *quovis munere pretioso & honorario* accipit. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 168. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 580. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 856. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 26. & cap. 10. p. 147. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. p. 792. class. 1.

Vers. 5. *Invaluit ad Angelum, & confortatus est, flevit & rogavit eum.*

*Salmeron* disp. 7. in 1. Timoth. 2. tom. 15. p. 49. exinde concludit, *Sanctos defunctos religiose invocari posse*, quia *Iacob invocaverit Angelum, flens eum rogando.*

Rx. (1.) *Vatablus* hunc fletum & rogationem supplicem refert ad *Angelum, qui quasi fleverit & suppliciter rogaverit ipsum Iacobum*, ut se sineret abire. Qua quidem ratione argumentum *Salmeronis* expiraret. (2.) *Angelus* ille non *creatus* aliquis Angelus, sed ipse *Dei Filius* fuit, tum quia v. 3. *Angelus* ille expressè vocatur *Deus*, cum quo Jacobus colluctatus erat, eodem *Vatablo* fatente; tum quia animæ salutem Jacobus ab hoc *Angelo* impetravit, *Gen.* 32. v. 30. tum quia Jacobus benedictionem ab hoc *Angelo* petiit, quam à solo *Deo* se consecutum profitetur, *Gen.* 48. v. 16. tum quia, teste *Pererio* in comm. h. l. *Iustinus, Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Cyrillus, Theodoretus*, & alij ex veteribus dicunt, *hunc Angelum fuisse Dei Filium.* Atque ne sic quidem [illegible] quid obtinet Salmeron: libenter enim concedimus, *Filium Dei esse religiose invocandum.* Sed quid hoc ad *Sanctos defunctos*? (3.) Etiamsi Jacobus Angelum aliquem *creatum* invocasset, id quod tamen factum non est; quid quæso hoc ad ἀγγελολατρείαν stabiliendam [illegible] duceret? Nam *Angeli in cœlo semper vident faciem Patris*, Matth. 18. v. 10. Sed *Patres* V. T. juxta hypothesin Pontificiorum *descenderunt in limbum*, in quo à beatifica D[illegible] visione fuere remoti. Quomodo ergo *Angelorum*, & *Sanctorum* V. T. hac in parte eadem poterit esse ratio? *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de mort. §. 466. p. 898.

Vers. 8. *Mercatoris in manu ejus balances doli, opprimere dilexit.*

Offert se (1.) *Pleonasmus* pronomen enim *ejus* abundat. (2.) *Enallage nominis* substantivi, *doli*, pro adjectivo, *dolosa*. (3.) *Synecdoche* [illegible] pro *genere*: nam per *balances dolosas* notantur *omnis generis fraudes.* Jun. in Not. ad h. l. p. 85[illegible] *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tractat. 1. can. 28. p. 97 Friedlib. in Annot. ad h. l. p. 792. class. 1.

Vers. 9. *Inveni robur mihi, omnibus laboribus meis non invenient mihi iniquitatem, quo peccatum.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Metonymia* tum *adjuncti* pro *subjecto*, quia *robur* pro *divitiis & facultatibus* ponitur, tum *causa* pro *effe*[ctu], quia *labores* notant *opes laboribus comparatas.* (2.) *Enallage* partim verbi activi, *invenient*, pro passivo, *invenietur*, man wird finden: partim relativi pronominis, אֲשֶׁר *qua*, pro [illegible] lativa conjunctione ו, ET. *Vatabl.* in An[not.] ad h. l. p. 581. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract[illegible] can. 23. p. 303. m. 1. & tract. 7. m. 1. p. 587.

Vers. 10. *Et ego Dominus Deus tuus, e terra Ægypti, adhuc habitare faciam te in tentorijs, [s]ecundùm dies festivitatis.*

Occurrit (1.) Ellipsis. *Qui eduxi te è terra* Ægypti &c. (2.) Hebraismus: *Secundum dies festivitatis*, hoc est; *festivè & tranquille*, Thren[illegible] v. 7. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 168. *Friedlib.* in A[nnot.] not. ad h. l. p. 792. class. 1.

Vers. 15. *Irasci fecit Ephraim amaritudinibus, & sanguines ejus super eum expandit* &c.

Recurrit [1.] *Ellipsis* nominis substantiv[i] *Irasci fecit*, scil. *Deum.* [2.] *Metaphora* quâ *amaritudines* significant *malum noxiumq́; esse*, & *idolis*, quæ cultoribus suis maximo sunt incommodo, tribuuntur. [3.] *Metonymia*: nam *sanguines* notant *cædes*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 168. *Iun* in Not. ad h. l. p. 857. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1 cap. 12. p. 361.

CAP. XIII. v. 1. *Cum loqueretur Ephraim, tremor extulit ipse in Israele, & deliquit in Baale, & mortuus est.*

Propheta usurpat [1.] Ellipsin: *Tremor*, subint. *fuit audientis*: & *extulit ipse*, scil. *caput suum*, h. e. *obtinuit Regiam dignitatem*; Jeroboam enim primus Rex Israelis, fuit ex tribu Ephraim. [2.] Metaphoram: *Mortuus est*, i. e. *pro mortuo habitus est*, nullius precij, nullarumque virium. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 168. *Vatabl.* in Anno[t.] ad h. l. p. 581. *Iun.* in not. ad eund. loc. p. 85[illegible]

Vers. 2. *Et nunc addiderunt peccare, & fecerunt sibi conflatile ex argento suo, secundùm intellectum suum, dolores, opus artificum totum, illis ipsi dicunt sacrificantes hominum, vitulo osculentur.*

Verba hæc continent [1.] Hebraismum: *Addiderunt peccare*, h. e. *ampliùs peccârunt* & *sacrificantes hominum*, i. e. *sacrificantes inter homines*, vel *homines sacrificantes.* [2.] *Metonymiam* tum *effecti* pro *causa*: nam *idola* dicuntur *dolores*, *qui cultoribus suis faciunt dolores*: tum *adjuncti* pro *subjecto*: nam *osculari* est *cultum exhibere*: hujus enim *signum* antiquitus erat *osculum*, 1. *Reg.* 19. v. 18. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 168. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 857. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. [illegible] p. 120. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. p. 793. class. 1.

Vers. 8. *Disrumpam interiora cordis eorum, & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri discindet eos.*

Deus sibi non constare videtur: hic enim profitetur se *causam perditionis*, at mox v. 9. perditionem à *se* devolvit in *Israelem*, qui illius causa sit

℞. *Causa perditionis* alia est *per se*, alia *per accidens*. Per se est *peccatum*, quod meretur pœnam; per *accidens* est *judex*, qui adjudicat & infligit pœnam. Sic *furtum* est causa suspendii *per se*, judex tantùm *per accidens*. Hoc ipsum Jehovah vult innuere, quòd nimirum fundamentum & vera perditionis causa sint *ipsi homines scelerati viventes*, se verò auctorem esse, *consequenter tantum & per accidens*, illos perdere, quatenus pœnas peccatis debitas tanquam *justus judex* imponit. *Meisner.* in Comm. Hose c.13. par.2.p.1108. seq.

Vers. 9. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

I. *Peccatum non potest in Deum referri: siquidem ipsum ita in hominem refertur, ut ruinam homo ex se solo habeat.*

*Petrus Martyr.* in Comment. Rom. c.1. excipit, 1. *originem mali esse in homine propter naturæ corruptionem*, & hoc significari testimonio illo *Oseæ* Prophetæ.

℞. (1.) Peccatum primum Adami non habuit originem ex *naturæ corruptione*, sed ipsum est, *quod naturam corrupit*: quarè si *illud* commissum est *impellente Deo*, ut *Calvinus* voluit l.3. instit. c.23. sequitur, de *Adamo* dici non potuisse, *perditio tua ex te*; quod falsum. (2.) Ipsam concupiscentiam & peccatum originis insertum esse in humana natura ab ipso *Deo*, docet *Martyr* l.c. Igitur neque de *Adamo*, neque de *cæteris hominibus* verè dici potest, *perditio tua ex te*.

2. *Concupiscentiam ipsumq; originale peccatum insertum quidem esse in homine à Deo, sed in pœnam peccati Adami; atque ita primam originem perditionis humanæ non esse Deum, sed Adamum.*

℞. (1.) Si *peccatum ipsum Adami* refertur in *Deum*, in Deum quoque referri debet *peccatum nostrum originale*, quod ex *illo* fluxit; atque ita prima origo perditionis humanæ *Deus* foret, quod contra *Martyrem*. (2.) Iniquum est, ut unus puniatur pro alio, eâ præsertim pœna, quæ sit etiam *propriè* peccatum, *Ezech.*18. v.20. Quâ igitur ratione fieri potest, ut Deus justissimus in pœnam peccati Adami infereret *verum peccatum* in omnibus ejus posteris? (3.) In *Deo* nihil est nisi *auxilium*, Propheta hic dicente; ac proinde non *impulsio ad peccatum*, neque *ulla perditio*, auxilio contraria; ut sensus sit: *Ex te perditio, ex me non perditio, sed auxilium tantum.* Bellarmin. l.2. de Amiss. grat. & stat. peccat. c.8. arg.5.

II. *Initium perditionis humanæ non ex Deo est, ex absoluto quodam odio homines aliquos reprobante: initium namque perditionis unicè ex hominibus reprobis, ipsorumq; peccatis est*, Propheta hîc teste.

Objendit 1. *Zanchius* l.5. de Natur. Dei. c.2. Prophetam loqui de causa *secunda*, ideoque ad rem non facere.

℞. Hoc ego nego: Deus enim loquitur de *primo initio perditionis*. Deinde asserit *Zanchius*, quòd quæ prima sit causa *damnationis*, ergo ex *ipso*, tanquam ex *primo initio*, erit damnatio.

2. *Bucanus* Instit. loc. de Prædest. p.434. Prophetam loqui de *perditione*, non de *reprobatione*; illamque esse *conditionatam*, hanc verò *absolutam*.

℞. (1.) Distinctio illa vana est: eædem enim sunt causæ perditionis, & *reprobationis*, adeò ut, propter quas causas Deus hominem in tempore *perdit* sive *damnat*, propter easdem eum ab æterno *reprobârit*, hoc est, *perdere* sive *damnare constituerit*, ne *executio* dissentiat ab ipso *decreto*; sicuti etiam, propter quas causas fur *suspenditur*, certè propter illas à *judice destinatur & adjudicatur suspendio*. (2.) *Reprobationem* verò illam non esse *absolutam*, inde probatur, quia initium perditionis non est à *Deo*, 1. Tim. 2. v.4. Ezech. 18. v.23. sed in ipso *homine*, Esa.65. v.5.

3. *Alius aliquis* ex Reformatis, Prophetam loqui de pœna *temporali*, ac proinde testimonium illud malè transferri ad pœnam *æternam*.

℞. Agitur quidem eo loco de pœna *temporali*, interimtamen de *æterna* etiam perditione rectissimè id accipi potest: Si enim pœna *temporalis* non infligitur à Deo ex *absoluto odio*, multò minùs *æterna*, quippe quæ incomparabiliter gravior est. *Gravver.* in Absurd. Calvin. c.5. p.273.seq. *Meisner.* in Comm. Hos.13.par.2.p.1110.1111.seq. *Gerh.*tom.2. LL.CC. loc.10. de Elect. & reprob. §.179. p.537. seq. *Gisen.* de Calvinism. disp.14. thes.13.-18.p.184. seq.

III. *Wicelius* in Annotat. ad h.l. reprehendit hic *versionem Lutheri*, Israel **du bringest dich in Unglück**/ cum in *fonte* habeatur, שִׁחֶתְךָ, *perdidit te*; & ideo reddidit: **Verderbet hat er dich.**

℞.(1.) *Vulgatam Editionem* canonizârunt Pontificij: ad *hanc* igitur eum remittimus. (2.) Sensum istius dicti rectè reddidit & *Editio vulgata* & ipse *Lutherus*, qui est, *perditionem Israelitarum esse ex ipsis*, propterea quòd *adorârunt vitulum, quo sunt perditi*. Gisen. de Papism. disp.54.th.38.39.40.p.931.

Vers.11. *Dedi tibi Regem in furore meo, & abstuli in indignatione mea.*

*Anabaptistæ* negant, *Magistratum politicum esse statum vitæ Deo placentem, in quo Christianus quispiam N.T. illæsa conscientiâ vivere possit*; quoniam *Magistratum Deus dederit populo Israelitico in furore suo*, idcirco *ille ipse in* N.T. *velut in tempore gratiæ, finem habere debuerit.*

℞. Deus verbis illis non *simpliciter* damnat *statum Regium*, quippe disertè probatum, *Deut.*17. v.15.& *Prov.*8.v.15. verùm id improbat, quòd Israelitæ, pertæsi regiminis à Deo instituti, peterent Regem ad *imitationem gentilium*, 1. *Sam.*8. v.5. & idcirco in furore suo se eis Regem dedisse indicat. Itaque licèt Israelitæ ante Saulem non habuerint *Regem*, habuerunt tamen *Magistratum politicum*, videlicet *judices*. Imò etiam post Saulem pij homines officium *Regium* sustinuerunt, ut *David*, *Iosias*, *Hiskias*, &c. qui certè Deo vel maximè placuerunt. *Gravver.* par.2. Prælect. in August. Conf. p.60. *Brochm.* tom.2. Syst. Theol. art. de Magistr. Polit. c.2.q.17.obj.3.p.5052.seq.

Vers.12. *Ligata est iniquitas Ephraim, reconditum peccatum ejus.*

In versu hoc habetur (1.) *Metaphora*, quia *ligare* est *asservare* velut in crumena, sumta translatione ab illis, qui *diligenter asservant res minutiores*. (2.) *Metonymia* tum *adjuncti* pro *subjecto*, quia *abscondere* significat *in secreto ponere*, quemadmodum recondimus thesauros; tum *causa* pro *effectu*, quoniam *peccatum* pro *pœna peccati* sumitur. *Ariam.* par.4. Bibl. p.169. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.582. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class.1.p.893.

Vers.13. *Dolores parturientis venient ei, ipse est filius non sapiens, quia tempore non stetisset in confractione filiorum.*

Deprehenditur hoc loco [1.] *Prosopopœia*: nam *tota Israelis Respublica* cum *matre* comparatur. [2.] *Hebraismus*; לֹא חָכָם *non sapiens*, hoc est *maximè insipiens & stultissimus*. Hebræi enim, quod volunt *vehementissimè asseverare*, præcipuè in *vitio*, per *negationem contrarij* descri-

describunt. (3.) *Ellipsis* nominis adjectivi: *Quia tanto tempore* &c. (4. *Metonymia effecti* pro *causa*: *In confractione filiorum*, i.e. in *ore matricis*, quod illic fœtus confringuntur, cum diu ibi morantur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p 582. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p.857. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.5. can. 20. m.t. p. 480. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class.1. p.893.

Vers.14. *E manu inferni liberabo eos, à morte redimam eos: ero pestis tua, ô mors; ero excisio tua, ô inferne: pœnitentia erit abscondita ab oculis meis.*

I. Recurrit (1.) *Prosopopœia*: nam *manus* tribuitur *inferno*, quâ *potestas* ejus intelligitur. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: *Christus* enim dicitur 1. *pestis mortis, & excisio inferni*, ratione *officii* tum *Sacerdotalis*, quia *per mortem suam abolevit eum, qui mortis habet imperium*, hoc est; Diabolum *Hebr.* 2. v. 14. tum *Prophetici*, quia *per Evangelium abolevit mortem, vitam autem in lucem produxit ac immortalitatem*. 2. *Tim.* 1. v. 10. tum *Regii*, quia *Ecclesiam suam fortiter defendit, ac portæ inferorum prævalere illi queant*, Matthæ.16. v.18. tandemque *ultimam hostem*, qui *mors* est, *abolebit*, 1. *Cor.* 15. v.26. 2. *Pœnitentiam abscondere ab oculis suis*, h. e. *prorsus non duci pœnitudine, non mutare sententiam, sed certò eam implere*. Quod enim *ab oculis Dei omniscii* absconditur, prorsus non est. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tractat.1. cap.7. p.105.147. seq. & cap.9. p 203.

II. *Christus verè ac realiter ad inferos descendit*: concionatur enim *de sua victoria, quam à morte & inferno in suo ad inferos descensu sit reportaturus.*

Obvertit 1. *Calvinus* in Comm. h. l. loqui hîc *Deum Patrem*, cum quæ dicuntur â Propheta, pertineant ad *Iehovam*, ideoque de *Christo* textum hunc exponi non posse.

℞. Persona loquens est *Christus*, fatentibus *Junio* lib.2. Parall.43. & *Paræo* in comm. Hose. p.262. *Christô* enim officium redemptionis ab inferno & morte *propriè* attribuit *Apostolus*, 1. Cor.15. v.57. Ergo falsum est, non *Christum* hic loqui, sed *Iehovam simpliciter*.

2. *Zanchius* in Hose. cap.13. p.704. promitti *liberationem ex captivitate Babylonica*, quæ *mors sit civilis*; idemque vult *Calvinus*, indeque colligit, si quis textum hunc exponat de *spirituali redemptione Christi*, eum multis modis errare.

℞. (1.) *Calvinus* hic Judaizat: neque enim nisi de *liberatione corporali* textum illum cum recentioribus *Iudæis* exponit. (2.) *Paræus* in Comm. Hos. p. 260. concedit, *principaliter* de redemptione *spirituali Christi* sermonem esse. Etenim מָוֶת comprimis significat *æternam damnationem*, & שְׁאוֹל notat locum statumque *damnatorum*, â quibus promittitur liberatio. Quæ ergo causa est, ut ad *corporalem à captivitate Babylonica liberationem* restringamus dictum Propheticum, cujus nulla apparent vestigia? *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 794.-803. *Mesner.* in Comm. Hose. c. 13. par. 3. p.1133.-1157. *Thumm.* in Contin. Majest. Christ. p. 61. & 103.

II. *Ribera* in Comment. h.l. exinde probare vult, *esse Limbum Patrum* V.T. *è quo Christus eos eduxerit*, quando *de manu inferni eosdem liberaverit*.

℞. (1.) *Emanuel Saa* in Hose. 13. ait, *infernum* pro *morte* accipi, cum præsertim vox Hebræa etiam *sepulchrum* notet, *sepulchrumque* pro *morte* accipiatur. Sed quid hoc ad *Limbum Patrum*? (2.) *Christophorus à Castro* in h. l. mavult pr[o]priè & *ad literam de Israelitis captivandis agi*. & Ecqua igitur ratione exinde *Limbus* demonstra[ri] poterit? (3.) *Cornelius à Lapide* ad h. l. addit: *Hæc sententia generalis est, & promissio universalis, ergo omnes spectat, & ad paucos arctanda non est.* Ergo nec ad *Patres in Limbo*: quia nihil est quo significetur ullus status eorum, *qui in Limbo*. Gerhard. in Conf. Cathol. lib.2. spec. par.1 p.430. arg. 5.

IV. Propheta *Apostolo* cont[rari]us videtur: *ille* enim affirmat, *consolationem ab oculis Domini abscondita esse*, *hic* verò ait, *omnia aperta esse oculis Domini*, Hebr. 4. v.13.

℞. In Hebræo est נֹחַם, quod non tantum *consolationem*, sed & *pœnitudinem* notat. Si per *consolationem* vertis, sensus est: *Non consolabor mortem & infernam, nulla me illorum hostium tanget misericordia, sed potiùs animosè destruam & exterminam.* Sin per *pœnitudinem*, sensus erit: *Non pœnitebit me hujus promissionis, non mutabo sententiam meam pœnitudine ductus, quod dixi, complebo ipso opere.* Itaque *absconditum esse ab oculis Domini* est, *non venire in conspectum ejus*, pra[v]e loquendo. *Vatabl.* in Not. Bibl. h.l. p.582. *Mesner*, in Comm. Hose.13. par.3. p.1157. seq.

Vers.15. *Quia hoc, inter fratres fructificare faciet, veniat Eurus, ventus Domini, è deserto ascendens, exarescat scaturigo ejus, & exsiccetur fons ejus; ipse diripiet thesaurum omnium vasorum desiderii.*

I. Occurrit (1.) Ellipsis: *Quia hoc*, scil. *ita est*, seu, *quòd cum ita sit*; sunt enim hæc verba ipsius Prophetæ. (2.) *Metaphora*: tum quia *fructificare* de *studio pietatis & bonorum operum* usurpatur; tum quia *Eurus* notat *hostem terras infestantem & devastantem*, qui *Assyrius* erat. (3.) *Enallage* relativi, *ejus*, pro antecedente, *populi Israelitici*. (4.) *Hebraismus*; Vasorum *desiderii*, h.e. *desideratissimorum* seu *preciosissimorum*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p.582. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p.858. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap. 10. p. 248. cap.11. p.289. cap.20. p.492.

II. *Ariamontanus* in Not. margin. Bibl. par. 4. p.169. vocem, יְהוָה *Domini*, censet esse ἐπιταλικῶς, cum idem sit ac *vehementissimus*.

℞. Vox יְהוָה non sumitur ἐπιταλικῶς, sed *propriè*: Ventus *Iehovæ*, h.e. *à Iehova excitatus, & ex decreto Dei immissus*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract.1. cap.20. p.492. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class.1. p.793.

CAP.XIV. v.1. *Desolabitur Samaria, quia rebellavit in Deum suum: in gladio cadent, parvuli eorum allidentur.* &c.

Hoseæ utitur [1.] *Synecdoche partis* pro *toto*; per *Samariam* enim *reliquas urbes & oppida regionis Israelitica intelligit*. [2.] Ellipsi nominis: In gladio cadent, scil. viri ejus. [3.] *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *gladius* pro *bello* est [4.] *Metaphorâ*: quia *cadere* significat *interire*. Ariam. par.4. Bibl. p.169. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.20. p.492.

Vers 3. *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum, dicite ad eum: omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

Offert se [1.] Hebraismus: *Tollite vobiscum verba*, h.e. *precemini Deum*. [2.] *Enallage* futuri indica-

..., *auferes*, pro imperativo, *aufer*, (3.) *Ellipsis* ... nominis substantivi: *Accipe bonum*, scil. *verbum* vel *cor*. (4.) *Metaphora*: nam *vitulis labiorum* intelliguntur *sacrificia laudum & gratiarum actiones*, Hebr.13. v.15. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 582. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p.858.

Vers.4. *Assur non servabit nos, super equo non vehemur, & non dicemus ultra, o Deus noster, operi manuum nostrarum: quia in te misericordiam consequetur pupillus.*

Verba hæc continent (1.) *Enallagen numeri* singularis, *equo*, pro plurali, *equis*. (2.) *Synecdochen speciei pro genere*: nam per *pupillum* intelligitur, *quicunque ope destituitur*, homo infimissimæ sortis. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.582. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 858.

Vers.8. *Revertentur sedentes in umbra ejus, vivificabunt triticum, & germinabunt sicut vitis, odor ejus, sicut vinum Libani.*

Iteratur (1.) Ellipsis: *Revertentur*, subint. *in terram suam*: *vivificabunt*, scil. *seipsos* ut triticum: *Odor ejus*, subaud. *fragrabit*. (2.) *Metaphora*, quâ *credentes* dicuntur *seipsos instar triticum vivificare*, h.e. in mediis afflictionibus persequutionibusque, spe in Deum positâ, *se quasi animare*, ... *salvos tutosq; conservari*; similitudine sumta à *tritico*, quod in terram conjectum, ad tempus mori videtur, *Johan.* 12. v.24. postea non tantùm reviviscit, sed & multiplicem fert fructum, nihil obstante tempestatum turbinumque rigore. *Iun.* in Bibl. h.l. p.858. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p.583. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap.12. p.352.

Vers.9. *Ephraim: Quid mihi ultrà ad dolores? Ego respondi* &c.

En [1.] *Ellipsin* verbi: *Ephraim*, scil. *dicet*, uti *Chaldæus* supplet. [2.] *Enallagen temporis* præteriti, *respondi*, pro futuro, *respondebo*, i.e. *certissimè exaudiam*; phrasi enim Hebræa is dicitur *respondere*, qui *exaudit*. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract.2. observ.2. m. 1. p.702. & *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class.1. p. 793.

Vers.10. *Quis sapiens & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & justi ambulabunt in eis* &c.

I. Est hic (1.) *Ellipsis* interrogativi מי *quis*, ex membro præcedente repetendi: *Quis* intelligens &c. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *viæ Domini* significant *cœlestem doctrinam*. (3.) Hebraismus: *Ambulabunt*, h.e. *expedite & extra offensam procedent*. Glass. lib.3. Philol. Sacr. tract.3. can.14. p.263. & lib.5. tract.1. cap.8. p.185. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class.1. p.793.

II. *Salmero* tom.1. Prol.2. *Scripturam Sacram accusat obscuritatis*, quòd Hoseas *sua prophetia indicet obscuritatem*, quippe *quam scitu & intellectu non quidem impossibilem, difficilem* tamen pronunciet, *Hieronymo* teste.

℟. (1) In his Prophetæ verbis nulla est *significatio obscuritatis*, sed *exprobratio malitiæ Iudæorum*, apud quos tam pauci vellent sapere, teste *Dionysio Carthusiano* in h.l. (2.) Etsi concedamus, Hieronymo *obscuritatem* significari, tamen negamus *universalem*, sed tantùm *hujus prophetiæ* & quidem non *totius*, sed per *partes quasdam*. Quanquam ne *has ipsas* quidem non intelligi posse, sed tantùm *absq; Christo*. Itaque nunc exhibito *Christo*, non debebunt obscuræ dici. *Gerhard.* in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. ... p.219. obj.2. *Cham.* tom.1. Panstr. l.15. c. ... §.18.20.21. p.277.

# VINDICIÆ
# I O E L I S.

CAP. I. v.1. *Verbum Domini, quod fuit ad Ioelem filium Pethuelis.*

R. *Salomo Iarchi* in Comment. arbitratur, *Prophetam hunc fuisse primogenitum Samuelis filium*, eò quòd dicatur *Ioel*, qui fuerit primogenitus Samuelis Prophetæ filius. 1.*Sam.*8.v.2.

℟. N.C. tum quòd Joel Propheta *ejus antiquitatis* esse non videatur, siquidem tempore *Iothami* vixit, juxta *Augustinum*; tum verò comprimis, quòd Joel Samuelis filius, *judex Israelis, & impius improbusq; fuerit*, 1. Sam. 8. v.1.-5. quorum neutrum de *Ioele Propheta* dici potest. *Glass.* lib.4. Philol. Sacr. tract. 3. observ.12. p.820. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class.7. quæst.2. p. 815.

Vers.2. *Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: an fuerit hoc in diebus vestris, & num in diebus patrum vestrorum?*

Joel adhibet (1) *Metaphoram*: duo enim hæc verba, שמע & האזין *audire* atque *auribus percipere*, conjungit, quæ non ad *simplicem verborum sonum*, sed *reconditam sententiæ maximè notabilis intelligentiam* pertinent. (2) *Synecdochen* tum *partis* pro *toto*, quia *dies* pro *temporibus* ponit; tum *speciei* pro *genere*, quoniam *patres* pro *majoribus* locat. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.12. p.360. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class.1. p.813.

Vers. 3. *Super hoc filiis vestris narrate, & filii vestri filiis suis, & filii eorum generationi alteræ.*

Argumentum *Papisticum*, pro *traditionibus non scriptis*, vide confutatum in Vindic. *Exod.*13. v.8.

Vers.4. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.*

In textu hoc continetur [1.] *Climax*: quia antecedentis sententiæ ultimum membrum in principio sequentis non semel repetitur. [2.] *Enallage* partim *temporis* præteriti, *comedit*, pro futuro, *comedit*; partim *numeri* singularis, *locusta*, *bruchus*, *rubigo*, pro plurali, *locustæ*, *bruchi*, *rubigines*, puta *comedent*, nomina enim illa ponuntur *collectivè*, Vatabl. in Annot. ad h. l. p.584. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.2. cap.1. m.3. p.519. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class. 1. p. 813.

Vers.6. *Nam gens ascendit super terram meam fortis, absq; numero: dentes ejus dentes leonis, & molares leunculi ei.*

Reperitur hoc loco [1.] *Prosopopœia*, quâ *erucæ*, *locustæ* & *bruchi* dicuntur *gens fortis*, metaphorâ â *castris* deductâ. [2.] *Ellipsis*: Dentes ejus *sunt ut* dentes leonis, *& molares*, ut molares *leunculi*. Ariæm. par.4. Bibl. p.170. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.9. p.191. m.2.

Vers.7. *Posuit vitem meam in desolationem, & ficum meam in decorticationem; nudando nudavit eam* &c.

Occurrit [1.] *Enallage temporis* præteriti, *posuit*, *nudavit* &c. pro futuro, *ponet*, *nudabit* &c. [2.] Epizeuxis: *Nudando nudabit*, h.e. *omnino* nudabit, folio, flore, fructu, cortice, *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.584. *Jun.* in Annot. ad eund. loc. p.859.

Vers.8. *Ejula, tanquam virgo accincta sacco, propter maritum adolescentiæ suæ.*

Offert se [1.] *Hebraismus*: חֲגֻרַת־שַׂק *accincta sacci*, h.e. *saccô*; ubi adjectivum participiale recipit genitivum, *adjunctum* notans. [2.] *Metonymia*

nymia adjuncti pro subjecto: nam sacco accingi significat versari in luctu; hujus enim signum erat facci indutio, v. 13. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 33. p. 121. & lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 72. Friedlib. in Annot. ad h. l. class. 1. p. 813.

Vers. 10. *Vastatus est ager, luxit humus, quia devastatum est triticum, erubuit mustum, elanguit oleum.*

Iteratur (1.) *Enallage temporis* præteriti, *vastatus est, luxit* &c. pro futuro, *vastabitur, lugebit* &c. (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *ager* sumitur pro *fructu agrorum*. (3.) *Prosopopœia*: quia *terræ nascentibus* metaphoricè tribuitur *luctus, erubescentia, languor*, quæ propriè *hominis* sunt, pro *exscindi* & *devastari*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 584. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tractat. 1. cap. 9. p. 193. m. 3.

Vers. 12. *Quia aruit gaudium à filiis hominum.*

Est hic (1.) *Metaphora*: nam *arescere gaudium* pro *interire* seu *amoveri* ponitur (2. *Pleonasmus*: *A filiis hominum*, i. e. ab *hominibus*, Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 584. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 288.

Vers. 15. *Eheu dies, quia propè dies Domini, & tanquam vastitas* &c.

Recurrit (1.) *Ellipsis nominis* adjectivi: *Eheu dies*, subint. *infelicem*. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *calamitates & infortunia* dicuntur *dies Domini*, nimirum justè ob malitiam homines punientis. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 584. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 59.

Vers. 20. *Etiam bestia agri clamabit ad te, quoniam exsiccati sunt rivi aquarum, & ignis comedit pascua deserti.*

I. Reperitur (1.) *Enallage numeri*: quia verbo singulari, *clamabit*, nomen plurale, *bestia*, ita adjungitur, ut *distributionem* notet (2.) *Prosopopœia*: nam *comedere* tribuitur *igni consumenti*. (3.) *Metaphora*: siquidem *ignis* cæli *æstum* significat; præcedit enim: *Exsiccati sunt rivi aquarum*. Chaldæus *ventum Orientalem, fortem ut ignis*, hoc exponit. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 10. p. 240. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 813.

II. Rationem *Fanaticorum* quorundam, pro *rationalitate bestiarum*, vide solutam in Vindic. *Psal.* 147. v. 9.

CAP. II. v. 1. *Dies Domini venit, quia propinqua.*

Propheta utitur (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *calamitates & infortunia* dicit *diem Domini*, nimirum justè ob malitiam homines punientis (2.) *Enallage temporis* præteriti, *venit*, pro futuro, *mox veniet*. (3.) *Ellipsi verbi* substantivi: *Quia propinqua*, scil. *est*. Ariæm. par. 4. Bibl. p. 170. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 860. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 59.

Vers. 2. *Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obscuritatis, veluti aurora expansa super montes: populus multus & fortis, sicut ille non fuit à seculo, & post eum non addet, usq; ad annos generationis & generationis.*

Verba hæc continent [1.] *Metaphoram*: nam & *dies tenebrarum* pro *tempore infelici ac luctuoso*, & *dies nubis* pro *tempore calamitoso* accipitur. [2.] *Prosopopœiam*, quâ *locustæ aliaq; insecta* dicuntur *populus multus & fortis*, instar *castrorum* dispositus, unde *exercitus Dei magnus*, v. 11. eâdem ratione metaphorica appellatur. [3.] *Synecdochen totius pro parte*: *A seculo*, i. e. *jam olim*. [4.] *Hebraismum*: *Usq; ad annos generationis & generationis*, h. e. *multarum generationum*, sive *in multas ætates*; hæc enim repetitio ex usu linguæ Hebrææ *multitudinem* significat. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 860. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 191. c. 10. p. 2[illegible]. & 249. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 813.

Vers. 3. *Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum urens flamma,* &c.

*Papistæ* exinde colligunt, *ignem, quo justi purgandi sint, processurum esse extremum judicium*; quia *te faciem judicis universalis, ignis vorans sit processurus.*

℞. [1.] Non est sermo Prophetæ de *judice universali*, ante cujus faciem *ignis materialis* sit præ[cur]surus in *justorum purgationem* accendendus [...] enim de re altum est silentium, sed de *populo locustarum*: siquidem de eadem calamitate hoc loco [agi]tur, de qua c. 1. v. 4. & 6. Hoc autem de *locustis* [di]citur *comparativè*: Devotabunt omnia ante [se &] post se, non aliter atque ignis, *Vatablo* in [...] [2.] Quòd si vel maximè dictum illud de *igne materiali* accipiendum foret, nondum tamen p[...] tum esset, *illum processurum esse judicium extremum & justos purgaturum.* Ignis enim ille dicit[ur] לִפְנָיו *ante faciem ejus, in conspectu ejus, coram eo*: quando autem id futurum sit, num *ante judicium*, an verò *post judicium*, illud disertè non exprim[itur]. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 1[...] p. 15. seq.

Vers. 12. *Nunc dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.*

I. *Costerus* in Enchir. c. 5. p. 205. probare con[atur] *homines non renatos ex viribus arbitrii posse se ad conversionem præparare, eiq; cooperari, cum illis conversionem imperet* Dominus.

℞. *A præcepto ad posse* N. V. C. *Ideo enim Deus jubet aliqua, quæ non possumus,* inquit *Augustinus* l. 1. de Grat. & Lib. Arb. c. 16. *ut noverimus, quid ab ipso petere debeamus.* Si ergo de *prima illa conversione* dictum Prophetæ intelligas, homo seipsum ad Deum convertere non *potest*, sed admonetur tantùm, quid *facere debeat*, quod tamen *facere nequit*. Sin vero de *conversione quotidiana* accipias, tunc se convertere homo dicitur, cum mediis conversioni utitur. Talia autem præcedere *justificationem*, nemo negat: sed neq; *pars*, neq; *causa*, neq; *meritum* ejus sunt. *Balduin.* in Phosph. Cath. l. 12. c. 3. p. 1091. se[q.] *Meyf.* in Anticost. disp. 6. th. 6. & 7. p. 264. & 26[...]

II. Bell. l. 2. de Bon. Operibus in partic. c. 1[...] memb. 4. arguit, *jejunium esse utile ad Deum placandum*, quoniam *Ioel horteur peccatores, ut convertantur ad Deum in jejunio, & fletu, & planctu.*

℞. Hortatur equidem ad *jejunium*, non præcisè *externum*, sed *internum*, nimirum ad *interiorem cordis pœnitentiam & humiliationem coram Deo*, v. 13, cujus *externum signum* tùm temporis, præsertim in *magnis calamitatibus*, solebat esse *jejunium externum*, v. 15. & 16. [2.] Quòd bis promittitur, *qui in planctu & jejunio ad Deum se convertunt*, illud non *virtuti & merito jejunii*, sed potiùs *ipsi conversioni* adscribendum est. *Eckhard.* in Pand. controv. l[...] tit. c. 28. q. 4. obj. 2. p. 481. *Scharp.* tom. 1. C[urs.] Theol. art. de jejun. controv. 3. obj. 4. p. [...]43.

III. *Bellarminus* l. 1. de Pœnitent. c. 7. asserit, nomine *pœnitentiæ* propriè non *interiorem animi mutationem*, sed *exteriorem pœnam designari*; quod vox שׁוּב, *conversio*, non tantùm ad *internam mutationem*, sed etiam ad *externam actionem pœnalem* adhi[beatur] a Propheta, cum *jejunium, fletus & planctus* non possint non ad *externam actionem* [referri].

℞. [1.] Jesuita ludificatur: nam quis negabat *internam & externam actionem*? Saltem eo improba-

[illegible], quo [illegible] esse *pœnitentiam agere*, præ-[illegible] luere commissa. Quasi vero [illegible] actio *externa*, nisi pœna admissi. (2.) Quid [illegible] *converti dicantur aliquem jejunio, inf. in,in* [illegible]? Negamus enim sequi, hæc esse à *significatione* verbi שׁוּב: cur non sint enim *per accidens*, [illegible] conversionem *essentialiter* non constituant? [illegible] tom. 2. Syst. Theol art. de Pœnitent. c. 2. q. [illegible] obj 2. p. 319. seq. *Cham.* tom. 3 Panstr. l. 23. c. 8. §. 13. 24. 25. p. 4[illegible].

IV. *Joel* [illegible] *Christus* sibi contrarii videntur: *ille* enim jubet [illegible] *externa signa jejunii*, ut *fletum & planctum*: hic vero ea vetat adhiberi, *Matth.* 6. vers. [illegible].

℞. (1.) Uterque loquitur de jejunio, quod *omni simulatione carere debet*. (2.) *Joel* autem vult adhibe[illegible] e[illegible] signa tempore *publici luctûs*; Christus e[illegible] vetat alio tempore, [illegible] *publica lamentatio* non est indic[illegible]. *Walther.* [illegible] Harm. Script. Sacr. §. 1[illegible] p. 55[illegible].

Vers. 13. *Lacerate corda vestra, & non vestes vestras, & convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multa misericordia, & præstabilis super malitia.*

I. Videre hic est. (1.) *Metonymiam subjecti* continentis pro *adjuncto* contento; *Lacerate corda vestra*, h. e. *tollite vitia & pravas cogitationes vestras*, [illegible] hic *Chaldæus* explicat. (2.) *Enallagen* adverbii [n]egativi pro comparativa particula: *Et non vestes* [ve]*stras*, h. e. *potius corda vestra, quam vestes*; ut [illegible]um contritio sit vera & seria, non hypocritica. (3.) *E[lli]psin verbi*, ex antecedente supplendi: *Et non vestes vestras*, scil. *lacerate*. (4.) Antanaclasin: *Lacerate corda vestra, & non lacerate vestes vestras*; [u]bi prius *lacerare* metaphoricum est, *seriam cordis contritionem* significans, posterius verò *proprium*. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tra[ct]. 5. can. 22. p. 488. & lib. 5. tract. 2. cap. 3. pag. [illegible]34. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1 p. 813.

II. *Goclenius* par. 1. Miscell. p. 111. su[pp]icatur, *in una simplici oratione unam vocem duas sustinere posse significationes*, ut hoc in loco vocem *lacerandi* duplicem obtinere sensum, proprium ratione *vestimentorum*, & figuratum ratione *cordium*.

℞. Concedo hoc perlubens: sed annon ob id propositio ista duplicatur? duplex enim subjectum datur, *cor* & *vestis*; duplex itidem prædicatum, *laceratio* & *contritio*. Hinc duplex emergit propositio: prior, *non lacerate vestes vestras*; posterior, *corda habere contrita*. Quoties ergo duplex in prædi[ca]to occurrit significatio, toties etiam duplex est [su]bjectum; ideoque talis propositio non ampli[us] est *una & simplex*, sed *composita & duplicata*. *Meisner.* par. 1. Philos. sobr sect. 1. c. 5. quæst. 6. pag. 2[illegible]1. seq. *Glass.* lib. 2. Philol. Sacr. par. 1. tract. 2. sect. 1. [illegible] can. 2. p 375.

I[II]. *Bellarminus* l. 2. de Pœnitent. c. 2. propos. 2. arg. 1. disputat, *contritionem non esse passionem coactam*, sed *liberam hominis actionem*: quia Spiritus Dei, hortaturus nos ad *contritionem*, jubeat, ut *corda scindamus*: ridiculum autem esse, ejusmo[di] *præceptum* ad *passionem coactam*, & non ad *liberam* [illegible] *actionem* referre: quorsum enim *imperetur* [i]d, quod non est in nostra potestate, & [illegible], ve[li]mus [n]olimus, tolerare cogimur?

℞. (1.) Tolle *coactionis* vocem & peribit nervus argumenti. Contritionem dicimus quidem [illegible]ile *passionem*, non [ta]men *coactam*, sed *à lege excitatam*: non enim omne *coactum* est, quod ab *extrinseco principio* proficiscitur; ut *eruditio*, quâ puer à præceptore imbuitur, *fides* à Spi[ri]tu Sancto in nobis per verbum accensa, &c. (2.) Nulla argumento inest cohæsio: non enim *quicquid Deus jubet, ut faciamus, id facere in nostris est viribus*. Ita *fides in Christum* præcipitur omnibus hominibus, *Matth.* 11. v. 28. neque tamen in *libera eorum potestate* sita est. Et in extremo die dicetur omnibus mortuis: *Surgite, & venite ad judicium*. Num ve[r]o ex præcepto isto sequitur, *resurrectionem mortuorum esse liberum ipsorum actum, è voluntate propria profectum*? (3.) Illud ipsum *præceptum* est *salutare medium*, per quod *Deus in hominibus veram contritionem operatur*: ex quo nequaquam potest inferri, *hominem ex viribus liberi arbitrii Deo cooperari*. (4.) In *contritione* l[ic]è[t] *accipi* esse *actus quosdam nostros*, non [i]nficiamur, quales sunt *recordatio delictorum, consideratio leg[is], meditatio [ir]a divina*, & similes, quorum respectu *contritio* [no]bis *imperata* dici potest; in illis autem *formaliter* non consistit, sed potius in *dolore & angore*, quippe cujus ratione cor *propriè* contritum & vulneratum dicitur. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontific. c. 24. q. 5. obj. 1. p. 286. *Meisner.* par. 2. Philos. sobr. sect. 2. cap. 1. quæst. 5. obj. 1. p. 490. seq. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 18. de Pœnitent. § 76. pag. 805. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Pœnit. c. 2. q. 12. obj. 1. p. 340 seq.

IV. *Vulgata Versio hic vitiosa est*: nam (1.) quid est *præstabilis*? aut quis hic ejus usus est? unde nec cum *Hebræa* voce נִחָם, quam *Vatablus* & *Arias* verterunt, *pœnitens*, congruit, nec cum re ipsa. (2.) Cor Latinus Versor habet nomen *malitia*, quod semper malum *culpa* significat; cum tamen hic de malo *pœna* sermo sit? quam ob causam *Vatablus* & *Arias* Hebræum, הָרָעָה reddiderunt nomine *mali*.

Respondent 1. *Sacrobosius* par. 3. Defens. Trident. c. 1. fortè huic Autori nomen *præstabilis* idem esse quod *placabilis*.

℞. Di[vi]natio hæc nimis *generalis* est, locumque habere posset, si pro *præstabili* dixisset *sanabilem*, aut *amabilem*, aut quid aliud simile, quod adeò à textu *Hebræo* non discordaret quemadmodum nomen *præstabilis*.

2. *Bellarminus* l. 2. de V. D. c. 12. resp. ad 12. loc. significari, vel *excellentem in miserando, & pœna condonanda*; vel *meliorem, quam ut a malitia vincatur*.

℞. Agnosco, hos sensus esse veros: sed quis unquam credidisset laudandos in interprete gryphos? Quis functum putasset officio, si quod suus autor & *propriè* dixit & *perspicuè*, ipse per *ambages & ænigmata* non tam significet, quàm divinandum proponat? Certè vox *præstabilis* cum ipsa re non congruit, nisi alia inseratur, nempe *miserationis*; quæ vero in textu Hebræo non extat. Et *malitiâ* nusquam, nec in *sacris*, nec (quod ego sciam) in *profanis* literis indigitantur *pœnæ*, de quibus tamen Propheta loquitur, hoc sensu, quod Deum citò ac facilè pœniteat *pœnæ*, quam cogitabat infligere. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p 154. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 14. c. 11. §. 48. p. 255. seq.

Vers. 14. *Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus*, [illegible].

*Bellarminus* lib. 3. de justif. cap. 6. arg. 3. opinatur, *neminem fidelem posse esse certum de peccatorum*

*rum tuorum remissione*, cum *nesciat*, *an Deus convertatur & ignoscat.*

R. (1.) In *Hebræo* non est, *ignoscat*, sed *pœniteat*, Aria & Vatablo interpretibus. (2.) Prophetæ non est sermo de *remissione peccatorum*, quippe quam Joel in præcedentibus absque omni dubitatione suis auditoribus *simpliciter* promiserat; sed de *mitigatione afflictionum* aut *castigationum*, quas Deus *suis*, etiam post reconciliationem, immittit ad emendationem & probationem, fatentibus *Sanctio* & *a Castro* in h. l. Cui expositioni favent sequentia. *Et relinquat post se benedictionem, sacrificium & oblationem Deo nostro.* Concedimus autem libenter, pios incertos esse, an *Deus semper pœnas avertat aut mitiget*, cum nullam *absolutam* habeant ea de re promissionem. Alia est ratio *remissionis peccatorum*, de qua extat promissio, *omnes in Christum verè credentes eam accepturos.* Act. 10. v. 43. At nulla est consequentia: *Certo scire non possumus, an Deus pœnas temporales sit aversurus, ergo nec scire possumus, an peccata sit remissurus?* A dimissione *pœnæ* ad dimissionem *culpæ* argumentari non conceditur. (3.) *Chaldaus Paraphrastes* phrasin, *quis scit?* alio sensu & per *ellipsin* interpretatur, hoc modo: *Qui scit, se peccatorum esse reum, revertatur ab iis, & miserebitur ejus Deus.* Ex quo simul patet, verbum Hebræum יָשׁוּב, *revertatur* non ad *Deum*, sed ad *hominem* ab ipso referri; indeque *Arias Montanus* concludit, phrasin illam, *quis scit*, non *afferre*, sed *prohibere* dubitationem. *Meisner.* dec. 3. Anthr. sacr. disp. 11. thes. 11. pag. 530. seq. *Gerhard*, lib. 2. spec. Conf. Cathol. par. 3. p. 760. seq. arg. 7. *Walther.* in Harm. Script. pag. 338. seq. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 25. m. 6. p. 497. seq.

Vers. 16. *Congregate parvulos, & sugentes ubera, &c.*

I. *Infantes renati sunt etiam pars Ecclesiæ Dei:* in *hujus* enim convocatione *infantes æquè adjunguntur Sacerdotibus, ac ipsorum parentes fideles.*

*Rauffius* in Colloq. Franckenthal. act. 33. q. 3. regerit, innui hîc *pœnam, super Hierusalem venturam*; non vero *participationem infantum de Ecclesia.*

R. *Utramque* ibi Propheta innuit: *pœnæ* quidem aversionem, vers. 14. *infantum* autem de Ecclesia participationem, vers. 15. & 16. *Dathen.* in Colloq Franckenth. act. 32. q. 27. p. 663. & act. 33. q. 2. p. 669.

II. *Aretius* lib. 1. Probl. Theol. loc. 3. urget, *in ipsos etiam infantes, adhuc ubera sugentes, cadere pœnitentiam*, quoniam Deus jubeat, ut *pœnitentia* prædicetur non tantum *adultis*, sed etiam *infantibus, qui ab uberibus maternis adhuc pendent.*

R. Deus non *præcipit infantibus contritionem & dolorem de admissis ac flagitiis*, quippe cujus nondum sunt capaces; sed jubet, ut *parentes, pœnitentiam de admissis peccatis acturi, vos etiam parvulos colligant, secumque* in cœtum publicum adducant, partim ut e[...]n aspectu vel ploratu ad *ferventiores preces* [...] *acerbiores fletus* pro avertendis suppliciis, [...] imminentibus, incitentur: partim ut infantes *suo vagitu Deum ad misericordiam flectant*, Jon. [...] v. 9. eodem ferè modo, quo *pulli corvorum* [...]entabili crocitatione, Psal. 147. v. 9. & *leunculi* vagitu, *Psal.* 104. v. 21 Deum velut permovent, ut ipsis de necessaria vitæ sustentatione prospiciat. partim ut & infantes ipsi à *pœnis impendentibus præserventur*; alioquin & infantes cum parentibus [...] peccatum pœnis in[...] *Fevverborn.* fasc. 2. Dissert. Theol. disp. 4. [...] seq. p. 143. & 144. *Brochm.* tom. 2. Syst. Th[...] de Pœnitent. c. 2. q. 30. obj. 1. p. 382.

Vers. 19. *Et non dabo vos ultra in opprobrium [...] gentes.*

Promissio hæc Dei non videtur *eventus respondisse*: Judæi enim *in Romanorum potestatem tandem pervenerunt*, inter quos fuerunt opprobrium.

R. Promissio hæc Dei non *absolutè* intelligenda est, quicquid etiam Judæi faciant; sed *cum conditione illa, quamdiu me ex animo colueritis*, v. [1]2. seq. hac non impleta, in gentium potestatem & opp[robrium] pervenerunt. *Glass.* lib. 3 Philol. Sacr. tra[ct.] 5. can 13 p. 459.

Vers. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & [filiæ] vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.*

I. Offert se (1.) Ἀνθρωποπάθεια. *Deus e[nim] dicitur effundere*, h. e. *largiter concedere.* (2.) *Synecdoche generis pro specie*: Super *omnem carnem* i. e. *omnis generis homines*, ex omni populo, sub[la]tus enim est respectus & discrimen personarum [in] N. T. *Galat.* [3.] v. 28. (3.) *Metaphora, à divinis prophetiis, somniis & visionibus* deducta, quibus *Spiritus Sancti, mirabiliter Apostolis, aliisque fidelibus data, varia* χαρίσματα καὶ ἐνεργήματα, pr[...] verò *doctrina cælestis lumen & revelatio illustris* notantur, ut ex *Act.* 2. v. 16. seq. patet. *Glass.* l[ib.] 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 7. p. 134. c. 13. p. 425. seq c. 14. m. 1. p. 437.

II. *Socinus* libr. *Quod Evangelici*, &c. p. 43. negat, *Spiritum Sanctum esse personam*, quia dicatur *effundi*, id quod *personæ* nullo modo convenire possit.

R. (1.) *Socinus* sentit, Spiritum Sanctum esse *virtutem quandam in Deo naturalem*: at quomodo *hæc effundi* potest? neque enim *naturali virtuti in Deo* aliàs convenit *effundi.* (2.) *Spiritus Sanctus* dicitur *effundi*, non *absolutè*, ratione *sui esse*: sed *limitatè*, ratione *donorum*, quæ distribuit: *hæc ipsa* verò quoniam haut dantur *separatim*, hinc ipse *Spiritus Sanctus* effundi dicitur. *Meisner* in Consider Theol. Photin. c. 4. p 521. 522. & 523.

III. *Anonymus* quidam Semijudæus tract. 2. de fundam. relig. Christian. accusat *Petrum*, quòd *Actor.* 2. v. 17. *Ioelem* non rectè allegârit, cùm Propheta ibi non *promittat varias linguas*, sed dicat, *Iudæos rursus habituros Prophetas, quales antea habuerint.*

R. Petrus omnino *Ioelem* rectè allegat. neque enim respicit tantùm ad *linguarum diversitatem*, sed ad *Evangelicam doctrinam*, quam quilibet *sua linguâ*, in qua natus esset, repletus Spiritu Sancto, eloqui audiebat. Nam *prophetare*, ut non semper in Scriptura, sic neque hoc loco, significat *vaticinari* seu *futura prædicere*, sed *docere*; haud secus ac *Propheta* interdum in Scriptura significat simpliciter *Doctorem*, ut *Gen.* 20. v. 7. & *Exod.* 7. v. 1. Itaque sensus est: *Prophetabunt*, id est, *docebunt, recteque interpretabuntur scripturam de Christo, & magnalia Dei enarrabunt filii vestri.* Jacob. Martin. lib. 3. de trib. Eloh. c. 112. p. 729. seq.

IV. *Weigeliani* lib. 1. tract. de *Revelat. divin. majest.* p. 478. & 479. repudiatô *Ministerio ecclesiastico, arcanis Spiritus revelationibus niti* suadent quoniam Ecclesiæ N. T. promissi sint *Prophetæ sine discrimine sexûs*, qui *visiones habeant, & somnia, & quidem Spiritûs instinctu.*

R. Hoc

R. Hoc nō facit ad rem. Nam (1.) Petrus in *ipso Ministerii actu* hanc Joelis promissionē allegat, ideoque illa ipsā *Ministerium Ecclesiasticum* haudquaquam repudiatur. (2.) Idem *Petrus* impletionem illius promissionis expresse refert ad illud tempus, *quo Apostoli visibiliter acceperunt Spiritum Sanctum*, Actor. 2. v. 16. Temeritatis ergo est, *hoc tempore* sibi arrogare illa dona, quibus multi seipsos & alios turpiter deceperunt. (3.) Utitur Propheta *sui seculi verbis*: quia olim Prophetis futura revelabantur nunc per *somnia*, nunc per *visiones*, Num. 12. v. 6. quæ revelationum genera hodie defierunt, *Hebr*. 1. v. 1. ubi Apostolus disertè asseverat, Deum noo *ea modo* nobiscum in N. T. agere velle, quo usus est in V. T. Secus usus *Ephod*, *Urim & Thummim*, &c. hodie reducendo foret. Unde donum *prophetiæ* ipse negat esse commune, 1. *Cor*. 12. v. 10. *Balduin*. de Casib. Conscient. lib. 3. cap. 1 cas. 5. p. 564. *Thumm*. in Impiet. Wigel. pag. 57. seq. *Feuverb*. fasc. 6. Dissert. Theol. disp. 2. thes. 85. p. 124. seq.

V. *Bellarminus* lib. 4. de Not. Eccles. c. 15. statuminare allaborat, *lumen Propheticum esse notam Ecclesiæ vera*, quandoquidem *illud Ecclesiæ sua Deus promittat*.

R. N. C. hæc enim promissio non est *universalis*, ad omnia tempora sese extendens; sed *planè singularis*, statum *Ecclesiæ primitivæ* respiciens, quo tempore donum ejusmodi *extraordinarium* erat necessarium, interpretibus *Petro*, Act. 2. v. 16. *Hilario* lib. 8. de Trinit. *Chrysostomo* homil. 4. in Act. Apost. & aliis viris doctissimis, quos *Ribera* in Comment. Joel. 2. dicit omnino de *hoc tempore* vaticinium illud interpretari, nec unquam *alterius temporis* meminisse. Quarè *donum prophetiæ esse Ecclesiæ perpetuum*, exinde probare nequit: nos vero quærimus de *perpetua Ecclesiæ nota*. Eckhard. par. 1. Pand. controv. Pontif. c. 8. q. 7. not. 12. p. 424. *Gerhard*. tom. 5. LL. CC. loc. 25. de Eccles. §. 287. & 288. p. 1277. *Cham*. tom. 5. Panstr. l. 2. c. 15. §. 2. obj. 1. p. 105.

Vers. 31. *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis*.

*Salmeron* arbitratus est, *signa prorsus insolita & extraordinaria antecessura esse diem extremi judicii*, quia *Solis conversio in tenebras*, & *Luna in sanguinem præcessura sit diem Domini magnum & terribilem*.

R. (1.) N. V. C. Præcedunt diem *magnum & terribilem*, ergo *diem extremi judicii*: Quasi non sit alius *dies Domini magnus & terribilis*, quàm *dies extremi judicii*: dies enim Domini *magnus & terribilis* etiam metonymicè notat diem *gravissimarum pœnarum*, quas Deus interdum genti alicui infligit. *Esa*. 13. v. 9. quo in significatu hoc quoque loco accipitur. Neque enim Joel de *extremo die universalis judicii*, sed de *vastatione Solymorum & eradicatione populi judaici* loquitur, quæ non ita diu post effusionem Spiritus Sancti super Apostolos sit eventura. (2.) Per *conversionem Solis in tenebras*, & *Luna in sanguinem* non describuntur signa *insolita, in Sole & Luna propriè futura*; sed *metaphoricè* notātur *angustiæ & calamitates internæ*: hoc sensu, quod cum dies *ultionis divinæ* advenerit timoris magnitudine judæis tum cuncta tenebrascent, ut *Sol & Luna* videantur suum negare ... orem. *Meyfart*. par. 1. Melet. Theol. de ... und. p. 352.-357.

Vers. 32. *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit &c*.

I. *Pontificii* contendunt, *non solam fidem salvare*, quoniam & *invocatio nominis divini impetret salutem*.

R. Concedimus, *invocationem nominis divini impetrare salutem*, sed non *per se*, & *ex opere operato*; verùm *per accidens*, & *mediante fide*, teste *Christo*, Matth. 21. v. 22. *quasi* desit, invocatio irrita redditur, ut de *hypocritarum* invocatione patet, *Matth*. 7. v. 21. *Hunn*. tom. 1. Oper. Lat. p. 649. seq.

II. *Christus est verus ille Deus altissimus*: *est enim Dominus ille à nobis religiosè invocandus*; *at solus Deus altissimus à nobis religiosè invocandus est*.

*Enjedinus* in Explic. loco. V. & N. T. p. 267. seq. excipit 1. Prophetam non dixisse de *Christi persona*, quòd statim subjecerit, *illam liberationem & salutem fore Ierosolymis & in Sione*; at Paulus *Romam* & ad *Romanos* scripserit.

R. (1.) Per *Dominum illum* intelligitur *Christus*, Paulô *Rom*. 10. v. 9. 11. & Petro *Act*. 2. v. 21. testibus. (2.) Per *Ierosolymam* & *Sionem* metaphoricè notatur *Ecclesia Christi*, cujus partes erant *conversi Romani*. (3.) Etiamsi *Ierusalem* & *Sion* sumerentur *propriè*, non tamen salutem istam Propheta ad *solam Ierusalem & Sionem* restringeret.

2. Joelem & Paulum non de *uno eodemque Domino* esse loquutum: quia *alius* sit, de quo *propriè* Propheta; & *alius*, de quo *tropicè* Apostolus illam sententiam interpretetur.

R. Paulus *propriè de eodem* loquitur *Domino*, de quo *Joel*: aliàs hunc ipsum perperam citâsset. Eandem quoque propositionem Prophetæ Petrus de *Christo* explicat, *Act*. 2. v. 21.

3. Joelem de *futuro* loqui & vaticinari, *fore aliquando in novissimis diebus, ut, qui invocaverit nomen Domini*, h. e. *Christi*, *salvetur*: inde verò non evinci *æternam Christi divinitatem*, cum nomen *Iehova*, *Domini*, non *soli æterno Deo* competat.

R. (1.) Ex *religiosa invocatione*, utpote *soli Deo* competente, efficaciter demonstratur ejus, qui sic invocatur, *æterna Deitas*. (2.) Nomen יהוה *directè & absolutè* in verbo Dei nemini tribuitur, quàm *æterno Deo*. Psal. 83. v. 19. *Iesa*. 42. v. 8. &c. *Feuverb*. in Fasc. 6. Dissert. Theol. disp. 1. thes. 56.-63. p. 35. & 39.

Cap. III. v. 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis, &c*.

I. *Tostatus Abulensis* in c. 22 Matth. q. 233. & c. 25. q. 302. opinatur, *omnes omnium hominum cineres ab Angelis in vallem Iosaphat deducendos, atque in eadem valle omnes homines resurrecturos*; siquidem *omnes gentes sint congregandæ, & in vallem Iosaphat deducendæ, ut Dominus cum eis disceptet*.

R. (1.) Nititur hæc opinio hypothesi falsa, quòd scilicet *omnes gentes in valle Iosaphat sint judicandæ*. (2.) In hoc Prophetico vaticinio dicitur, *omnes gentes esse congregandas in vallem Iosaphat*. Quod si ergo in illam vallem congregandæ, utique in ea non resurgent. *Gerhard*. tom. 8. LL. CC. loc. 30. de Resurr. mort. §. 111. p. 1207.

II. *Gregorius de Valentia* tom. 4. in Thom. p. 2320. hariolatur, *vallem Iosaphat fore locum judicii universalis*, quia *Deus sit congregaturus omnes gentes in vallem Iosaphat & cum eis disceptaturus*.

R. (1.) Textus ille ad rem non facit: neque enim *omnes omnino gentes* dicuntur convocandæ, sed illæ saltem, *quæ populum Dei afflixerunt*, ut ex contextu patet. (2.) Congregatio illa non fit propter *extremum judicium* celebrandum, sed ad *vindictam particularem* de hostibus Ecclesiæ sumendam. v. 2. (3.) Vox יְהוֹשָׁפָט hic non *propriè* accipitur, sed *appellativè*, significans *judicium Domini*, vel ut *Chaldæo* Interpreti placet, *divisionem Iudicii*. Itaque, *Barradio* tom. 3. Concord. l. 9. c. 18. p. 606. & *Cornelio à Lapide* in comment. h. l. testibus, *vallis Iosaphat* potest significare *quemcumque locum, in quo Dominus judicabit*. Cur ergo *Valentianus* detorquet ad *vallem Iosaphat*, juxta urbem Jerusalem ad radices montis Oliveti sitam? *Hæc* enim angustior est quam ut capere possit *omnes*, qui ab initio mundi vixerunt homines. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 31. de Extrem. Judic. §. 75. pag 168. 169. seq. *Mersart.* par. 1. Meletem. Theol. de Extrem. Judic. pag. 573. 574. seq. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 19. m. 2. p. 878.

Vers. 4. *Levi festinatione reddam retributionem vestram in caput vestrum.*

In versu hoc reperitur 1. *Hebraismus*: קַל מְהֵרָה *levi festinatione*, h. e. *velocissime*, ubi *nomina* pro *adverbiis* posita sunt. (2.) *Synecdoche partis pro toto*: In *caput vestrum*, h. e. in *vosmetipsos*, Jun. in Not. ad h. l. p. 861. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 2. m. 2. p. 432.

Vers. 6. *Et filios Iehudæ & filios Ierusalem vendidistis filiis Græcorum, ad elongare faciendum eos desuper termino suo.*

Joel usurpat (1.) Prosopopœiam: *Filios Ierusalem*, h. e. *incolas Ierusalem*. (2.) Pleonasmum: *Filiis Græcorum*, i. e. *Græcis*, nomine *filiis* abundante. (3.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam *terminum* pro *regione* accipit, quòd terminis claudatur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 588. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 147. Confer lib. 5 tract. .c. 9. p. 109. m 5.

Vers. 12. *Consurgant & ascendant Gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.*

I. *Theodoretus* in Comment Ezechiel. sect. 15. docuit, *Gogi irruptionem jamdudum in V. T. factam esse*, quam *Ezechiel*. c. 38. & 39. describit: *eam enim a Ioel hic prænunciatam fuisse.*

R. N. C. nihil enim hoc loco habetur de *Gogi irruptione in Palæstinam*, sed repetitur *vindicta illa Dei, de hostibus Ecclesiæ sumenda*: hanc vero in *valle Iosaphat de Gogo esse sumtam*, è textu probari nequit, aut ex aliis probatis Historicis. *Ecquando* enim tanta omnium populorum, à quibus unquam Judæi expugnati & dispersi fuerunt, (de iis namque Joel loquitur) synodus & congregatio fuit celebrata. & *quo præside* cum omnibus illis populis disceptatum est? num verò vallis illa *omnes nationes Chaldæorum*, Persarum, Græcorum, Romanorum, in quas distracti sunt Judæi, caperet? *Gesner.* disp. 2. in Ezech. 38. & 39. cap. 1. thes. 6. 22. 28. seq.

II. *Iudæi* pro illa *Papistarum* opinione, quâ *vallem Iosaphat* designant *locum universalis judicii*, urgent, *propriè sic dictam vallem Iosaphat* notari, & *Iudicium universale*, quoniam hic iterum dicatur *vallis Iosaphat*, ubi *Dominus sit sessurus*, & *omnes gentes judicaturus.*

R. Non disserit Propheta de *statu mundi sub adventum Messiæ ad extremum judicium*, sed ex professo agit de *statu Ecclesiæ post ascensionem Messiæ in cælum*, quo de hostibus suis Dominus velit vindictam sumere, sicut olim de hostibus Ecclesiæ suæ in *valle Iosaphat* sumpserit: illuc enim alludit, 2. *Paral.* 20. v. 20. seqq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de extrem. Judic. c. 2. q. 6. p. 723.

Vers. 13. *Mittite falcem, quoniam maturuit messis: venite descendite, quia plenum est torcular. exuberant prela: nam multa malitia eorũ.*

Deprehenditur hoc loco (1.) *Allegoria*, judicium Dei, operarumque ministerium, *messis* & *vindemiæ* notione exprimens. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: quia *messis* pro *frugibus* est, quæ tempore messis colliguntur. (3.) *Metaphora*: nam *torcular* (in quo calcantur uvæ) *divinam vindictam* notat, quam *robusti*, v. 11. h. e. *Angeli*, in hostibus impiis exerceant. Quales *uvæ calcandæ* hic veniant, statim subjungitur: *Nam multa est malitia eorum.* Jun. in Not. ad h. l. p. 862. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 62. & cap. 11. p. 299.

Vers. 14. *Multitudines multitudines in convalle concisionis, quia propinquus dies Domini in convalle concisionis.*

Verba hæc exhibent (1.) *Hebraismum*: הֲמוֹנִים הֲמוֹנִים *multitudines multitudines*, h. e. *strages tanta erit, ut passim compareant cumuli coacervati cadaverum.* (2.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam *dies Domini* notat *infortunia & calamitates*, quia Dominus justè punit, ob malitiam, homines. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 862. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 5. m. 2. p. 19. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 59.

Vers. 19. *Ægyptus in desolationem erit, & Edom in desertum solitudinis erit, propter violentiam filiorum Iehuda.*

*Hebraismus* est (1.) In *desertum solitudinis*, h. e. *desolatissimum*. (2.) Propter *violentiam filiorum Iehuda*, i. e. *filiis Jehuda illatam*. Jun. in Not. ad h. l. p. 862. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 6. p. 108.

## VINDICIÆ

## AMOSI.

Cap. 1. v. 1. *Verba Amos, qui fuit in pastoribus Thecua, quæ vidit super Israel, &c.*

I. *Epiphanius* statuit, *hunc nostrum Prophetam fuisse eundem cum patre Iesaia*, c. 1. v. 1. quia dicatur Αμως.

R. In *Hebræo* diversis literis nomina illa exarantur: nam *pater Iesaiæ* dicitur אָמוֹץ *robustus* at *Propheta noster* עָמוֹס, *onus*, ut rectè notat *Hieronymus*. Friedlib in Annot. ad h. l. class. 7. quæst. 1. p. 825.

II. Amos sibi *contradicere* videtur: hîc enim visionem suam dixit fuisse super *Israelem*; at c. 1. & 2. etiam *gentes* alloquitur.

R. Amos *primario* missus fuit ad decem tribus Israelis, *secundario* verò concionatus fuit gentibus, propter Israelitas. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. m. 1. p. 823.

III. *Donum interpretationis ad Concilium & Papam non est alligatum*: nam præteritis etiam Sacerdotibus Deus excitavit ex *pastoribus ovium* Prophetam *Amos*.

*Bellarminus* l. 3. de V. D. c. 10. resp. ad 10. argum. excipit I. hoc fuisse *privilegium Amos datum*,

non

non *omnibus*; privilegia verò unius aut alterius non facere legem *generalem*.

℞. Nos minimè dicimus, *omnibus dari*, quod datum est Prophetæ *Amos*: hoc tamen inde evincimus, *Deum sua veritate, & hujus interpretatione ad Sacerdotes* V.T. *neququam fuisse adstrictum*, sed si hi taceant aut errant (sicut in V.T. sub Regibus factum est, Scriptura teste) *posse Deum alios deligere*, per quos suum opus perficiat.

2. Aliud esse, loqui de *novis revelationibus*; & aliud, de *explicatione doctrina jam accepta*: *illas* spectâsse ad Prophetas, *hanc* ad Pontifices.

℞. Distinctiuncula hæc nihil proficit: siquidem Prophetæ non de *novo protulerunt doctrinam*, sed *illam jam antè per Mosen traditam illustrârunt novis vaticiniis*, ideoque vel maximè circa *explicationem doctrinæ fuerunt occupati*. Et quis *explicationem doctrinæ* Sacerdotibus potius adjudicet, quàm *Prophetis*? cum constet, *illos* errâsse. *Esa.* 56. v. 10. *hos* verò non, 2. *Petr.* 1. v. 21. quorum etiam *doctrina*, ut certissima norma omnis judicii de dogmatibus, nobis divinitus est commendata, *Luc.* 16. v. 29. *Hunn.* tom. 2. oper. Lat. p. 296.

Vers. 2. *Et dixit: Dominus de Sione rugiet, & de Ierusalem edet vocem suam. & lugebunt pascua pastorum, & arescet caput Charmeli.*

Propheta utitur. (1.) Ἀνθρωποπαθείᾳ: nam *Deum rugire* dicit, h. e. instar *leonis impasti*, bestias terræ rugitu horribili terrentis, vehementi ira impios terrentem. (2.) *Prosopopœiâ*, qua *pascua* introducit *lugentia*, i. e. *deperdita*. (3.) *Metonymiâ contenti* pro *continente*: *Pascua pastorum*, i. e. *habitacula*, ut quæ in locis pascuosis ipsi figunt. (4.) *Metaphorâ*. quia *caput Charmeli* pro *quavis regione præstantissima ac fertilissima* accipit. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 589. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 862. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 167.

Vers. 3. *Hæc dicit Dominus; super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum eo quod triturâverint in plaustris ferreis Gilaad.*

I. Olim *Novatiani*, & hodie *Sociniani* negârunt, *renatis iterato peccantibus spem gratiæ divinæ superesse* quòd *Deus super tribus vel quatuor sceleribus nolit nos convertere*.

℞. Non est hic sensus Domini, quasi *tertiâ vel* [illegible] *vice repetitam pœnitentiam nolit admittere*, sed quòd populus Damascenus scelera sua nimiùm accumulaverit, ita jam ex animi sententia pœnitere dedicerit: quia igitur ipse verum Deum deserat, se quoque eundem deserturum, nec permissurum, ut convertatur, & ob id debitas luat pœnas. *Baldvin.* in comm. 2. Cor. 2. par. 1. q. 3. p. 78.

II. Propheta sibi contradicere videtur: detonat enim contra *tria & quatuor* scelera populi Damasceni, cùm tamen *unius tantùm* faciat mentionem.

℞. Notatur *finalis impœnitentia*, & *exultatio in rebus pessimis*, quâ iniquitates complentur. Est enim *septenarius* numerus, quem *tria & quatuor* conficiunt, numerus *perfectionis* in Scriptura; unde Dominus *Levit.* 26. v. 18. Addam correptiones vestras *septuplum* propter peccata vestra, id est, non desinam vos punire. *Walther.* in Harm. Scipt. Sacr. § 1-6. p. 339.

Vers. 5. *Et confringam vectem Damasci, & exscindam habitatorem de Valle Avenis, & tenentem sceptrum de domo Edenis, & migrabunt populus Syriæ in Kir, dixit Dominus.*

In versu hoc habetur. (1.) *Metaphora*: nam per *vectem* intelliguntur *munitiones*. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: Tenentem *sceptrum*, h. e. *regiâ autoritate pollentem*. (3.) *Synecdoche partis* pro *toto*: quia nomine *Damasci* notatur *tractus Damasce-nus* sive *decapolitanus*. (4.) *Enallage numeri*: nomini enim collectivo singulari, *populus*, respondet verbum plurale, *migrabunt*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 590. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 863. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 12. p. 392.

Cap. II. v. 6. *Quod vendiderit pro argento justum, & pauperem pro calceamentis.*

I. Iteratur. (1.) *Metaphora*: nam *vendere justi pro pecunia*, est, *justi justam causam pervertere*, ob acceptam munera *Ies.* 1. v. 23. (2.) *Synecdoche*: Pro *calceamentis*, h. e. *re vilissima*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 591. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 863. reg. *Friedlib.* in Annot ad h. l. Glass. 1. p. 819.

II. *Salmeron* Scripturam sacram accusavit *corruptionis*, quia novi quidam Judæi inverterint hunc locum legendo, צֶדֶק *justitiam*, pro צַדִּיק *justum*.

℞. Omnes codices legunt צדיק Paraphrastes Chaldæus pluraliter, *innocentes*. Judæi Rabini conservant integram lectionem. R. Salomo Jarchi explicat: *Eum, qui erat insons in judicio*. R. David Kimchi: *Qui est justus, in causa sua*. Nec aliter Abben-Ezra. Quorsum ergò huc *novi Iudæi*? Non enim Salmeroni instituta erat declamatio in *novos Iudæos*, quorum perfidia nequit pro meritis exagitari, sed erat propositum ostendere, *veritatem Hebræam non esse sine corruptione*, ut non sit per omnia illi temere fides habenda. Ita verò hoc non probatur, nisi simul statuas, etiam *Latinam Vulgatam esse corruptā*: pariter enim ex Hebræo legit, *justum*. Quod si *diversa* Jesuita vidit exemplaria, *particularis* est illa corruptio, quæ in quæstionem hic non venit. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. p. 174. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 93. seqq. p. 222.

III. *Christus pro argento venditus est prodente Iuda: est enim ille justus, quem Israelitæ pro argento vendiderunt.*

Regerit R. *Isaac Ben-Abraham* in Chissuc Emunâ cap. 31. dictum hoc sonare de *impiis judicibus, in populo Israelitico causas dicentibus, ante captivitatem Babylonicam*.

℞. Verum hoc est *sensu primo & literali*, non tamen id impedit, quò minùs *sensu sublimiori* ad tempora & persecutiones *Christi* accomodetur, *Matth.* 26. v. 15. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 3. p. 823.

Vers. 7. *Anhelantes super pulverem terræ in caput pauperum & viam humilium perverterunt, & vir & pater ejus iverunt ad puellam, ut profanent nomen sanctitatis meæ.*

Verba hæc exhibent (1.) Synchysin: *Anhelantes super pulverem terræ in caput pauperum*, pro, *qui anhelant in caput pauperum dejecturi super pulverem terræ*. (2.) *Metaphoram*: siquidem *via* notat *jus & causam*. (3.) *Synecdochen generis* pro *specie*: quia *vir* pro *filio* ponitur. (4.) *Enallagen temporis* præteriti, *perverterunt* & *iverunt*, pro præsenti, *pervertunt* & *eunt*. (5.) *Euphemismum*: nam *ire ad puellam*, designat *coitum cum fœmina*, & quidem *illicitum*, imò *incestuosum*. (6.) Hebraismum: *Ut profanent nomen sanctitatis meæ*, h. e. *ex eo fit, ut profanetur nomen meum sanctum inter gentes*. Ubi conjunctio לְמַעַן *ut*, non *causam rei*, sed *sequelam* indicat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 591. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 864. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 7. can. 19. pag. 620. *Friedlib.* in Amos. c. 2. class. 1. p. 819.

Vers. 13. *Ecce ego premo subter vos, quemadmodum premit plaustrum plenum sibi manipulo.*

Reperitur hoc loco (1.) *Enallage* partim *temporis præsentis*, *premo*, pro futuro, *premam*; partim *numeri singularis*, *manipulo*, pro plurali, *manipulis*. (2.) *Pleonasmus*: pronomen enim SIBI redundat. Ariæm. par. 4. Bibl. p.174. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 591. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.2. can 6.p.184.

Cap. III. v. 2. *Tantùm vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ, idcircò visitabo super vos omnes iniquitates vestras.*

Ecce (1.) *Metonymiam causæ*, pro *effectu*; *Vos cognovi*, h.e. *speciali amore vos prosequutus sum*, Chaldæus: *Solum vos elegi.* (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Visitabo*, i.e. *puniam*. (3.) *Ellipsin* phraseos subaudiendæ: *Et tamen defecistis a me*, idcircò, &c. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. pag.592. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract.1. c.1. m. 3. n.1. p.13. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class.1.p.819.

Vers. 6. *Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus.*

I. *Manichæi* olim docuerunt, *esse aliquem summum Deum malum*, quoniam *non sit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.*

℞. Distinguendum est inter *malum culpæ*, & inter *malum pœnæ*. *Illud* est ab *homine*, *hoc* verò à *Deo*; quod cum sit opus *justitiæ*, rectè dicitur *bonum*, quatenus nempe *justitia DEI* declaratur. *Hutter* in LL. Theol. pag.113. *Gravver.* par.1. Prælect. in Aug. Conf. p.112.

II. Rationem *Zvvinglianorum*, pro *divina peccati causalitate*, vide refutatam in Vindic. *Thren.* 3. v. 38.

Vers. 11. *Sic dixit Dominus: Hostis & circuitu terræ, &c.*

Amos adhibet (1.) *Enallagen conjunctionis* copulativæ ו ET pro relativo pronomine, אֲשֶׁר *qui*. (2.) *Ellipsin*: *Est in* circuitu terræ, h.e. *circumstat terram hanc*. Glass. lib.3. Philol. Sacr. tract.2. can. 15. m.1.p.201. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class. 1. p. 820.

Vers. 12. *Sicut eruit pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auris; sic eruentur filii Israel, sedentes in Samaria, in angulo lecti, & in lateris sponda.*

*Allegoria* est: nam *reliquiæ Israelitarum*, ab hostium injuriis Samariæ remanentes, comparantur illis, *qui contracto corpore in quadam lecti extremitate se occulunt, & vix ac ne vix quidem latére, & effugere externas injurias possunt.* Glass. lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.20. p.490.

Cap. IV. v. 1. *Audire verbum hoc, vaccæ Basanis, quæ in monte Samariæ, opprimentes pauperes, allidentes egenos, dicentes Dominis suis, affer, & bibemus.*

I. Offert se (1.) *Metaphora*: nam *principes populi Israelitici* vocantur *vaccæ Basanis*, tum ob *luxuriam*, quòd neglectis officii debiti partibus, seipsos saginarent; tum ob *violentiam*, quia tenues opprimebant, tum ob *mollitiem*, quoniam effœminatis erant moribus. (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: siquidem *mons* pro *locis montanis* accipitur. (3.) *Synecdoche* tum *partis* pro *toto*, quia *Samaria* ponitur pro *regno Israelitico*, cujus caput fuit, *Iesa.* 7. v. 9. tum *speciei* pro *genere*; quoniam *bibere* notat *convivia agitare*, Gen. 43. v. 34. (4.) *Enallage*: nam *suis* pro *vestris*, & *affer* pro *afferte* usurpatur. *Arsam.* par. 4. Bibl. p. 17. *Iun.* in Not. ad h.l. p.865. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract. 1. cap.10. p.272.

II. *Amos* videtur impingere *in legem Mosis*, dum *Principes populi Israelitici* vocat *vaccas*, quæ species est *maledictionis*; cum tamen *Principi populi sui Moses vetet maledicere*, Exod. 22. v. 28.

℞. Quanquam Amos *aulicos Regis Israelis* vocat *vaccas*, non tamen *maledixit illis*, sed jussu Dei manifesta eorum peccata apertè redarguit, quale mandatum legitur. *Iesa.* 58. v. 1. 1. *Tim.* 5. v. 1. &c. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class.2. m. 2. p. 833.

Vers. 2. *Ecce dies venient, & tollet vos aculeis, & posteritatem vestram hamis piscationis.*

Recurrit (1.) *Enallage* partim *temporis* præsentis, *veniunt*, pro futuro, *venturi sunt*: partim *nominis* substantivi, *piscationis*, pro adjectivo, *piscatoriis*. (2.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Et tollet*, scil. *hostis*, ut *Hebræi* subaudiunt; nisi verbum נשׂא *tollet*, impersonaliter sumas, *tollemini*. Luth. **Man wird herauß rücken.** (3.) *Metaphora*: nam *piscationis* notione *hostilis direptio & captivatio* exprimitur. q. d. vos estis velut vaccæ pingves, v. 1. sed extrahemini ab hostibus, velut *pisciculi minuti* à piscatoribus, nihil impediente ve[illegible]a pinguedine aut fastu. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 865. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 25. m. 1. pag. 303. & tract. 3 can. 23. m. 1. p. 303. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. pag. 334.

Vers. 3. *Et rupturas exibitis, unaquaque contra alteram, & abjicietis ea palatium, ait Dominus.*

*Ellipsis* est, hoc supplenda modo: Et *per rupturas* &c. abjicietis ea (*quæ*) ad palatium, scil. *priùs attulistis*, h. e. *dona, thesauros, & res omnes charissimas*, quas palatio, ut firmo & tuto loco custodiæ ergò intulistis. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract. 6. can.3. not. un. p.523.

Vers. 4. *Venite Bethelem & prævaricamini, Gilgalem multiplicate ad prævaricandum, & afferte manè sacrificia vestra, tribus diebus decimas vestras.*

Propheta utitur (1.) *Ironiâ*: Sarcastica enim compellat Israelitas adhortatione, quam diluit contraria planè conclusio, v.12. (2.) *Ellipsi*: Afferte *singulo manè*, i. e. *quolibet die*. (3.) *Synecdoche partis* pro toto: *Tribus diebus*, h.e. *tertio quoque anno*. Respectum enim habet ad *legem Dei*, Deut. 14. v. 28. *A fine trium annorum depromito omnes decimas proventûs tui, &c.* quam Israelitæ in impuro suo idolorum cultu imitabantur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.593. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 863. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.5. p.85. & cap.17. m.3. p.464.

Vers. 5. *Et adolere de fermento laudem, & vocate, voluntaria promulgate: quia sic dilexistis filii Israel, ait Dominus Deus.*

I. Iteratur (1.) *Enallage* infinitivi, *adolere*, pro imperativo plurali, *adolete*. (2.) *Ellipsis*: Et *vocate*, scil. *ad solemnitatem*, & *voluntaria* subint. *sacrificia*. (3. *Ironia*: sarcasticè enim Propheta Israelitas compellat, simulque alludit ad legem Dei, *Levit.* 7. v. 17. De *oblatione super fermentato*; quam Israelitæ in impuro suo cultu vitulorum identidem imitabantur. *Arsam.* par 4. Bibl. p. 174. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.593. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.5. p.85.

*Græci* contendunt, S. *Cœnam pane fermentato esse conficiendam*, cum *de fermento laudem*, id est, εὐχαριστίαν, *sacrificare* jubeamur.

℞. Falsa est loci hujus interpretatio: quia ibi Propheta *irridet & reprehendit Iudæos*, quòd fermentato utentes pane, idola colerent. Sed quid

hoc

hoc ad S. *Canam*? Scharp. in Curs. Theol. p. 272. obj. 6.

Vers. 6. *Et etiam dedi vobis munditiem dentium in omnibus urbibus vestris, &c.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: Deus enim *dentium munditiem dare* dicitur, h. e. *famem immittere*. Nam inter comedendum plerumque aliquid cibi adhæret dentibus, aut intra dentes. Ubi ergò *nulla talis immunditiei* reperitur, signum est, *non sumti cibi*, & potrò *defectûs alimenti*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 70.

Vers. 7. *Portio una compluetur, & portio, quam non pluet super eam arescet.*

Reperitur (1.) *Enallage temporis* futuri, *compluet* & *arescet*, pro præterito, *compluit* & *aruit*. (2.) *Ellipsis nominis* substantivi. *Non pluit*, scil. הָעָב *nubes*, quæ vox in genere fœminino (uti verbum תַּמְטִיר *pluet*, fœmininum est) usurpatur 1. *Reg.* 18. v. 44. (3.) *Pleonasmus*: *Quam super eam*, h. e. *super quam*; ubi ly *eam* abundat. *Arsam.* par. 4. Bibl. p. 174. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 594. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 1. m. 1. p. 698.

Vers. 11. *Subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam & Gomorrham.*

I. *Synecdoche* est *species* pro *genere*: nam per *speciem*, puta *subversionem Sodomæ & Gomorrhæ*, intelligitur genus, *extrema* scil. *vastatio*, *Iesa.* 1. v. 9. qua de re confer 2. *Reg.* 13. v. 3. & c. 14. *v.* 26. Aliàs certum est, nullas urbes taliter periisse incendio cœlesti, prætet has urbes & vicinas. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 7. quæst. 12. p. 826. seqq.

*Ensedinus* in Explic. locor. V. & N. T. adstruere nititur, Filium Dei, *Gen.* 19. v. 24. *non pluisse à Patre*, quoniam *Eversio Sodomæ & Gomorrhæ* Patri attribuatur, non *Filio*.

℞. Juxta veritatem *Hebraicam* verba ita leguntur: *Subverti in vos secundùm subversionem Elohim, Sodom & Gomorrha.* Ubi non *soli Patri* exclusò *Filio*, eversio Sodomæ & Gomorrhæ attribuitur, sed *Elohim*, quæ vox non solum *Patrem*, sed *pluralitatem in essentia divina* notat. *Iacob. Mart.* lib. 5. de trib. Eloh. c. 14. p. 173. seqq.

Vers. 13. *Ecce formans tonitru & creans spiritum, &c.*

*Athanasius* advers. Arian. ait: *Arianos* exinde probare voluisse, *Spiritum Sanctum esse creaturam*, quia *Deus ipsum creaverit.* Histor. Magdæb. Cent. 4. c. 5. p. 322.

℞. Ambiguitas est in vocabulo *Spiritus*: hoc enim in loco non *Spiritus Sanctus* intelligitur, quippe per quem omnis exercitus cœlorum conditus est, Psal. 33. v. 6. ideoque è numero creaturarum esse nequit; verùm *ventus* notatur, ut ex ipsa contextus serie patet: unde & *Psal.* 148. v. 8. dicitur *spiritus procellarum*. Histor. Magdeb. cent. 4. cap. 5. pag. 352. *Balduin* in Colleg. de SS. Trin. disp. 12. thes. 31. *Bellarmin.* l. 1. de Christ. c. 20. obj. 1. p. 369.

Cap. V. v. 2. *Cecidit, non addet surgere virgo Israel, &c.*

I. Amos usurpat (1.) *Enallagen temporis* præteriti, *cecidit*, pro futuro, *cadet*, propter *certitudinem*, tanquam dicat: *Certissimè corruet.* (2.) *Metaphoram*, quâ *cadere* significat, *calamitatibus multis obrui.* (3.) *Hebraismum*: Non *addet surgere* h. e. non *amplius surget.* (4.) *Prosopopœiam*: *Virgo Israel*, i. e. *populus Israeliticus*, ubi pro appositionis Syntaxi status regiminis ponitur בְּתוּלַת יִשְׂרָאֵל *virgo Israel*, h. e. *virgo Israel.* Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 594. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 866. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 4. pag. 15. tract. 5. not. un. pag. 460. lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 207. c. 12. p. 377.

II. *Israelita demum aliquando in patriam terram non sunt redituri: ita enim ceciderunt, ut non ampliùs surgant.*

℞. *Kimchi* in h. l. regerit, non esse *Israelitas surrecturos*, ad *tempus longum*; *adhuc* enim *futurum esse, ut revertantur*, *quia sic Prophetæ prædixerint.*

℞. (1.) R. *Salomo* in Comment. in h. l. à R. *Kimchio* discedit, textum ita explicans: *Non stabit & exurget ampliùs Rex ex decem illis tribubus.* (2.) Amos *absolutè* negat corporalem Israelitarum in regnum suum restitutionem, cum negat, *amplius eos surrecturos esse.* (3.) Quasi verò non multa prædixerint Prophetæ, quæ secundùm *spiritum*, & non secundùm *historiam* accipienda sint. Fatemur ergò Israelem restitutum iri *suo tempore*, atque adeò *jam* restitutum esse, sed *alio modo*, quam Kimchi somniat, h. e. *spiritualiter*, non *carnaliter*, ut loquuntur. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 13. not. un. p. 460. seq.

Vers. 13. *Ideò prudens in illo tempore tacebit, quia tempus malum est.*

*Maldonatus* Comment. in Luc. censet, verbum ἀγαπήσει *diliget*, Luc. 7. vers. 42. vi *Hebraismi* habere significationem præteriti, *diligebat*; cum & h. l. futurum, *tacebit*, ponatur pro præterito, *tacebat*.

℞. Hoc longè est dissimile. Pendet enim non ab eo more, qui *futurum* dicit pro *præterito*, sed qui pro *Præsenti* cum actionis significatur continuatio, à præterito in futurum, ut *Psalm.* 6. v. 7. Psalm. 8. v. 4. &c. Neque enim *recondita alicujus elegantiæ* phrasis est, sed *promiscui usus*: neque aliter possunt Hebræi, apud quos verba nullam habent temporis præsentis flexionem. Et hæc ratio in *Amos* nostro, non item in *Luca*. Cham. tom. 3. Panstrat. l. 21. c. 6. §. 38. & 45. p. 431.

Vers. 14. *Quærite bonum & non malum & vivetis, &c.*

*Bellarminus* l. 5. de Grat. & lib. Arb. c. 19. disputat, *hominem esse liberi arbitrii*, quòd *ille jubeatur bonum quærere, quo vivat.*

℞. (1.) Negatur id sequi, nam *jussus ille* non de *nostra*, sed de *Dei voluntate* testatur, hoc est, non quid *nos ex nobis velimus aut possimus*, sed quid *Deus velit*, ostendit, unde Regula, à *præcepto* ad *posse* N. V. C. (2.) Distinguimus *regeneratos* à *non regeneratis*, & quærimus *utros* intelligat Argumentator. Nam si *regeneratos*, concedimus totum; sin verò *non regeneratos*, negatur *eos habuisse in potestate sua*, *quærere bonum*, quia mala arbor bonos fructus ferre nequit, *Matth.* 7. v. 18. (3.) Neque inauditum est, *aliquem alteri præmium promittere posse, ut aliquid faciat*, etsi non *sit in ejus potestate*, ut discipulo peritus scriba præmium pollicebitur, si se scribendo æquaverit. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontif. cap. 20. q. 4. class. 2. pag 113. seqq. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 3. c. 7. §. 1. 3. 4. p. 28.

Vers. 15. *Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta judicium, si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquiis Ioseph.*

I. Argumentum *Bellarmini*, pro *contritione bonum propositum includente*, vide solutum in Vindic. *Esa.* 1. v. 16. m. 1.

II. Rationem *Papisticam*, pro *dubitatione de gratia Dei*, vide confutatam in Vindic. 2. *Sam.* 16. v. 12.

Vers. 16. *In omnibus plateis planctus, & in omnibus plateis dicent: Va, va. Et vocabunt agricolam ad luctum, & planctum ad peritos lamenti.*

Verba hæc exhibent (1.) *Ellipsin* verbi substantivi; *In omnibus plateis planctus*, subint. *erit*. (2.) Epizeuxin: *Va va!* quæ repetitio *ingentis angustia* signum est. (3.) *Hypallagen*: Et *planctum ad peritos lamenti*, pro, & *peritos lamenti ad planctũ*, ut R. Kimchi explicat. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 175. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 21. p. 739.

Vers. 17. *Transibo in medio tui, dixit Dominus.*

Ἀνθρωποπάθεια est: *transitio* enim *Deo* tribuitur, quâ *punitio divina* intelligitur, i. e. *plagarum illatio*. Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 7. p. 144.

Vers. 18. *Va desiderantibus diem Domini, ut quid hoc vobis? Dies Domini hac tenebra, & non lux.*

I. Reperitur hoc loco (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*, nam *dies* dicitur *judicium extremum*, quo unicuique à Deo retribuetur secundùm facta eorum. 2. *Ellipsis* tum conjunctionis causalis, *Ut quid*, scil. *enim*; tum verbi activi, *Hoc vobis*, subint. *optatis*, tum verbi substantivi, *Et non lux*, subaud. *est*. (3.) *Metaphora*, uti enim *lux* prosperitatem, ita *tenebra* afflictionem notant. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 175. *Jun.* in Bibl. h. l. pag. 867. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 596. *Glassius* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. pag. 59. & cap. 10. p. 233.

II. *Jesuita* negant, *posse quempiam licitè expetere diem extremum*, cùm *Propheta va minetur desiderantibus diem Domini.*

℞. Propheta loquitur non de *piis* sed de *Impiis*, ex *impatientia malorum* diem novissimum desiderantibus: in *piis* enim desiderium hujus diei commendatur, 2. *Tim.* 4 v. 8. sensus igitur est, *male facere impios, extremum diem desiderantes*, cum in illius adventu potiùs à malis *minoribus* ad *majora*, à *temporalibus angustiis* ad *cruciatus ater nos* sint transituri; id quod similitudine quadam declarat Propheta, vers. 19. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 31. de Extremo judic. §. 13. p. 33.

Vers. 20. *Nonne tenebra dies Domini, & non lux: & caligo & non splendor ei?*

Iteratur (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: siquidem *calamitates & infortunia* dicuntur *dies Domini*, nim. *justè ob malitiam hominis punientis*. (2.) *Ellipsis*: Dies Domini, scil. *erit vobis*. (3.) *Metaphora*: nam uti *lux* & *splendor* omnia *prospera & felicia*, sic *tenebra & caligo* omnia *tristia & infelicia* significant. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 596. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 59.

Vers. 21. *Odi & projeci festivitates vestras, &c.*

Deus sibi repugnare videtur: dicit enim, *se abominari cum sacrificiis, canticis & omnibus sceris festivitates Judaorum, quas ipsemet mandaverat.*

℞. Agitur hîc non de *Judæis*, sed de *Israelitis*, & *decem illis tribubus*, quæ se à *Juda* per turpem defectionem separaverant; horum comprimis sacra reprobabantur, tum quia non in *loco* à Deo præscripto, sed in *Bethel, Dan, Galgala* & *Berseba* suos cultus peragebant; tum quia *propria intentione* quosdam cultus confinxerant, quando scilicet super vestimentis oppignoratis accubuerunt ad omne altare, & vinum mulctatorum biberunt in Domo Deorum suorum c. 2. v. 8. *Walther.* in Harm. Script. Sacr p. 340.

Vers. 22. *Quod si obtuleritis mihi holocausta & munera vestra, non suscipiam & vota pinguium vestrorum non respiciam.*

*Bellarminus* l. 2. de effect. Sacram c. 14. arg. 1 existimat, *sacrificia* V. T. *non justificásse*, quoniam *ea Deus respuerit.*

℞. Respuit Deus sacrificia, non *absolutè omnia*, siquidem *gratiosè respexit sacrificium Abelis* Gen. 4. v. 4. *Noa*, Gen. 8. v. 21. *Elia*, 1. Reg. 18. v. 38. &c. sed *idololatrica Israelitarum*: nam universa prophetia est adversus *Israelem* post institutam idololatriam. *Cham* tom 4. Panstr. l. 3. cap. 5. §. 1. 2. 10. p. 62.

Vers. 25. *Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel?*

*Amos* videtur *Mosi* contradicere: negat n. *Israelitas obtulisse Deo sacrificia in deserto*, cum tamen *aliquoties obtulerint Deo sacrificia in deserto*, *Exod.* 24. v. 8. & alibi.

℞. Non *absolutè* negat Amos, *Israelitas Deo obtulisse sacrificia in deserto*, sed *determinatè*, quia non tantùm *Deo* sacrificia obtulerunt in deserto, sed & *Diis alienis*, v. 26. quæ idcircò pro *non oblatis* haberi solent, *Deut.* 32. v. 17. *Rung.* in Comm. Exod. 3. par. 4. p 122. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. . can. 22. not. un. 490.

Vers. 26. *Portâstis tabernaculum Moloch vestro, & Chiun, &c.*

I. *Ribera* in Comment. vocem סכות in fontibus positam, *corruptionis* arguit, debere enim legi סכות *tabernacula.*

℞. (1.) *Arias* nomen illud accipit, tanquam *proprium*, & vertit *Zzichuth*; erat enim nomen *stella cujusdam*, quam velut *Regem suum* venerabantur *Israelita*, *Jerem* 7. v. 18. & cap. 44. v. 17. quomodo etiam *Vatablus* exponit. (2.) Eadem vox סכות etiam *tabernaculum* significat, atque ita etiam reddi potest, quomodo in singulari effertur, *Actor.* 7. v. 43. Quare non *vocis corruptio*, sed *anomalia tantum punctorum* esset. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. post obj. 82. m. 1. p. 172. seq. Vide lib. 4. tract. 4. observ. 17. p. 865. 870.

II. Ἐναντιοφανὲς quoddam inter *Amosum* & *Stephanum* vide conciliatum in Vindic. *Actor.* 7. v. 43. m. 3.

Cap. VI. v. 1. *Va tranquillis in Zione, & fidentibus in monte Samaria, nuncupatis pracipuum gentium, & venerunt ad eos domus Israel.*

Propheta utitur, (1. *Ellipsi* nominis, ex membro præcedente repetendi: *Nuncupatis*, scil. *montibus*, nim. *Zione* & *Samaria*. 2.) *Enallage forma* constructæ, in nomine נְקֻבֵי *nuncupatis*, pro *absoluta* נְקֻבִים. (3.) *Hebraismô*: Nuncupatis *pracipuum*, h. e. *qui pracipui sunt*. (4.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: *Domus Israel*, i. e. *populus ex familia Israelis ortus*, Jun. in Bibl. h. l. p. 867. *Glass.* lib 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 40. m. 2. pag. 161 & tract. 3 can. 16. m. 2. p. 276.

Vers. 4. *Jacentes super lectis dentis, & distenti super lectis suis, & comedentes agnos è grege, & vitulos è medio saginatis.*

Occurrit (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam

nam *dens* accipitur pro *ebore*, utpote quod ex opinione vulgi, ad quam se Scriptura accommodat, *dens* esse putatur. (2.) *Hebraismus*: Agnos *è grege*, *& vitulos è medio saginarii*, h. e. agnos *optimos è grege*, & *vitulos optimos ex saginario*. Chaldæus: *Pingues è grege*. Ubi EX nota *praeminentia* est. *Glass.* lib. 3. Philol Sacr. tract. 6. can. 8. m. 3. p. 536. & lib 5. tract. 1. cap. 3 m. 4. p. 63.

Vers. 5. *Modulantibus super os nabli, sicut David excogitarunt sibi instrumenta cantici.*

Offert se (1.) *Pleonasmus*: Super *os nabli*, pro super *nablum*, voce *oris* abundante. *Junius* ita vertit: *Ad præscriptum nabli.* (2.) *Enallage nominis* substantivi, *cantici*, pro adjectivo, *musicalia*. Jun. in Not. ad h. l. p. 867. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 146

Vers. 8. *Juravit Dominus DEUS per animam suam, &c.*

Argumentum *Vorstii*, contra *Dei incorporeitatem*, vide solutum in Vindic. *Jerem.* 51. v. 14.

Vers. 12. *Ancurrent in petra equi? an arabit bobus? quoniam convertistis in cicutam judicium, & fructum justitiæ in absynthium.*

In versu hoc habetur (1.) *Ellipsis vocularum*, ex membro præcedente repetendarum: *An arabit*, subint. *arator petram bobus* q. d. *vos perinde facitis, ac si in rupe equus curreret*, aut *bos eam rupem araret*. Agitis omnia *præpostero ordine*. (2.) *Metaphora*: nam *cicuta* & *absynthium*, ob *ingratum saporem & amaritudinem summam*, transfertur ad denotandas *hominum culpas & peccata*. q. d. locô *justitiæ* exercetis *injustitiam nefandam*. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 9. p. 719. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 292.

Vers. 13. *O lætantes in non verbo, dicentes: Nonne in robore nostro absumsimus nobis cornua?*

Iteratur 1. *Hebraismus* וללא־דבר *in non verbo* i. e. *de nihilo*. (2.) *Metaphora*: nam *cornua* notant *vires & gloriam*. Jun. in Not. ad h. l. p. 868. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 307.

Cap. VII. v. 1. *Sic ostendit mihi Dominus Deus: Et ecce fictor locustarum in principio ascendendi cordum, & ecce chordum post tonsiones Regis.*

Amos adhibet (1.) *Enallagen*, quâ כה *sic*. pro הנה *hoc*, ponit. (2.) *Pleonasmum*: nam ET bis redundat ante adverbium ECCE. (3.) *Metaphoram*: Deum enim dicit *fingere*, i. e. *peculiari modo producere*, translatione sumta à *figulo*, ex luto ollam fingente. (4.) *Ellipsin* verbi ex membro præcedente repetendi: *Et ecce cordum* scil. *adscendebat*. Ariæm. par. Bibl. p. 176. *Vatabl.* in Annot. ad h. l p. 598. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 821.

Vers. 2. *Et fuit, si finierit comedere herbam terræ, & dixi: Domine Deus, parce obsecro, quis stabit Jacobo, quis parvus ipse.*

§. 1. Particula אם SI hoc loco pro כאשר ponitur, & idem est quod, *cum*, *postquam* & similia. §. 2. *Quis* יקום *stabit* Jacobo, i. e. *restabit*, *superstitabit*, *superstes manebit*? Verbum simplex habet significationem compositi. §. 3. Pronomen demonstrativum pro verbo substantivo usurpatur. קטן הוא *parvus ipse*, h. e. *parvus est*. Ariæm par. 4. Bibl. p. 176. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. p. 225.

Vers. 3. *Pœnituit Dominum super hoc: Non erit: dixit Dominus.*

Controversias, si quæ hîc occurrant, vide decisas in Vindic. *Gen.* 6. v. 6.

Vers. 8. *Et dixit Dominus: Ecce ego pono perpendiculum in medio perpendiculum populi mei Israel, non addam amplius transire eis.*

Deprehenditur (1.) *Enallage temporis* præsentis, *pono*, pro futuro, *positurus sum*. (2.) *Metaphora*: nā *perpendiculū* notionē *desolationis* obtinet. (3.) *Hebraismus*: Non *addam transire*, h. e. *posthac non transibo*. (4.) Ἀνθρωποπάθεια: *Non transibo eis*, i. e. *non connivebo ad peccata eorum*. Vatabl. in Annot. ad h. l pag. 598. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 868. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 144.

Vers. 9. *Et devastabuntur excelsa Isaac, & sanctuaria Israel desolabuntur, & consurgam super domum Jarobeam in gladio.*

*Metonymia* est. (1.) *causæ* tum *efficientis*, quia *Isaac* pro *filiis Isaac*, & *Israel* pro *populo Israelitico* ponitur; tum *instrumentalis*, quoniam *gladius* pro *bello* est. (2.) *Subjecti* pro *adjuncto*: nam *domus Jarobea* pro *tota ejus familia* usurpatur. *Vatabl.* in Annot ad h. l. p. 598. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 868. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 7.

Vers. 14. *Amos dixit ad Amasiam: Non sum Propheta, nec filius Prophetæ, &c.*

*Amos* sibi non constare videtur: Hic enim negat, *se esse Prophetam*: at v. 15. fatetur, *se ad prophetandum a DEO missum esse*.

℞. Amos non *simpliciter* negat se esse Prophetam, sed *secundum quid*, videlicet à *natura*, hoc sensu: *Non sum natus Propheta*, sive à *juventute mea*, neque *ex humana institutione factum est*, ut *prophetem*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. seqq. *Jun.* in Schol. Bibl. ad h. l. n. 24. p. 868.

Vers. 15. *Tulit me Dominus Deus, cum sequerer gregem, & dixit ad me: Vade Propheta ad populum meum Israel.*

Fundamentum nullum, contra *donum interpretationis ad concilium & Papam alligatum*, vide ab exceptionibus *Bellarmini* vindicatum in Vindic. *Amos.* 1. v. 1.

Vers. 16. *Tu dicis: Non Prophetabis super Israel, & non stillabis super domum Ischac.*

Conspicitur hoc loco (1.) *Enallage* indicativi, *prophetabis* & *stillabis*, pro imperativo, *prophetato* & *stillato*. (2.) *Metaphora*: Propheta enim dicitur *stillare*, quia distinctè, *pluviæ* instar, pœnam DEI annunciabat. (3.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *domus* Ischaci pro *populo Israelitico* ponitur. *Jun.* in Bibl. h. l. p. 869. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. pag. 7. & cap. 10. pag. 266. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. Class. 1. pag. 822.

Cap. IIX. v. 2. Et dixi: *Canistrum æstatis*: *Et dixit Dominus ad me: Venit finis ad populum meum Israel, non addam amplius transire ei.*

In Hebræo est (1.) *Ellipsis verbi*, ex membro præcedente repetendi: *Canistrum æstatis*, subint. *video*. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam קיץ *æstas* notat *fructus æstivos*, qui per æstatem maturuerunt. (3.) *Paronomasia*: siquidem vocula קיץ *æstivi fructus*, proximè accedit ad vocem alteram, קץ *finis*, q. d. ut fructus maturè decerpuntur, ita populus Israelis aliò migrabit. Cæteras notas Philologicas hujus loci vide assignatas in Vindic. *Amos* 7. v. 8. m. 3. & 4. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 869. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4 m. 3. p. 61. & tract. 2. p. 524. *Friedlib.* in Annot. ad hunc l. class. 1. p. 822.

Vers. 3. *Et ululabunt cantica templi in die illa, ait Dominus*

*minus Deus, multum cadaver in omni loco projecit tacitus.*

Propheta usurpat (1.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: Et *ululabunt* שירות *cantica* h.e. *cantores* sua cantica in ululatum vertent. (2.) *Enallagen* partim *numeri* singularis, *multum cadaver*, pro plurali, *multa cadavera*; partim *temporis* præteriti, *projecit*, pro futuro, *projiciet*. (3.) Ellipsin: *Projiciet*, nim: *vir intelligens*, ut dixerat cap. 5. v. 13. & cap. 6. v. 10. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 599. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 869. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 4. m. 1. p. 52.

Vers. 4. *Audite hoc absorbentes egenum, & succidere pauperes terræ.*

*Ellipsis est verbi finiti*, quam supplet Chaldæus: וְלְשַׁבָּרָא *& succidere*, scil. מִתְכַּוְנִין *qui cogitatis*, nisi participium præcedens, שֹׁאֲפִים *absorbentes*, repetatur, sed in alia significatione: priùs enim *absorptionis*, post *anhelationis* significatum obtinet. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 599. *Glass.* l. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 6. not 2. m. 4. p. 681.

Vers. 5. *Dicendo; Quando transibit mensis, & venundabimus commeatum: & sabbathum, & aperiemus frumentum, ad imminuendum Epham, ad magnificandum siclum, & ad pervertendum bilances dolo?*

In textu hoc videre est (1.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: Et aperiemus בַּר *frumentum*, h.e. *horrea frumentaria, granaria*. (2.) *Synecdochen speciei* pro *genere*: nam *Epha* pro *mensura* ponitur, & *siclus* pro *pondere*. (3.) *Enallagen nominis* substantivi, *doli*, pro adjectivo *dolosas*. Jun. in Not. ad h. l. p. 869. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 2. p. 55.

Vers. 7. *Iuravit Dominus per excellentiam Iacob: Si oblivisear in æternum omnia opera eorum.*

I. Occurrit (1.) Ellipsis: *Ne vivam*, si obliviscar &c. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *oblivisci Dei* est *afferre pœnas erga impios, & eorum prava facta*. Jun. in Bibl. h. l. p. 869. & *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 7. p. 124.

II. *Papistæ* autumant, *posse quempiam licitò per creaturam jurare*, cùm *DEVS per excellentiam Iacob juraverit*.

℞. (1.) *Vulgata versio* legit: *In superbiam Iacob*, id est, quod *DEVS velit ulcisci superbam contumaciam populi Israelitici*. Hoc verò quid ad *juramentum per creaturam*? (2.) Etsi vox גְּאוֹן exponeretur *excellentia*, ne sic quidem probari posset *juramentum per creaturam*. Quando enim Deus jurat per *excellentiam Iacob*, non jurat per *creaturam*, sed per *seipsum*: ipse enim est, in quo excellebat, & de quo gloriebatur Jacob, quod sit *Deus ejus, Deique majestas* in Jacob nota, *Aria* & *Vatablo* interpretibus. *Calixt.* in Harm. Evangelist. p. 167.

Vers. 9. *Et erit in die illa ait Dominus Deus, & faciam occidere Solem in meridie, & obtenebrabo terram in die lucis.*

Redit huc (1.) *Metaphora*: *Faciam occidere Solem in meridie, & obtenebrabo terram*, &c. h.e. *obruam vos subito plagis & calamitatibus*. Per *lucem* prospera; per *tenebras*, infelicia intelligit Amosus. (2.) *Enallage nominis* substantivi, *lucis*, pro adjectivo, *lucido*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 600. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 869. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 225.

Vers. 11. *Ecce dies veniunt, ait Dominus Deus, & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verba Domini.*

*Metaphora* est: nam *fames illa* & *sitis audiendi verbi divini*, non nisi *privatio sapientiæ divinæ* est, ex justa Dei ira adversus ingratos immissa. *Glass.* lib. Philol. Sacr. tract. 1. c. 12. p. 374.

Vers. 14. *Iurantes per delictum Samariæ, & dixerunt: Vivit Deus, ò Dan, & vivit via Bersebah, & cadent, & non surgent amplius.*

Offert se (1.) *Metonymia effecti* pro *causa*: Per *delictum Samariæ*, h. e. per *vitulum qui colebatur in Bethele*, non procul à *Samaria* sitæ, quique delicti causa fuit. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *dixerunt*, pro præsenti, *dicunt*. (3.) *Ellipsis nominis* ex membro præcedente repetendi; *Et vivit* scil. *DEVS* viæ Bersebah, i.e. *DEVS ille*, qui ritibus suis colitur in Beersebah. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 177. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 600. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 8. p. 717.

Cap. IX. v. 2. *Si penetrarent in infernum, inde manus mea tollet eos, si ascenderint in cœlum, inde descendere faciam eos.*

I. Amos utitur (1) *Hebraismo*: Si *penetrarent in infernum* h.e. si *magno agerent conatu, ut se occultarent in eo*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: per *manum* enim, DEO tributam, intelligit *ejus potentiam*. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. pag. 822. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 7. p. 109.

II. *Amos* Christo repugnare videtur: *ille* enim *Israelitis ascensionem in cælum* concedit: *hic* vero *cuivis homini præter se eam derogat*, Joh. 3. v. 13.

℞. Nulla est ἀντίφασις. Nam *primo* loco est *concessio quasi ironica de impossibili*, non item in loco *secundo*. Friedlib. in Annot. ad h. l. class. 2. m. 5. p. 823.

Vers. 3. *Et si absconderint se in capite Charmeli, inde scrutabor, & tollam eos; & si occultaverint se à conspectu oculorum meorum in fundo maris, inde mandabo serpenti & mordebit eos.*

Verba hæc continent (1.) *Metaphoram*, qua *caput* pro *vertice* montis accipitur. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Deus* enim *scrutari* dicitur, ac si antea incognita essent ei, quæ scrutatur, cum non nisi *exactissima & infinita scientia* denotetur. (3.) *Hebraismum*; si *occultaverint se*: h. e. si *occultare se conarentur*. (4.) *Synthesin*: Et *mordebit eos*, i. e. *mordendo tollet eos*. Ariæm. par. 4. Bibl. pag. 17 *Glass.* lib. 3. Philol Sacr. tract. 3. can. 2. pag. 231. & can. 8. pag 251. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 7. pag. 123.

Vers. 4. *Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, inde mandabo gladio, & interficiet eos, & ponam oculum meum contra eos, &c.*

Iteratur (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *gladius* pro *milite*, gladiô accincto ponitur. (2.) *Synthesis*: & *interficiet* eos, i. e. *interficiens tollet* eos. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: *oculo* enim notatur *ira divina, ejusque pœna*, quam ex justo judicio malis infligit. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p. 231. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 106.

Vers. 6. *Ædificans in cælos gradus suos, & fasciculum suum juxta terram fundavit eum; vocans aquas maris, & effundit eas super facie terra, &c.*

Conspicitur hoc loco (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim dicitur *ædificare*, cùm *creando producit*. (2.) *Metaphora*, tum quia *sphæra cælestes* dicuntur *gradus*, eò quòd *certum quendam ordinem inter se habeant*, ut *gradus*: tum quia *mare*, omnium a-

quia-

quarum colluvies, Gen.1.v.10. vocatur *Dei fasciculus*: tum quia *facies terræ* pro *ejus superficie* ponitur. (3.) *Pleonasmus*: siquidem ly *eum* abundat. (4.) *Metonymia materiæ* pro *materiato*: nam *aquæ* sumuntur pro *nubibus*, in media aeris regione ex aquarum vaporibus concretis. *Ariam.* par. 4. Bibl. p.177. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 601. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 6. can. 12. m. 2. p. 548. Confer lib. 5. tract. 1. c. 7. p. 133.

Vers. 11. *In die illa erigam tabernaculum Davidis collapsum, & sepiam rupturas earum, & demolitiones ejus erigam, & ædificabo illud, sicut diebus seculi.*

Recurrit (1.) *Metaphora*: quâ *tabernaculum Davidis* denotat *regnum Messiæ* & *Ecclesiam*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: Deus enim *sepire*, h. e. *instaurare* & *defendere* dicitur. (3.) *Enallage*, siquidem relativum, *earum*, est pro antecedente, *sepsum* sive *maceriarum*. (4.) *Hebraismus*: כִּימֵי עוֹלָם *sicut diebus seculi*, h.e. *olim*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 876. *Vatabl.* in Annot. ad eundem loc. p. 602. *Glass.* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 12 p. 394. & c. 13. p. 420.

Vers. 12. *Ut possideant residuum Edom, & omnes gentes, quas invocatum est nomen super eas, ait Dominus hoc faciens.*

I. Continuatur (1.) *Pleonasmus*: nam EAS redundat, & SUPER præcedenti relativo, QVAS, jungendum. (2.) *Hebraismus*: *Super quas invocatum est nomen meum*, i. e. *quæ de nomine meo vocantur* populus Dei (3.) *Enallage temporis* præsentis, *faciens*, pro futuro, *qui facturus est*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 602.

II. *Papistæ* textum *Hebræum* proclamant *corruptum*, cum in ipso pro יִירְשׁוּ *possideant*, legendum ידרשׁו *requirant*; pro אֶת־שְׁאֵרִית *residuum*, legendum sit הַשְּׁאֵרִית *reliqua* [in nominativo] pro אדום legendum אָדָם *hominum*, & addenda demum vox יְהוָה *dominum*.

℟. Nulla est in textu *Hebræo* corruptio, ut qui constanter lectionem in vestibulo positam retinet. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. obj. 76. p. 166. seq.

Vers. 13. *Et stillabunt montes mustum, & omnes colles liquefient.*

Est hîc (1.) *Metaphora*: nam *montes mustum stillaturi*, tempore Messiæ dicuntur, quo *beneficiorum cælestium, meritô Christi partorum, copia* intelligitur (2.) *Hyperbole*: *Omnes colles liquefient*, i. e. *tantam liquoris vim manabunt*, ut in liquorem abire ipsi videantur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 870. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. pag. 266. & seqq.

## VINDICIÆ

## OBADIÆ.

Cap. un. v. 1. *Visio Obadiæ. Sic dixit Dominus Deus ad Edom: Auditum audivimus à cum Domino, & legatus in gentes missus est: Surgite, &c.*

I. Obadias adhibet (1.) Metaphoram: *Visio*, i. e. *prophetia*; Prophetæ enim audiebant *videntes*, 1. Sam. 9. v. 9. (2.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam *auditum* pro *rumore* vel *fama* accipit. (3.) *Ellipsin* participii: *Missus est*, subint. *dicens.* Jun. in Bibl. h. l. p. 871. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 5. pag. 65. & cap. 12. pag. 358.

II. *Rabbini* autumant, *personam aliquam in Scripturis de se in plurali loqui*, ut Obadiam: *Audivimus* à cum Domino.

℟. Vox hæc est *Prophetarum*: neque enim ab *uno solóque Obadia* sermo ille auditus erat, sed & ab *aliis coætaneis vatibus*, Jeremia, Ezechiele, Amoso, qui hanc *Idumæorum cladem* prædixerunt. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 602. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. p. 831. class. 7. quæst. 3.

Vers. 4. *Si exaltaveris, ut aquila, & si inter stellas pone nidum tuum, inde descendere faciam te, ait Dominus.*

En (1.) Ellipsin: *Si exaltaveris*, scil. *locum tuum*. (2.) *Enallagen* imperativi, *pone*, pro futuro, *posueris*. (3.) *Metaphoram*: quia *nidus* significat *habitationes hominum*, præsertim in locis præaltis extructas. (4.) *Hyperbolen*: nam *certitudo judicii divini* adversus Edomitas hac hypothesi innuitur. *Ariam.* par. 4. Bibl p. 178. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 602. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 11. p. 332 & c. 19. p. 474.

Vers. 5. *Si vindemiatores introissent ad te, nonne reliquissent racemos?*

Proponitur (1.) *Interrogatio*, vim habens affirmationis: *Nónne reliquissent racemos?* q. d. *utique* (2.) *Ellipsis* vocis, *particularitatem* denotantis: *Racemos*, scil. *aliquot*, Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 1. m. 3. p. 701. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 298.

Vers. 8. *Et perire faciam sapientes de Edom, & intelligentiam, &c.*

§. 1. Præfixum ו in verbo, וְהַאֲבַדְתִּי *& perire faciam*, Junius in Bibl. h. l. p. 871. vertit, *quum*, sequitur enim vers. 9. וְחַתּוּ *&* (vel tunc) *terrebuntur.* Sed ו tantum convertit. §. 2. *Ellipsis* est nominis: *Et intelligentiam*, pro, *intelligentiæ viros*, i. e. *intelligentes.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 603. Jun. l. c. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. . n. 2. p. 686.

Vers. 11. *In die stare te ex adverso &c. etiam tu tanquam unus ex eis.*

§. 1. In *die stare te*, h. e. *stationis tuæ*, seu. *quâ stabas.* §. 2. *Etiam tu* [eras] כְּאַחַד *tanquam unus ex eis*, i. e. *verè eras illorum in crudelitate socius.* Ariæm. par. 4. Bibl. pag. 178. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. observ. 28. p. 506.

Vers. 20. *Filii Israel possidebunt omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam, & Sepharad, & omnes civitates Austri.*

I. *Ecclesia N. T. longè lateque erat diffundenda*: possessura enim erat *omnia loca Chananæorum, Sareptanorum, Sepharadæorum, & omnes civitates Austri.*

Regerunt *Judæi*, Prophetam loqui de *Ecclesia* Judaica V. T. utpote quam vocet *transmigrationem Hierosolymorum & filiorum Israel.*

℟. Non leguntur Israelitæ post reditum ex Babylonia tam *latè dominati* esse. In more autem positum est Prophetis, ut *stylo* V. T. loquantur de *statu Ecclesiæ* N. T. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 3. p. 830.

II. *Judæi* sibi imaginantur, *se operâ futuri Messiæ omnes gentiũ terras hæreditaturos*, possessuros quippe *Sarpath*, i. e. Franciam, *Sepharad*, h. e. Hispaniam, & omnes civitates Austri.

℟. [1.] Messi-

℞. Messias *adhuc futurus*, frustra speratur, cum vaticinia de Messia [illegible] adimpleta. (2.) Probandum est, per *Sarpath* Franciam, & *Sepharad* Hispaniam intelligi. (3.) Vaticinium Obadiæ hoc non *corporaliter*, sed *spiritualiter* accipiendum de *dispersione Apostolorum & aliorum Christi discipulorum*, qui ob persecutionem è Judæa dispersi sunt inter *Gentes*, easque in possessionem *Christi* adduxerunt. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. §. 177. pag. 341. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 4. p. 830. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 15. not. un. p. 848.

Vers. 21. *Ascendent Salvatores in montem Sion, &c.*

*Papistæ* autumant, *non derogare officio salvatorio, ipsius Christi*, quando *Sancti cælites Salvatores proclamantur*, cum & hic *Apostoli* dicantur, מוֹשִׁעִים, *salvatores*.

℞. *Apostoli* dicuntur *Salvatores*, non *principaliter*, ut *Christus*, qui solus est *causa principi salutis*, Actor. 4. v. 12. sed *ministerialiter*, quia salutem per *Christum Salvatorem* annunciârunt, *Vatablo* interprete, quo ipso & se & auditores suos salvârunt, 1. *Tim.* 4. v. 16. *Walther.* ibid.

# VINDICIÆ
# PROPHETÆ JONÆ.

Cap. I. v. 3. *Et surrexit Ionas ad fugiendum Tharsum a facie Domini, & descendit Iaphuntem, & invenit navem euntem Tharsum, & dedit mercedem ejus, & descendit in eam, ad veniendum cum eis Tharsum, &c.*

I. Jonas utitur (1.) Ἀνθρωποπαθείᾳ: *A facie Domini*, h. e. ab *Ecclesia*, in qua Deus se patefaciebat. (2.) *Enallage* tum præsentis, *euntem*, pro paulò post futuro, quo carent Hebræi, *mox ituram*; tum relativi, *eis*, pro antecedente, *nautis*; tum antecedentis, *Tharsum*, pro relativo, *illuc*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 605. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 12. pag. 196. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. pag. 104. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 832.

II. Jonas Davidi contrariari videtur: *ille* enim *proposuit sibi fugere a facie Domini*; cum tamen *David.* Psal. 139 v. [illegible] id ceu *impossibile* adducat: *Quo fugiam a facie tua?*

℞. Non ignorabat Propheta, neminem à facie Domini ita fugere posse, *ne ab eo conspiceretur*; sed tamen existimabat, si terram sanctam desereret, etiam *illas apparitiones cessaturas*, & Dominum vocaturum al[illegible]m aliquem, cui provinciam illam prædican[illegible] demandaret. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. §. 178 p. 341. seq.

II[illegible] Instantiam *Gretseri*, pro *excusanda Autoris* 2. *Maccab.* 2. v. 27. *querela de molestia scribendi librum istum*, vide declinatã in Vindic. *Exod* 4. v. 1[illegible].

Ve[illegible] 4. *Et fuit turbo magnus in mari, & navis cogitabat adfrangendum.*

Et hic (1.) *Enallage antecedentis* pro *relativo*: In *mari*, h. e. in *eo*; nam vocula *maris* immediatè præcesserat. (2.) *Prosopopœia*: Et *navis* חִשְּׁבָה *cogitabat ad frangendum*, i. e. *minabatur fracturam*, seu *parum aberat, quin frangeretur*. Sic Germani etiam loquuntur: **Das Schiff wil untergehen**/ ac si *navis* haberet *voluntatem*. Vatabl. & *Iunius* per *Metonymiam continentis* pro *contento* explicant: *Qui nave ea vehebantur, putabant, se mox naufragium facturos.* Vatabl. in Annot. ad [illegible]. l. pag. 605. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. [illegible] p. 201.

Vers. 5. *Et Ionas descenderat ad latera navis, & dormiebat, &c.*

*Ellipsis* est distributivi, אֶחָד *unum*: Ad *latera navis*, h. e. ad *unum e lateribus*. Arias m. par. 4. Bibl. p. 179. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. [illegible] can. 2[illegible]. p. 96.

Vers. 9. *Dixit ad eos: Dominum Deum cæli ego timeo.*

*Ionæ* assertio vero non videtur similis: nam Jonas v. 3. fertur *Deum inobedientia peccato offendi[illegible]e*, hic verò *Deum timere*; quæ sunt ἀσύστατα.

℞. Jonas loquitur de *professione Dei*, cui præsens ipsius factum non respondebat, atque adeò ip[s]e se reum agebat. *Walther.* ibid. p. 342.

Vers. 12. *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare a vobis: scio enim ego, quod propte[r] me tempestas grandis hæc venit super vos.*

I. *Hieronymus* in Comment. Jon. αὐτοχειρίαν: probat exemplô *Ionæ*, in mare se abjici jubentis.

℞. *Ionæ* factum falsò allegatur pro αὐτοχειρίᾳ: tum quia Jonas *Propheta* fuit, qui *peculiari Spiritus Sancti afflatu* de divina voluntate certus esse potuit; tum quia Jonas *seipsum* non enecat, sed à *nautis* in mare conjicitur, quanquam v[illegible], idque ne suâ inobedientiâ aliis mortem acce[illegible]; tum denique, quia huic Jonæ facto grande subest mysterium: *Ionas* enim, latens in ceti ventre triduum, typus fuit triduanæ *Christi* in sepulchro mansionis, *Matth.* 12. v. 39. seq. *Brochm.* tom. [illegible] Syst. Theol. art. de Leg. c. 11. sect. 4. q 1. obj 2. pag. 131.

II. Objectionem *Peltani*, pro *aliena fati factione*, vide refutatam in Vindic. *Iosu.* 7. v 4.

Vers. 13. *Et fodiebant viri ad reducendum ad aridam, & non valebant, quia mare ibat & intumescebat super eos.*

I. Verba hæc continent (1.) *Metaphoram*, quâ *fodere* idem est ac *remigare*: quia qui *rem[illegible]* videntur quasi *fodere* in aqua. (2.) *Ellipsin* [illegible]nis substantivi: *Ad reducendum*, subint. *navem*. (3.) *Hebraismum*: Mare *ibat & intumescebat*, [i].e. *subinde magis magisque intumescebat.* Arias m. par 4. Bibl. p. 179. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 606. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 873.

II. *Kauffius* in Colloq Franckenthal. act. 26.[illegible] 5. p. 536. argutatur, *Magistratum politicum prius omnia media facinorosum aliquem servandi tentare debere, quàm ipsum necandi*; eò quòd *nautæ prius omnia media tentârint, ut Ionam servarent, antequam eum in mare projecerunt.*

℞. Est dispar *nautarum* Jonæ, & *Magistrat[illegible] politici* ratio: tum quia illi *nautæ* non fuer[illegible] in statu *Magistratus politici* constituti, tum ver[illegible], quia aliàs Magistratus politicus, facinorosum jux[ta] legem Dei gladio plectens, *innocentem sanguinem funderet*, qualem *nautæ* se fudisse fatentur, ve[r]. 14. quod tamen falsum. *Dathen.* in Coll. Franck. act. 26. q. 6. p. 539.

Vers. 16. *Et immolaverunt hostiam Domino, & voverunt vota.*

Iteratur (1.) Hebraismus: *Immolaverunt*, h. e. *secum decreverunt* (voverunt etiam expresso promissô, ut ἐξηγητικῶς subjungitur) *immolare* in honorem Domino, cum primùm scil. reverti

possent

possent in Jerusalem. (2.) *Enallage* tum *numeri* singularis, *hostiam*, pro plurali, *hostias*; tum antecedentis, *Domino*, pro relativo, *ei*: nam vocula *Domini* immediatè præcesserat. *Vatabl.* in Annot ad h. loc p. 606. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.3. can.15. p.269.

CAP.II.v.4. *Et projeceras me profundum, in cor marium, & flumen circumdedit me, &c.*

S. Vates adhibet (1.) *Ellipsin* præpositionis ב IN, ex membro sequenti repetendæ: *In* profundum. (2.) *Metaphoram*: In *cor marium*, h. e. *meditullium & intimam marium partem*: siquidem apud Hebræos *cor* pro omni *medio* alicujus rei sumitur, quia fermè in medio est. (3.) *Enallagen numeri* singularis, *totam speciem* exprimentis: *Flumen* circumdedit me. i. e. *flumina*, undique in mare se exonerantia. LXX. ποταμὸς ἐκύκλωσέ με. *Ariam.* part.4. Bibl. p.179. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can.22. p.85. & lib.5. tract 1. cap.11. p.312.

Vers. 6. *Circumiverant me aquæ usque ad animam, &c.*

*Metonymia* est *causa* pro *effectu*: nam *anima* pro *vita*, quæ *ejus effectus* est, ponitur. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.1. m.1. p.8.

Vers. 7. *Terra vectes concluserunt me in æternum, & eduxisti de fovea vitam meam Domine.*

Jonas sibi contradicere videtur: affectu enim, *se in æternum à terra vectibus conclusum esse*; statim tamen fatetur, *Dominum se inde liberâsse.*

℞. Nulla utrobique est pugna: priora enim Jonæ verba juxta sensum *carnis*, posteriora autem juxta sensum *spiritus* sunt accipienda. Itaque sensus est: *Videor mihi perpetuò exclusus à terra*, attamen *eduxisti me è ventre ceti*, qui est mihi velut fovea sepulcri; ubi *præteritum* ponitur pro *futuro*, ob certitudinem futuræ liberationis ab interitu. *Osiand.* tom.2. Paraphr. Bibl. p. 471. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p.607.

Vers. 8. *In deficiendo super me animam meam, Domini recordatus sum, &c.*

*Metonymia* est *causa* pro *effectu*: verbum enim *recordandi* accipitur pro eo, quod est, non solum *mente*, sed etiam *animo totisque viribus ferri in Dei cogitationem, abjecta cæterarum rerum cogitatione.* *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. p. 15.

Vers. 9. *Observantes vanitates mendacii gratiam suam perdent.*

I. *Hebraismus* est: (1.) מְשַׁמְּרִים *observantes vanitates*, id est, qui ita *studiosè & mordicus observant* vanitates suas, ut nulla ratione averti ab iis se patiantur. Verbum שמר in *Piel* intensivam significationem habet. (2.) *Vanitates mendacii*, hoc est, *mendacissimas*. (3.) חַסְדָּם *gratiam suam*. id est, *erga se*. Genitivus *objectum* respicit. *Glass.* lib.3. Philolog. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 6. pag. 110. & tract. 3. can.26. m.1. p.312. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class.1. p.833.

II. *Homines non possunt esse salvi operum suorum meritis: hæc* enim sunt *vanitates*, quas qui observant, *gratiam perdunt.*

*Pontificii* excipiunt, *operum merita* & *gratiam* non pugnare.

℞. E *diametro* pugnant. Si enim est ex *merito*, non est ex *gratia*, aliàs gratia non esset gratia. *Rom.* 11. vers. 6. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 3. p. 833.

CAP.III.v.3. *Ninive erat civitas magna Dei itinere trium dierum.*

*Judæi* volunt, nomen אֱלֹהִים hic adhiberi *epitheti* locô, pro *maximo*, quando Ninive dicitur *civitas Dei*, h. e. *pérquam maxima.*

℞. Nomen, *Dei*, hoc loco *propriè* accipitur, pro *vero Deo*; itaq; Ninive dicitur *civitas Dei*, quòd *Deus ei incrementa & benedictionem suam dedit, & curat ac gubernat eam.* Luther. in comm. Gen. c.13. p.172. & in c.30. p.453. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can. 17. m.3. p.63. & 66. seq.

Vers. 4. *Ionas dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.*

I. *Priscillianistæ*, ut refert *Augustinus* in lib. cont. mendac. ad Consent. c. 2. blasphemârunt, *Deum non solùm posse mentiri, sed reipsa etiã mentitum esse*; quoniam per Jonam prædixerit subversionem Ninives, intra spacium 40. dierum futuram, quæ tamen non evenerit.

II. *Vorstius* in Not. ad disp.3. de Deo & attrib. divin. p.195. censet, *Deum esse mutabilem voluntate sua*, quia subversionem Ninives prædixerit eventuram, quæ tamen non evenerit.

III. *Becanus* de judic. controv. relig. Christ. p. 49. *contrarietatem* aliquam ostendere conatur, quod Propheta publicè prædicarit subversionem Ninives, v.4. cui tamen postea Dominus pepercerit *Ion.*4. v.11.

℞. Testimonium hoc pro Adversariis nil efficit: neque enim *absoluta* fuit illa comminatio, sed *conditionem habuit pœnitentiæ*, quæ cùm insecuta fuit apud Ninivitas, Deus eis parcere voluit, secundum illud, *Ierem.*18. v.7. seq. & ipsius *Ionæ*, c.4. v.2. Igitur hîc nullum *mendacium*, nulla *mutabilitas*, nulla *contrarietas* Dei. *Garth.* de judic. controv. relig. Christ. contr. Becan. p.72. seq. *Brochm* tom.1. Syst. Theol. art. de Deo. c.3. q.3 obj.3. p.125. *Becan.* in Theol. Schol. part.2. tom.2. tract.1. c.1. q.1. n.9. & 12. p.6. seq.

IV. *Anabaptistæ* exinde colligunt, comminationibus divinis æternorum suppliciorum non significari, *ea reverâ esse inferenda*, sed eos, quibus intentantur, *dignos esse*, quibus illa inferantur; cùm & Ninivitis Deus supplicium eversionis *absolutè* comminatus fuerit, & tamen idipsum postea non intulerit.

℞. Falsum est, Deum Ninivitis *absolutè* comminatum esse eversionem: *eventus* enim probavit, fuisse subintellectam conditionem *pœnitentiæ*. Sed quia in futuro seculo *pœnitentiæ* tempus non amplius erit, ideo sine ulla conditione dicitur: *Ibunt damnati in supplicium æternum*, Matth.25. v.46. *Gerhard.* tom.9. LL.CC. loc.33. de Infern. §.65. obj.5. p.650. seq.

V. *Beza* part. 2. Resp. ad Act. Colloq. Mompelg. p.174. exinde concludit, Deum in mysterio salutis *velle* aliquid voluntate *revelata*, quod revera *nolit* voluntate *occulta*: Ninivitis enim comminari excidium, quod tamen ab illis averterit.

℞. (1.) Exemplum hoc à Theologia *Bezæ* discrepat: *illic* enim inclementia forinsecus apparet, clementia autem intus occultatur; *hîc* clementia foris jactatur, inclementia verò intus reconditur. (2.) Comminatio illa non facta est *simulatè*, sed *seriò*, verùm sub conditione *pœnitentiæ*: concio enim fuit *pœnitentialis*; illa autem semper est conditionalis. Et sic DEUS *seriò*, & non *simulatè* Ninivitas punire voluit, nisi pœnitentiam egissent. *Balduin.* disp. 12. pro Lib. Visit. Misn. antith. 2. thes. 12. & 12. *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c.2. q.9. object. 2. pag 62.

Vers. 5. *Crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis a magno eorum, & usque ad parvum eorum.*

I. *Hebraismus* est: מִגְּדוֹלָם וְעַד־קְטַנָּם *A magno eorum, & usq. ad parvum eorum*, hoc est, *tam maximus inter eos, quam minimus inter eos*; & *hi & illi. Superlativi* descriptio per adjectivum cum præfixo מ, A, quod hic *distributionem* notat. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 3. p. 58. & lib. 4. tract. 1. observ. 4. m. 5. p. 657. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1 p. 833.

II. *Bellarminus* l. 1. de Justif. c. 13. dispol. 2. probare intendit, *timorem justificare*, quia *per eum, à Jona incussum, populus Ninivitarum ad Deum redierit.*

℞. *Ninivitæ resipuisse* dicuntur, non quia *serviliter timuerunt*, sed quia *fiducialiter crediderunt concionibus Jonæ*, ut ex contextu patet; unde nec sequitur, timorem *servilem* eos justificâsse. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theolog. art. de Justif. c. 2. q. 11. obj 3. p. 530. & 533.

III. *Bellarminus* l. 1. de Pœnitent. c. 19. propos. 2. argum. 2. negat, *fidem esse partem pœnitentiæ*, eò quòd *illa pœnitentiam præcedat, eamque gignat*: Ninivitas enim *priùs credidisse in Deum*, & post demum *prædicâsse jejunium, saccisque esse indutos.*

℞. (1.) Fatemur, fidem *historicam* præcedere *pœnitentiam*, cum nemo de peccatis seriò doleat, nisi cui cognitum est, Deum odisse peccata, & severum iniquitatis ultorem esse; at fides *salvifica* posterior est *dolore, è peccatis concepto.* Quæstio autem est, non de fide *historica*, sed de fide *salvifica*. (2.) Cum Ninivitæ prædicaverunt jejunium, & induti sunt saccis, non demum *inceperunt agere pœnitentiam*, sed tantùm *pœnitentiam*, quam animô conceperant, tum *serio dolore de admissis peccatis*, tum *vera in Deum fiduciâ*, hoc pacto tanquam *externis quibusdam signis* declarârunt; quæ sanè signa pœnitentiæ *fide* posteriora esse, libenter largimur. *Hutter.* in LL. Theol. p. 759. *Eckhard.* part. 2. Pand. controv. Pontif. c. 24. q. 3 obj. 2. pag. 276. seq. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 18. de Pœnitent. §. 51. pag. 764. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Pœnit. c. 2. q. 27. obj. 2. p. 379.

IV. *Ostorodius* Instit. Germ. c. 2. p. 17. infert, *fidei formam esse obedientiam, præceptis divinis præstitam*: sic enim *Ninivitarum fidem* describi, quòd audita Jonæ concione, *in Deum crediderint*, h. e. statim *ei obedi verint.*

℞. (1.) Legimus quidem, quòd Ninivitæ audita concione Prophetæ Jonæ, *crediderint in Deum, vitamque correxerint*; interim tamen non sequitur, *hoc illius formam esse.* *Fides* enim Ninivitarum disertè distinguitur ab *obedientia*, ex fide præstitâ; sic namque habent verba Jonæ: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis.* (2.) Nec putandum est, Jonam non prædicâsse Ninivitis *Christum*. Non enim fallit Dei Spiritus, qui dicit: *Huic* [Christo] *omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem accepturum quemvis, qui crediderit in eum*, *Actor.* 10. v. 43. Jam verò Ninivitæ acceperunt *remissionem*, ideoque non sine *fide in Christum*, ex concionis Propheticæ auditu conceptâ. *Grawer.* part. 4 Prælect. in A. C. p. 68. seq. *Thumm.* in Impiet. Photin. p 398. seq. & in Explic. term. de justif. p. 174. *Brochm.* tom. 2. Syst. Th. art. de Fid. justificant. c. 2. q. 18. obj. 3 p. 456. seq. *Jacob. ad Port.* contr. Ostorod. Instit. p. 393. 394. 404. *Meisner.* tom. 3. Witteb. disp. 7. thes. 35. p. 427. -429.

V. *Pontificii* jubent, *jejunandum esse certis diebus*, exemplô *Ninivitarum*, qui etiam *jejunium indixerint.*

℞. (1.) Christianis jejunandum esse pro ratione *temporis*, nemo nostrûm negat; sed absque jactura *libertatis Christianæ*: frustra igitur Pontificii probant, *esse jejunandum.* (2.) Dum autem à *vera* jejunandi ratione ad *hypocriticam* jejunandi rationem argumentatio fit, quatuor oriuntur termini. Ninivitæ enim ita jejunarunt, ut *abstinuerint ab omni cibo & potu*, v. 7. Hanc jejunii rationem observent *Pontificii* cum *Ninivitis*, aut fateantur, se hoc exemplum impertinenter allegare pro *suo jejunio*, in *discrimine ciborum* consistente, quale certum est non fuisse *Ninivitarum* jejunium. *Grawer.* part. 8. Prælect. in August. Confess. pag. 196. seq. *Osiand.* in Enchir. controv. Pontif. c. 22. error. 1. obj. 14. p. 280.

VI. *Salmeron* tom. 11. tract. 23. opinatur, *hominibus naturâ inditum esse*, quòd *interiùs ad puniendum suum peccatum inclinentur*; idque hoc *Ninivitarum* exemplô constare, qui *solam legem naturæ agnoscentes*, ad *amplectendam pœnitentiam per seipsos conversi* sint.

℞. (1.) Ninivitæ *pœnitentiam egerunt in jejunio, sacco & pulvere*; sed *punivisse ipsos sese*, nunquam Scriptura dixit: imò pœnitentiam egisse, *ne punirentur.* (2.) Quid illi ad Salmeronis *lumen naturæ?* siquidem pœnitentiam egerunt in *prædicatione Jonæ*, Matth. 12. v. 41. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 23. c. 13. §. 54. & 59. p. 501. seq.

VII. *Bellarminus* l. 2. de Bon. Oper. in particul. c. 11. m. 4. disputat, *jejunium esse utile ad Deum placandum*, quia *Ninivitæ, indicto communi jejuniô, Deum placare studuerint.*

℞. N. C. Jejunium enim *Ninivitarum* tanti momenti, & *meriti* ejus non fuit, ut *Deum per id placare potuerint*, alioquin etiam *jumentis* tale aliquod meritum tribuendum esset, quia jejunârunt, v. 7. verùm *internam suam pœnitentiam* forinsecus testatam facere voluerunt *jejuniô*, quam ipsam Deus intuitus, culpam & pœnam eis remisit, v. 10. *Gerlach.* tom. 2. disp. 26. thes. 96. & 102. p. 3082. & 3084. *Eckhard.* part. 2. Pand. controv. Pontif. c. 28. q. 4. obj. 1 p. 480. seq. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. art. de jejun. controv. 3. obj. 3. p 1143.

VIII. *Gretserus* in Vapul. Zeam. p. 66. eodem *Ninivitarum* exemplo probare vult, *usus ciliciorum esse cultus meritorios*, quoniam *illi ipsi ciliciis carnem suam afflixerint, ut iratum sibi Deum placarent.*

℞. (1.) *Jesuita* sibi contradicit: nam pag. 54. 57. seq. Vapul. fassus est, *cilicia per se a Deo non æstimari*; jam verò *cultibus meritoriis* ea annumerat. (2.) Falsum est, *Ninivitas sacci sui immissionem pœnâ sibi voluisse avertere*, sed potius *pœnitentiâ*, Matth. 12. vers. 41. quam *externo sacci symbolô* declararunt: *saccorum* enim usus *piis* cum *impiis* communis esse solet, 2. *Reg.* 6. vers. 30. *Zeam.* in Carnif. Esavvit. p. 112. 717. seq.

Vers. 6. *Rex Ninive surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est saccô, & sedit in cinere.*

I. *Bellarminus* l. 4. de Pœnitent. c. 4. *posse*, ait, *quempiam opera laboriosa, pro reatu pœnæ temporalis expiando, licitè suscipere*; quia *Rex Ninivitarum sponte sua surrexerit de solio suo, & abjectô vestimentô, indutus sit saccô ac sederit in cinere, ut pœnis illis spontè assumptis Deum placaret, & ruinam jam impendentem averteret.*

2. Est

[illegible] causa Rex [illegible] [illegible] [illegible]one [illegible] inductionem facit, & [illegible] incinere, non eo fine suscepit, ut essent ani Dei [illegible] compensaret, & ut serium de peccatis suis [illegible] ac pœnitentiam his signis testatam faceret. [illegible] Pan. contro v. Pontif. 25. q. 3. p. [illegible] Gerhard. tom. 3. LL. CC. loc. 18. de Pœnit. § [illegible] p. 32.

II. Pazmannus in Hod[illegible] arbitratur, posse aliquem [illegible] facere in honorem Dei, de quo [illegible] datum; ut quod Ninivitæ con[illegible] apta sua.

[illegible] minuit etiamen [illegible]: neq; enim in textu [illegible] Niniuitæ cinere conspersserint [illegible] ex Niniue sederit incinere. (2) [illegible] [illegible] nchuin: nam quæstio est [illegible] cultum per se non consti[illegible] comitabatur, nempe pœni[illegible] prophetam requisitam. Balduin. [illegible] 6. [illegible] 9. p. 638. seq.

V[illegible] Niniue ex decreto Regis & Principum [illegible]: Homines & jumenta, & boves, & pecora [illegible] quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant.

I. Bellarminus l. 2. de Indulg. c. 2. p. 97. inculcat, pœnitentibus posse satisfactiones imponi, cum & Niniuitis ea fuerint imposita.

R. Locus h[illegible] nil facit pro satisfactionibus. Nam [illegible] jejunium illud non erat impositum a Pontifice, [illegible] absolute Prælato sed a politico Magistratu, [illegible] videlicet & ejus Consiliariis, cui potestas im[illegible] satisfactiones à Jesuitis non conceditur. [illegible] jejunium id dictum erat, non solùm homi[illegible] sed & jumentis; quibus tamen nulla com[illegible] satisfactio. (3) Rex cum Optimatibus suis [illegible] jejunium indixit, non ut homines Deo sa[illegible] sed ut Deum eò magis ad misericordiam flecterent. Hunn. tom. 1. Oper. Lat. pag. [illegible]00.

II. Pazmannus in Hodeg. blaterat, posse aliquem licitè aliquid facere in honorem Dei, licet de eo præceptum [illegible] sit datum; ut quod Niniuitæ [illegible] animalia [illegible] eadem nec [illegible] bando nec po[illegible] [illegible] duum.

R. N. C. afflictio enim irrationalium animalium non erat cultus Dei, sed eum tantum comitabatur: voluit nimirum Rex cum Optimatibus suis abstinentiam jumentorum, ut homines ex clamore eorum [illegible] permoverentur, quò de imminentibus malis [illegible] pœnitentiam agerent. Osiand. tom 2. Pa[illegible] Bibl. p. 472. Balduin. in Phosph. Cath. l. 6. c. 9. [illegible] 6. 8. seq.

V[illegible] 8. Operientur saccis homines & jumenta, & clament ad Deum in fortitudine, & convertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.

[illegible] Bellarminus l. 1. de Pœnit. c. 19. propof. 5. ex [illegible] exempl[illegible] demonstrare satagit, tres esse [illegible] partes, quibus polluerit illorum pœni[illegible] [illegible] ipsa. Convertatur vir à via [illegible] & lament ad Dominum [illegible] ecce [illegible] & ope[illegible] homines & jumenta, &c. ecce Satu[illegible]

[illegible] exemplum hoc Niniuitarum plenè est [illegible] Etenim (1.) dipsi [illegible] est [illegible] in quo Pœnitentia Sacramentum nondum [illegible] stitutum, fatentibus Papistis. (2.) Non dici-

tur in textu, Niniuitas omnes conversos esse a via sua mala, [illegible] omnes [illegible] sed verba ci[illegible] de eo [illegible] sunt Regis ad populum (3.) Conversio illa facta est Deo, non Sacerdoti. (4) Jejunare in sacco non est satisfactio pro peccato, sed solum [illegible] ὄργανον; alias vel maxime impii possent pro peccatis satisfacere, imo & bestiæ, quia & hæ juben[illegible] tur in saccis jejunare. (5) Satisfactionis opera, quæ vocant Papistæ, non a Sacerdote, sed a Rege erant injuncta. Gerhard. tom. 3. LL. CC. loc. 18. de Pœnit. § 58. p. 775. seq. Scharp. tom. 1. Curs. Theol. p. 1054. seq. obj. [illegible].

Vers. 9. Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus.

I. Bellarminus l. [illegible] de Justif. c. 6. arg. [illegible] disputat, incertum esse, an, [illegible] agit pœnitentiam, consequatur remissionem peccatorum, cum nesciat, an Deus convertatur & ignoscat.

II. Idem Bellarminus l. 1. Pœnit. c. 19. propos. 2. infert, fidem specialem, [illegible] à quis certò credit, peccata sibi esse remissa, non [illegible] partem pœnitentiæ, neq; ad eam ullo modo requiri: Niniuitas enim credidisse in Deum, & tamen de remissione peccatorum dubitasse.

R. (1.) In Hebræo non est, ignoscat, sed pœniteat, At [illegible] Vatablo interpretibus. (2.) Rex Niniuitarum non vocat in dubium gratuitam peccatorum remissionem, si resipiscat, (id enim fite [illegible] gravi[illegible] ter in promissionem Dei, Ezech. 18. v. 30. descriptam, peccâsset) sed tantùm pœnam temporariam condonationem, Sanctiô & à Castro fatentibus. Cui expositioni favent sequentia: Et non evertemur, videlicet juxta comminationem Prophetæ. (3) Chaldæus Paraphrastes phrasin, quis scit? alio sensu & per Ellipsin interpretatur h[illegible] modo: Qui scit, se peccatorem esse reum, revertatur ab iis, & miserebitur ejus Deus. Ex quo simul patet, verbum ישׁוּב, revertatur, non ad Deum, sed ad hominem ab ipso referri, indeque Arias colligit, ominem illam non dubitantis, le [illegible] spem facientis orationem [illegible] e. Gerhard. in [illegible] Cathol. lib. [illegible] spec. part. 3. p. 76 [illegible] q. arg. 7. Brochm. tom. 2. Syst. Theol. art. de [illegible] 2. q. 2. obj. 4. p. [illegible] 9. seq. [illegible] 3. Hulsol. Sacr. tract. 5. car. 25. p. 498. se[illegible].

V[illegible] 10. [illegible] vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & pœnituit Deum mali, quod locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.

I. Bellarminus l. 2. de Pœnit. c. 12. arg. 1. asserit, contritionem esse causam remissionis peccatorum, quod Jonas causam reddat, cur misertus sit Dominus Niniuitarum, quia conversi sunt de via sua mala, & pœnitentia opera fecerunt.

R. (1.) Testimonium hoc de integra loquitur pœnitentia, ejusque fructibus, quibus Niniuitæ resipiscentiam suam testati fuerunt non autem de sola contritione, de qua tamen quæstio est. [illegible] [illegible] uo sunt actus commiserationis divinæ [illegible] quorum unus in peccatorum remissione, alter in pœnarum temporalium aversione [illegible] sistit. Hic imprimis non de priori, sed de posteriori loquitur Propheta, ut ex [illegible] textu patet. Dubium autem nullum est, quin aversio pœnarum temporalium per contritionem, præcisè & distinctè sumptam, impetrari possit, idque constat ex exemplo Achabi, 1. Reg. 21. vers. 27. sed absque fide remissionem peccatorum nulli homines consequuntur. [illegible] Non describitur hoc loco causa, propter quam Deus misertus fuerit, sed ordo, quem Deus in miserando observavit. Aliud verò est, quærere de ordine commiserationis divinæ, & aliud de causa. Eckhard. part. 2.

l. d. [illegible] 8. obj. [illegible] Gerh. [illegible] l. LL. CC. [illegible] 8. de Poen. [illegible] pag. 82 [illegible] Pap. [illegible] p. 609.

II. *Papistæ censent*, *bona opera* [illegible] *ficare*, [illegible] niam *Deus ad opera Ninivitarum re*[illegible]*exerit*, [illegible] *eos justificarit.*

*R.* (1.) Propheta *proprie* non de *a*[illegible] *justi*[illegible]*tionis* loquitur, sed de *externa corp*[illegible]*ali pœna*, quam Deus ex *mera sua misericor*[illegible] a Ni[illegible] vitis avertit. (2.) *Ninivitarum opera* dup[illegible] *externa*, & *interna*. *Illa* [illegible] junio, saccis & humiliatione; *hæc* ver[illegible] in precibus devotis, vera cordis conver[illegible]sione & fide in Deum consiste[illegible]. Deus non *præcise illa ex*[illegible] *operatu* respex[illegible] & iis *le*[illegible]*crita* navent operam; sed *interna*, [illegible] bus [illegible] moti [illegible] pœnitentibu[illegible] pecc[illegible] oque [illegible] idque [illegible] ordia. *Hunn.* tom. 1. Oper. L[illegible] p. 63[illegible] Chemnit. part [illegible] LL. Theol. pag. 97. b. *Thummi.* in Explic. term. de Justif. p. 17 seq.

III. *Bellarminus* l. 4. de Pœnitent. c. 3. m. [illegible] & l. [illegible] de Ju[illegible] p. 97. ar[illegible] *ninives pro reatu pœna tempor*[illegible] *Deo alias operi*[illegible]*us indebitis satis facere*, [illegible] *flagella eius ante vertere*: quia *Ninivitæ ob gravia peccata meruerant subversionem urbis, & tamen jeju*[illegible] *pr*[illegible]*ibus placatus Dominus, civitatem* [illegible] *conservavit.*

*R.* Ut hoc ex[illegible]plum qu[illegible] apte[illegible]ur, probare debuit *Bellarminus* [illegible] Ninivitis antea fuisse peccata remi[illegible], quoad culpam, & *pœna debitum solum remansisse.* (2.) Pœna [illegible] Ninivitis indictam non fuisse [illegible], siquidem *fatales pœnæ* nihil pertinent ad [illegible] *isfactiones*, teste vel [illegible] *Bellarmino* l. 2. de Indulg. c. 1. (3.) Ni[illegible] obtul[illegible] je-junia, sacc[illegible] &c. pro *pretio redemptionis & satisfactionis*, non tanquam *testimonia veræ* [illegible] *cen*[illegible]*tiæ*. (4.) Deum non ex *mera miseri cordia* [illegible] conservasse, sed ideo, quia [illegible] *condigne satisfecissent*. Cum [illegible] tem nih[illegible] umposit probari, sequitur, exemplum ill[illegible] enim esse à causa. Ce[illegible] Propheta J[illegible] averti[illegible] plagarum [illegible] *hominum*, *saccis & jejuniis* acceptam [illegible] *clementiæ* [illegible] *sericordiæ Dei*, c. 4. v. 2. *Baldui*[illegible] Exam. Apo[illegible] Schopp pro Bellar. p. [illegible] q. X [illegible] Phosph. Cath. [illegible] c. 2 p. 1202. *Eck-*[illegible] Pontif. [illegible] 25. q. 2. obj. 8. p. [illegible] Be[illegible] Enerv. l. 5. c. 4. he[illegible] p. [illegible]

IV. *S*[illegible] in Prælect. Theol. [illegible] 17. p. 86. opinatur *Deum* [illegible] *adhuc* [illegible] *donare posse*, quòd *Ninivitis* [illegible] *satisfactione peccata con*[illegible].

*R.* Nini[illegible] exemplum [illegible] ad rem [illegible] qu[illegible] ic est de *pœna* [illegible] *corporalis a ver*[illegible]*one*, cum [illegible] stio sit de *peccatorum condonatione* [illegible] tum quia Deus respexit [illegible] comprimis [illegible] *dem in* [illegible] *p* [illegible] ccatorum nostr[illegible] donavit. *Winter* contr. Soc[illegible] de J[illegible]

V. *Vorstius* tra[illegible] de [illegible] att ib. divin. p. 212. negat, *Deum volunt*[illegible] *immutabilem*, quoniam *ipsum pœnit*[illegible] *mali* [illegible] *od co*[illegible]*tavit inducere super Ninivitas, & non induxerit.*

*R.* N. C[illegible] *pœnitentia* vox non ad *ipsam Dei naturam* re[illegible]enda est, sed ad *opera*, quæ [illegible] que respe[illegible] *Ninivitarum*, qui fuerunt mutati, quando resipuerunt, indeque etiam conservati, [illegible]; Deus autem in *volunta*[illegible] [illegible] mansit. [illegible] est, quòd N[illegible] [illegible] *equatur* [illegible] ad [illegible] con[illegible] parti[illegible] *mutabilitate* [illegible], quam de *ratione* constatur omnes enim [illegible] in [illegible] liguntur cum *conditione pertinaci* [illegible] bonitas ista conditione, cessabunt [illegible] tiones. Ita mutatio fit non ex p[illegible] mutatur, *Malach.* 3. v. 6. ne [illegible] nullius [illegible] ex parte *ob*[illegible]*rum*, ne[illegible] pe *Ninivitarum* [illegible] te[illegible] iam ag[illegible] itum. *Hun.* to[illegible] pag. 86 seq. [illegible] *avver.* Cent. [illegible] d. sp. 1. q. 2 st. 10. thes. 1. 3. 4. [illegible] ment. Malach. par. [illegible] *Gerhard.* tom. 1. LL. CC. loc. 5. de N[illegible] p. 344.

CAP. IV. v. 2. *Scio, quia tu Deus clem*[illegible] *sericors, patiens* [illegible] *multa miseratio*[illegible] *tens super malo.*

Controversias, forte hic motas, vide in [illegible] *Exod.* 34. v. [illegible] & *Genes.* 6. v. 6.

Vers. 9. *Et dixit Deus ad Ionam*: [illegible] *accensa est tibi super cucurbitam* [illegible] *Benefaciendo accensa est mihi usque* [illegible] *tem.*

Jonas utitur (1.) *Hebraismo.* [illegible] חָרָה לְךָ [illegible] *benefaciendo accensa est tibi.* hoc est [illegible] *ratus es.* Infinitivus ille adhibetur a [illegible] significationem, teste *Kimchio.* (2.) [illegible] ex verbo conjugato eruendi [illegible] חָרָה [illegible] *ira ardens* quod nomen in [illegible] *Iun.* in Bibl. h. l. p. 874. *Glass.* lib. 4. [illegible] 1. observ. 6. not. 2. m. 2. p. 682. & tra[illegible] 1. p. 711.

Vers. 10. *Et dixit Dominus T*[illegible] *cucurbita, qua non labora*[illegible] *ea*, [illegible] *fecisti eam, quæ filia no*[illegible] *perit.*

In versu hoc habetur (1.) Pl[illegible] *ea*, pro *in qua*, [illegible] ea. [illegible] שֶׁבִּן־לַיְלָה הָיָה וּבִן־לַיְלָה אָבָד [illegible] *& filia no*[illegible] *perit*, hoc est [illegible] *& una nocte* [illegible] *periit. Ariam.* pag. 4. b[illegible] lib. 3. Pl[illegible] Hol. Sac[illegible] tr[illegible] 1. can 36 [illegible] p. 134.

Vers. 11. *Et* [illegible] *non parcam* [illegible] *magna, qua est in ea multum p*[illegible] *duodecim* [illegible] *riadibus homi*[illegible], *qui non* [illegible] *inter dex*[illegible] *suam, ad sinistram suam, & jumentum* [illegible] *tum?*

I. V[illegible] ba hæc exhibent (1.) *Enallagen* nu[illegible] singularis *hominis* & *jumentum*, pro plurali, *h*[illegible]*num* & *jumenta*. (2.) *Ellipsin* conj[illegible] ionis [illegible] lativæ, & a[illegible] sinistram, &c. [illegible] *Met*[illegible] *adjunctis* pro *subjecto*: Qui *nesciunt inter de*[illegible]*ram suam* [illegible] *sinistram suam*, hoc est, qui [illegible] *pervenerunt ad annos discretionis*. [illegible] ipsum judicium ac rationis usum, [illegible] deesse dicitur, & ipsum judicium ac rationis usum, [illegible] mentem ætat[illegible] significatur. *Ariam.* [illegible] pag. 1[illegible] Philol. Sacr. tra[illegible] cap. 4 [illegible]

II. Olim *Pel*[illegible] & præ[illegible] [illegible] *Anabaptistæ* docue[illegible] nt, *infantes non hab*[illegible] *catum*, quia *nesciant, quid inter* [illegible] *ter dex*[illegible] *sinistrum.*

&c.


℞. (1.) Locus iste ex parte impertinenter allegatur: non enim ibi *specialiter* sermo est de *infantibus*, sed in *genere* de *centum viginti millibus hominum*, quid esset inter dextrum & sinistrum, nescientium, quos inter potuerunt esse *adulti decrepiti, sana mentis impotes, &c.* (2.) Consequentia non est legitima: potest namque aliquis nescire, quid intersit inter dextrum & sinistrum, & tamen habere peccatum, ut *agonizans*. (3.) Ad summum, hoc saltem inde sequitur, infantes non habere peccatum *actuale*, cum quæstio sit de peccato *originali*. *Chemnit.* part. 1. LL. Theol. art. de Peccat. orig. c. 6. m. 4. p. 243.

III. *Autor Catech. Racov.* p. 197. autumat, *in infantibus non habere locum regenerationem*, quòd *adhuc ignorent, qua dextra & sinistra sit.*

℞. N. C. Nam *nôsse, qua sit dextra vel sinistra*, nihil facit ad *regenerationem*, quæ non est opus *rationis*. Imò *ratio* opus hoc impedit potiùs, quàm promovet; quod apparet in *hypocritis*, qui lucri causâ Baptismum petunt: hi tantò vehementiùs resistunt Spiritui Sancto, quantò intensius *ratione sua* utuntur. Idcirco infantes, *rationis* usu adhuc carentes, omnium optima sunt subjecta *regenerationis*, apud quos Spiritus Sanctus opus suum sine impedimento efficit. Quemadmodum enim Deus ex ore *infantum & lactentium* præparat sibi laudem, *Psal.* 8. v. 2. ita & in infantibus opus *regenerationis* omnium efficacissimè & saluberrimè operari solet. Imò si *Johannes Baptista* in utero materno infantia sua, & quod nequidem rationis habebat, nec discrimen inter dextrum & sinistrum sciebat, minimè obstitit, quò minùs Salvatorem suum *Jesum Christum* præsentem agnosceret; utique & in aliis infantibus ille defectus ille donum *regenerationis* impedire non poterit: nam quod Deus in *Johanne* extra ordinem effecit, in aliis quoque infantibus per *ordinarium* medium suum efficere potest. *Balduin.* in Refut. Catech. Arian. p. 345. seq. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 23. de Baptism. §. 116. p. 1024. obj. 2.

IV. *Bellarminus* l. 1. de Sacram. Baptism. c. 11. propos. 1. arg. 1. & *Smalcius* contr. Franz fol. 324. contendunt, *infantes non habere fidem actualem*, quoniam *nesciant, quid sit sinistra, quid dextra.*

℞. Iterum sequela nulla est: tum quia utrumque dicit Scriptura de *infantibus*, & *nescire dextram aut sinistram*, & *credere in Christum*, Marc. 9. vers. 42. Ergo *fides justificans* ideo nec potest nec debet negari infantibus, quòd *usus rationis* ita in ipsis non sit confirmatus, ut dextrum à sinistro secernere possint. Tantum enim abest, pendere fidemab *usu rationis*, ut Spiritus Sanctus contrà moneat, *nos rationem* sub obsequium *fidei* captivemus, 2. *Corinth.* 10. v. 5. & φρόνημα σαρκὸς tanquam inimicitias adversus Deum damnemus, *Roman.* 8. v. 6. Tum verò, quia Deus capaces infantes reddere potest fidei, sicut exemplum habemus in *circumcisis octiduanis infantulis Veteris Testamenti.* Est enim Circumcisio *signaculum justitiæ fidei*, Roman. 4. v. 11. justitia autem fidei obsignari nequit, nisi ubi *fides* adest. *Thummius.* in Impiet. Photin. pag. 384. seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de fid. justif. c. 2. q. 11. m. 1. object. 1. pag. 437. seq.



# VINDICIÆ MICHEÆ.

CAP. I. v. 1. *Verbum Domini, quod fuit ad Michæam Moraßiten in diebus Iothami, Achazi, Ezechiæ, Regum Iehudæ, quod vidit super Samariam & Ierusalem.*

*Hieronymus* in Comment. h. l. sentit, *hunc Prophetam nostrum fuisse filium Iemlæ*, 1. Reg. c. 22. v. 8. quòd itidem vocetur *Michah.*

℞. Non fuit *una eademq́; persona*: quia (1.) Propheta *noster* ad minimum ducentis annis *illo* fuit posterior. (2.) Noster fuit de tribu *Iehuda*, ille de tribu *Ephraim*. (3.) Noster in regno *Iehuda*, ille in regno *Israelis* vitam egit. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 7. q. 1. p. 841.

Vers. 3. *Ecce Dominus egreditur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ.*

Rationem *Anthropomorphitarum*, contra *Dei incorporeitatem*, vide confutatam in Vindic. *Esa.* 26. v. 21.

Vers. 4. *Et liquescent montes subtus eum, & valles scindent se, sicut cera à facie ignis, sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.*

I. *Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: Liquescent *montes* subtus eum, & *valles* scindent se, h. e. *illorum corda*, tum qui montes, tum qui valles incolunt, liquescent. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 38.

II. *Pareus* in Calvin. Orthod. putat, in loco Prophetico, *Zachar.* 14. v. 4. sensum esse, *manum Dei fore satis perspicuam*, cum & istum sensum habeat hic *Michææ* locus.

℞. Etsi hic *Michææ* locus quoad *verba* quandam videtur habere affinitatem cum illo *Zachariæ* loco, *scopus* tamen diversus utrique fuit præfixus. In vaticinio enim *Michææ* introducitur Deus, ut *populo suo iratus*; in vaticinio autem *Zachariæ* introducitur *propitius*, imò *defensor illius contra hostes*. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 818.

Vers. 5. *Quis prævaricatio Iacobi? nonne Samaria? & quis excelsa Iehudæ? nonne Ierusalem?*

*Metonymia* est *effecti* pro causa: *Quis prævaricatio Iacobi?* hoc est, *quis fuit causa prævaricationis?* & *quis excelsa Iehuda?* id est, *quis fuit causa excelsorum?* Ita *Pagninus* ex *R. Kimchio* in lib. Radicum. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 27.

Vers. 8. *Super hoc plangam & ululabo, vadam spoliatus & nudus.*

Apparentem quandam ἀντιλογίαν hîc occurrentem vide conciliatam in Vindic. *Esa.* 20. v. 20.

Vers. 10. *In domo pulveris pulvere vos conspergite, &c.*

*Galatinus* l. 1. de Arcan. Cathol. Verit. c. 8. clamat, *depravandi* studio à *Masoretis* in margine hujus versus adpositum esse, התפלש, *volutare*; cum tamen legendum sit, התפלשתי, *involutus sum* seu *involvam me pulveri sive cineri.*

℞. Nequaquam *corruptio* hæc est, sed *mendi, quod irrepserat, emendatio*, & *vera lectionis restitutio*. Verum hoc esse, patet ex ipso contextu, in quo prophetia de imminentibus malis, *verbis adhortatoriis* v. 10. & 11. descri-

describitur, qualis etiam adhortatio v.10. in illo *imperativo* est. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. part. 2. sect. 1. art. 1. p. 55. obj. 1.

CAP.II. v. 4. *In die illa proferet de vobis parabolam, & lamentabitur lamentum lamenes, dixit: Vastando vastati sumus, partem populi mei mutavit, quomodo removit mihi ad restituendum agros nostros, divisit.*

Micha usurpat (1.) *Synecdochen partis pro toto*: nam *diem* pro *tempore* accipit. (2.) *Enallagen* tum verbi activi, ישׂא *proferet*, וְנָהָה *& lamentabitur*, pro passivo, *proferetur* de vobis parabola, & *audietur* lamentum &c. tum *temporis* præteriti, *dixit*, pro futuro, *dicet*. (3.) *Hebraismum*: Et *lamentabitur* נְהִי נִהְיָה *lamentum lamentis*, h. e. *graviter lamentabitur*; ubi *duorum synonymorum substantivorum relatio* significat *anxesin & evidentiam*. (4.) Epizeuxin: *Vastando vastati sumus*, i. e. *penitus devastati sumus*, q. d. *prorsus actum est de nobis*. (5.) Ellipsin: *Mutavit*, subint. *Dominus*; *removit*, scil. *hostis*; *divisit*, subaudi, *sibi*. *Ariam*. part. 4. Bibl p. 181. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. p. 611. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 32. pag. 117 & tract. 3. can. 23. m. 1. p. 303.

Vers.8. *Et heri populus meus in inimicum insurget, ex adverso vestem, pallium expoliabatis, &c.*

Iteratur (1.) *Synecdoche*: Et *heri*, h. e. *tempore hoc antecedente*. (2.) *Enallage temporis* futuri, *insurget*, pro præsenti, *insurgit*. (3.) Ellipsis: *Vestem & pallium*. *Ariam*. part. 4. Bibl. p. 181. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 611. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 5. m. 1. p. 437.

Vers.11. *Si vir perambulans ventum, & mendacium mentitus fuerit: Stillabo tibi pro vino, & pro sicera, & erit stillans populo isti.*

Reperitur hoc loco (1.) *Metaphora*: tum quia *vir perambulans ventum* dicitur pro *vano & levi*; tum quia *stillare* significat *vaticinari*, & quod alteri gratum atque acceptum est, eloqui. (2.) *Enallage* partim *temporis* præteriti, *mentitus fuerit*, pro præsenti, *mentiatur*; partim conjunctionis copulativæ ו ET, in verbo substantivo, וְהָיָה, *& erit*, pro relativo pronomine הוּא *ipse*, nisi per *certe* vertas. (3.) Ellipsis: *Mentitus fuerit*, subint. *dicendo*. *Ariam*. part. 4. Bibl. p. 181. *Vatabl.* in Annot. ad hunc loc. p. 612. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 247. & 266.

Vers.12. *Congregando congregabo Iacob totum te, in unum conducam reliquias Israel; &c.*

Propheta sibi *contradicere* videtur, quando promittit, *totum Iacob* congregandum, mox verò *reliquias Israelis* convocandas: Si enim *totum Iacob* congregabit Deus, non congregabit tantum *reliquias Israelis*; sin autem *reliquias Israelis*, certè non *totum Iacob*.

℞. Contradictio nulla est: *vocatio* enim est generalis, *totum Israelem* spectans; siquidem *omnibus* gratiam Deus obtulit in promissionibus suis: verum quia vocationi non omnes, & quidem suâ culpâ, parent, *reliquiæ tantùm* congregandæ dicuntur. *Gravver.* in Expos. Mich. c. 2. part. 3. pag. 99. seq.

Vers.13. *Ascendet perruptor ante eos, & perrumpent, & gradientur per portam, & egredientur per eam, & ibit Rex eorum ante eos, & Dominus in capite eorum.*

I. *Christus est verus & æternus Deus*: est enim *Jehovah*, per mortem, sepulchrum, infernum, cœlum perrumpens, suisque largiens, ut & ipsi perrumpant, & *Ducis* sui vestigia ad cœlum usque sequantur.

Excipit 1. *Calvinus* in Comment. h. l. per *Regem*, non *Christum*, sed *Zedekiam* intelligi, qui à *Babylonio* ante Judæos in captivitatem sit abducendus.

℞. (1.) Per *Regem illum* non potest intelligi impius *Rex Zedekias*: quandoquidem in textu nostro *Rex ille* disertè dicitur *Jehovah*; id quod nomen non competit *Zedekiæ*. (2.) In v. 12. promittitur *congregatio Jacobi in ovile*, quæ certè non *iræ*, sed *gratiæ* signum est, ut apparet ex *Mich.* 4. v. 6. *Esai.* 10 v. 21. *Ioh.* 10. v. 16. Cur ergo à *Calvino* explicatur de *pœna*?

2. *Paræus* in Calvin. Orthod. p. 175. se non [...]dere, quomodo tam subitò Propheta transe[a]t a *comminatione* ad *consolationem*, cum præcedentis capitis omnia sint meræ *Ἐπιτιμήσεις populi contumacis*.

℞. *Paræus* ibid. p. seq. 176. ipse dicit, ratione[m il]lam se non impedire: neque enim esse infrequentem Prophetis, *ex abrupto* comminationibus *consolationes* subjicere, & post prædictiones funestæ *vastitatis*, etiam de instauratione *spirituali*, & de re[gn]o *Christi* concionari. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 6[.]9. 803. 805.

II. *Lyra* in h. l. docet, *Christum in Limbum Patrum descendisse, & exinde eos liberâsse*: quia *in suo ad inferos descensu perruperit portam, per quam captivi egressi fuerint.*

℞. (1.) *Vatablus* in h. loc. per *Regem* intellig[it] *Zedekiam*: itaque ex illius opinione argumentum *Lyra* non valeret. (2.) Non perruptio *corporalis*, sed *spiritualis* ibi notatur: unde *liberatio Patrum ex Limbo* corruit, quam & tota Scriptura ignorat, & exemplo *Moysis*, *Enochi ac Eliæ* manifestè re[fu]tat. *Gravver.* in Expos. Mich. c. 2. part. 3. p. 96. & 99.

CAP.III. v.1. *Et dixi: Audite quæso capita Iacobi & duces domûs Israelis: Nonne vobis scire judicium?*

Propheta adhibet (1.) *Metaphoram*: siquidem *capita* pro *præcipuis & primoribus* sumit. (2.) *Ellipsin* tum *nominis*, ex membro sequente repetendi רָאשֵׁי יַעֲקֹב *capita Iacobi*, pro, בֵּית יַעֲקֹב *domus Iacobi*, uti v. 9. legitur; nisi vox *Iacob* metonymicè pro *Iacobæis* ponatur, ut *Deut.* 33. v. 10. tum verbi: *Nonne vobis*, scil. *incumbit*, q. d. annon *vestrum est*; ubi ל notat Dativi in pronomine לָכֶם *vobis*, offici[um] & *debitum* innuit. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 877. *Glass.* [lib.] 3. Phil. Sacr. tract. 1. can. 39. m. 2 p. 154. & tract. 1. l[ib.] 4. observ. 6. not. 1. m. 3. p. 680.

Vers. 3. *Ossa eorum confregerunt, & conciderunt quasi in lebetem, & quasi carnem in medio olla.*

In versu hoc habetur (1.) *Enallage temporis* præteriti, *confregerunt* & *conciderunt*, pro præsenti, *confringunt* & *concidunt*. (2.) *Ellipsis participii* in nomine habente significationem motûs ad locum *Quasi*, scil. *injicienda* in lebetem. (3) *Pleonasmus* In *medio olla*, h. e. in *olla*. *Iun.* in Bibl. h l p. 877. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 612. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 2. m. 2 p. 705.

Vers.4. *Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, ut abscondet faciem suam ab eis in tempore illo sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis.*

Objectionem *Novati*, contra *spem veniæ post regenerationem lapsorum in peccata*, vide refutatam in Vindic. *Prov.* 1. v. 28.

*... nox vobis à visione, & obtenebrescet vobis à divinando: & occidet Sol super Prophetas, & nigrescet super eos dies.*

... hæc continent (1.) *Ellipsin verbi* substantivi: *Nox*, scil. *erit*. ( ) *Hebraismum*: מֵחָזוֹן *à visione*, h. e. *ne sit visio*; & מִקְּסֹם *à divinando*, i. e. *ne divinare*. ( ) *Metaphoram*: uti enim nomine ... intelligitur *adversitas & calamitas*, sic *diei* nomine *felicitas ac prosperitas*. Itaque *Solem occidere & diem nigrescere super aliquem*, est, *tot tantisque malis aliquem obrui*. *Artam*. par. 4. Bibl. p. 182. *Vatab.* in Annot. ad h. l. p. 613. *Jun*. in Not. ad eund. loc. p. 87. *Glass*. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 1. n. 4. p. 655.

Vers. 11. *Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, &c.*

I. *Anabaptistæ* negant, *Ministros Ecclesiæ licitè per stipendia accipere*, eò quòd *Propheta reprehendat Sacerdotes, qui in mercede docebant; & Prophetas, qui in pecunia divinabant*.

℞. Negatur id sequi: neque enim μισθοφορίαν Propheta reprehendit in Sacerdotibus & Prophetis (siquidem *Sacerdotibus* Deos liberalem ac frugalem vitæ sustentationem in lege sua constituerat, teste *Paulo*, 1. *Cor*. 9. v. 8. 9. 13. & *Samuel*, 1. *Sam*. 9. v. 8. ac *Christus* ipse, *Luc*. 8. v. 3. *munera* non respuerunt) sed φιλαργυρίαν, quia ob pecuniam, à ditioribus emungendam, ita docebant, loquebantur placentia, ac felicem Reipubl. statum pollicebantur, ut stipendia liberaliora acciperent, v. 5. Itaque *in mercede docere*, & *in pecunia divinare*, est, tantùm *ventrem & corrasionem pecuniæ spectare*, non *Dei gloriam*, non *veritatis propagationem*, non *animarum salutem*; id quod nullus *fidelis minister Ecclesiæ* facit, quando ob verbum Dei, sincerè traditum, justam laborum mercedem ab Ecclesia accipit, 1. *Cor*. 9. v. 9. *Selnecc*. par. 1. Examin. Ordinand. p. 84. seq. *Baldvin*. de Casib. Conscient. lib. 4. cap. 10. cas. 5. p. 1122. *Gerhard*. tom. 6. LL. CC. loc. 26. de Minist. Eccles. §. 325. p. 5 4. seq. object. 1. *Brochm*. tom. 2. Syst. Theol. art. de Minist. Eccles. c. 2. q. 14. obj. 2. p. 935. seq.

II. *Pontifex Romanus, vendens Episcopatus, Abbatias, peccatorum indulgentias, &c. pro pecunia, verè est Simoniacus, ac similis Sacerdotibus, qui in mercede docebant, & Prophetis, qui in pecunia divinabant.*

*Pontificii* regerunt, accipi pecuniam, non cum *intentione vendendi gratiam sacram, & remissionem peccatorum*, sed propter *consuetudinis observantiam, & ut stipendia exigantur*.

℞. Hoc non juvat Pontificios. Quis enim non videt, hac ratione, *quodvis furtum* excusari posse. *Intentio* nec facit nec facere potest, ut id, quod *per se* malum est, fiat licitum & bonum. Stipendia necessaria *alio modo*, & *alio tempore* exigi debebant. Notum autem est, quòd Papa Romanus sæpe ab *invitis* Episcopis emptionem pallii extorqueat. At *Thomas de Aquin*. in 2. 2. q. 100. art. 2. *Simoniam* vocat, si ab invito pecunia extorqueatur. Utut igitur negent Pontificii, ipsa praxis reclamat, quæ & tempore *Thomæ* illius l. c. arg. 4. jamdum invaluit. *Gravver*. in Expos. Mich. c. 3. part. 2. q. un. p. 112. seq.

CAP. IV. v. 1. *In novissima dierum erit mons domûs Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi.*

Notas Philologicas & Controversias, circa locum hunc occurrentes, vide in Vindic. *Esa*. 2. v. 2. assignatas.

Vers. 2. *Et properabunt gentes multa, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, &c. quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem.*

I. *Ellipsis* est nominis substantivi: *Mons Domini*, h. e. *mons domûs Domini*, ut paulò ante dicitur, v. 1. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 39. m. 2. p. 154.

II. Lites hîc agitatas, similiter vide in Vindic. *Esa*. 2. v. 3. diremtas.

Vers. 3. *Concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium, & non discent ultra belligerare.*

Controversias, post textum isthunc motas, præmissa nota quadam Philologica, pariter vide in Vindic. *Esa*. 2. v. 4. decisas.

Vers. 6. *In die illa ait Dominus, recipiam claudicantem, & expulsam congregabo, & cui malefeci.*

Offert se (1.) *Synecdoche partis* pro *toto*: In *die illa*, h. e. *tempore illo*. (2.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Recipiam* הַצֹּלֵעָה *claudicantem*, subint. *ovem*; quæ vox fœminina refertur ad *Ecclesiam*, de qua, ut *fœmina*, Scripturæ sermo sæpius formatur, & *afflictam atque periclitantem* metaphoricè significat. *Jun*. in Bibl. h. l. p. 877. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 349.

Vers. 11. *Nunc super te congregatæ sunt gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur, &c.*

*Theodoretus* in Comment. Ezech. sect. 15. autumat, *Gogi irruptionem*, qua de *Ezech*. 38. & 39. *jamdudum in V. T. factam esse: eam enim à Michæa hîc prænunciatam fuisse*.

℞. Nulla hoc loco fit mentio *Gogi*, *ejusve irruptionis in Palæstinam*; sed *subsannationis vicinorum hostium Ecclesiæ Judaicæ*, quales erant *Idumæi*, Psal. 137. v. 7. Thren. 2. v. 16. *Gesner*. disp. 2. in Ezech. 38. & 39. c. 1. thes. 6. 22. 41.

Vers. 13. *Surge & tritura, filia Zion: quia cornu tuum ponam ferrum, & ungulas tuas ponam æs, & confringes, &c.*

Occurrit (1.) Prosopopœia: *Filia Zion*, h. e. *incola Zionis* seu *Ierusalem*. (2.) *Metaphora*: tum quia *triturare* accipitur pro *suppliciis afficere & occidere*, à *frumento* ad *homines* deducta translatione: tum quia *cornu ferreum* potentiæ *majoris & fortioris* symbolum est: tum quia *confringere* pro *perdere* est, sicut olla, dum confringitur, perditur. (3.) *Enallage* nominis substantivi, *ferrum & æs*, pro adjectivo, *ferreum & æreus*. *Artam*. part. 4. Bibl. p. 183. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 209. cap. 11. 304. 307.

CAP. V. v. 1. *Et tu Bethlehem Ephrata, parum ad existendum in millibus Iehuda, ex te mihi egredietur, ad existendum dominatorem in Israele, & egressiones ejus ante principium, ante dies seculi.*

I. Michæas utitur (1.) *Ellipsi* הֲ interrogativi, ut sit, צָעִיר לִהְיוֹת, *parum ad existendum*, pro הֲצָעִיר לִהְיוֹת *an parum sit?* h. e. *non parum est*. Interrogatio enim, *affirmativè* concepta, *negationem simplicem* significare solet. (2.) *Enallage numeri pluralis* pro *singulari*, ad denotandam *excellentiam*: וּמוֹצָאֹתָיו *& egressiones ejus*, h. e. *eminentissima illa & mirabilissima generatio divina*. *Glass*. lib. 3. Phil. Sacr. tract. 1. can. 24. p. 89. & tract. 5. can. 20. m. 1. p. 480. seq.

II. *Vulgata Versio hîc vitiosa est*: nam pro *parvulus*

*vulus* (quod Vulgata habet, & alioqui ratione *generis* non congruit) legendum, *parum*; secus verba sequentia, *ex te mihi egredietur*, non rectè cohærent cum præcedentibus.

*Bellarminus* l. 2. de V. D. c. 12. resp. ad 13. loc. respondet, interpretem Latinum rectè vertisse, cum ei consentiat *Græcus* codex, & optimè cohæreant sequentia cum præcedentibus, si præcedentia legantur cum interrogatione, *parvula es?*

℟. (1.) Textus *Græcus* non *absolutè* inquit, ὀλιγοςὸς εἶ, sed infinitivum, qui in Hebræo est, לִהְיוֹת, *ad existendum*, exprimit, τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα, quasi dicat: *Non contentus sum, hac exigua gloria te afficere, ut connumereris reliquis civitatibus tribûs Juda, sed meditor longè majora, ut è vulgo reliquarum omnium exempta, præbeas ortum Messiæ.* (2.) Vulgata Versio vocem צָעִיר non legit cum interrogatione, *parvula es?* sed categoricè, *parvulus es. Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 154. seq.

III. *Messias, a Deo in V. T. toties promissus, ante annos mille quingentos certè venit:* siquidem urbs *Bethlehem*, in qua Messias nasci debuit, ante annos mille quingentos funditus est eversa. Sublatô autem *locô*, id, quod *e locô* esse debet, esse non potest: oportet igitur sit vel veniat tùm, quando adhuc *locus* est, è quo esse vel provenire debet.

*Judæi* excipiunt 1. Micheam non dicere, *Bethlehem esse patriam Messiæ*, sed solùm *locum prosapiæ Messiæ*; quia scil. *David ibi natus fuerit*, ut sensus sit: *Parva et in millibus Juda, & tamen patria es Davidis, è quo descendet Messias futurus dominator in Israel.* Ita *R. David Kimchi.*

℟. Quis non videt detortam depravationem verborum: *Ex te mihi egredietur Messias*, id est, *ex te mihi egressus est David, è quo descendet Messias?* Nam (1.) Propheta in futuro dicit: *Egredietur ex te Dominator in Israel*; non in præterito: *Egressus est.* Quis verò sibi imaginabitur, *egredietur*, idem esse ac, *egressus est?* Quantò igitur meliùs *Targum Chaldaicum R. Jonathæ* verba illa sic explicat: *Ex te coram me egredietur Messias.* (2.) Negari non potest, verba illa Prophetæ non *principaliter* continere *commendationem rei præsentis*, nempe oppidi *Bethlehem*; sed esse *vaticinium de Messia*, unde nimirum ille venturus sit, nempe ex *Bethlehem*: idque agnoscunt *Talmud* in lib. Berachoth Hierosolymitano, c. 2. *Concilium Hierosolymitanum*, Matth. 2. v. 4. 5. 6. & *R. Salomon Iarchi* in gloss. h. l.

2. Adhuc hodie civitatem *Bethlehem* inveniri, ex qua oriundus sit Messias.

℟. Hoc non facit ad rem: (1.) enim ex urbe Bethlehem, *quæ tempore Micheæ nondum erat destructa*, Christus debuit prodire. (2.) Urbs illa, quæ hodie *Bethlehem* dicitur, non in *monte Ephrata*, sed *penes Joppen* est sita: Propheta autem *locum nativitatis Messiæ* notanter designat *Bethlehem Ephrata.*

3. In quodam abstruso libro, *Messiam nostrum non dominatum fuisse unquam Israelitis*, ideoque de eo hæc verba intelligi non posse.

℟. (1.) De *hoc* jam non quæritur, sed de *loco nativitatis Messiæ*, an is fuerit *Bethlehem Ephrata.* (2.) Jehovah, firmissimô interpositô juramentô, Davidi promisit *solium æternum, sicut dies cœli.* Jam verò id non impletum est in regno & solio *corporali*: ergo Judæi, nisi Deum mendacii velint arguere, coguntur concedere, modò *spirituali* impletum esse, & adhuc impleri, certè in nullo alio, quam in *Messia nostro*, qui dominium *spirituale* habet in Israelitas: nam *corporale* respuit ipse, Joh. 18. v. 36. (3.) *Israelitæ* in Sacris non semper dicuntur illi, qui *carnali generatione à Jacobo sive Israele descenderunt*, sed *vera Ecclesia* sive *pii & fideles* hoc nomine sæpius appellantur. Debuit igitur Messias esse Rex *Ecclesiæ suæ & fidelium*, tanquam *spiritualium Israelitarum*, quibus gratiosè dominatur. Jam discant Judæi è suismet Doctoribus, quod omne negocium, ad *Messiæ regnum* pertinens, sit אֱלָהִי, *divinum*, & non גַּשְׁמִי, *corporale*, ut expressè scriptum extat in libr. *Nezach Israel* Cabalistico, c. 34. p. 48. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 13. p. 320. 311. 322. seq. *Gravver.* in Expos. Mich. c. 5. part. 1. doctr. 1. p. 146. *Iac. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 28. p. 146. - 150. c. 30. p. 153. seq. c. 44. p. 250.

IV. *Bellarminus* l. 4. de Justif. c. 5. arg. 1. probare allaborat, *Christum fuisse novum legislatorem*, quoniam *dux sit, qui regat populum suum Israel.*

℟. Christus dicitur *Dux Israelis*, non quòd *novas ei leges promulget*, sed quia *per publicum verbi ministerium colligit sibi regnum gratiæ*, cujus cives regit per verbum & Spiritum Sanctum, defendit eos contra Satanam & omnes hostes, ac tandem in regnum gloriæ transferet. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. 17. de Evangel. § 66. p. 567.

V. Trina ἀντιλογίας species hîc inter *Prophetam*, & *Matthæum*, c. 2. v. 6. occurrit: quandoquidem 1. *ille* Bethlehem cognominat *Ephrata*, *hic* verò Bethlehem *terra Juda.*

℟. Utrumque cognomen exprimit discrimen hujus urbeculæ ab altera Bethlehem, quæ sita erat in tribu *Zabulon*, hæc autem in tribu *Juda*, quæ etiam cognominabatur *Ephrata*, ab uxore *Calebi*, 1 *Paral.* 2. v. 19. notiore autem appellatione Bethlehem *Juda.*

2. Urbem illam Micheas vocat *minimam*: Matthæus dicit, ipsam *nequaquam esse minimam.*

℟. (1.) *Ludovicus Vives* in Schol. Augustin. l. 18. de C. D. c. 30. censet, Prophetæ verba in Hebræo per *interrogationem* efferenda esse, in hunc modum: *Et tu Bethlehem Ephrata minima sis?* minimè gentium; quæ oratio *interrogativa* non contradicit, sed æquipollet *negativæ* Scribarum apud Matthæum. Confer *Jerem.* 31. v. 32. cum *Hebr.* 8. v. 9. (2.) *Lyran.* existimat, Bethlehemam à Propheta dici *minimam* ratione *existentiæ*, (expressè enim Micheas addit, לִהְיוֹת, *ad existendum*, q. d. ratione *existentiæ* tu minima es) à Scribis verò dici *maximam*, ratione *nativitatis*, quam præbeat maximo Regi Messiæ. (3.) *Hunnius* tom. 2. Oper. Lat. p. 155. ait, vaticinium Michææ aptissimè concordare cum allegatione Matthæi, si nomen צָעִיר in fonte reddatur adverbialiter: *Parum est, ut sis in millibus Juda, quin potius ex te egredietur dominator in Israel.*

3. Apud Prophetam habetur: In *millibus* Judæ apud Evangelistam: Inter *duces* Judæ.

℟. Matthæus utitur *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: Ἐν τοῖς ἡγεμόσιν, *inter duces Juda*, h. e. inter *præfecturas Juda*, quæ scilicet per *millia* seu *chiliades* distinctæ fuerunt. Nam ex *Judic.* 6. v. 15. & 1 *Sam.* 10. v. 19. apparet, singulas tribus populi Israelitici in *familias* fuisse distributas, quæ familiæ ibi nominantur χιλιάδες seu *millia*: inter hæc nun erat *minima* Bethlehem, ratione dictæ *prærogativæ*; licet *dux* ejus inter chiliadas esset minimus, adeoque ipsa quoque civitas minima. *Calixt.* in Histor. Magor. p. 20. 21. seq. *VValther.* in Harm. Script. Sacr. §. 179. p. 342. & 343. *Dannhavv.* in Ide. bon. Interpp. part. 1 sect. 3. art. 2. §. 54. p. 103. 104. & 105. *Glass.* lib. 5. Phil. Sac. tract. 1. cap. 3. m. 3. p. 43.

VI. *Christus ab æterno ex Dei Patris essentia est* gen-

[illegible] *[illegible]us*, [illegible], *[illegible]ab [illegible]* [illegible] *[illegible]cul*; ante [illegible] Scripturæ [illegible] *æternum* [illegible]

[illegible] in Comm. [illegible] Prophetam [illegible] *Christi* [illegible] *tia*, sed simplicem [illegible] *hoc repe[illegible]tinum, quod [illegible]et* [illegible] *[illegible]uberet*, [illegible] *jam olim hoc di-* [illegible] *[illegible]um*; [illegible] *[illegible]unc*, [illegible] *[illegible]sum* mavult [illegible] *[illegible]em [illegible]* quispiam nunquam a [illegible].

[illegible] (1.) [illegible] sine causa a textu discedit: quia [illegible] *[illegible]us de [illegible]*, quod constat om[illegible] [illegible] esse; sed [illegible] *ipsum* ab [illegible] (2.) Nec [illegible] respiciendum, [illegible] *possit*: siquidem etiam illud [illegible]tur, quod *Christus pater pra-* [illegible] 9. v. 6. Ita dixit è *Pareus*.

[illegible] Calvin. Orthod. interpretationem [illegible] *æterna divinitatis Christi*, cum [illegible]e, quantum ad se spectat, [illegible] probare no[illegible] *Christi divi-nitatem*.

℞. Omn[illegible] *æterna Christi divinit*[illegible] interpretatio C[illegible] quam [illegible] ad *hunc* [illegible] *locum* [illegible]. Qua enim consequentia can[illegible] Michææ loco *Pareus* evincit? Num in[illegible] quia *Deus* [illegible] *no decretum* [illegible] *de tempora-* [illegible] ex B[illegible] *me[illegible]re[illegible]* ? Atqui ex *decreto æ-* *no* non sequ[illegible] *[illegible]ip[illegible] um rerum, ante mundi* [illegible] *[illegible]de retarum, æternitas*. Nam salvo [illegible] Deus ante tempora secular[illegible] 2. *Tim*. 1. v. 9. [illegible] per rationem *æterni decreti*, de salute nostra facti, [illegible] scriptum est: *El[illegible] nos in Christo, antequam* [illegible] *ntur fundamenta mundi*, Ephes. 1. v. 4. Er[illegible] ex isto *decret*[illegible] [illegible]abitur, *nos* [illegible] *ab æterno*? [illegible] quamdiu [illegible] per *æternum Christi egres-* [illegible] *æternitatem*, & *æternam ex Pa-* [illegible] *generatione* [illegible] hu[illegible] ex *Michea* [illegible] non [illegible] argumentum ad [illegible] *[illegible]us [illegible]tem*.

3. *R. Da*[illegible], secundum [illegible], quasi *Messias ab æterno* [illegible] *m habuerit*, [illegible] futurum [illegible] *ante mundum conditum* [illegible] *creaverit Messiam*, [illegible] *[illegible]am ejus* [illegible] *Davidem referr*[illegible] [illegible]. & Prophetam [illegible] *ab initio*, *a diebus* [illegible] propter *lon*[illegible] *tempori[illegible] intercedentis inter Davidem &* [illegible].

℞. (1.) *R. Salomo Iarchi* in [illegible] h. l. apertè re[illegible] *R. Davidem Kimchium*: siquidem *egressum* [illegible] *à diebus* [illegible] *culi* explicat per [illegible] 17. [illegible]od *ante Sole*[illegible] & sic ante mundum conditum [illegible]it. (2.) Qualis obsecro est convenientia hujus [illegible]*ab initio, à diebus seculi*, cum tempore in[illegible] Davide[illegible] nativitatem? An enim Da[illegible] *mundi initio*? (3.) Propheta non *familiam* [illegible], sed *egre*[illegible] *ejus ante initium, & ante dies* [illegible]om nar[illegible] voluit: ideo opus non erat indica[illegible] *[illegible]iam fore de familia Davidis*, illud autem [illegible] necessarium, quod is, qui ex Bethlehem oriu[illegible] erat, sit *ab æterno*. (4.) Q[illegible] tametsi hæc es[illegible] *[illegible] Me[illegible]ia*, si tamen à *diebus anti-* [illegible] ex [illegible] Davidis natus esset? annon hoc ei [illegible] *multis Regibus de tribu Iuda*, [illegible] de domo Da[illegible]is erant, [illegible] ? Propheta autem *pecu-* [illegible] *[illegible] dominatorem* [illegible] *[illegible]tare*, & pro[illegible] [illegible]ejus nobi[illegible]tare v[illegible] certè, qui [illegible]. (5.) [illegible] *originem* [illegible] *Mes[illegible]a fundari in Davide*. [illegible] est in *Iuda*, *Gen*. 49. v. [illegible] *Heb*[illegible], v. 14. & [illegible] *Adam*, [illegible] *He*[illegible] ex quibus o[illegible]gè a[illegible] est, qu[illegible] de (6.) Ne[illegible] missum est, inde [illegible] quod *ante mundum conditum Iehovah creaverit* [illegible]*m*. Etenim hoc sequitur, si Messias ante [illegible] conditum fuit, ergo est *æternus*, ac verus Deus: quandoquidem ante creatum mundum nihil creatum est, nihil fuit, nisi solus *Deus*, Psal. 90. v. 2. *Prov*. 8. v. 23.

4. *Franciscus Davidis* disp. Alban. 3. *dies æternitatis* vocat *primos illos sex dies mundi*, propter continuam successionem; tunc autem dici *egressum Christum*, quia tunc facta est *promissio de Christo ad Adam*.

℞. (1.) Sine causa Adversarius dicit, *dies æternitatis* vocari *primos illos dies propter successionem*: id enim nulla ratione probari potest. (2.) Micheas non *promittit egre*[illegible]*m Christi*, sed asserit, *Christi egressum esse ante initium, & ante dies seculi*: ergò non *tunc demum* Christus [illegible] potest e[illegible]us, quando facta est promissio de Christo ad Adam.

5. *Ostorrodius* Instit. Germ. c. 7. ibi tantùm fie[illegible] mentionem *existentiæ*, nullius verò *generationis*: aliud verò esse, ab æterno *extitisse*; & aliud, ab æterno *genitum esse*.

℞. Nihil refert, etsi non sit positum in hoc textu vocabulum *generationis*: siquidem ex textu patet, de *æterna Christi generatione* egressum illum ante dies seculi intelligendum esse. Cum enim certum sit, *egressum ex Bethlehem* nihil aliud esse, quàm *nativitatem hominis Christi in præsepio Bethlehemitico*: ita quoque necessarium est, ut è vestigio adjectus *egressus alter ante dies seculi* æternam Christi generationem significet: idem enim vocabulum utrobique est in Hebræo textu, notans *generationem*, ut ex *Gen*. 15. v. 4. *Exod*. 1. v. 5. *Iob*. 38. v 29. *Hebr*. 7. v. 5. patet. Itaque exceptio illa *Ostorrodii* inverti potest. Si enim Messias *ab æterno egressus est*, necesse est, *ab æterno generatum esse a Patre*: quidem alium æterni[illegible]ius egressus modum Adversarius confingere non poterit, nisi F[illegible]ium *D*[illegible] *Patri collateralem* statuere velit, aut F[illegible] *prius* [illegible]*ssum esse*, q[illegible]am *generatus sit a Patre*: quod [illegible] absurdum.

6. *Socinus* in R[illegible] n. & Wieck. p. 4[illegible] hac [illegible], non [illegible]um de *vera* nativi[illegible] utraque v[illegible] hujus parte agi, sed etiam de *eadem* nativitate, [illegible] ut si *egressus a seculo* notat nativit[illegible] *æternam*, egressus *in oppido Bethlehem* significet [illegible]tem *æternam*; cum posteriora v[illegible] ad p[illegible] omnino [illegible]ferantur, & utrobique sit idem voc[illegible], a[illegible] eadem ra[illegible] deductum.

℞. Con[illegible] negatur esse necess[illegible]a, quæ præsuppo[illegible] nimirum nos[illegible] menti nostr[illegible] fundare [illegible] verbo, *egredi*, e[illegible] d[illegible] circumstantiarum, *loci* & *temporis*, ut [illegible]. quarum [illegible] in nativ[illegible] e *temporali* [illegible] [illegible] Bethlehem patria Messiæ appellatur, *hujus* v[illegible] è, dum *a diebus* [illegible] egressus ejusdem fuisse perhibetur. Unde non [illegible]quitur, de *eadem* [illegible]te utrobique agi, licet posteriora v[illegible] ad priora referantur: n[illegible] *[illegible]millius* ex *hoc* necess[illegible] consequentiæ ulla apparet.

7. *Smalcius* in Catech. Racov. p. [illegible]. mentionem fieri *initii & dierum*, quæ in *æternitate* non habeant locum, in Hebræo enim ita legi. *ab initio, a diebus seculi*, quæ sit *certi temporis* descriptio, ita ut *dies seculi* sint *dies antiqui*, relatione videlicet habita ad rem, de qua est sermo.

℞. (1.) In verbis Prophetæ neque *initii* neque *dierum*

dicitur ... verba ... ante ... & ante ... seculi. Ubi ... initium & dies seculi ... de se, non ipsam aeternitatem notare, ... tempus ... ab ante: verum ... ante initium, ante dies seculi, ... aeternitatem, persuasi sumus, ... ut A... exemplum contrarium afferre nequeunt. Quod verò praepositio ... significet, ante, ... inde probamus, quòd aliàs esse in textu ... cum de humana natura egerat in ... versus, & quòd illud, quod maximè probandum fuerat, non probaretur, videlicet ... Messiam tam potentem fore, qui omnes turmas adversas possit disjicere, ac hostes prosternere. Itaque phrasin integram urgemus, quòd fuerit ante initium, & ante dies seculi, id est, ab aeterno, ut reddidit Chaldaeus: nam junctim dicitur creata in Scriptura nusquam dicitur, sed de solo Deo aeterno. Psal. 90. v. 2. & Habac. 2. v. 12. (2.) Etiamsi concederemus, textum Hebraeum ... vertendum, ab initio, à diebus seculi; tamen id nobis non obstaret, cum aeternitas ita describatur, Dan. 4. vers. 31. Psal. 102. vers. 28. & 2. Thess. 2. vers. 13. quando electio nostra ἀπ᾽ ἀρχῆς facta dicitur, ca 2. Timoth. 1. vers. 9. πρὸ χρόνων αἰωνίων fertur facta. Hunn. tom. 2. Oper. Lat. pag. 987. & seq. Bellarm. l. 1. de Christ. c. 8. pag. 319. Helvic. tom. 4. Giess. disp. 13. pag. 321. & ... Balduin. in Refut. Catech. Arian. pag. 119. ... & in Colleg. de SS. Trin. disp. 6. thes. 49. - 56. & tom. 3. Witteb. disp. 6. thes. 85. - 89. p. 335. 337. thes. 194. - 196. pag. 386. seq. Franz. in Append. part. 3. disp. 3. in August. Conf. thes. 34. 39. - 46. & in Vind. disp. 2. thes. 40. 41. 42. Jacob. ad Port. ... Ostorr. Inst. pag. 67. seq. Paul. Tarnov. de ... Trinit. contr. Socin. pag. 809. 810. 811. 830. - 834. & in Comment. Johan. c. 1. part. 2. q. 2. p. 182. seq. Johann. Tarnov. in Exerc. Bibl. pag. 38. 42. Glass. lib. 2. Philolog. Sacr. part. 1. tract. 2. sect. 4. art. 6. pag. 472. & lib. 4. tract. 1. observat. 4. m. 2. pag. 661.

VII. Fanatici qui ... opinati ... procedionem à Patre non esse proprietatem Spiritus Sancti, cum & Filio secundum divinam naturam illa ipsa competat.

Rs. Est dispar utriusque ratio: nam Filius egreditur ... natura, nimirum ... aeternae generationis ... & ... Spiritus Sanctus ... per aeternam spirationem, Hebraice ... Sel ... Ferdinand. p. 195.

Vers. 2. Reliquiae ... fratrum ejus convertentur ad ...

Judaei ... ut ... Messiam non esse verum Deum, quia habeat fratres ... dictione ... frater nullo modo unquam posse statuere ... divinitate.

Rs. (1.) In Midras Tillim sup. ... 4. fol. 5. col. 4. verba Psalmi 122. v. 8. (Propter fratres meos & amicos meos, ... ) & in Midras Sir sup. Cant. 8. v. 1. (Quis dabit te ut fratrem mihi ... de Deo Sancto & benedicto ... exponuntur, ... modo ... loquatur Israeliti ... Paraphrasi Chal. tribuuntur Messiae. ... veradicant ... commentatores, Messias ... frater Israelis, & simul ... Deus sanctus ac benedictus. Mendacium igitur est, dictionem frater nullo modo unquam posse stare cum divinitate. (2.) Hoc quidem verum est, Messiam secundum divinam suam naturam non habere fratres; habere tamen secundùm humanam naturam, Psal. 45. vers. 8. Helvic. tom. 4. Giess. disp. 13. p. 324.

Vers. 3. ... centum nomine Jehova Dei ... quia nunc ... minabitur usque ...

I. Judaei ... esse Deum, co quod ... beat Deum. ... enim nominis Jeh... Dei sui ...

Rs. (1.) Reponimus ... 10. v. 34. Si Magistratus, homines ... Deus jam sublimi nomine אלהים ... quomodo ... erit, cum app... rum, qui est naturalis Filius Iehova, ... R. Joseph Albo in libr. Ikarim dicit ... nomen Messiae ... Iehovah justitia nostra, ... sit ..., Mediator Dei, per quem ... justitiam a Deo, &c. (3.) Messias habet Deum, ratione divina, sed ratione humanae naturae ... etiam Propheta loquitur. Helvic. tom. 4. Giess. disp. 13. p. 323.

II. Judaei ibid. urgent, Messiam Christianum non esse verum Messiam, quoniam non dominatus fuerit usque ad fines terrae, cum doctrina ejus ... propagata sit in omnem terram, nisi post aliqua ... cula, tempore scilicet Constantini, & usque in ... diernum diem nondum consenserint omnia ... in eandem, ut in Portu, Ismaelitis, &c. videre ...

Rs. (1.) Si Judaei legissent Esa. 53. v. 1. 2. ... intellexissent, paucos admodum ab initio, praecipue inter Judaeos, futuros, qui in eum crederent, sed ... rosque offensum iri miserabili ejus specie ... fatetur R. Isaac Arama, qui in libr. Akedath ... sup. Genes. 47. de adventu Messiae, post Prophetas venturi, disserit, ipsum esse verbum Dei, ... nunc ... Dei, & tamen in eundem non esse credituros, nisi paucos plebejos, viros piscatores, &c. per quos qui non videt intelligi Apostolos & Publicanos, caecus sit oportet. Recognoscant etiam verba R. Salomonis quibus Psal. 118. v. 22. Lapis, quem reprobarunt adificantes, &c.) perspicuè de Messia exponit. (2.) Ex lib. Nezach Israel Cabalistico, cap. 34. p. 48. constat regnum Christi non esse mundanum, sed spirituale: itaque nihil necesse est, eum a mari ad mare ... extendere dominii terreni terminos. Helvic. ibid. p. 32. 326. seq.

Vers. 4. Suscitabimus super Assur septem pastores, & octo primates hominum.

Gemina apparet ἀντίλογία: 1. enim Judaei dicunt, se suscitatum esse super Assur septem pastores, quos inter Cyrus, quem tamen Esaias testatur, ipsum Domini nomine suscitasse, c. 45. v. 1.

Rs. Dominus suscitavit Cyrum, sed precibus piorum Judaeorum motus. his enim Deum orârunt, ut ... regnô Assyriorum & Babyloniorum, à quibus plurimùm vexati fuerant, ipsos in terram sanctam reduceret; atque sic precibus suis Cyrum suscitarunt.

2. Super Assur dicuntur suscitandi 7. pastores, & 8. primates cum tamen multò plures super ipsum fuerint suscitati.

Rs. Est locutio synecdochica, in qua numerus certus ponitur pro incerto: siquidem septenarius significat perfectionem, octonarius abundantiam, ut ex Ecclesiast. 11. v. 2. patet. Gravver. in ... pos. Mich. c. 5. part. 2. p. 149. Walther. in Harm. Script. Sacr. p. 343.

Vers. 5. Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nimrod in ostiis ejus, &c.

Metaphora est. Nam (1.) nomine pastionis Apostolica Evangelii praedicatio intelligitur. (2. ... gladium notatur verbum Dei, gladius quippe Spiritus Ephes. 6. v. 17. (3.) Ostia de terminus ... per quos ...

ingreditur in eam, sicut per *ostium* in domum usurpantur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 390. & 397.

Vers. 6. *Et erit residuum Iacob in medio populorum multorum, sicut ros à cum Domino, tanquam imbres super herbam, quæ non expectabit virum, nec præstolabitur filios hominis.*

Conspicitur hoc loco (1) *Pleonasmus: In medio populorum multorum*, h. e. *inter populos multos.* (2.) *Ellipsis* participii: *Tanquam imbres*, scil. *decidentes.* (3.) *Enallage temporis* futuri, *expectabit* & *præstolabitur*, pro præsenti, *expectat* & *præstolatur.* *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 183. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 879. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. observ. 2. m. 2. p. 705.

Vers. 9. *Exultabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt.*

*Iudæi* in quodam libro abstruso garriunt, *nondum venisse Messiam*, cum *nondum ipsi omnes hostes & inimicos suos exstirpaverint.*

Rz. *Rambam* in *More Nebuchim*, part. 2. c. 29. eos pronunciat stultos, qui Prophetarum prædictiones *simpliciter juxta literam & corporaliter* volunt intelligere. Quod si verum est, stultos certè *Iudæos* esse oportet, quum à Michæa prædictum somniant, *se nos omnes aliquando exstirpaturos esse.* Sed debebat Magistratus Christianus in nefarios illos nebulones animadvertere, & reipsa docere aliam expositionem. Neque enim de *corporali* modernorum Judæorum victoria, de omnibus *Christianis* sumenda; sed de *spirituali Apostolorum, ac verorum Christi discipulorum* (per *reliquias Iacob* præcipuè intellectorum) victoria, quam Evangelii inter Judæos & Gentes prædicatione obtinuerunt, Micheas vaticinatur. *Osiand.* tom. 2. Paraph. Bibl. p. 483. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 13. p. 327. seq. *Gravver.* in Expos. Mich. 5. part. 2. p. 150.

CAP. VI. v. 1. *Audite quæso, quod Dominus dicit: Surge, contende cum montibus, & audiant colles vocem tuam.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: nam *montes & colles* pro *regionibus montosis* Israelis & Jehudæ accipiuntur, nisi *montes & colles* pro *hominibus supremi ordinis & summæ dignitatis* ponantur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 616. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 879.

Vers. 7. *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?*

I. Argumentum *Papisticum*, contra *justificationem Sacramentorum* V. T. vide solutum in Vindic. *Psal.* 40. v. 7. m. 1.

II. *Feliciani* olim delirârunt, *Christum secundùm divinam quidem naturam esse naturalem Dei Filium, at secundùm humanitatem saltem adoptivum*; quoniam *Christum* Micheas dixerit *primogenitum* secundùm *humanitatem*, & *fructum ventris* secundùm *divinitatem.*

Rz. Planè absurda est hæc sententiæ istius expositio: neque enim de *Christo*, sed de *Iudæis idololatricis*, qui præposterô & impio zelô exemplum *Abrahami*, Isaacum filium primogenitum, & ex principali conjugio unigenitum, jussu Dei immolare volentis, imitari conabantur, Prophetiæ sermo est. Sed quid hoc ad *adoptivam Christi hominis filiationem*? Histor. Magdeb. Cent. 8. cap. 9. pag. 629. obj. 9. *Gravver.* in Expos. Mich. c. 6. part. 1. pag. 157. seq.

Vers. 9. *Vox Domini ad urbem clamabit, & sapientia timebit nomen tuum. Audite virgam, & quis constituit eum?*

Iteratur (1.) *Metonymia* tum *subjecti* pro *adjuncto*, quia *urbs* pro *urbis incolis* ponitur; tum *adjuncti* pro *subjecto*, quoniam *nomen Dei* pro ipso *Deo*, seu *Dei gloria* & majestate usurpatur. (2.) *Enallage temporis* futuri, *clamabit*, pro præsenti, *clamat.* (3.) *Ellipsis* nominis: *Vir* sapientiæ, i. e. *sapiens* à constantia sic dictus. (4.) *Metaphora*: nam *virga* significat *castigationem & afflictionem.* *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 183. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 617. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 41.

CAP. VII. v. 1. *Væ mihi, quia fui sicut collectiones æstatis, sicut racemi vindemiæ: non botrus ad comedendum, primitivum desideravit anima mea.*

Propheta usurpat (1.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam קיץ *æstatem*, accipit pro *æstivis fructibus.* (2.) *Enallagen* partim *numeri* singularis, *primitivum*, pro plurali, *primitiva* seu *primitias*; partim *temporis* præteriti, *desideravit*, pro præsenti, *desiderat.* *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 184. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 617. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 61.

Vers. 2. *Periit sanctus de terra, & rectus inter hominem non: universi ipsi sanguinibus insidiabuntur, vir fratrem suum venabuntur reti.*

I. En (1.) *Enallagen* tum *numeri* singularis, *hominem*, pro plurali, *homines*; tum *temporis* futuri, *insidiabuntur* & *venabuntur*, pro præsenti, *insidiantur* & *venantur.* (2.) *Metonymiam*, quâ *sanguines* pro *cædibus* ponuntur. (3.) *Metaphoram*: *venari* enim est *perditionem intentare*, sicut *venationes* variis technis peragi solent. *Ariam* part. 4. Bibl. p. 184. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 617. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 880. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 1. p. 320. cap. 12. p. 351.

II. *Donatistæ* olim docuerunt, *Ecclesiam veram posse penitus deficere*, quia tempore Micheæ *periret sanctus de terra, & rectus in hominibus non fuerit.*

Rz. Negatur id sequi: neque enim Micheas dicit, *omnem omnino sanctum periisse de terra, & nullum plane rectum in hominibus fuisse*; verum *comparatè* loquitur, q. d. *pauci admodum* sunt sancti & recti. Tanta enim interdum est *paucitas bonorum*, ut respectu *impiorum* nulli propemodum videantur, uti quoque *Elias* putabat, 1. *Reg.* 19. v. 10. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 485. *Vatabl.* in Schol. ad h. l. p. 617.

Vers. 3. *Ut malefaciant umbæ manus benefaciendò, princeps poscit, & judex propter retributionem, & magnus loquitur ærumnam animæ suæ, & contorserunt eam.*

Reperitur hoc loco (1.) *Hebraismus*: Ut malefaciant לְהֵיטִיב *benefaciendo*, id est, *strennè*; infinitivus enim הֵיטִיב *benefacere*, si adverbiascit, *intendendi* significationem obtinet, & idem est ac, *valde, diligenter, strennue, operose.* (2.) *Ellipsis* verbi, ex nomine *conjugato* eruendi: *judex propter retributionem*, scilicet *judicat*; quod verbum in nomine שֹׁפֵט *judex*, latet. (3.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *anima* pro *desiderio* est. Ergo *loqui ærumnam animæ suæ*, notat *desideratissimam sibi loqui ærumnam.* (4.) *Enallage temporis* præteriti, *contorserunt*, pro præsenti, *contorquent.* *Iun.* in Not. ad h. l. p. 880. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 6. not. 2. m. 2. p. 682. & tract. 2. observ. 5. m. 2. p. 713.

Vers.

Vers. 4. *Bonus eorum ut paliurus, rectus præ spineto: dies speculatorum tuorum, & visitatio tua venit, nunc erit perplexitas eorum.*

Recurrit (1.) Ellipsis: *Rectus*, scil. *tortuosus est & aculeatus.* (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *dies* pro *adversitatibus & pœnis* est. (3.) *Metaphora*, quâ *speculatores* pro *prophetis*, *visitatio* pro *animadversione*, & *perplexitas* pro *animi consternatione* sumuntur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 880. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 59.

Vers. 5. *Ne credatis amico, ne fidatis duci, ab incumbente sinui tuo custodi ostia oris tui.*

I. Est hîc (1.) Periphrasis *uxoris*, sinui quippe viri incumbentis. (2.) Hebraismus: *Custodi ostia oris tui*, h. e. *cave, ne dicas illi secretum tuum.* *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 618. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 880.

II. Propheta contrariari videtur Apostolo: *ille* enim jubet, *ne quis credat amico*; *hic* verò docet, *charitatem omnia credere*, 1. *Cor.* 13. v. 7.

℞. Præceptum Propheticum est regula *prudentiæ*, charitati omnino necessariæ, ne per malitiam hominum decipiatur. Unde *Christus* ipse non omnibus credebat, *Iohan.* 2. v. 24. huicque discipulis dicebat: *Estote simplices, sicut columbæ, & prudentes, sicut serpentes*, Matth. 10. v. 16. Itaque charitas prudentiam non excludit, sed includit. *Gravver.* in Expos. Mich. c. 7. part. 1. p. 167. *VValther.* in Harm. Script. S. p. 543.

Vers. 8. *Ne læteris inimicans mihi propter me, quod ceciderim; surrexi, cum sedero in tenebris, Dominus lux mihi.*

Verba hæc exhibent (1.) *Enallagen* partim participii אֹיַבְתִּי *inimicans mihi* [ nam ' affixum primæ personæ esse, ex textu patet ] pro nomine Toar, *inimica mea*; partim *temporis* præteriti, *ceciderim* & *surrexi*, pro futuro, *cecidero* & *surgam*. (2.) *Prosopopœiam*, quâ *regnum Babyloniorum & Assyriorum* אֹיֶבֶת *inimica*, in fœminino dicitur, & *mulieris* imagine proponitur. (3.) *Metaphoram*: uti enim *tenebræ* calamitatem & mœrorem, ita *lux* prosperitatem & gaudium significant. (4.) Ἀνθρωποπάθειαν: nam *Deus* dicitur *lux* ratione ἐνεργείας & *operationis inter homines*, quos illustrat, amissam felicitatem ipsis restituendo. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 184. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 618. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 1. p. 3. lib. 5. tract. 1. cap. 8. p. 175. cap. 9. p. 205. cap. 10. p. 233.

Vers. 9. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo justitiam ejus.*

I. In versu hoc habetur (1.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *ira* pro *pœna & ultione*, ex ira profecta, ponitur. (2.) *Metaphora*, quâ *videre* significat *frui*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 880. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. p. 11.

II. *Origenes* olim statuit, *supplicia infernalia aliquando finem esse habitura*, quòd *inferi*, *postquam iram Domini portârunt*, *in lucem sint educendi*.

℞. Allegatio hæc est impertinens: hoc enim dictum non ad *damnatos*, sed ad *pænitentes* pertinet: etsi namque *damnati* iram Domini portent, nunquam tamen consurgunt, aut in lucem redeunt, *Esa.* 66. v. 24. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 33. de Infern. §. 65. p. 652.

III. *Bellarminus* l. 1. de Purgat. c. 3. loc. 8. disputat, *animas quasdam hominum detineri in Purgatorio: eas enim iram Dei portare, usque dum Deus proferat judicium ipsarum*; id est, *easdem pœnam Purgatorii sustinere, donec satis purgata, in cœlum transferantur.*

℞. Præsens locus nil planè pro *Purgatorio* facit. Nam (1.) loquitur Propheta in persona *totius Ecclesiæ Iudaicæ*, Ruperto & Riberâ in h. l. interpretibus: ast *aliqui saltem* juxta Pontificios in Purgatorium migrant. (2.) De populo Dei agitur, non ut ille *cruciari fingitur in Purgatorio post hanc vitam*, sed ut *ab hostibus divexatus in hoc seculo*, Domini opem sub cruce patienter exspectat, ut *Hieronymus*, *Theodoretus*, *Glossa Interlinearis* & *Hugo Cardinalis* ad literam exponunt. (3.) Hæc spes & consolatio pertinebat ad *vivos, in captivitate Babylonica detentos*, Lyrano teste; *mortui* autem, opinor, non liberandi erant captivitate Babylonica. (4.) *Glossa Ordinaria* nec nomen *Purgatorii* adscriptum, nec rem descriptam habet, sed explicat locum istum de afflictionibus *hujus vitæ*, & de *pænitentia*, quam nullam esse in *Purgatorio*, fatentur Papistæ. (5) *Arias Mont.* latè h. l. explicat, *Purgatorii* verò non meminit. (6.) *Schoppius* in Apol. pro Bellarm. de Indulg. c. 58. p. 82. fatetur, sensum illum de *Purgatorio* esse *allegoricum*, ac proinde *argumentum hoc esse infirmum*. (7.) *Purgatorio* repugnat, quod v. 18. & 19. dicitur. Nulla enim post hanc vitam *satisfactio* superstes erit, si *abstulit*, si *mundavit*, & *projecit* Deus peccata: non reliquiæ *venialium* supererunt, si *omnia* projecit, & per consequens nullum *Purgatorium*. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 1543. seq. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 237. p. 441. seq. & in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. p. 483. seq. arg. 18. *Thumm.* de Purgat. Pontif. p. 72. seq. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 26. c. 5. §. 35. seqq p. 568. seq.

IV. Propheta sibi contradicere videtur: nam & *peccatorem se esse confessus est*, & *propter peccata ferre iram Dei*; & tamen dicit, *Deum judicaturum causam suam, &c.*

℞. Nulla ibi est ἀντιλογία. Etsi enim Judæi coram *Deo* non poterant de sua innocentia gloriari, sed potiùs gravissimas pœnas meriti erant; tamen *Babylonii* non habeant satis justas causas, cur populum Dei affligerent. Itaque pii, respectu *Dei*, semper sunt peccatores, respectu autem *hostium suorum* plerumque innocentes affliguntur. *Franz.* tract. de Interpr. Script. S. orac. 150. p. 1353. 1354. seq.

Vers. 12. *Die illa, & usque ad te veniet de ipso Assur, & ad civitates munitionis, & ab ipsa munitione, & usq; ad flumen, & mare à mari, & monte montem.*

Offert se (1.) *Pleonasmus*: Et *usque ad te veniet*, ubi ו ET abundat, nisi per *quum* explices. (2.) *Enallage nominis* substantivi, *munitionis*, pro adjectivo, *munitas*. (3.) Ὑπαίνιξις, quâ *Ægyptus* dicitur מָצוֹר *munitio*, allusione ad nomen ejus מִצְרַיִם factâ. (4.) *Synecdoche generis* pro *specie*: nam *Euphrates* flumen vocatur κατ' ἐξοχὴν, ob *magnitudinem*, isque erat unus ex terminis terræ sanctæ. (5.) *Ellipsis* particulæ עַד *Usque ad*, ex membro præcedenti repetendæ: *Et mare à mari, & monte montem*, pro, *& a mari usque ad mare, & à monte usque ad montem*, h. e. *ad mare unum ab altero, & ad montem unum ab altero.* *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 184. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 618. *Iun.* in Not. ad eundem loc. p. 880. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 14. m. 2. p. 441. & cap. 22. p. 513.

Vers. 14. *Pascent Basan & Galaad juxta dies seculi.*

Rationem Photinianam, pro *synonymia dierum seculi*, & *dierum antiquorum*, vide protritam in Vindic. *Esa.* 51. v. 9.

Vers. 15. *Juxta dies egredi te è terra Ægypti, ostendam ei miracula.*

Occurrit (1.) *Enallagen infinitivi* pro nomine: *Juxta dies egredi te*, q. d. *egressionis tuæ*. LXX. κατὰ τὰς ἡμέρας τῆς ἐξοδίας σου. (2.) Hebraismus: *Ostendam ei miracula*, h. e. *edam etiam multa miracula*. *Ariam.* part. 4. Bibl. pag. 184. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 619. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 31. m. 3. p. 115.

Vers. 16. *Videbunt gentes, & pudefient ab omni fortitudine sua, ponent manus super os &c.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: quia *manum super os ponere*, sumitur pro *tacere*, *non habere*, *quod respondeatur*. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 6. p. 71.

Vers. 17. *Lingent pulverem, sicut serpens, sicut reptilia, &c.*

*Allegoria* est, quâ ad *pœnam, serpenti inflictam*, Gen. 3. v. 14. alluditur: *Lingent pulverem, sicut serpens*, h. e. *humiliabuntur, & quasi in terram prostrati jacebunt adversarii Ecclesiæ, videntes ejus felicitatem*. Ita Flacius. Commodius verò ad *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto* refertur: *Lingent pulverem*, h. e. *ita proni se in terram prosternent, ut videri possint pulverem terræ lingere*. Descriptio *reverentiæ & subjectionis*. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 4. p. 64. & cap. 20. p. 495.

Vers. 18. *Quis Deus, sicut tu, auferens iniquitatem, & transiens super prævaricationem reliquiarum hæreditatis suæ? non retinuit in æternum iram suam, quoniam volens misericordiam ipse.*

I. Iteratur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *Deus* dicitur *transire super prævaricationes hominum*, h. e. *non punire*. (2.) *Enallage* tum *temporis* præteriti, *retinuit* & *voluit*, pro præsenti, *retinet* & *vult*; tum *personæ* tertiæ, *retinet*, pro secunda, *retines*, ut præcedentia & sequentia verba ostendunt. *Ariam.* part. 4. Bibl. pag. 184. *Glass.* lib. 3. Philolog. Sacr. tract. 3. can. 50, m. 3. p. 391. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 144.

*Bellarminus* l. 1. de Sacram. Baptism. c. 13. arg. 1. contendit, *Deum in Baptismo non tantùm non-imputare peccatum, quum auferat in eo peccatum ab homine*, ideoque *nihil culpæ remaneat*.

℞. (1.) Argumentum à quæstione alienum est: tum quia Propheta non agit de *Baptismo*, tum quia præter *non imputationem* in Baptismo agnoscimus etiam *sanctificationem*, etsi *imperfectam*. (2.) Negatur consequentia: nam Scripturæ sensu, *non imputare* peccatum, & *auferre* peccatum, idem est. *Psal.* 32. vers. 1. *Cham.* tom. 4. Panstr. l. 5. c. 5. §. 1. 2. 3. 4. p. 118.

Vers. 19. *Revertetur, miserebitur nostri, subiget iniquitates nostras, & projicies in profunda maris omnia peccata eorum.*

I. Recurrit (1.) Hebraismus: *Revertetur, miserebitur*, pro, *rursus miserebitur*. (2.) *Enallage personæ* secundæ, *projicies*, pro tertia, *projiciet*. (3) *Metaphora*: à Deo enim *projice peccata in profunda maris*, est, *oblivione sempiterna quasi sepelire, & memoriam eorum in solidum delere*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 619. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 256.

II. *Becanus* tract. de Justif. Calvinist. c. 1. sibi imaginatur, *peccatum non manere in homine justificato*, quoniam *longissimè projiciatur à Deo*, nempe *in profundum maris*.

℞. (1.) Negatur, *illud* ex *hoc* sequi: nam *pravam concupiscentiam* Papistæ fatentur ante Baptismum verè esse peccatum, eamque in Baptismo projici in profundum maris, & tamen in homine *baptizato* manere usque ad finem vitæ. (2.) *Peccata in justificatione projiciuntur*, non *propriè*, sed *metaphoricè*: itaque nihil necesse est, ea non remanere in homine justificato. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 21. c. 16. §. 12. & 14. p. 443.

III. Argumentum nostratium, pro *peccatorum credentibus remissorum impunitate*, vide à corruptela assertum in Vindic. *Esa.* 38. v. 17.

Vers. 20. *Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quam juràsti patribus nostris à diebus antiquis.*

I. *Reformati* statuerunt, *renatos non posse acceptam peccatorum suorum remissionem sibi reddere irritam*, quia *Deus servat veritatem, quam ipsis juravit*.

℞. Propheta saltem docet, quòd *Deus ex sua parte* sit & esse semper velit constans in promissis suis servandis ac præstandis; at non negat, *homines ex sua parte* posse fœdus initum frangere: hoc itaque licet homines violent, Deus tamen manet fidelis in æternum, *Rom.* 3. v. 3. & 2. *Tim.* 2. v. 13. Inde verò non sequitur, *ipsos non posse acceptam peccatorum suorum remissionem sibi reddere irritam*. *Fevverb.* fasc. 2. Dissert. Theolog. disp. 6. thes. 78. p. 253.

II. *Photiniani* autumant, verba *Mich.* 5. v. 2. *ab initio à diebus seculi*, idem significare ac, *à diebus antiquis*; eò quòd *idem* hîc significent.

℞. Loca ista sunt dissimilia: neque enim *conjunctim* in v. 20. legitur, *ab initio & à diebus seculi*, sicut *Mich.* 5. v. 2. sed *divisim*, *à diebus antiquis*. Itaque neque *res* neque *verba* cum loco controverso consentiunt. *Baldvin.* in Refut. Catech. Arian. p. 120.

## VINDICIÆ

# PROPHETÆ NAHUMI.

CAP. I. v. 1. *Onus Ninives, liber visionis Nahumi Elkoschæi.*

Nahumus utitur (1.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: nam *onus* accipit pro *prophetia onerosa*, seu de *pœna divina*. (2.) *Synecdoche partis* pro *toto*: per *Ninivem* enim intelligit non tantùm ipsam *Assyriorum metropolin*, sed & ipsum *regnum totum*. (3.) *Metaphora*, quâ per *visionem* indicat *prophetiam*, tam certam, ac si coram oculis omnia conspexisset Propheta. *Vatabl* in Annot. ad h. l. p. 619. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 881. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tr. 1. cap. 3. m. 4. p. 47. & cap. 12. p. 358.

Vers. 2. *Deus zelotes, & ulciscens Dominus, & dominus iræ, ulciscens Dominus de hostibus suis, & reservans ipse inimicis suis.*

I. In versu hoc habetur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim dicitur *zelotes*, ob *vehementem iram adversus rebelles ac improbos*, qui quasi violata fide, quâ sibi eos despondit, spiritualiter scortantur. (2.) *Hebraismus*: בַּעַל חֵמָה *dominus iræ*, h. e. *iratus*; ubi vox *dominus* notat *rei subjectum*. (3.) *Ellipsis nominis* substantivi, ex membro præcedente repetendæ: *Et reservans*, subint. *iram*. *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 185. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 35. m. 2. pag. 128. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 121.

II. Propheta sibi contradicere videtur: *Deum* enim pronunciat *iratum & ulciscentem*, v. 2. at v. 3. *benignum & misericordem*.

℞. Utrumque verum est, ratione *diversorum objectorum*, quæ uti sunt variè affecta, sic etiam in illa variè Deus agit: nam *improbis* irascitur, piorum autem miseretur, *Exod.* 20. v. 5. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 4. p. 844.

III. *Vorstius* exinde intulit, *Deum non esse ens simplicissimum, sed compositum ex subjecto & accidentibus*, quòd *contraria de ipso affirmentur.*

℞. Enunciantur hæc de Deo *effectivè*, non *affectivè*, cum in ipso non *inhæreant*, unde nec ex subjecto & accidentibus compositus verè dici potest. *Friedlib.* l. c.

Vers. 3. *Dominus longanimis, & magnus potentiâ, & absolvendo non absolvet: Domini in tempestate & in turbine via ejus, & nubes pulvis pedum ejus.*

Reperitur hoc loco (1.) Epizeuxis: *Absolvendo non absolvet*, id est, *ullo pacto non absolvet.* (2.) *Pleonasmus*: redundat enim relativum, *ejus*; ut sit: *Via Domini in tempestate & turbine est.* (3.) *Metaphora*: nam *via* pro *ratione & modo agendi* sumitur. (4.) Ἀνθρωποπάθεια: quia *nubes* dicitur *ut pulvis esse pedum Dei*, h. e. *incedere ipsum quasi per nubes*, ut homines per pulverem terræ; *celerrimeq́ progredi*, ut nubes in aere volitantes. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 620. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 881. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 28. p. 97. & lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 116.

Vers. 9. *Dominus idem peccatum non bis puniet, &c.*

I. *Pelagiani* voluerunt, *peccatum Adami in nos non propagari*, cum *Deus illud in Adamo jam dum punivert*, ideoque *in nobis non puniat*, siquidem *idem peccatum non bis puniat.*

℞. (1.) Peccatum *Adami* non fuit unum *numerô* peccatum, sed *specie*, & *totius speciei*: ideoque ut *ille*, ita *nos* in *illo* peccavimus; ergo & jure Deus nos propter *illud* punit. (2.) Malè locum hunc interpretati sunt *Pelagiani*, cum in *Hebræo* sit: *Non consurget bis angustia.* Ubi non de *peccato*, sed de *pœna peccati* Propheta loquitur, hoc sensu, *Deum ita severè puniturum populum, ut non opus sit iteratione plagæ, cum prior omnia planè sustulerit*, ut ex præcedentibus patet. Inde verò non sequitur, nos *imitatione* tantùm peccare. *Scharp* tom. 1. Curs. Theol. p. 439. obj. 1 *Tarnov.* in Exerc. Bibl. p. 146. *Glass.* lib. 5. Phil. Sac. tract. 1. cap. 19. p. 480.

II. Ἄθεοι negant, *impiis restare adhuc aliud judicium in altero seculo expectandum*, quia *in iis Deus exerceat judicium in hoc tempore*, ac propterea *idipsum in altero seculo non sit exerciturus*, alioqui *peccatum bis puniret.*

℞. (1.) Verba Prophetæ non sunt *consolatoria*, quasi Deus bis non affligat homines; sed *comminatoria*, de *totali Ninivitarum eversione*. Sed quid hoc ad *negationem judicii divini, in altero seculo futuri.* (2.) Neque tamen *Deus bis judicat in peccatum*, cum impios hîc judicatos condemnabit in altero seculo: quis non *duas pœnas* pro *uno peccato* inferet, sed pœna, quę ante judicium *complete* inflicta non fuerat, in ultimo judicio complebitur. *Tarnov.* ibid. *Thom. Aquin.* part. 3. Supplem. q. 88. art. 1. ad 1.

Vers. 14. *Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur de nomine tuo ampliùs, de domo Dei tui succidere faciam sculptile &c.*

Iteratur (1.) Ellipsis: *Super te*, subint. *ô Ninivita.* (2.) *Metaphora*: Non *seminabitur de nomine tuo ampliùs*, h. e. *intercides & peribis.* *Jun.* in Bibl. h. l. p. 881. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. pag. 286.

CAP. II. v. 1. *Ecce super montes pedes Evangelizantis, audire facientis pacem: Celebra Iehuda festivitates tuas, redde vota tua; quia non addet ultra transire per te Belial, totus ipse succisus est.*

I. Propheta adhibet (1.) *Synecdochen* tum *partis* pro *toto*: nam quod de *pedibus* dicit, id de *ipsis hominibus*, à Deo ad consolandum missis, intelligendum; tum *speciei* pro *genere*, quia *pax* beneficiorum *cœlestium*, meritô Christi partorum, plenitudinem significat. (2.) *Ellipsin* participii: *Audire facientis pacem*, subint. *dicentis.* (3.) *Hebraismum*: Non *addet transire*, h. e. *posthac non transibit.* *Jun.* in Bibl. h. l. p. 881. *Vatabl.* in Annot. ad eund. l. p. 621. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 3. p. 449. & cap. 17. m. 1. p. 461.

II. *In Nov. Testam. Evangelium erat divulgandum*: siquidem *pedes evangelizantis & pacem audire facientis super montes Iudæ staturos*, prædicit Propheta.

*Judæi* excipiunt, non de *temporibus N. T.* sed iis, *quæ post captivitatem Babylonicam* contingere debebant, Prophetam loqui.

℞. Concesso, *literaliter* illud tempus intelligi, contendimus tamen, *eo adumbrata esse secula novi fœderis*, *Rom.* 10. v. 15. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 3. p. 844.

III. Promissio hæc non videtur *eventui* correspondisse, cum subsecutis temporibus per *plures hostes* Juda coangustata sit, adeoque *plures Beliales* per eam transierint.

℞. Nomine *Belial* propriè intelligitur Rex Assyriæ *Sennacherib*, ejusque exercitus, qui nunquam in Judæam rediit, cum trucidatus sit à filiis, *Esa.* 37 vers. 38. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. §. 180. p. 344.

Vers. 4. *Clypeus fortium ejus rubefactus est, viri potentiæ coccinati, in igne tædarum currus, in die præparare se, & abietes venenatæ fuerunt.*

Offert se (1.) *Enallage* tum *numeri* singularis, *clypeus* & *currus*, pro plurali, *clypei* & *currus*, scilicet falcati: tum relativi, *ejus*, pro antecedente, *Nabuchodonosoris*; tum *temporis* præteriti, *rubefactus est* & *venenatæ fuerunt*, pro futuro, *rubefient* & *venenabuntur*. (2.) *Metonymia* partim *adjuncti* pro *subjecto*, quia חַיִל *potentia* pro *exercitu potenti* ponitur; partim *materia* pro *materiato*: nam *abietes* pro *lanceis* usurpantur. Ex *abietibus* fiunt hastæ, in summo acutæ, quibus homines transfiguntur. (3.) Hypallage: *In igne tædarum currus*, i. e. *in curribus* [militaribus] *erunt tædæ ignitæ.* *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 621. *Glass.* lib 3. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. pag. 19. *Friedlib.* in Annot. ad h. loc. class. 1. p. 843.

Vers. 7. *Portæ fluminum apertæ sunt, & templum liquefactum est.*

*Enallage* est (1.) *numeri* pluralis pro singulari, ad denotandam *magnitudinem & excellentiam*: Portæ הַנְּהָרוֹת *fluminum*, hoc est, *fluminis illius maximi*, quod *Tigris* vocatur. (2.) *Temporis* præteriti, *apertæ sunt* & *liquefactum est*, pro futuro, *aperientur* & *liquefient.* *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. pag. 622. *Glass.* lib. 5. Philolog. Sacr. tract. 1. can. 24. p. 89.

CAP. III v. 4. *Propter multitudinem scortationum meretricis, pollentis gratiâ, dominæ præstigiarum, &c.*

Verba hæc continent (1.) Ellipsin: *Evenerunt hæc ei* propter multitudinem &c. (2.) *Metaphoram*: quia per *scortationes* intelliguntur *idololatria.*

(3.) Pro-

(3.) Prosopopœiam: *Nineve* enim introducitur tanquam *eximia meretrix*, quæ arte quadam imponere solet amatoribus suis, eosque ad se allicere. (4.) *Hebraismum*: בַּעֲלַת כְּשָׁפִים *domina præstigiarum*, h.e. *habens præstigias*; quo ipso multiplex ejus civitatis veneficiorum maleficiorumque studium perstringitur. *Arias*. part. 4. Bibl. p. 186. *Vatabl*. in Annot. ad h.l. p. 622. *Jun*. in Not. ad eund. l. p. 882. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. can. 35. m. 1. p. 127. & lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 206.

Vers. 8. *Num melior es No nutritiâ, sedente inter flumina?*

*Prosopopœia* est: *No* enim, quæ postea *Alexandria* vocata fuit, *nutrissa* dicitur, hoc est, *mater quasi & nutrix totius Ægypti*, opum amplitudine, & emporii celebritate. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 206.

Vers. 15. *Ibi comedet te ignis, succidet te gladius, comedet te, ut bruchus: numerosam te effice, ut bruchus, numerosam te effice, &c.*

Iteratur (1.) *Prosopopœia*: nam *comedere* tribuitur *igni consumenti*. (2.) *Enallage imperativi* pro *subjunctivo*, cum conjunctione, *quamvis*: הִתְכַּבֵּד *numerosam effice te*, h. e. *etiamsi numerosam te efficeres*, &c. *Jun*. in Bibl. h.l. p. 883. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 43. m. 2. pag. 359. & lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 203.

Vers. 19. *Non restrictio fracturæ tuæ, infirmata est plaga tua: omnes audientes auditum tuum plauserunt manu super te, &c.*

Occurrit (1.) *Metaphora*: Non *restrictio fracturæ tuæ, infirmata est plaga tua*, h. e. *vulnus tuum est incurabile*; alluditur ad *fracturam membrorum*. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *auditus* pro *fama* est. (3.) *Hebraismus*: שִׁמְעֲךָ *auditum tuum*, h. e. *de te*; ubi pronomen possessivum notat *objectum*. *Vatabl*. in Annot. ad h.l. p. 624. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 6. p. 110.

## VINDICIÆ

## PROPHETÆ HABACUC.

CAP. I. v. 5. *Aspicite in Gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cum narrabitur.*

*Papistæ* quidam censent, *unius ejusdemque loci posse esse plures sensus literales*: Prophetam enim loqui de *captivitate Babylonica*, quod Paulus, *Actor*. 13. v. 41. ad *resurrectionem Christi à mortuis* accommodat.

Rx. Unicus est hujus loci sensus *literalis*, quem Propheta de *captivitate Babylonica* profert; Apostolus verò tantùm per *analogiam & similitudinem* verba Prophetæ adducit, quia utrumque opus, *captivitatis scilicet Babylonicæ* olim, & *resurrectionis Christi* jam, Judæis erat incredibile: quandoquidem *hoc posterius* aliquando magno suo cum malo, nolint velint, credere cogantur, perinde atque veteres Judæi olim eventu ipso vaticiniorum Propheticorum de *captivitate Babylonica* veritatem agnoscebant. *Walther*. in Harmon. Script. Sacr. §. 181. p. 344.

Vers. 8. *Et leviores erunt pardis equi ejus, & acutiores erunt lupis vespera, & multiplicabuntur, &c.*

Habacuc usurpat (1.) Metaphoram: *Acutiores erunt*, i.e. *perniciores & velociores*; translatione sumta ab *ensibus acutis*, qui facilè pertranseunt. (2.) *Enallagen nominis* substantivi, *vespera*, pro adjectivo, *vespertinus*. (3.) *Synecdochen*: *vesperâ* enim *noctem* comprehendit, *Hebræorum* more, unde iidem sunt lupi *vespertini & nocturni*. *Vatabl* in Annot. ad h.l. pag. 625. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 8. m. 2. p. 34.

Vers. 9. *Tota ipsa ad rapinam veniet, haustus faciei eorum ad Orientem &c.*

In versu hoc habetur (1.) *Ellipsis* tum *nominis* substantivi, *Tota ipsa*, scilicet, *gens*; tum *verbi* passivi, *Ad Orientem*, subint. *dirigetur*, vel *spectabit* (2.) Metaphora: *Haustus faciei eorum ad Orientem*, h.e. *quicquid adspexerint & rapere decreverint, id destinabitur ab eis deportandum in Chaldæam* sive *Babyloniam*, quæ Judææ *Orientem* versus sita est. *Vatabl*. in Annot ad h. loc p. 625. *Jun*. in Not. ad eundem locum p. 884. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 310.

Vers. 11. *Tunc pertransiit spiritus, & præteriit, & delinquet: hanc potentiam suam Dei sui.*

Verba hæc exhibent (1.) *Enallagen temporis* præteriti, *pertransiit & præteriit*, pro futuro, *pertransibit & præteribit*. (2.) *Metonymiam causæ* pro *effectu*: nam *spiritus* pro *affectu* seu *motu animæ* sumitur. (3.) Ellipsin: *Prædicant* hanc potentiam suam Dei sui *esse*. *Jun*. in Bibl. h. loc. p. 885. *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. pag. 8.

Vers. 12. *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, sancte meus, non moriemur.*

*Galatinus* l. 1. de Arcan. Cathol. Verit. c. 8. Scripturam V.T. arguit *corruptionis*, quia anteâ in *Hebræo* textu fuerit, לֹא תָמוּת, *non morieris*; Scribæ autem Judæorum correxerint, לֹא נָמוּת, *non moriemur*.

Rx. Hebraici codices constanter legunt, לֹא נָמוּת, & LXX. Interpretes habent, οὐ μὴ ἀποθάνωμεν: Vulgata vertit, *non moriemur*, quomodo & Hieronymus. Exinde constat, etiam in *Hebræo* sic fuisse lectum; aut fateri oportet, *Vulgatam quoque editionem esse corruptissimam*, vel ipso *Bellarmino* teste l. 2. de V. D. c. 2. p. 89. Et si scriptum olim fuisset in hoc textu, לֹא תָמוּת, *non morieris*; quæ causa Scribas movisset, ut datâ operâ verbum istud pervertérent? Certè *immortalitatis divinæ* evidens id fuisset argumentum. Cum igitur causa mutationis factæ adferatur nulla, lectionem nostram ut sanam, primævam & authenticam accipimus, utpote quæ textui etiam quam optimè convenit. Propheta enim h. l. de populo Dei asserit, quòd nempe Dei paterna manus nos ob peccata castiget, non tamen *morti* totos tradat, *Psal*. 118. v. 17. & 18. 1. *Corinth*. 10. v. 13. *Hunn*. tom. 2. Oper. Lat. p. 130. *Glass*. lib. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 1. obj. 10. art. 1. p. 52. & sect. 2. obj. 77. p. 167.

Vers. 13. *Mundus es oculis pravidendo malum, & respicere molestiam non poteris: cur respicies prævaricatores, taccbis in deglutiendo impio justiorem se?*

I. Reperitur hoc loco (1.) Hebraismus: *Mundus es oculis pravidendo malum*, h. e. *mundior es, quàm ut videas malum*. (2.) *Metaphora*, quâ *deglutire* significat *disperdere*. *Glass*. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 1. observ. 4. m. 3. o. 2. p. 659. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 310.

II. Objectionem Ἀθέων contra *providentiam Dei* vide confutatam in Vindic. *Hiob*. 21. v. 7.

Vers.16. *Propterea sacrificabit sagenæ suæ, & suffiet reti suo, &c.*

*Metaphora* est: nam *Rex Babylonis*, crudeliter Judæam infestans, *sacrificare sagenæ suæ, & suffitum facere reti suo* dicitur, hoc est, *suis viribus & copiis, suaque potentia propria* (ea enim *sagenæ* & *retis* nomine exprimuntur) *omnes victorias & prædationes adscribere atque ex his arroganter ut Deum terrestrem se venditare. Glass.* lib.5. Philol.Sacr.tract.1. cap.11.p.334.& cap.13.p.429.

CAP.II.v.3. *Adhuc hæc visio in statutum tempus, & efflabit ad finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta eum, quia veniendo veniet, non tardabit.*

I. Recurrit (1.) *Ellipsis* verbi, ex sequentibus supplendi: *In statutum tempus*, scilicet *differetur*. (2.) *Metaphora*: nam *efflare*, הפיח, notat *bona & salutaria confidenter loqui*. (3.) Epizeuxis: *Veniendo veniet*, hoc est, *omnino veniet*. Repetitio verbi facit ad indicandam *rei certitudinem*. *Vatabl.* in Annot.ad h. l. p.626. *Glass.* lib.4. Philol.Sacr.tract.2. observ.12.p.725.& lib.5.tract.1.cap.12.p.341.

II. *Papistæ* aliqui statuunt, *unius ejusdemque loci posse esse plures sensus literales*, quoniam hæc Prophetæ verba dicantur de *primo Christi adventu*, & tamen Paulus, *Hebr.* 10. v.36. seq. de *secundo* interpretetur.

R. Nec de *primo Christi adventu* Propheta hic loci prophetat, nec Paulus de *secundo Christi adventu* eum interpretatur, sed de *constantia fidelium* in expectandis Dei promissionibus. Itaque apud Paulum idem sensus *literalis*, qui est apud Habacuc. *Gerhard.* in Conf.Cath.lib.2.spec.part.1.pag.241. seq.obj.7.

Vers. 4. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivet.*

I. In Hebræo est *Metaphora*: nam adjectivum participiale, עפלה a substantivo עפל *clivus*) *elatum animo*, & contumacem arrogantemque notat, *Junius* in Bibl. h. l. p.885. eleganter per Latinam vocem, suo conformem, *ebullare*, vertit, ut *infidelis & injustus* notetur, qui etsi in *clivum* specie videtur assurgere, & permagnus mons esse, *ebullat* tamen, h.e. non magis est quam *bulla*, crepat, & sua ipsius imbecillitate rumpitur. *Glass.* lib.5.Philol.Sacr. tract.1.cap.10.p.275.

II. *Fides salvifica semper est cum charitate conjuncta*: nam *justus ex fide vivit*: at non vivit *sine charitate*.

*Bellarminus* l.1. de Justif. cap. 15. resp. ad obj. 6. respondet 1. videri hunc sensum esse, *justum sustentare ac tolerare desiderium cœlestis patriæ ex fide*, quoniam *fides quodammodo præsentem faciat beatitudinem, quæ suo tempore futura speratur.*

R. Locum hunc longè aliter Paulus exponit pro ipsa *justificationis gratia*, quæ dicitur *vita*, quia causa est vitæ, *Rom.* 1. vers.17. & *Galat.* 3. vers. 11. Hoc modo manifestum est argumentum: *Quicunque justificatur per fidem, is assequitur vitam. At nemo assequitur vitam, qui non renunciârit peccatis, & charitatem admiserit.* Ergo *nemo justificatur per fidem, qui non renunciet peccatis, & charitatem admittat.* Non potest igitur fides esse absque charitate.

2. Etiam *justum vivere spiritualem vitam ex fide*, qualis est in hominibus *justis*, id est, *formata per charitatem.*

R. Quam fidem Sophista dixit *formatam*, ea est *vera fides*: quicunque igitur *credit in Christum*, is habet hanc *fidem formatam*, verbo Dei teste. *Cham.* tom.3. Panstr. lib. 12. cap.16.§.14.seq.pag. 197.

III. *Fides salvifica non aliunde demum, videlicet ex charitate, vitam suam sortitur*; siquidem *per fidem salvificam spiritualis vita nobis confertur*, juxta Prophetam: *Justus ex fide vivet.*

Excipit 1. *Bellarminus* l.2. de Justif c.4. Prophetam non loqui de vita *justitiæ*, sed de vita *spei*, quæ justum patienter expectare facit.

R. (1.) Omnino loquitur Propheta de vita *justitiæ*: tum quia Apostolus, *Gal.* 3. v.11. ex professo de *justificatione fidei* disputans, Propheticum hoc enunciatum eò accommodat; tum quia Propheta opponit hæc duo, scilicet *vivere*, quod tribuit *justo*; & *displicere Deo*, quod tribuit *incredulo*. Exinde *Corn. a Lap.* in Com.Rom. c.1. concludit, quòd Habac. loquatur de vita *justitiæ*, quâ justus, quatenus est just', vivit. (2.) Sed etsi Habacuc de vita *spei* loqueretur, ex eo tamen non est inferendum, *per fidem nobis non obtingere vitam spiritualem*, sed potiùs contrarium exinde sequitur. Nisi enim *fide* certi essemus, nos Deo reconciliatos, ac vitæ spiritualis participes factos esse per Christum, nunquam in periculis animô quieto ac pacatô esse, aut in *silentio & spe* vitæ æternæ gaudia expectare possemus. Igitur ex *fide* in mediis malorum & periculorum syrtibus vivimus, hoc est, *vitam & veram consolationem* in corde sentimus, quæ consolatio initium est *vitæ æternæ*. (3.) Nec in *futuro* solùm dici potest, justum ex fide *victurum*: sed etiam in *præsenti*, justum ex fide *vivere*, ut Vulgatus Interpres vertit, *Gal.* 3. v. 11. & ut legit *Augustinus* l. 4. de C. D. c. 20. nam qui credit in Filium, *habet* vitam æternam, *Joh.* 3. v.36.

2. *Id. ibid.* Prophetam commendare voluisse id, *unde initium ducit vita justorum*: *à fide* enim vitam justorum *inchoari*, *à charitate* autem *perfici.*

R. (1.) Vita justorum spiritualis non tantùm *initium* accipit à fide, sed etiam *complementum*, cùm sententia hæc sit *universalis*, ad eos quoque pertinens, qui *jam justificati* sunt: atque *horum* vita spiritualis omnis crescit & conservatur per fidem, fatente *Cornelio à Lapide* l.c. (2.) Charitas non *perficit* vitam spiritualem, sed de ea *testimonium fert externum*, quemadmodum per *motum* vita naturalis manifestatur. Distinguendum ergo inter vitæ spiritualis *causam*, & *indicium*. *Fides* est spiritualis vitæ *causa*, quia Christum vitam apprehendit, *Gal.* 2. v.20. *Charitas* verò est vitæ spiritualis *indicium*, 1.Joh.3.v.14.

3. *Costerus* in Enchir. c. 4. p. 174. sensum esse, quòd *justus ad fidei normam vitam dirigat*, sicut *medicè vivere* dicatur, *qui ex præscripto Medicinæ vivat.*

R. (1.) Propheta non refert τὸ *vivere* ad *mores*: tum quia *fides* non est norma morum, sed *lex*; tum quia Apostolus ex Prophetico hoc enunciato probat, *hominem justificari gratis sine operibus, per fidem in Christum*, *Galat.* 3. v. 11. per *motus* ergo seu *opera legalia* salutem æternam consequi nullus potest (2.) Est longè dispar ratio harum phrasium, *vivere ex fide*, & *vivere medicè*: siquidem *illa* notat *vitæ spiritualis in his terris, & æternæ in cœlis consecutionem*, teste *Salmerone* disp. 11 in Rom. at *hæc* significat, *ex præscripto Medicinæ vivere.* Uti ergò, alia est ratio *curationis Medicinæ*, & alia *justificationis fidei*: ita quoque alia est ratio inter hasce loquendi formulas. (3.) Aliud est *vivere ex fide*, aliud

*vivere*

*vivere digne Evangelio.* Prior locutio exponit *justificationem coram Deo*, *aeternamque salvationem*, posterior *conversationem hominis jam justificati*: quia veram fidem tanquam fructus sequuntur opera, Christiana professione digna. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de Justit. §. 121. pag. 1310-1313. & in Confess. Cathol. lib. 2. spec. part. 3. pag. 659. 660. seq. *Meysart.* in Anticost. pag. 44. - 49.

IV. *Homo coram Deo non demum Christi imitatione justificatur*: *justus* enim *ex fide sua vivet*.

*VVeigeliani* obvertunt 1. Prophetam non de *justificatione, & vita aeterna*; sed de *captivitate solùm Babylonica tum futurâ* agere, in qua sub cruce soletur pios.

℞. Adversarii impudenti ore *Apostolo* in faciem contradicunt: cum enim propositionem Propheticam ad *justificationem* accommodare, ex *Rom.* 1. v. 17. & *Gal.* 3. v. 11. patet. Quare falsum est, vaticinium Prophetae *captivitatem tantùm Babylonicam* respicere, cum *directò* de *vita* loquatur *aeterna*. Verbum enim in futuro hoc loco positum, VIVET, (quod *vitam nunquam abrumpendam, sed perpetuò duraturam* denotat) ex *lege* petitum est, *Levit.* 18. v. 5. *qui fecerit haec, vivet in eis*, scilicet non solùm in *hac*, sed etiam in *futura* vita. Quia verò lex per carnem ita infirmata est, ut nemo facere queat omnia, quae sunt *legis*, *Rom.* 8. v. 3. Propheta promissionem *legalem* convertit in *Evangelicam*, docens, justitiam & vitam non ex *lege & operibus*, sed tantum ex *fide* haberi, cum ex lege nemo *vitam*, sed solùm *maledictionem* consequatur. Itaque Propheta solatur quidem populum in futura *captivitate*, simul tamen praeter *temporale* solamen *piorum fiduciam* eò quoque evehit, ut non solùm *temporaneam liberationem*, sed *aeternam quoque redemptionem a Deo per Christum* expectare debeant, sicut Propheta c. 3. v. 13. sese explicat.

2. Verba in sede originali non sonare, *justus ex fide vivet*; sed, *justus vivet in veritate* seu *integritate sua*.

℞. Dictum hoc non de *veritate*, hoc est, constantia in dictis & factis, seu *integritate hominis*, quâ coram Deo homo justificetur & vivat, explicari potest, cùm Propheta ibi de *promissionis divinae certitudine*, & de *fiducia justorum in Deo* (quam Paulus vocat πίστιν, utpote quae in voluntate sine *fiducia* nunquam est) agat, *superborumque in seipsis*, & fiduciam *justorum in Deo* opponat. *Thumm.* in Impiet. Wigel. p. 134. 135. seq.

V. *Sacramenta non prosunt ad justitiam & salutem sine fide*: quandoquidem *justus ex fide sua vivet*; itaque *fides* ex parte *nostra* requiritur ad recipienda beneficia, in *verbo & Sacramentis* oblata.

*Bellarminus* l. 2. de Effect. Sacram. c. 9. resp. ad 1. arg. regerit 1. Scripturam non dicere, quòd justus ex *sola* fide vivat, proinde relinqui locum suum *Sacramentis*, alioqui non solùm *Sacramenta*, sed etiam *Deus* & *meritum Christi* excluderentur.

℞. Utrumque asserit Scriptura, & nos ex ea, *justum scil. ex fide vivere*, & suum locum *Sacramentis* relinquendum esse: hoc verò est, quod negamus, Sacramenta *ex opere operato sine fide* prodesse. Quemadmodum enim nec *Dei gratia*, nec *meritum Christi* sine *fide* cuiquam ad justitiam obtingit: ita quoque *Sacramenta* non justificant sine *fide*.

2. Verba illa Prophetica non significare ad literam, *justum hominem fieri aut reputari ex fide*, sed *justum ex fide, quam habet, constanter expectare, quae Deus promisit, & non frangi aut deficere, etiamsi promissiones tardari videantur.*

℞. Propheta *literali* sensu de *Judaeorum duntaxat liberatione, & expectatione ejus beneficii* non agit, alias necesse esset fateri, Paulum *Rom.* 1. v. 17. & *Gal.* 3. v. 11. Prophetae vaticinio fuisse abusum, ait *Justinianus* Jesuita in Comm. Rom. 1. siquidem Apostolus ille ibidem non agit de *expectatione promissionum per patientiam in cruce*, sed de *justificatione per fidem in Christum*, de qua etiam Propheta loquitur, teste *Cornelio à Lapide* in c. 1. Rom. Scopus enim ipsius Prophetae est ostendere, qua ratione pii in quibusvis adversis sese sustentare possint ac debeant, videlicet *vera & unica in Messiam fide*, quâ cum sciant, *se esse justificatos, & apud Deum in gratia constitutos*, omnia adversa magnô animô perferant, imò contemnant: ac consequenter monet, ut in specie in malis, per *Chaldaeos inferendis*, Israelitae fide in Christum sese sustentent. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 21. de Sacram. §. 80. p. 629. seq. & in Conf. Cath. lib. 2. spec. part. 3. p. 659. seq.

VI. *Infantes fidelium, sine percepto initiationis Sacramento defuncti, non salvantur fide aliena*: etenim *justus fide sua vivet*. Infantes autem illi *aeternùm vivunt*, ideoque *fidem suam*, id est, *propriam habent in suo corde*.

Obtendit 1. *Beza* part. 2. Resp. ad Act. Colloq. Mompelg. p. 101. *fidem parentum esse fidem filiorum*, & proinde *filios parentum credentium vivere fide ipsorum*, ut *suâ & propriâ*.

℞. Inane est hoc effugium. Nam quemadmodum *cor parentis* non est *cor filii*, ita neque *fides in corde parentis* est *fides in corde filii*. Et sicut ἀπιστία *parentum* non est ipsa *filiorum* ἀπιστία [ secus parentum ἀπίστων non nisi ἄπιστοι forent filii ] ita πίστις *ipsorum* non est πίστις *horum*.

2. *Piscator*, Prophetam duntaxat loqui de justis *adultis*, non verò de justis *infantibus*.

℞. Propheta loquitur de *omni homine justo*, sive *adulto*, sive *infante*: (1.) enim loquitur de *justitia Evangelica*, Paulo interprete, *Rom.* 1. vers. 16. & 17. quam Christus acquisivit non solis *adultis*, sed & *infantibus*. (2.) Paulus exinde probat, *nullum hominem in lege justificari apud Deum*, *Gal.* 3. v. 11. At non tantùm *adulti*, sed & *infantes* in lege non justificantur. Finge ergo, dictum istud Prophetae duntaxat loqui de *adultis hominibus*, & incidetur nervus argumenti Apostolici. Non enim sequitur: *Nullus hominum*, sive adultorum sive infantum, *in lege justificatur apud Deum*, quia *justus* (non nisi adultus) *in fide sua vivet*. Nam à positione *speciei restricta*, ad *illimitatam generis* positionem non licet procedere. *Fovverborn.* fasc. 2. Dissert. Theol. disp. 9. thes. 16. & 17. p. 393. seq.

VII. *In V. T. quicunque coram Deo fuerunt justificati, per fidem in Christi meritum fuerunt justificati*: hoc enim oraculum Habacuci, *Justus sua fide vivet*, pro *regula justificationis*, omnibus in V. quoque T. sequenda haberi debet.

*Smalcius* disp. 4. contr. Franz. fol. 93. replicat 1. verbum istud Prophetae ideò pro *regula omnibus sequenda* non potuisse haberi, quia non constet, *omnibus illud fuisse notum*.

℞. (1.) Dictum illud Propheticum omnino habet vim *regulae*, propter *sui universalitatem*, quia nulla hîc *restrictio*, & sicut hoc universale est, *haec faciens homo, vivet in eis*, Levit. 18. v. 5. ita non minùs universale est isthoc, *Justus ex fide sua vivet*. Neque

enim ullus justus non vivet ea fide sua. Unde etiam Paulus, *Rom.* 1. v. 17. & *Gal.* 3. v. 11. *universaliter* ea hoc enunciato, tanquam ex *communi regula*, argumentatur. (2.) Quòd verò *non omnibus innotuerit*, particularitatem non importat, cum nec *Epistola Pauli ad Romanos* omnibus statim fuerit cognita; quæ autem ibidem habentur, *omnes obligant*. Nullum verò est dubium, quin oraculum illud, seu res maximi momenti, in Synagogis Judæorum fuerit expositum: ast si qui non curârunt, ex *accidente* quod factum, *verbo* adscribi non debet; non secus ac hodierno tempore multa multis, quamvis in clara *Evangelii* luce constitutis, propter summam salutis incuriam, ignota sunt.

2. Prophetam annunciasse, non *quid Deus se in universum facturum promiserit*, sed *quid esset ex mera gratia facturus*.

℞. Hoc nihili est. Nam (1.) cum & in V. T. non ex *lege*, ab omnibus violatâ, sed ex *gratia* salus Patribus obtigerit; ideo *gratia* malè opponitur *ordinario Dei agendi modo, & promissio universali*. (2.) Etiam in N. T. promissio de *justificatione per fidem* non expressè inclusa est fœderis formulæ, & interim tamen in ea contenta indubiè intelligitur: quidni ergo de V. quoque T. idem diceremus? (3.) Hoc quidem fatemur, in *Lege*, qua tali, fidem non esse inclusam, quia Lex non est ex fide, *Gal.* 3. v. 12. quia tamen per *legem* nemo justificari potest, hanc gratiam Deus *ordinariè* statim obtulit per protevangelium, *Gen.* 3. v. 15. & per *sacrificiorum* ritum, *Lev.* 16. v. 30.

3. *Prophetico spiritu Habacucum prævidisse*, quid Deus facturus esset, idque innuere futurum, *vivet*, ideoque præterita V. T. tempora non concernere.

℞. (1.) Futurum, *vivet*, non infert *prævisionem futuri, & vaticinium de re quapiam futura*, alias etiam tale quid esset illud, *Levit.* 18. v. 5. *hæc faciens homo vivet in eis*; & adhuc in N. T. vaticinium esset, quia Apostolus, *Rom.* 1. v. 17. hanc vocem in *præsens* non mutat, sed *futurum* retinet, ζήσεται, *vivet*. (2.) Non *vaticinium* de N. T. sed *decretum universale* esse illud Habacuci enunciatum, de *omni tempore*, inde quoque patet, quia Paulus idipsum affert ad probandum, nec in V. nec in N. T. ex *lege* esse justitiam, *Gal* 3. v. 11. Est ergo vox, *vivet*, futurum *indefinitum*, quod ad *omne tempus* accommodari debet: *Quicunq; vult justificari, ex fide vivet*. *Stegm.* in disp. Antiphot. 32. q. 3. p. 368. 369. seq. *Thumm.* in Impiet. Photin. p. 518. seq.

Vers. 5 *Et etiam quia vinum prævaricatur, vir superbus, & non permanebit, qui dilatavit, sicut infernus, animam suam, & est veluti mors, & non saturabitur, &c.*

Est hîc (1.) *Metonymia* tum *effecti* pro *causa*, dum *vinum prævaricari* dicitur, h. e. *prævaricantem hominem facere*; tum *causa* pro *effecto*, quia *anima* pro *desiderio* est, eoque insatiabili. (2.) *Ellipsis* verbi: *Vir*, scilicet *fit*. (3.) *Hyperbole*: Qui *dilatavit, sicut infernus &c.* qua phrasi *maxima rapacitas atque avaritia* denotatur. *Artam.* part. 4. Bibl. p. 187. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. pag. 626. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 2. m. 3. p. 28. & cap. 19. p. 473.

Vers. 6. *Et dicet: Væ multiplicanti non sua (quousq; tandem) aggravans super se lutum.*

Iteratur (1.) *Ellipsis* nominis: *Et dicet*, subint. *justus*; nisi *Enallagen numeri* singularis, *dicet*, pro plurali, *dicent*, statuas. (2.) Metaphora: *Aggravans super se lutum*; quo intelligitur *divitiarum & opum immensa vis*, quæ iniquis suis possessoribus summè obsunt, perinde ac si *denso luto sese immergerent*, eumve portandum susciperent. Ut *lutum* impedimento eunti est, quò minus progredi possit, & quò plus sæpè conatur expedire, tantò magis intricatur: sic *opes, in pietatis via*, impedimento sunt ei, qui animum iis apponit, *Marc.* 10. v. 23. seq. *Luc.* 8. v. 14. Chaldæus *gravitatem debitorum* seu *peccatorum* vertit, quæ verè *densissimi luti onus*, animam premens in infernum, *Esa.* 24. v. 20. *Artam.* part. 4. Bibl. p. 187. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 885. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. p. 279.

Vers 9. *Væ quæstuoso quæstûs mali pro domo sua, ad ponendum in excelso nidum suum, ad eruendum se de manu mali.*

Recurrit (1.) Hebraismus: *Quæstuoso quæstûs mali*, h. e. *dedito quæstui malo*. (2.) *Metaphora*: quâ *nidus* significat *habitationem hominis*, in loco præalto extructam, translatione ab *avib.* deducta, quæ in altis rupibus nidificare solent. (3.) *Pleonasmus*: De *manu mali*, h. e. de *malo*, nisi *manum* pro *potestate* accipias. *Vatabl* in Annot. ad h. l. p. 627. *Iun.* in Not. ad eund. l. p. 885. seq. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 332.

Vers. 11. *Quoniam lapis è pariete clamabit, & tignum e ligno respondebit ei.*

Offert se (1.) *Enallage numeri* singularis, *lapis* & *tignum*, pro plurali, *lapides* & *tigna*. (2.) *Prosopopœia*: nam *lapis* dicitur *clamare* & *tignum respondere*, i. e. *testari*; quo ipso *gravitas pœnæ* innuitur, q. d. implorabunt ultionem à Deo contra te. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 627. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9 p. 203.

Vers. 15. *Væ propinanti proximo suo, adhibenti utrem suum, & etiam inebriare, ad aspiciendum super nuditates eorum.*

In versu hoc tangitur (1.) *Enallage* infinitivi, *inebriare*, pro participio, *inebrians*. (2.) *Euphemismus*: Ad *aspiciendum super nuditates eorum*, h. e. *ut cum eis facias & patiaris muliebria*; nam ita ferè Scriptura loquitur, & sequens versus confirmat. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 886. & *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 4. p. 364.

Vers. 17. *Violentia Libani operiet te, & vastitas jumentorum terrefaciet ea, propter sanguines hominis, & rapinam terræ, urbis, &c.*

Reperitur hoc loco (1.) *Metaphora*: quâ comparantur *hostes*, per quos Deus Babylonios pœnâ talionis affecit, *venatoribus*, summô studiô feras in Libano inquirentibus, persequentibus, trucidantibus &c. q. d. talis *crudelitas*, ô impetuose tyranne & Rex Babyloniorum, in te exercebitur ab hostibus, qualis à *venatoribus in Libano* adhiberi solet adversus capiendas & trucidandas feras; & *vastitas* te occupabit, qualis ipsas in *venatione* bestias terrere solet. (2.) *Metonymia*: Propter *sanguines hominis*, h. e. *cædes humanas*. (3.) *Synecdoche generis* pro *specie*: nam *urbs* pro *Ierusalem* est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 627. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 886. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 320. seq.

Vers. 18. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus? conflatile, & imaginem falsam?*

I. Objectionem *Carolostadii*, contra *imagines*, vide refutatam in Vindic. *Esa.* 44. v. 10.

II. *Bellarminus* l. 2. de Sanctor. imagin. cap. 5. arg. 2. probare vult, *idolum esse quamlibet imaginem falsam*, quia Habacuc *idolum* definiat *imaginem falsam*.

℞. (1.)

R. (1.) Locus hic à *Vulgato Interprete* distortus est. Veritas *Hebraica*, ex versione *Pagnini*, ita habet: *Quid prodest sculptile, quod sculpserit illud fictor ejus, aut conflatile, & quod docet mendacium.* Ubi non definitur idolum *imago falsa*, sed asseritur, *docere falsum*. Quanquam (2.) non *idolum* Propheta dixit, sed פֶּסֶל, *sculptile*, generalius certè nomen, quam ut contineat solas imagines, *falsum* quid significantes. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 14. c. 12 §. 7. p. 256. & tom. 2. l. 21. c. 9. § 17. seq. p. 426. *Ames.* tom. 2. Bellarm. Enerv. l. 6. c. 5. thes. 2. p. 222.

CAP. III v. 2. *Domine audivi auditum tuum, timui: Domine opus tuum vivifica in medio annorum illud, in medio annorum notum facies, in ira misericordiæ recordaberis.*

I. Propheta adhibet (1.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam *auditum* pro *fama* ponit. Junius *pronunciatum* vertit. (2.) *Metaphoram*: petit enim, ut Deus *opus suum vivificet*, hoc est, *promissum de populi sui salute ac defensione conservare & implere* velit, etiamsi in pœnis & calamitatibus, ex ira divina immissis, intermori quasi seu irritum fieri, hominibus afflictissimis videatur. (3.) *Pleonasmum*: *In medio annorum illud*, id est, *inter annos*, seu *interea temporis*, videlicet tribulationis & pœnarum, quas Deus cap. 1. v. 5. 6. seqq. comminatus fuerat; ubi τὸ *medium* & pronomen *illud* redundant. (4.) *Enallagen* indicativi, *notum facies* & *recordaberis*, pro imperativo, *notum fac* & *recordare*. (5.) Ἀνθρωποπάθειαν: siquidem *Deum misericordiæ recordari* dicit, cujus intuitu gratioso hominibus benefacit. *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 188. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p 628. & *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 149. lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 5. p. 65. cap. 7. p. 123. cap. 12. p. 352.

II. *Turrianus* autumavit, *Eucharistiam in Ecclesia mersio reservari*, cùm *præsentia Domini in medio duorum Cherubinicorum animalium id ipsum præsignârit*, teste *Cyrillo* in Comm.

R. (1.) Hic locus est nullus apud *Habacuc*, sed tantùm in editione LXX. *Interpretum*: ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ. *In medio duorum animalium cognosceris.* Nam Propheta longè aliter, ex interpretatione *Vatabli*, *Ariæ*, imò & *Vulgati Interpretis*: *In medio annorum notum facies.* At illi delusi vicinitate pro annis *duo* legerunt, sed *animalia* de suo suppleverunt, & verbum תּוֹדִיעַ passivè sunt interpretati contra analogiam. Atque sic *errantes* maluit sequi Jesuita, quàm *Hebraicam veritatem*; & *Vulgatam Latinam*. (2.) Donemus sanè peccatum hoc, quicquid est: quid tum autem? *Prædictam reservationem Eucharistiæ*, quis tam stupidus, ut concedat? (3.) Imò *Cyrillus* ibidem de ea nihil habet, quod accedat ad *reservationem*, ad *species*, ad *panem*, denique ad *Eucharistiam*; sed duntaxat *propitiatorium vetus*, & in eo παράδειγμα sive *exemplar*. Ex ipso igitur illo *propitiatorio* dixit Cyrillus constare, *Christum esse propitiationem.* Constare ergo non ex quoquam, quod nunc in usu sit in *Ecclesia Christiana*, sed quod in usu in *Synagoga Judaica*. Sed quid hoc ad *species panis in Ecclesia Christiana*? *Cham.* tom. 4 Panstr. l. 7. c. 8. §. 18. 19. 20. p. 176.

Vers. 4. *Splendor ut lucis erat ei, cornua de manu ejus fuerunt &c.*

Redit (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam אוֹר *lux* pro *Sole*, κατ' ἐξοχὴν sic dicto, accipitur, quia *lucis* quasi fons & scaturigo est. (2.) Metaphora: *Cornua* de manu ejus fuerunt ei, hoc est, *splendores*, ut Pagninus vertit. Chaldæus: *Scintillæ* (fulgura) *de curru majestatis ejus prodibant.* *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. pag 53. cap. 11. p. 308.

Vers. 6. *Stetit & mensus est terram, vidit, & exilire fecit gentes, & contriti sunt montes æternitatis, incurvaverunt se colles seculi, itinera seculi ei.*

Ecce (1.) Allegoriam: *Stetit & mensus est terram*, id est, *distribuit terram Chanaan.* Alludit ad *arcam Domini*, quæ quatuordecim mensibus substitit in Gilgale, donec distributa fuit terra per duodecim tribus Israelis. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Deo* enim tribuuntur tum *videre*, quo *ira* ejus denotatur; tum *itinera seculi*, hoc est, *gubernatio totius mundi perpetua.* (3) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: nam *montes & colles* ponuntur pro *dominis*, eorum incolis, qui multis seculis imperaverant in regione illa montosa; nisi *metaphoricè* intelligas de *populorum regnis.* *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 628. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 185. & cap. 10. p. 271.

Vers. 7. *Pro nihilo vidi tentoria Chusan, moverunt se cortinæ terræ Midian.*

Est hîc (1.) *Synecdoche*: nam per *Chusan-Risathaim*, Regem Syriæ, & *Midianem* intelliguntur *finitimi omnes*. (2.) *Metonymia materiæ* pro *materiato*: quia *cortina* pro *tentorio*, ex cortinis facto, sumitur. (3.) Hypallage: *Tentoria Chusanis*, & *cortina Midianis*, hoc est, *Chusanitæ & Midianitæ, in tentoriis habitantes.* *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 886. seq. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observat. 3. m. 1. p. 764. & lib. 5. tract. 1. m. ult. cap. 1. p. 19.

Vers. 9. *Nudatione nudabitur arcus tuus, juramenta tribuum, &c.*

Recurrit (1.) Hebraismus: *Nudatione nudabitur*, hoc est, *planè nudus factus est*. (2.) *Enallage temporis* futuri, *nudabitur*, pro præterito, *nudatus est*. (3.) *Ellipsis nominis* substantivi: *Nudatus est*, scilicet *alveus*. Loquitur Propheta de *maris & Jordanis miraculosa divisione*. (4.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Arcus tuus*, id est, *omnipotentiâ tuâ*. (5.) *Metonymia*: Juramenta tribuum, hoc est, *promissiones*, quas juramentô tribubus confirmaverat Deus. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 887. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 155.

Vers. 11. *Sol, Luna stetit habitaculo suo, ad lucem sagittarum tuarum ibunt, ad splendorem fulguris hastæ tuæ.*

Verba hæc continent (1.) *Ellipsin* conjunctionis copulativæ ו ET: *Sol & Luna*. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: nam *sagittæ Dei* dicuntur *fulmina & grandines*, quibus additur *fulgur hastæ*, quòd lapides illi cum *fragore*, *tonitribus & fulgetris* immissi fuerint, *Josu.* 10. v. 11. (3.) *Enallagen* partim *temporis* futuri, *ibunt*, pro præterito, *iverunt*; partim *numeri* singularis, *hastæ tuæ*, pro plurali, *hastarum tuarum*. *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 188. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 629. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 887. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1, cap. 7. p. 155.

Vers. 13. *Transfixisti caput de domo impii, denudando fundamentum usque ad collum, Selah.*

*Metaphora* est: (1.) *Transfixisti caput*, id est, *primogenitum Pharaonis* interfecisti, perinde, atque transfixisses eum ense, *Exod.* 12. v. 29. (2.) *Denudando fundamentum*, h. e. *terram tuam* ab hostibus tuis liberando, qui prius eam totam ita contegebant, quasi perpetuò fuissent in ipsa radicati, vers. 6. Ubi *fundamentum* pro *solo*, quod calcamus, accipitur,

pitur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l.p.629. *Iun.* in Not. ad eund.loc.p.887. *Glass.* lib.5.Phil. Sacr.tract.1.cap.12 p.387.

Vers.16 *Audivi, & expavit venter meus, ad vocem palpitarunt labia mea. ingredietur putredo in ossa mea, & subtus me expavescam, qui requiescam in die angustiæ, ascendendo ad populum, succidet eum.*

En(1.) *Metonymiam subjecti pro adjuncto*: nam *venter* pro *corde* est. (2.) *Ellipsin* nominis substantivi: *Ad vocem*, scil. *visionum*, in præcedentibus exhibitarum; & *Ascendendo*, subint. *hostem*, puta *Chaldæum*, qui etiam turmatim invasisse Judæam dicitur, 2. *Reg.*24.v.4. (3.) *Enallagen temporis* futuri, *ingredietur* & *expavescam*, pro præterito, *ingressa est* seu *invasit*, & *expavi*. *Vatabl.* in Annot. ad h.l.p.629. *Iun.* in Not. ad eund.loc.p.887. *Glass.* lib.5.Philol. Sacr.tract.1.cap.3.m.2.p.42.

Vers.17. *Mentiebatur opus oleæ, & arva non faciebat cibum. abscidit ex ovili gregem &c.*

Occurrit(1.) *Enallage temporis* præteriti, *mentiebatur, faciebat, abscidit*. pro futuro, *mentietur, faciet, abscindet*. (2.) *Prosopopœia*, quâ *opus* (fructus) *oleæ mentiri* dicitur, cùm votis hominum non respondet, sed spem expectantium multos fructus fallit. (3.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Abscindet*, scil. *hostis*, nisi impersonaliter exponas, *abscindetur*, **Man wird weggreiffen**. *Ariam.* part.4. Bibl.p. 188. *Vatabl.* in Annot. ad h.l.p.629. *Glass.* lib.3.Philol.Sacr.tract.3.can.23.m.1.pag.303.& lib.5.tract.1. cap.9.p.193.

## VINDICIÆ
# PROPHETÆ SOPHONIÆ.

CAP.I.v.8. *Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.*

*Anonymus quidam Calvinista* in Breviar. Ubiquetist.art.42.p.242.contendit, *Evangelicos debere vestem Missaticam in publico Ecclesiæ cœtu deponere*, eò quod *Deus minetur, se visitaturum esse super omnes, qui induti sunt veste peregrina.*

R. Dictum hoc (1.) *Tremellius & Iunius* exponunt de illis, *qui deliciis & vanitati student, palamque ostendunt invectis exoticis moribus & vestimentis.* At quid hoc contra *Ministros Evangelicos*, qui veste alba in Eucharistiæ administratione utuntur non ad *levitatem*, sed ad *ornatum*. (2.) *Tossanus* de illis, qui *in gratiam Gentilium Ethnicorum utuntur vestimentis*. Verum Evangelici ministri non in *gratiam Papistarum*, sed *liberè* utuntur veste alba, cujus usus Deo *per se & suâ naturâ* non improbatur. *Gerhard.* part.1. Disp. Theol.13.§.20.m.2. p.1373.seq.

Vers.9. *Visitabo super omnem transilientem super limen in die illa, &c.*

*Periphrasis* est *effractoris*, administri violentiæ, quam potentiores in tenues adhibent, quorum bona audacter invadunt & occupant: verbum enim דלג significat *cum fiducia potentiaque subsilire*, 2. *Samuel.* 22.v.30. *Psal.*18.v.30. &c. *Iun.* in Not.ad h.l.p.888. *Glass.* lib.5.Philol.Sacr.tract.2. cap.7.p.577.

Vers.10. *Et erit in die illa, ait Dominus, vox clamoris à porta piscium, &c.*

*Pleonasmus* est: *Vox clamoris*, h.e. *clamor*. *Glass.* lib.3.Philol.Sacr.tract.1.can.38.p.152.

Vers.11. *Ululate habitatores mortarii, quia succisus est omnis populus mercatorum, disperierunt omnes ferentes argentum.*

I. Propheta utitur (1.) *Metaphora*: nam מַכְתֵּשׁ *mortarium* accipit, pro *loco profundiori* seu *cavo*, Judic.15.v.19. (2.) *Enallagen temporis* præteriti, *succisus est* & *disperierunt*, pro futuro, *succidetur* & *disperibunt*. *Iun.* in Bibl.h.l.p.888. *Glass.* lib.4.Philol. Sacr.tract.3.observ.17.p.872.& lib 5.tract.1.cap.12 p.408.

II. *Anabaptistæ* negant, *posse Christianos salvâ conscientiâ mercaturam exercere*, quoniam *mercatoribus excidium Deus minetur.*

R. (1.) In Hebræo est כְּנַעַן, quod *Chananæum* significat, quem Deus exscindere vult: hoc verò quid ad *mercatores*? (2.) Si omnino vox illa *mercatorem* notaret, non in *totum ordinem*, sed in *impostores* saltem stylum stringit Dominus: ipsum enim *ordinem* laudat, *Prov.*31.v.14. *Osiand.* tom.2.Paraphr. Bibl.p.502.

Vers.12. *Et erit, in tempore illo scrutabor Ierusalem lucernis, & visitabo super viros concretos super fecibus suis, dicentes in corde suo: Non benefaciet Dominus, nec malefaciet.*

I. Deprehenditur hoc loco (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus enim scrutari Ierusalem lucernis* dicitur, cum *quævis latentia peccata in apertum quasi producit, & dignis pœnis afficit.* (2.) *Metaphora*: Visitabo super *viros concretos super fecibus suis*, h.e. *qui securè, tranquillè & obfirmatè hærent in malo suo*, ludificantes interim Deum & homines. Chaldæus vertit: *Visitabo viros, qui tranquillè agunt in divitiis suis.* *Glass.* lib.5.Philol.Sacr.tract.1.cap.7.p.136. & cap.11.p.298.

II. Ἄθεοι nolunt credere, *fore aliquando extremum judicium, in quo Iudex piis præmia, & impiis supplicia decernat*; quia *Dominus nec benè, nec malè sit facturus.*

R. Propheta ibi non recitat verba *Spiritus Sancti*, sed *impiorum*, qui dicunt in cordibus suis, *Dominum neq; benè neq; malè facturum.* *Meyfart.* in Prælect. Theol.Compend.Hutter.loc.32. de Extrem.Judic. ad quæst.1.

Vers.14. *Propinquus dies Domini magnus, propinquus & festinus valde, vox diei Domini amara, clamans ibi fortis.*

Est hîc (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*. nam *calamitates & infortunia* dicuntur *dies Domini*, nimirum *justè ob malitiam homines punientis*. (2.) *Metaphora*: vox enim dicitur *amara*, i.e. *terrifica, minimèq; grata*, sicut ingrata sunt gustui *amara*. *Vatabl.* in Annot. ad h.l.p.631. *Glass.* lib.5.Philol.Sacr. tract.1.cap.4.m.3.p.59.

Vers.15. *Dies vastitatis & vastationis, dies tenebrarum & obscuritatis, dies nubis & caliginis.*

In versu hoc habetur (1.) *Hebraismus*: Dies שׁוֹאָה וּמְשׁוֹאָה *vastitatis & vastationis*, h.e. *vastitatis omnium maxima*. LXX. θρύβου καὶ θορυβήματος. Denotatur *dies omnium calamitosissima & malorum plenissima*. (2.) *Metaphora*: nam *dies tenebrarum & nubis*, pro *tempore ærumnoso atque infelice* ponitur. *Glass.* lib.5.Philolog.Sacr. tract.1.cap.10.pag 233. & 249.tract.2.cap.1 m.9. p.522.

CAP.II.v.1. *Scrutamini vos ipsos & scrutamini gens non desiderata.*

Zephanias usurpat (1.) *Metaphoram*, quâ קשש notat *seriò & accuratè scrutari, & curâ attentâ* examin-

*examinare* : propriè enim καλαμᾶσθαι, *stipulas colligere* significat, quæ res minutæ diligentiam requirunt colligentis. (2.) *Enallagen participii* pro nomine: *Gens* נִכְסָף לֹא *non desiderata*, hoc est, non *desiderabilis*, non *amabilis*, q. d. quæ sancto regni Dei desiderio non teneris. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 4. can. 2. m. 1. p. 410. & lib. 5. tract. 1. cap. 11. p. 304.

Vers. 2. *Antequam pariat decretum, ut gluma transit dies &c.*

Ecce (1.) *Ellipsin*: Antequam *Deus* pariat decretum, *antequam transeatis*, ut gluma transit &c. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν, quâ *Deus decretum parere* dicitur, id est, *exequi statutum*, quod pœnis velut prægnans Deus fecit, easque jam parturit. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 888. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 145. seq.

Vers. 3. *Quærite Dominum omnes humiles terræ, qui judicium ejus operati sunt, quærite justitiam, quærite humilitatem, si forte abscondatis vos in die furoris Domini.*

I. Verba hæc continent (1.) *Enallagen* tum *numeri* singularis, *judicium*, pro plurali, *judicia*: tum *personæ* tertiæ, *operati sunt*, pro secunda, *operati estis*; tum *temporis* præteriti, *operati estis*, pro præsenti, *operamini*. (2.) Hebraismum: *Si forte abscondatis vos*, hoc est, *abscondere possitis*, & sub fide Dei latere. *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 189. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 888. *Vatabl* in Annot. ad eund. l. p. 632.

II. *Papistæ* volunt, *bona opera mereri justificationem*, cum *ad ea*, puta *justitiam*, *humilitatem*, *&c. quærenda*, homines jubeantur & instigentur à Deo.

Rc. Est fallacia *causæ*: homines enim ad *quærendam justitiam, humilitatem &c.* instigantur, non *ut iis justificationem mereantur*, sed quòd *illa in sensus incurrant*, & *justos homines declarent Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 4. p. 855.

Vers. 5. *Væ habitantibus funem maris, &c. perdere faciam te a non habitatore.*

Occurrit (1.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: חֶבֶל enim *funis* notat *regionem*, *fune dimensam*. (2.) *Hebraismus*: Perdere faciam te מֵאֵין יוֹשֵׁב *a non habitatore*, h. e. *ut non sit habitator*. *Ariam.* part. 4. Bibl. p. 189. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 2. p. 10.

Vers. 11. *Terribilis Dominus super eos, quia attenuavit omnes Deos terræ, & adorabunt se illi unusquisque de loco suo, omnes insulæ gentium.*

*Christum in N. T. colere debebat orbis terrarum: nam omnes insulæ gentium eum adoraturæ erant.*

*Iudæi* excipiunt, esse sermonem de *Deo Patre*, non de *Christo*.

Rc. (1.) Unius positio non est alterius remotio: ideò quòd *Christum* veneraturæ erant gentes, simul & *Patrem* culturæ erant, *Joh.* 5. v. 23. (2.) Idem, quod hîc de Christo extat, prædicitur *Psal.* 72 v. 11. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 3. p. 854.

Vers. 14 *Vox cantabit in fenestra, desolatio in limine, quoniam cedrum ejus nudavit.*

Iteratur (1.) Ellipsis: *Vox*, scil. *inauspicatarum avium*, de quibus in membro versus hujus præcedente, & *Iesa.* 34. v. 11. seqq. (2.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *cedrus* pro *tabulatis cedrinis* est. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 889. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tr. 1. cap. 1. m. ult. p. 20.

CAP. III. v. 2. *Non audivit vocem, & non suscepit disciplinam, in Domino non est confisa, ad Deum suum non appropinquavit.*

Species quædam ἀντιλογίας occurrit: Propheta enim *populum Hierosolymitanum* accusat *inobedientiæ erga Deum & supinæ impietatis*, cum tamen *populus ille una cum Iosia Rege*, in cujus diebus *Sophonias* fertur vaticinatus esse, *Sophon* 1. vers. 1. *fœdus inierit coram Domino, ut ambularet post Dominum, & custodiret præcepta ejus*, 2. *Reg.* 23. v. 3.

Rc. Propheta hac ipsa severa sua concione plurimum *juvit institutum Regis* pientissimum in instaurando cultu divino, piis calcar addendo, ut in cœpta pietate pergant; impios verò & hypocritas terrendo, ut tandem desinant tales esse. *VValther.* in Harm. Script. S. §. 182. p. 345.

Vers. 3. *Principes ejus in medio ejus leones rugientes, judices ejus lupi vespera, non exossarunt in mane.*

Propheta adhibet (1.) *Metaphoram*: voces enim *leonum* & *luporum*, pro *truculentis tyrannis hominibusque rapacibus* accipit. (2.) *Enallagen* nominis substantivi, *vespera*, pro adjectivo, *vespertinus*, sive *nocturnus*: *vespera* enim *synecdochicè* etiam *noctem* comprehendi, apud Hebræos planum est. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 8. m. 2. p. 34 & lib. 5. tract. 1. cap 11. p. 322. seq.

Vers. 9. *Tunc reddam populis labium purum, ut invocent omnes nomen Domini, & serviant ei humero uno.*

I. Offert se (1.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *labium* pro *sermone* est. (2.) Metaphora: *Humero uno*, id est, ὁμοθυμαδὸν, *summo consensu*, translatione ducta à *bajulis*, qui simul humeros eidem supponunt oneri ferendo. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 634. *Glass* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. pag. 342.

II. *Judæi* ex hoc loco collegerunt, *Messiam nondum venisse*, cùm *temporibus Messiæ futurum sit, ut omnes Hebraicè loquerentur*; id ipsum verò nondum factum esse.

Rc. Propheta non dixit, tempore Messiæ omnes *Hebraicè esse locuturos*, sed omnes *nomen Domini invocaturos*; id quod *aliis etiam linguis* fieri potest: itaque *omnes linguas laudaturas Dominum*. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 11. c. 14. §. 12. p 206.

III. *Lizetus* in Dialog. de Var. Script. Vers. suadet, *Scripturam sacram non esse in varias linguas vertendam*, quòd *unô labiô purô*, id est, *Hieronymo* interprete, *unâ certâ linguâ*, omnes nomen Domini sint invocaturi; id quod à *linguarum diversitate* impediatur.

Rc. (1.) *Labium purum* appellatur, non propter ipsam *vocem* aut *sonum*, qui omnibus sit idem; sed propter *vocis & soni sententiam*, omnibus eandem. (2.) Neque etiam sensit *Hieronymus*, *unam certam futuram esse linguam*, quod crassissimum erat *Judæorum* commentum, eodem teste: sed fore, ut *omnium gentium lingua invocetur Deus*, hoc est, *omnis lingua confiteatur Dominum Iesum in gloria Dei Patris*. *Cham.* ibid. §. 2. & 12. p. 205. seq.

Vers. 19. *Et servabo claudicantem, & expulsam congregabo, &c.*

*Metaphora* est: *Ecclesia* enim dicitur in fœminino, צֹלֵעָה *claudicans*, id est, *calamitosa & afflicta*, de qua, ut *fœmina*, Scripturæ sermo formatur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 349.



# VINDICIÆ PROPHETÆ HAGGÆI.

CAP.I.v.1. *In anno secundo Darii Regis, in mense sexto, in die una mensis, fuit verbum Domini in manu Haggai Prophetæ ad Zerubbabelem, filium Sealthielis, ducem Iehuda, &c.*

Haggæus utitur (1.) *Enallage numeri* cardinalis, *una*, pro ordinali, *prima*. (2.) *Metaphora*: בְּיַד *in manu*, h.e. *operâ & ministeriò*. (3.) *Synecdoche species pro genere*: Ad Zerubbabelem *filium* Sealthielis, i.e. *nepotem*: siquidem *Phadaiem* erat *filius Sealthielis*, & *parens Zerubbabelis*, 1. Chron 3. v.18. seq. *Ariam* part.4.Bibl.p.191. *Vatabl.* in Annot.ad h.l.p.635. & *Glass.* lib.5.Philol.Sacr.tract.1. cap.12. p.343.

Vers. 4. *Numquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus vestris tabulatis, & domus ista deserta?*

*Dolingius* l. 4. de Antichrist. inter. cap. 20. p. 695. docet, *initium septuaginta septimanarum Danielis*, Daniel. 9. vers. 24. *non in secundum annum Darii incidere*, quia *anno Darii secundo & sequentibus Hierusalem jam ædificata fuerit*, cum Judæi, *Haggæo* teste, in *domibus tabulatis* habitârint.

Objicitur, *privatorum quorundam ædificia* fuisse extructa, tempore *Haggai*, non verò *ipsam urbem*: hanc enim demum *post Darium* ædificatam esse.

Respondet *Dolingius* ibid. *ipsam urbem* Haggæi tempore fuisse ædificatam, sed post Darium, tempore *Artaxerxis Iunioris*, restauratam, cum per *Samaritas* aliosve hostes esset diruta. Ita ille.

Vers. 5. *Et nunc sic dixit Dominus exercituum: Ponite cor vestrum super vias vestras.*

In textu hoc habetur (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *cor ponere super aliquid*, est, *omnis desiderio & conatu ei vacare, & diligenter perpendere*. (2.) *Metaphora*, quâ *via* notant *vitæ actiones & instituta*. *Vatabl.* in Annot. ad h. loc. p. 636. *Iun.* in Not. ad eundem locum pag. 891. Confer *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1.cap.3. m.1. p.34. & cap. 12. p.376.

Vers. 8. *Ascendite in montem, & afferetis lignum, & ædificate domum, & complacebo in ea, & glorificabor, dixit Dominus.*

I. Reperitur hoc loco (1.) *Synecdoche generis pro specie*: nam *mons* pro *Libano* est. (2.) *Enallage* tum *modi* indicativi, *afferetis*, pro imperativo, *afferte*; tum *numeri* singularis, *lignum*, pro plurali, *ligna*. (3.) *Hebraismus*: אֶכָּבֵד *glorificabor*, i.e. *gloriosum me ostendam*. Ubi defectu literæ ה finalis [ quæ *quinarii* nota ] Rabbini ajunt notari *defectum quinque rerum in templo secundo*, nempe *arca fœderis, Urim & Thummim, ignis superni, præsentia Dei*, & *Spiritus Sancti*. *Ariam.* part.4.Bibl. p. 191. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 636. & *Glass.* lib. 2. Philolog. Sacr. part. 1. tract. 2. sect. 3. art. 7. m. 1. p. 429.

II. Deus sibi *contradicere* videtur: hic namque urget *ædificationem domûs suæ*, cum tamen *Esa.* 66. vers. 1. & *Actor.* 7. vers. 48. testetur, *se domo non egere*.

℞. *Deus vult domum sacram ædificari*, non propter *se*, sed propter *populum*, ut ille ibi conveniat ad exercitium cultus divini. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. §.183 p.345.

Vers. 13. *Dixit Haggæus nuncius Domini de nunciis Domini populo, &c.*

*Riebera* in Comment. Hagg. c. 1. putat, interdum in Scripturis V. Test. *fœmininum* pro *masculino*, ad *rei præstantiam* significandam, usurpari, ut h. loc. fœmininum, בְּמַלְאֲכוּת, pro masculino emphaticè usurpatum.

℞. *Iesuita* in gratiam *Latinæ Versionis Vulgatæ* hoc dicit, quæ habet *pluralem* numerum, *de nunciis*, cum in fonte *Hebræo* sit singularis, *in legatione*, Aria interprete, *quâ* scil. *fungebatur nomine & jussu Domini*, ut *Vatablus* exponit, hoc est, cum legatus à Deo peculiariter constitutus fuisset ad populum. Chaldæus *Hebraismum* interpretatus, habet בשליחות, *in missione a Iehovah*. Et ita etiam *R. Salomo* explicat. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can.21, p.82. seq. & can. 30. m.1. p 103.

Vers. 14. *Et excitavit Dominus spiritum Zerubbabelis, filii Sealthielis &c.*

*Metonymia* est *causa* pro *effectu*: nam *spiritus* pro *affectu* sive *motu animæ*, eoque *bono* ponitur. *Glass.* lib.5. Philolog. Sacr. tract.1. cap.1. m.1. pag.8.

CAP II. v. 7. *Sic dixit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam.*

I. *Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: quia *cœlum & terra* pro *eorum incolis*, & *mare* pro *ipsius accolis* v. 8. ponuntur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract.1. cap.3. m.2 p 38.

II. *Messias jam pridem venit*: siquidem *exiguo tempore post templum secundum ædificatum venire debuit*; atqui ab ædificato templo secundo effluxere jam ultra *bis mille anni*, quod sanè exiguum tempus non est.

*Iudæi* excipiunt 1. non esse sermonem de tempore *Messiæ*, sed de *terræ motu*, qui circa tempora *Herodis Ascalonitæ* Judæam concusserit, & circa decem hominum millia oppresserit, cujus *terræ motûs* meminerit *Iosephus* lib. 15. Antiquit. Judaic. cap. 7. at verò sub adventum *Messiæ nostri* cœlum, terram, mare, aridam non fuisse commota.

℞. (1.) Fatemur, *terræ motum tempore Herodis Ascalonitæ contigisse*; falsum autem est, Prophetam *propriè ibi agere de terræ motu*, cum non tantùm de *terra*, sed & de *cœli*, *maris & aridæ commotione* sermocinetur: *hæc* verò ubi remanet? (2.) Falsum & hoc est, quod illa *cœli*, *terræ*, *maris & aridæ commotio* tempore nativitatis *Christi nostri* facta non fuerit. Nam ut nihil dicam de *miraculis*, quibus eo tempore *cœlum & terra & arida & mare* commota fuerunt, de quibus prolixè vide apud *Galatinum* l.4. de arcan. Cathol. verit. c. 10. & *Plutarchum* in libr. de Defectu Oraculorum; ea etiam subita mutatio ipsa nocte *nativitatis Christi* facta, huc referenda est. Ibi enim Dominus commovit *cœlum*, ex quo prodierunt Angeli, primi novæ nativitatis nuncii: commovit *aërem*, in quo miraculosa apparuit stella, quæ Magis domum infantis recens nati, & iter ad illam monstrabat: commovit *terram, mare & aridam*, quando ex universo orbe, terra marique confluebant homines, ad persolvendum Cæsari tributum. Ex quibus apparet, quàm apprimè congruat hoc vaticinium ad adventum *Messiæ nostri*.

2. Non fuisse *modicum tempus* ab hoc vaticinio usque ad illum annum, quo *Messiam natum esse*

dicunt

dicunt Christiani, cum ad minimum *quingenti effluxerint anni.*

℞. Non dicitur simpliciter, *adhuc modicum*, sed *unum modicum*, notans *certam brevitatem temporis definiti*, quod Daniel expressit c. 9. v. 24. de 70. *hebdomatibus*, quarum initium erat edictum *Cyri* vel *Darii* de reædificanda Hierosolyma ac templo. Aliàs si juxta modernorum Judæorum errorem *adventus Messiæ primus* adhuc expectandus esset, sequeretur omnino, falsum prædixisse Prophetam, quod tunc usque ad *Messiæ adventum*, modicum temporis reliquum esset, cum ab eo tempore, quo prophetia hæc prolata est, plures quam *bis mille* transierint anni, ut diximus. *Balduin.* in Comm. Hagg. c. 2. p. 68. seq & 77. 78. seq. *Iacob. Mart.* lib. 3. de trib. Eloh. c. 12. p. 63. seq.

III. *Jesuitæ* autumant, *unius ejusdemque dicti geminum esse possè sensum literalem*, cum loquatur hoc loco Propheta de *adventu Christi primo in carnem*, Apostolus verò, *Hebr.* 12. v. 26. dictum illud adducat ad *secundum Christi adventum* probandum, qui erit ad judicium.

℞. Apostolus ibi non agit de *extremo Christi adventu*, sed scopus ejus est. Hebræos instigare, ut libenter & magna cum reverentia, Christi verbũ accipiant in N. T. quippe in quo completum, quod olimper *Haggæum* in V. Test. promissum; & quem in seqq. versibus illis dicit esse formidandum, qui eum in *primo adventu* neglexerunt. *Tarnov.* in Comm. h. l. p. 48. seq.

Vers. 8. *Commovebo omnes Gentes, & veniens desiderium omnium Gentium. ac replebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum.*

I. Verba hæc continent (1.) *Enallagen numeri*: nam verbum plurale, באו *venient*, respondet nomini posteriori, גוים *gentes*, cum deberet priori, חֶמְדַּת *desiderium*, pro, *veniet*. (2.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: Messias enim dicitur *desiderium* gentium, h. e. *summè desideratus ac deamatus.* *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 54. p. 399. & lib. 5. tract. 1 cap 4. m 5. p. 66.

II. *Messias jamdudum*, stante scil. adhuc *templo secundo* Hierosolymitano, venit: in *ipso* enim *gloria illius desiderati debebat apparere*; templum verò illud ante *mille quingentos annos* dirutum est, & in cineres redactum.

Obvertit 1. *R. David Kimchi*, per *desiderium Gentium* non *ipsum Messiam*, sed *thesauros pretiosos* intelligi, hoc sensu, quòd Deus corda Gentium sit commoturus, ut ex locis variis confluant, ad videndam novi templi gloriam, & quidem non manibus *vacuis*, sed cum *rebus maximè desideratis.*

℞. Manifesta hæc est textus Prophetici depravatio: neque enim Haggæus de *Gentibus venturis* loquitur, sed de *venturo quodam planè singulari Domino*, qui *desideratus omnium Gentium* appellatur, quia ipsum multis suspiriis ac precibus jampridem omnes populi exoptarunt. Non autem possunt Judæi monstrare *alium ita desideratum*, quam *Messiam.* Unde *Talmud* tradit, *R. Akibam* (spectatæ inter Judæos authoritatis Magistrum) exposuisse de *Messia venturo in domo secunda.* Neque solum *R. Akibam*, sed alios quoque *Veteres* sic exposuisse, fatetur ibidem in glossa sua *R. Salomon.* Quare non est dubium, communiter ejus tempore hoc modo fuisse verba Haggæi intellecta: nostra igitur interpretatio cum *vetustis Doctoribus Hebræorum* consentit. Huic accedit alterum testimonium *Talmudis*, quòd *omnes Prophetæ vaticinati fuerint de diebus Messiæ*, lib. *Sanhedrin* c. 11. Atqui nullum in *Haggæo* vaticinium aliud de *Messia* reperitur, extra *hoc ipsum.*

2. *Param* in Calvin. Orthod. verbum Hebræum, בָּאוּ, *venient*, esse *pluralis* numeri, ideoque commodiùs de *divitiis Gentium*, quàm de *Christo* à Calvino exponi.

℞. Est hîc Enallage *numeri venient* pro *veniet*, ut *Arias* & *Vatablus* observant: neque enim *Christus vacuus venturus erat*, sed *allaturus secum ingentes beneficiorum spiritualium ac cœlestium thesauros.* Secus verbum illud etiam de *divitiis* exponi nequit, cum substantivum חֶמְדַּת *desiderium*, sit numeri singularis. *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin. p. 806. - 810. *Helvic.* tom. 4 Giess. disp. 13. p. 316. seq. *Balduin.* in Comm. Hagg. p. 71. & 78. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 11. p. 59. & cap. 12. p. 64. seq.

III. *Turrianus* lib. advers. Verger. exinde concludit, *templa materialia etiam ab Apostolis constructa, proindeq́; Nazarethicam B. Mariæ domunculam jam tùm cultam fuisse*; quòd *domum istam gloria suâ Dominus repleturus fuerit.*

℞. Negatur id sequi: nam Propheta disertè loquitur de *templo Hierosolymitano*: quid verò *hoc* ad *materialia Apostolorum templa*, & in specie ad *Nazarethicam Mariæ domum*? Nam *Apostolorum* tempore nulla templa erant, teste *Isidoro Pelusiota* lib. 2. Epist. 246. *Berneck.* in Demolit. Idol. Lauret. p. 37.

Vers. 9. *Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.*

I. *Calvinus* in Comment. arbitratur, in v. 8. præced sermonem de *auri argentique congestione* esse, quoniam *auri argentique* vocabulis illud *desiderii* nomen explicetur

℞. Particula ista non habet vim ἐξηγήσεως vocabuli *desiderii*, sed προλήψεως potius sive *occupationis*, quâ tacitè insinuat Dominus, non debere populum tristari, quod posterior hæc domus *splendore* cum priori componi nequeat. Quamvis enim non ita fulgeat *auri argentique thesauris*, sicut prius templum à Salomone conditum; tamen non propterea fore ignobilius: siquidem Dominus nihil moretur *externas illas opes*, utpote cujus alioquin est omne *aurum & argentum.* Esse verò quippiam aliud, cujus ratione posterius hoc templum priori longè sit futurum augustius, videlicet *corporalis in eo Messiæ præsentia*, quæ longè major futura sit gloria, quàm si omnes opes mundi, in unum collatæ, templo inferantur, aut id ex solido *auro & argento* constructum sit. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 807. seq.

II. *Manichæi*, propter *rerum proprietatem*, in V. T. concessam, *legem Dei* improbârunt, ut tonantem: *Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Histor. Magdeb. Cent. 3. cap. 5. p. 115.

℞. (1.) Cur non & improbant illi *Evangelium* in N. T utpote *proprietatem rerum* concedens, *Act.* 5. v. 4. (2.) Sensus effati Prophetici est, *Dominum effecturum, ut etiam illud ipsum templum secundum liberaliter auro & argento dotetur.* Sed quid hoc *contra proprietatem rerum*, aut *pro ea* facit? *Osiand.* tom. 2. Paraph. Bibl. p. 510. b.

Vers. 10. *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plusquam primo, & in loco isto dabo pacem, &c.*

I. *Messias jamdudum venit*: nam *in templo secundo Hierosolymitano præsens dare debebat pacem*; adeò ut *hinc gloria illius templi major fuerit,*

*quàm primi*; illud ipsum verò jam dudum devastatum est.

*Judæi* regerunt. 1. loqui Prophetam de *pace temporali*, quam Messias nollet in templo secundo non dederit.

℞. Propheta non loquitur de pace *mundana*, quippe quæ longè hic inferior fuit pace temporis primi templi (siquidem secundum templum ab *Antiocho, Pompejo, Cassio, Caligula, &c.* fœdè profanatum atque spoliatum fuit) sed de pace *spirituali*, quàm in templo secundo Messias daturus & confirmaturus erat, & ideo *Princeps pacis* nominatur *Esa.* 9. v. 4. Idem quoque *R. Akiba* sentit, ut ex *Talmud* in libr. *Sanhedrin*, cap. *Helec*, liquidò patet. Hoc ergo nisi concedatur, quomodo verum prædixit Haggæus? Noster verò Messias *pacem* dedit, non *mundanam*, Matth. 10. v. 34. sed *spiritualem*, Joh. 14. v. 27.

2. Gloriam majorem secundi templi non constitisse in *præsentia Messiæ*, sed partim in *ædificii splendore*, quia *Herodes* illud ita exornârit, ut nullum unquam ei simile visum fuerit; partim verò in *temporis duratione*, quoniam templum secundum *decem* plus, quàm primum, duraverit annos.

℞. (1.) *Gloria illa major templi secundi* non constitit in *ædificii splendore*, siquidem primum templum *splendore* longe superavit secundum, *Esdr.* 3. v. 12. tum quia *primum* templum intus ac foris *purissimo auro* obductum, & *pretiosissimis gemmis* undiquaque instructum fuit; id quod certe de templo *secundo* nuspiam legitur; tum quia tam preciosæ res defuerunt templo *secundo*, quæ cum nullo auro aut argento conferri possunt, ut *ignis* (cælitus delapsus) *arca fœderis*, *Urim & Thummim* (dans responsa immediatè à Deo) *oleum unctionis & Spiritus S.* (id est, donum prophetiæ, per immediatum instinctum Spiritus Sancti, post Haggæum, Zachariam, & Malachiam, ablatum) ipso asserente *Talmude* in lib. *Sanhed.* Hierosl. cap. *Illu ben haggolin.* (2.) Neque etiam *gloria illa templi secundi* constitit in *temporis duratione*, tum quia nemo putet, Deum propterea *cælum & terram & mare, & aridam & omnes gentes commovisse*, quia *decem* annis diutiùs statutum esset templum secundum primo; tum quia *durationis diuturnitas* ignominiam potiùs, quam *gloriam* auxit: quò enim diutiùs stetit templum secundum, eò plus profanatum fuit priore, ut prolixè testatur *Josephus* l. 12. Antiq. Judaic. c. 7. l. 18. Antiq. c. 4. & l. 1. Bell. Judaic. c. 21. Quæ cum ita sint, & templum *primum* tantâ gloriæ copiâ fulserit, ut ne in una quidem re cum illo *secundum* conferri potuerit, necessariò concludendum est, *majorem illam gloriam*, quam domus Dei ultima præ prima habere debebat, aliam non fuisse, quàm quòd *in illa venire debebat is, qui desideratus est cunctis gentibus*, h. e. *Messias*.

3. Herodem *secundum templum Zorobabelis* diruisse, & ejus loco magnificentius ac prorsus novum templum ex fundamentis extruxisse, teste *Josepho* l. 15. Antiq. Judaic. c. 14. Messiam autem nostrum ad *secundum* illud templum Zorobabelis non venisse, sed ad templum *Herodis*.

℞. Herodes quædam secundi templi ædificia amplificavit, & magnificentius exornavit, quædam verò ex fundamentis nova adjunxit ædificia, ita tamen, ut quoad *substantiam* fuerit & manserit secundum templum Zorobabelis. Non enim ad *tertiam domum Herodis*, sed ad *secundam domum Zorobabelis* Messias debebat venire, sicut & jamdudum venit. Et *Rabini* Judæorum tantum de *prima & secunda domo* scribunt; ac templum illud, quod Romani sub Tito destruxerunt, vocant *secundam domum Zorobabelis*. *Chemnit.* lib. 2. Harm. Evangel. c. 27. p. 114. *Balduin* in Comm. Hagg. c. 2. p. 76. & seq. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 13. p. 316. - 320. *Jacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 12. 13. 14. p. 65. - 75.

II. *Costerus* in Enchir. controv. de Relig. c. 1. p. 42. contendit, *Ecclesiam Christianam debere Scripturam habere, manu Dei exaratam*, sicut *Synagoga Judaica*; quia *gloria secundæ domûs fuerit major gloria primæ domûs*.

℞. (1.) Negatur id sequi: neque enim necesse est, ut *per omnia* talis sit scriptura in N. Test. qualis fuit in V. Testam. & in specie, qualis fuit Scriptura, *Dei manu in tabulis lapideis exarata*. Unde nec talem Jesuita in N. Testam. monstrabit. Itaque non necessum est, ut in N. Test. sint *omnia*, quæ fuerant in V. Test. nam *illud* habet quædam peculiaria, sicuti & *hoc* quædam habuit peculiaria. (2.) Quis Costerum docuit, *priorem domum* interpretari *Synagogam* V. Test. & *domum posteriorem*, Ecclesiam N. Test. & undenam habet, collationem *Synagogæ* V. & *Ecclesiæ* N. Test. hîc institui? Ipse contextus v. 4. & 9. docet, per *priorem domum* intelligi templum *Salomonis*, & per *posteriorem*, templum *Zorobabelis*, adeò ut *hujus* gloria major sit futura gloria *illius*, ex *præsentia Christi*, Lyra teste sup. h. loc. (3.) Largior quidem, gloriam *Ecclesiæ* Nov. Testament. esse majorem gloriâ *Synagogæ* Vet. Testament. nego autem, excellentiam illam constitisse in *habitione Scripturæ, manu Dei exaratæ*, sed in *Messiæ exhibitione*, Luc. 10. v. 24. & *ipsius corporis possessione*, Hebr. 10. v. 1. *Grawer.* in Anticost. disp. 1. thes. 52. - 64 p. 57. - 67.

III. *Turrianus* arguit, *corpus Christi in S. Cœna manere sub specie panis consecrati, etiam extra sumptionem*; eò quòd *major sit gloria secundæ domûs*, id est, *Ecclesiæ* Novi Testamenti, quam *domûs primæ*, hoc est, *Synagoga Judaica*, cum in *illa* Dominus gloriæ *semper* habitet; at non habitat semper, si Christus tantùm sit in *sumptione*: nam hac transacta, non habitabit.

℞. (1.) Negatur consequentia: nam in *Judaica* Ecclesia Dominus gloriæ semper habitavit, vel ipso *templo* teste, & *arca*; inde tamen confici non potest, aut debet, *corpus Christi in Ecclesia etiam Judaica sub specie panis extra sumptionem fuisse aut mansisse*: siquidem *illa* habuit duntaxat *umbram*, non *corpus*, Hebr. 10. vers. 1. (2.) Propheta ibi non comparat Ecclesiam *Judaicam* cum *Christiana*, sed *templum Zorobabelis* cum *templo Salomonis*: eò enim pertinet hæc promissio, futuram domûs *secundæ* gloriam illustriorem gloriâ *primæ*. Itaque *domus illa secunda* ad literam non est *Ecclesia* N. Test. sed illud *ipsum templum Judaicum à Zorobabele constructum*. Quod si *allegoriam* mavis, inepta ratio erit, eo ipso, quòd *allegorica*. (3.) Conceditur, Christum non habitare semper, si non nisi in *sumptione*: sed non habitare *extra sumptionem*, quis tam audax, ut diceret? Non nos sanè, qui scimus, *Christum habitare in cordibus nostris per fidem*, Ephes. 3. v. 17. & scimus, *Christum nobiscum esse omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*, Matth. 28. v. ult. Quis enim negat, nos E. G. fieri συσσώμους Christo, etiam in *Baptismo*? Itaque blasphemos dicimus, si qui negant, Christum habitare in Ecclesiâ, nisi *latitantem sub speciebus panis & vini*. *Cham.* tom. 4. Panstr. l. 7. c. 8. § 8. - 16. p. 176.

Vers.

Vers. 12. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga Sacerdotes legem.*

I. *Gretserus* in Colloq. Ratisbon. sess. 2. p. 56. negatur, *verbum Dei scriptum non esse unicam controversiarum Theologicarum*, quia *extra illud Deus miserit Iudæos ad Sacerdotes etiam.*

℞. Non vult Deus consuli Sacerdotes *extra legem scriptam*, sed *ipsammet illam legem*, quam Moses *scriptam* Sacerdotibus tradidit: quemadmodum etiam quæstiones illic propositæ non aliundè, quàm *ex scripto Dei verbo* decidi poterant, nimirum *Levit.* 11. & 15. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 398.

II. *Bellarminus* l. 3. de Verb. div. interpr. c. 4. arg. 4. colligit, *non esse privatorum hominum, judicare de sententia legis Domini*, sed *Sacerdotis*, quippe *quem Deus jubet interrogari de lege.*

℞. (1.) Adversarius non concludit, quod est in quæstione: nam quæritur de *summo judice*; at nemo nostrûm dicit, *homines privatos esse summos judices.* (2.) Deus non ait in singulari: *Interroga Sacerdotem*, sed in plurali, *Sacerdotes.* Quo ipso αὐτοπίστως illud jus *Papæ Romano* adimit, ut qui sibi soli arrogat potestatem judicandi de Scriptura. (3.) Agitur ibi de *uno quæstionis genere* quod Sacerdotibus ex lege divina notum esse poterat: id verò quomodo ad propositum pertineat, ipsemet Jesuita nescit. (4) Libenter concedimus, ut olim Sacerdotes V. T. ita Pastores hodie de *lege* interrogandos esse; eosque ad interrogata respondere debere ex *lege*: sed hoc tandem negamus, inde confici, *Sacerdotes esse summos controversiarum Iudices.* Imò contrà potiùs. Nam inquiri ab iis Deus voluit *legem.* Quam quæso? Illam ipsam, *quæ per Mosen erat tradita*, de sanctificatione nimirum & pollutione ex ceremoniis legis. Quarè si Sacerdotes *ex legis præscripto* respondere debebant, constat, non fuisse *ipsam legem.* (5.) Bellarminus malè opponit judicium *Sacerdotum*, & *privatorum*: quia judicium *Sacerdotum* non tollit judicium, quod etiam *privatis* Scriptura tribuit, 1. *Thess.* 5. v. 21. & 1. *Ioh.* 4. v. 1. (6.) Deus non remittit Prophetam ad Sacerdotes, ut *ab illis instrueretur*; sed ut *propria confessione Sacerdotum ipsorum hypocrisin convinceret & detegeret*, ut ex v. 15. patet. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 247. *Baldwin.* in Phosph. Cathol. l. 7. c. 6. p. 711. seq. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Pontif. c. 1. q. 11. obj. 3. p. 71. seq. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. p. 104. seq. obj. 4. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 3. c. 2. §. 3. & 9. p. 25.

III. *Papistæ* quidam *Concilia Sacerdotum* faciunt *supremum in religionis causa judicem*, cum *in religionis causa Sacerdotes jubeantur à Deo interrogari de lege.*

℞. Negatur id sequi: (1.) enim Deus jubet Sacerdotes interrogari, etiam *singulos & sejunctos*: neque tamen supremum religionis judicium ὁμολογουμένως est penes *singulos & separatos.* Atqui Dominus in testimonio adducto non magis de *Sacerdotum Conciliis*, quàm de *singulis & separatis* loquitur. (2.) Omnium *Sacerdotum* officium est, *respondere & docere ex Scriptura*: sed non propterea habent *authoritatem definiendi pro arbitrio*, sed secundùm *legem* respondere tenentur, quoties de *lege* interrogantur, prout olim *ministerium* fuit Sacerdotum apud Judæos, *summa* verò authoritas *legis.* Schröder. lib. de Judic. controv. c. 8. obj. 1. p. 283. seq

Vers. 18. *Et non vos ad me, ait Dominus.*

*Enallage* est *casus* accusativi in pronomine, אֶתְכֶם *vos*, pro nominativo, Thargum: *Et non vos reverti ad cultum meum.* Junius: *Et nullus apud vos ad me, scil. venit*; אֶת pro *apud* accepto. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 29. p. 100.

Vers. 24. *In die illa, dixit Dominus exercituum, tollam te Zerubbabel, fili Sealthielis, serve me, dixit Dominus, & ponam te sicut sigillum, quia te elegi, ait Dominus exercituum.*

*Metaphora* est: [1.] enim *Christus* vocatur *Zerubbabel*, tum ob *ortum ejus ex Zerubbabelis prosapia*, Matth. 1. v. 12. & 16. tum ob *officij præfigurationem.* Sicut Zerubbabel *Dux Judæorum* fuit. Hagg. 2. v. 22. ita Christus *dux Ecclesiæ suæ* est: & sicut ille ex *Babylonica captivitate* Judæos eduxit, Ezr. 2. v. 2. ita Christus ex *captivitate Diabolica* nos liberat &c. [2.] Phrasis hæc, *Ponam te sicut sigillum* seu *annulum signatorium*, idem est ac, *curabo te, in te amore conquiescam, te quasi in oculis manibusq; semper feram* &c. *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 19. m. 1. p. 877. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 159. & cap. 15. p. 417.

## VINDICIÆ

# PROPHETÆ ZACHARIÆ.

CAP. I. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos.*

I. *Scholastici*, pro obtinendo *congrui merito*, inferunt, *hominem ex puris naturalibus posse se ad Deum convertere*, quia *Deus velit, ut in conversione ipsum præveniamus.*

℞. Hoc dicto non significatur, quid *homines in conversione ex puris naturalibus possint*, aliàs sequeretur hinc, *totum conversionis opus hominis voluntati esse adscribendum*, siquidem verba Zachariæ loquuntur de *tota hominis conversione*; id quod tamen Pontificij non concedunt, imò *convertere se quenquam ex puris naturalibus*, merè *Pelagianum* est, teste *Augustino* libr. de grat. & lib. arb. c. 5. verùm indicatur, quid *Deus ab hominibus sub ratione debiti exigat*, quemadmodum exemplum habemus, *Matth.* 18. v. 25. ubi Rex exigebat solutionem debiti, quod debitorem solvere non posse sciebat. *Gravver.* par. 7. Prælect. in A. C. p. 100. seq. *Osiand.* in Enchir. contr. Pontif. c. 9. q. 1. obj. 3. p. 74. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 14. c. 4. §. 8. seq. p. 229.

II. Objectionem *Iuliani* & *Bellarmini*, pro *libero hominis arbitrio*, vide in Vindic. *Ioel.* 2. v. 12. m. 1. confutatam.

Vers. 5. *Patres vestri ubi ipsi? & Prophetæ an in perpetuum vivent?*

Interrogativum ה in affirmativa hac interrogatione negat: הַלְעוֹלָם *an in perpetuum vivent?* Thargum: לָא לְעָלְמָא *non perpetuò vivent.* Glass. lib. 4. Phil. Sacr. tract. 1. observ. 1. not. 2. p. 645.

Vers. 9. *Ego ostendam tibi, quid sint isti*, &c.

*Pareus* lib. de Verb. Eucharist. p. 270. autumat, copulam EST hîc accipi *metonymice* pro SIGNIFICAT; cum sensus sit: *Quid significent isti.*

℞. [1.] Rectiùs vertitur: *Quinam*, quàm *quid*, sint isti, ut apparet ex responsione, ibidem v. 10. subjunctâ. [2.] Locutio illa non est *metonymica*, sed *metaphorica.* Quàm longè autem differat à *significatione Parei metonymica*, ipse discere potest ex majori confessione *Lutheri.* Gravver. in Propugnac. Antiparæ. p. 32.

Vers. 12. *Angelus Domini dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Hierusalem & urbium Iudæ, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est.*

I. *Bellarminus* l. 1. de Sanctor. beatit. c. 18. propos. 4. arg. 1. probare allaborat, *Angelos speciatim nosse necessitates nostras, & pro nobis intercedere*; quoniam *Angelus Domini sciverit, adesse septuagesimum annum*, & *speciatim pro Iudæis apud Deum intercedat*.

℞. (1.) Non est hîc sermo de Angelo *create*, sed *increate*, ipso scil. *Filio Dei*, quia *absolutè* dicitur *Iehovah*, v. 20. Ergo ad *Angelorum* intercessionem & notitiam particularem id præposterè applicatur. (2.) Locus hic non *historiam*, sed *visionem* continet: at solenne est, in *visionibus* res repræsentari, non ut sunt. Sic v. 8. vidit Propheta *insidentem virum equo rufo*, qui tamen nullus erat. Itaque visiones hujusmodi nunquam fidem faciunt rei sic gestæ, ideoque solent per *analogiam* quandam exponi. (3.) Nec aliud sequitur, quàm quòd Angelus Domini *generatim* de præsente calamitate populi Judaici sciverit, & de illa etiam *generatim* ad Dominum conquestus fuerit: quòd autem *singulorum* necessitates *speciatim* sciverit, & pro iis in *particulari* intercesserit; hoc ibi non dicitur.

*Papista* regerunt 1. *Angelum illum* apertè à *Jehovah* discerni, ideoque non esse *ipsum Iehovam*, sed *Angelum creatum*.

℞. Distinguitur Angelus à *Iehova*, idest, *Deo Patre*; & tamen ipse *absolutè* dicitur *Jehovah*, v. 20. quod est nomen *soli vero Deo* competens, *Esa.* 42. v. 8. & c. 54. v. 5.

2. In Scriptura non inveniri, quòd *Christus* dicatur *Angelus Domini*, vel quòd *Deum Patrem* appellârit *Dominum suum*.

℞. Utrumque in Scripturis invenitur: nam Christus expressè dicitur *Angelus Domini*. Gen. 22. v. 11. & *Psal.* 2. v. 7. *Deum Patrem* vocat *suum Dominum*, nempe respectu *humanæ naturæ*, teste *Hilario* lib. 11. de Trinit. cum quo confer *Damasc.* l. 3 de Orthod. fid. c. 24. *Chemnit.* in Exam. Conc. Trid. par. 3. p. 621. *Eckhard.* par. 1. Pand. controv. Pontif. c. 3. q. 4. obj. 4. p. 171. seq. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 449. p. 858. seq. *Feuverb.* fasc. 4. Dissert. Theol. disp. 8. thes. 29. 32. 33. seq. p. 521.-525. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 8. c. 4. §. 7. & 8. p. 137.

II. *Angelus* contradicere videtur Esaiæ: hic enim terminum captivitatis Babylonicæ in *annum primum Cyri* incidere, asserit, c. 44. v. 28. *ille* verò in *secundum annum Darii Histaspis* cadere, innuit, *Zachar.* 1. v. 7. & 12.

℞. In *Hebræo* non habetur: *Iste jam septuagesimus annus est*, sed, *annos septuaginta*, Ariâ & Vatablô interpretibus, quos de ipso captivitatis tempore, jam pridem anno *Cyri primo*, solutô, nec ad *Zachariæ tempora durante*, intelligimus, quasi diceret Angelus Domini: *Satis diu jam* 70. *annos erga populum tuum durus fuisti Pater mi, ideoq; benevolentiam tuam plenius ipsi declara.* Osiand. tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 513. *Balduin.* in Comm. Zachar. c. 1. p. 156. seq. *Tarnov.* Comment. in eund. loc. p. 37.

Vers. 16. *Et perpendiculum extendetur super Ierusalem.*

Zacharias utitur (1.) *Metonymiâ*: nam *perpendiculum* ædificationis (cujus rectè peragendæ instrumentum est) notionem obtinet. (2.) *Enallage antecedentis* pro *relativo*: Super *Ierusalem*, h. e. super *eam*. Nam *Ierusalem* paulò antè præcessit. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 13. p. 198. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 407.

Vers. 19. *Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Iehudam* &c.

*Metaphora* est: (1.) enim per *cornua* intelliguntur *hostes Ecclesiæ feroces & potentes*. (2.) *Ventilatio* hostilem *dispersionem* notat, sicut *ventilando* grana disjiciuntur. Ducta autem est translatio à *bobus iratis*, qui cornibus obvia quæque dispergere solent. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 641. *Glass.* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 304. & 308.

CAP. II. v. 4. *Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicendo: Absq; muris habitabitur Jerusalem præ multitudine hominis & jumenti in medio ejus.*

I. In versu hoc habetur. (1.) *Ellipsis* voculæ comparativæ: *Ierusalem habitabitur* כִּפְרָזוֹת *sicut pagi*, h. e. *sine muris, instar pagorum*. (2.) *Hebraismus*: תֵּשֵׁב *habitabitur*, i. e. *habitari poterit*. (3.) *Enallage numeri* singularis, *hominis & jumenti*, pro plurali, *hominum & jumentorum*. (4.) *Pleonasmus* בְּתוֹכָהּ *in medio ejus*, i. e. in ea, τῷ *medio* redundante. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 194. *Glass.* lib. 3. Phil. Sacr. tract. 1. can. 38. p. 150. & tract. 3. can. 5. p. 245.

II. Angelus Nehemiæ repugnare videtur: *ille* enim dicit, Jerusalem habitatum iri absque muro; *hic* verò c. 4. v. 7. refert, civitatis istius muros post captivitatem denuò fuisse extructos.

℞. (1.) Angelus loquitur de *spirituali Hierosolyma*, videlicet *Christi Ecclesiâ*; Nehemias verò de *Hierosolyma terrena*, cujus muri post captivitatem denuò fuêre extructi. Typum enim terrenæ Hierosolymæ Propheta transfert, more Prophetis post captivitatem consuetô, ad antitypum, inspergendo suavissimam consolationem de *restitutione Ecclesiæ*, & *institutione regni Christi*. (2.) Si omnino sermo Angeli de *terrena Hierosolyma* accipiendus esset, sensus ejus foret, innumeram futuram esse civium Hierosolymæ multitudinem, adeò ut *per pagos & villas* (ita enim, ut aliàs sæpe, præpositionis inseparabilis כ *Ellipsis* in nomine substantivo, פְּרָזוֹת *pagos*, supplenda est) cives ejus urbis habitare necesse habeant; idque in *Apostolis, eorumq; asseclis* impletum est. *Tarnov.* in Comm. Zachar. c. 2. p. 59. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. § 184 p. 348. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 5. p. 245.

Vers. 5. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis circum, & in gloriam ero in medio ejus.*

Occurrit (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim dicitur *murus ignis*, h. e. *Ecclesiæ suæ defensor*, & *horribilis hostium ejus ultor*, & instar *ignis* eos consumturus. (2.) *Enallage nominis* substantivi, *ignis*, pro adjectivo, *igneus*. (3.) *Pleonasmus*: בְּתוֹכָהּ *in medio ejus*, i. e. *in ea*, τῷ *medio* itidem abundante. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 194. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tractat. 1. can. 38. p. 150. & lib. 5. tractat. 1. cap. 8. p. 184.

Vers. 7. *Heus Zion, liberate, habitatrix filiæ Babel.*

Propheta adhibet (1.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: nomine enim *Zionis* intelligit *populum Zionis*. (2.) *Prosopopœiam*: quia *filiam Babel* accipit pro *Babelis incolis, totâq; regione*, quam instar *fœminæ* introducit ac proponit. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 642. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 4. p. 135. & lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 209.

Vers. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad Gentes, quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigit vos, tangit pupillam oculi ejus.*

I. Reperitur hoc loco (1.) *Ellipsis nominis* substantivi: *Misit me*, subint. *Iehovah*, Pater cælestis. (2.) *Enallage temporis* tum præteriti, *misit*, tum præsentis, *tangit*, pro futuro, *mittet* & *tanget*. (3.) *Meiosis*, quâ *tangere* significat *lædere & injuriam inferre*. (4.) Ἀνθρωποπάθεια:

nam

nam per *pupillam oculi Dei*, intelligitur *peculiaris ipsius gratia*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 642. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. c. 7. p. 106. & c. 19. p. 480.

II. *Becanus* lib. de Judic. controv. relig. Christ. p. 57. accusat *Scripturam obscuritatis*, quod, quæ de *Christo* hic dicuntur, intelligantur de *Apostolis*.

℞. Nulla hic obscuritas: *Christus* enim gloriose missus est ad Gentes, non *immediatè*, sed *mediatè*; siquidem ubique Apostolos comitatus, *Matth.* 28. v. 20. sermonem ipsorum subsequentibus signis confirmavit, *Marc.* 16. v. 20. Igitur non est opus, quòd de *se Christus* apud Prophetam pronunciat, ad *Apostolos duntaxat* restringere: verè enim missus est ad Gentes a Patre, Esa. 49. v. 23. licet *Apostolorum ministeriô* in legatione illa usus fuerit, *Garth.* l. de Judic. controv. relig. Christ. contr. Becan. p. 103. seq.

III. *In Deo dantur plures personæ, quam una*: nam in *ipso* dantur *mittens & missus*; *mittens* verò est persona distincta à *misso*, & *hic* distincta persona ab illo.

*Socinus* in Refutat. argum. Bellarm. & Wieck. p. 186. seqq. ejusque asseclæ, respondent 1. esse *reciprocam locutionem*, ideoq; *unicam tantum personam*.

℞. Non potest hic locum habere *reciprocatio*; ecce enim lepidam paraphrasin: *Sic dicit Iehovah exercituum, post gloriam misi me.* Certè *mittens* secundùm rem alius est à *misso*: itaque *plures personæ* hoc loco concedendæ sunt.

2. Esse *Enallagen personarum*, ut *Angelus* vel *Propheta*, in *persona Dei* loquens modò de *Iehova*, modò de *se* loquatur.

℞. Nulla hic est *Enallage personarum*; (1.) enim litera Scripturæ ita sonat: *Sic dixit Iehovah Zebaoth*. Quid verò dixit? nempe hoc: *Post gloriam misit me.* Ergo *Jehovah dicens mittitur*. (2.) Si de *Angelo* vel *Propheta* intelligeretur illud, *misit me*, tùm nihil dixisset *Iehovah Zebaoth*, sed hiantes nos suspendisset, quos tamen invitat ad auscultandum. (3.) Nulli vel *Prophetarum* vel *Angelorum*, imò nulli *creaturarum* nomen *Iehovah Zebaoth*, tribuitur, quippe quod *soli Deo* proprium est,

3. Absurdum esse, *Dominum exercituum ipsum mitti ab ipso Domino exercituum*: Sic enim *duo forent Domini exercituum*, quorum unus mitteret alterum.

℞. Non est absurdum, *Patrem*, qui est Dominus exercituum, mittere *Filium*, qui pariter est Dominus exercituum: neque inde sequitur, *duos fore Dominos exercituum*, sed *duas esse personas*, quarum quælibet sit Dominus exercituum; id quod cum textu nostro congruit.

4. *Personam hic loquentem* distinguere se à *Domino exercituum*, cujus pupilla oculi tangi dicitur, dum dicit, EJUS, cum aliàs dicendum fuisset, *oculi* MEI.

℞. Est ita se, quoad *personam*, distinguit ab eo, qui loquitur, ut non neget, se esse eundem *essentiâ* cum eo, cujus pupilla oculi tangitur; & proinde ipsius quoq; pupilla, propter *identitatē essentiæ*, tangatur.

5. Nomen, *Dominus exercituum*, non posse referri ad illum, *qui loquitur*, cum non habeat pronomen EJUS, & verbum MISIT, ad quem referretur.

℞. Utrumque habet, quò referatur, ad *Patrem* nimirum, non exclusô tamen *Filiô & Spiritu Sancto*, quia missio est opus ad extrà, sicut ipsa *inspiratio prophetiæ*, idcoque est indivisum utrumque: ad *Patrem* autem referuntur talia, quia ab ipso est *Filius*, & ab hoc illoque est *Spiritus Sanctus*, Pater verò à nullo. *Helvic.* tom. 5. Giess. disp. 4. th. 34.-43. p. 113.-118. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 295.-308. *Iacob. Martin.* l. 2. de trib. Eloh. c. 18. p. 120. seq.

IV. *Christus verè est unus ille Deus Israel*: est enim *Iehovah exercituum*, à Jehovah exercituum missus; at unus tantùm est *Iehovah exercituum*, id quod nomen non nisi *Deo Israelis* competit, qui omnium exercituum creator est.

Regerunt 1. *Franciscus Davidis* in disp. Alban. & hunc locum non esse ad propositum, quia sic vaticinium de *futuro*, nempe de *conversione Gentium*, quæ facta est *post Christi ascensionem in cœlos & glorificationem*: ex quo non possit probari, Christum ante incarnationem fuisse.

℞. Adversarius præsuppositô falsô nititur, nempe ex *sola missione* nos colligere, Christum esse illum Jehovam exercituum, qui missum se dicit â Jehova exercituum; cum ex c. 1. v. 8. constet, eundem illum, qui c. 2. v. 8. *Iehovah exercituum* vocatur, & *missus à Iehova exercituum* dicitur, appellari *vir insidens equo rufo, & consistens inter myrtos*, hoc est, *in medio suæ Ecclesiæ*: item *Angelus Iehova*, v. 12. qui intercedit apud Jehovam exercituum pro Jeruschalaimis & civitatibus Juda, sive pro Ecclesia; & cujus populus erunt cum Judæi tum Gentes, c. 2. v. 11. quas ei daturus est Dominus hæreditatem, *Psal.* 2. v. 8. Quis verò nescit, hæc *Christo* competere. Itaque non vim facimus in *præterito* aut *futuro*, sed in eo, quòd iste, *qui se missum dicit â Domino exercituum*, vocat etiam se ipsum *Dominum exercituum*, isque non est alius, quàm *Christus*.

2. *Smalcius* in Catech. Racov. p. 63. verba illa (*post gloriam misit me*) ab alio, quàm *Domino exercituum*, esse prolata, nempe ab *Angelo*, qui cum Zacharia & alio Angelo colloquebatur, ideoque malè ad *Christum* torqueri: cum enim non nominari *Dominum exercituum*.

℞. (1.) *Angelus ille fuit increatus Angelus*: vocat enim se *Iehovam Zebaoth*, v. 10. & 11. quare nec *Angelus creatus* esse potest, quippe qui se *Iehovam Zebaoth* jure vocare nequit. (2.) Esto, quòd *Angelus creatus* fuerit, qui ab initio capitis cum Propheta loquutus est; nihil tamen derogat argumento nostro. Nam *Angelus ille* Prophetæ refert verba *Domini Zebaoth* à v. 4. usque ad finem capitis, in qua relatione *Messiam* introducit, ut *Dominum Zebaoth*, qui de *spirituali Ierusalem*, hoc est, de *Ecclesia Christi*, ipse vaticinatus. Hoc vaticinium ita orditur Messias: *Hæc dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me ad Gentes*, &c. quasi dicat: *Ego Dominus Zebaoth dico, quòd Dominus Zebaoth miserit me ad Gentes.* At nullum unquam *Angelorum* misit Dominus Zebaoth ad *Gentes*, ut doceret eos, vel ad Ecclesiam Christi duceret; de *Christo* autem dicit Dominus, *Esa.* 49. v. 6. *Ecce dedi te in lumen Gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.* Exinde patet, hoc in loco non *Angelum* loqui, sed *Messiam*, in quo id impletum est inter Gentes. *Balduin.* in Refutat. Catech. Arian. p. 143.-147. *Franz.* par. 3. Append. in Aug. Conf. disp. 3. thes. 75. *Bellarm.* l. 1. de Christ. c. 5. arg. 7. p. 292. seq. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 301. seq.

V. *Papistæ* quidam docent, *Scribas Iudæorum textum hunc mutasse*: nam pro עינו, *oculi sui*, legendum esse, עיני, *oculi mei*.

℞. Nulla hic *mutationis* conjectura. Cur enim facta fuisset ista mutatio? An ideo, ne ad *Deum* referri possit *pupilla oculi*? Ita verò mutandus etiam fuisset locus, *Deut.* 32. v. 10. Et annon ipsa hæc vox עינו ad *Deum* percommodè referri potest? *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi ejus*, nempe *Dei*, sicuti legit Hieronymus in Comment.

*Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 1. art. 1. obj. 12. p. 53. & sect. 2. obj. 78 p. 167.

VI. *Socinus* in Refutat. arg. Bellarm. & Wieck. pag. 381. censet, *Actor.* 20. v. 28. *Deo Patri tribui Christi sanguinem effusum*, & quidem eâ sermonis figurâ, qua is, *qui tangit Dei populum, ipsius Dei pupillam oculi tangere* dicatur.

℞. Est dispar loci utriusque ratio: nam *pupilla oculi* per nudam *χ̣ρείαν* Deo tribuitur: non ita verò *proprius sanguis*, Actor. 20. v. 28. quippe qui excludit illam *χ̣ρείαν* Socinianam. *Gravver.* in Expos. Hebr. c. 1. p. 102. seq.

VII. Rationem *Audaeanorum*, pro *Dei corporeitate*, vide solutam in Vind. *Deut.* 32. v. 10.

Vers. 9. *Ecce ego leve manum meam super eos, & erunt prædahis, qui serviebant sibi, & cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me.*

Nullus Angelorum creatorum, sed *Messias*, hic loquens introducitur: nam Angelus ille loquens dicit, *se levare manum super eos*, hoc est, *se regere eos verbo & spiritu suo, ut fiant præda Iudæorum*; id verò nullus *Angelorum creatorum* fecit, sed *Messias*.

*Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck. p. 191. respondet, non sequi, cum qui loquitur, esse *ipsum Dominum exercituum*; quòd Deus & possit & soleat mittere *Angelos*, non ut *simplices nuncios*, sed *tali potestate præditos*, ut *ista & majora* etiam, quàm continentur his verbis, de se affirmare possint.

℞. Antagonista ignorat elenchum: de *plagis*, per Angelos creatos inflictis, concedimus id, quod ipse dicit; de affirmatione verò, quâ *ista* aut etiam *majora* sibi assignârint Angeli, qui omnem gloriam Deo & sedenti super throno, & viventi in secula seculorum tribuunt, *Es.* 6. v. 2. & *Apoc.* 4. v. 8. idipsum negatur. Unde non de *priori*, sed *posteriori* quæstionis parte controversia est. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 307.

Vers. 11. *Et congregabuntur gentes multa ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scies, quia Dominus exercituum misit me ad te.*

I. *Duo* hîc sunt, *quorum uterq; est Jehovah exercituum*: nam *Iehovah exercituum* de *Iehovah exercituum* dicit, *se ab eo missum esse*; alius verò est *mittens*, & alius est *missus*.

*Socinus* in Refutat. arg. Bellarm. & Wieck. p. 192. obtendit, esse hîc *idiotismum Hebraicum*, quo Jehovah de *seipso* in tertia persona loquatur; ita ut *ad Dominum*, idem valeat, quod, *ad me*: itaque non de *alio præter se* Dominû locutum esse, unde colligere rectè quis posset, *duos hic esse*, quorum uterq; sit Jehovah.

℞. (1.) Isti *idiotismo* hic non est locus, nisi cohærentiam textûs, & continuatam ejusdem proferentis orationem miserè discerpere, & pluribus tribuere, denique absurdum incurrere velimus, nimirum, *unam esse & eandem personam*, quæ mittat & mittatur. (2.) Fatemur quidem, non fuisse alium Dominum *essentialiter* intellectum; non verò eundem *personaliter* acceptum: alia enim est, persona *mittens*, alia *missa*; *hæc* autem hic loquitur, ut apparet ex fine hujus versus, ideoq; non *illa*, & proinde *mittens* intelligi nequit, nisi velimus statuere, hîc dici: *Et scies, quòd ego miserim ad te*, quod est perabsurdum. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 307. seq.

II. *Iesus Nazarenus est verus Messias.* in *ipso* enim impletum est vaticinium de *Ecclesia Messia ex omnibus gentibus collectione*, quam hoc loco Zacharias futuram prædixit.

*Iudæi* excipiunt, in diebus Messiæ *Deo addendas esse Gentes*, non ut *salventur*, sed ut populo *Iudaico inserviant.*

℞. Glossa hæc manifestè repugnat fontibus *Hebræis*, *Paraphrasi Chaldaicæ*, & *Talmudo ipsi*, in tract. *Bcenurim*, allegante *Galatino* l. 9. de Arcan. Cathol. Verit. c. 12. qui docent, Gentiles non addendos fuisse Messiæ, ut *Iudæis servirent*, sed ut *populus Dei fierent & salvarentur*, Jac. Mart. lib. 3. de trib. Eloh. c. 60. p. 330. seq.

CAP. III. v. 1. *Et ostendit mihi Jesum Sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei.*

*Socinus* in Refutat. argum. Bellarm. & Wieck. p. 197. opinatur, nomine *Iehova*, v. 2. (*Et dixit Iehovah*) non *revera Dominum ipsum* intelligi, sed *Angelum illum*, cujus verba proximè relata fuerant; cum in Hebræo non sit vox *Iehova*.

℞. Nomen *Jehovah* abest quidem â fonte Hebræo, sed tantummodo quoad *vocem*, non quoad *rem*; id quod ex initio hujus visionis, c. 1. v. 7. & ex toto contextu patet. Ejus enim est *ostensio* Jeso Sacerdotis maximi. cujus est tota *visio*. At hæc est *Iehova*, E. & illa. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 310. & 315.

Vers. 2. *Et dixit Dominus ad Satan: Increpet te Dominus Satan, & increpet te Dominus, eligens Ierusalem: nonne hic est torris erutus ex igne?*

I. Verba hæc continent (1.) Epizeuxin: *Increpet & increpet*, h. e. *maximè increpet.* (2.) *Hebraismum*: יִגְעַר *increpet te Dominus*, i. e. *Pater verbò suo potenti depellat te â tribunali suo, & accusandi facultatem sibi adimat, justificans servum suum, & secundum eum pronuncians.* (3.) *Metaphoram*, quâ *torris ex igne erutus*, notionem habet *divinæ liberationis ex malo*, ceu igne: Jesus enim, summus Sacerdos, gratiâ Dei liberatus erat ex *captivitate Babylonica*, Jun. in Not. ad h. l. p. 895. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 16. m. 2. p. 275. & lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 243.

II. *In Deo sunt plures personæ*, quæ sunt *unus numerô Dominus*; siquidem *Iehovah* dicit ad Satanam: Increpet te *Iehovah* Satan.

*Socinus* in Refut. arg. Bellar. & Wieck. p. 199. reponit, appellari quidem duos nomine *Iehova*, sed unum tantùm ex illis esse revera *Iehovam*, alterum verò *Angelum*, quia nudè appellatur *Iehovah*, non *Iehovah exercituum.*

℞. [1.] Concedimus, alterum ex iis fuisse *Angelum*, sed *non-creatum*: nam *Angelus*, coram quo stabat Jesus, Sacerdos maximus, est *Iehovah*, coram quo solo stare, proprium ejus est, non coram *Angelo ejusdem creato*: siquidem gloriam hanc alteri non dat, *Esa.* 42. v. 8. [2.] Falsum est discrimen usus in voce *Iehovah*, quæ cum altera voce, *Exercituum*, tribuatur *uni vero Deo*, sine ea *Angelis*: id enim patet ex c. 6. v. 15. ubi templum *Iehova* sine adjectione vocis, *Exercituum*, appellatur; quod tamen *unius veri Dei* fuisse, nemo dubitare meritò potest. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 315. seq.

III. *Christus est verus ille Deus Israelis*: est enim *Iehovah*, Satanam increpans, adversantem Jesu, summo Sacerdoti, qui gerebat figuram *Christi* Jesu Nazareni.

*Socinus* in Refutat. argum. Bellarm. & Wieck. p. 195. seq. obvertit. 1. *Iesum* filium Josedeki, & *Iesum* filium Mariæ, *tempore* non potuisse esse simul, eò quòd *ille* fuerit *hujus* typus: typum verò & antitypum non esse simul tempore.

℞. [1.] *Typus & antitypus* non sunt simul tempore, alter quod ad *umbram*, alter quod ad *exsistentiam*. [2.] *Iesus* filius Josedeki, fuit typus; & *Iesus*, filius Mariæ, fuit antitypus, non quoad *divinitatem*, sed quoad *humanitatem*: itaq; malè concluditur exinde de *divinitate*, quod de *ejusdem humanitate* verum est.

2. *Iehovam* illum, qui hic apparet Jesu Sacerdoti magno, Satanam [illegible] *epare noluisse*, sed tantùm *increpationem Iehovæ commendâsse*. Jesum autem, [illegible] filium, in[illegible] [illegible]isse Satanam.

R. N.C. n[illegible] m[illegible] [illegible]arium ipse Christus stabilit, [illegible] v.19. & alibi *Tarnov.* ibid. p.313. seq.

V[illegible]. *Tu judicabis domum, & custodies atria mea.*

*Papistæ* exinde inferunt, *supremum judicium Ecclesiæ imprimis in rebus fidei, esse penes Pontificem Romanum*, t[illegible]nquam *Sacerdotem summum* N. T. quoniam *summo Sacerdoti* V. T. *Iosua*; *non tantùm custodia atriorum sacrorum demandatur*, sed & *judicium domûs Domini*.

R. Maxi[illegible]a est discrepantia inter *hunc Iosuam* & *Papam Romanum*: (1.) enim Josua â *Deo ipso* institutus erat judex domûs Domini; hoc *Papa* de se demonstr[illegible]re nequit. (2.) Josu[illegible] fuit typus *unici Pontificis* N. T. *Iesu Christi*, qui typus jam in N. T. sublatus est, *Hebr.* 8. v. 13. atque sic nihil facit potestas Po[illegible]cis Levitici ad *αὐτεξουσίαν Papæ Romani*. [illegible] Josua judicare quidem debebat domum Domini, se[illegible] *[illegible]xta legem*, interprete Mose, *Deut.* 17. v. 11. sed Papa non judicat secundùm *legem*, sed secundùm *pectoris sui scrinium*, & traditiones humanas, quas Christus ipse damnat, *Matth.* 15. v. 9. *Baldvin.* in Comm. Zachar. 3. p. 266. 267. seq.

Vers. 8. *Viri portenti ipsi: quia ecce ego adduco servum meum, germen.*

Ecce (1.) *Hebraismum*: אנשי מופת *viri portenti*, h. e. *portentosi*. (2.) *Pleonasmum*: abundat enim *τὸ quia*. (3.) *Enallagen temporis* præsentis, *adduco*, pro futuro, *adducturus sum*. (4.) Ἀνθρωπο-[illegible]άθειαν: siquidem *Messias* vocatur צֶמַח *germen*, Ch[illegible]ldæo teste, & quidem ita vocatur ratione *carnis*, sicut *germen* terream habet originem. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 896. *Glass.* l. 2. Phil. Sacr. tract. 2. par. 1. sect. 3. art. 7. m. 1. p. 419. & l. 5. tract. 1. c. 8. p. 168.

Vers. 9. *Ecce lapis, quem posui coram Iesu, super lapidem unum septem oculi: ecce ego sculpo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die una.*

I. Offert se (1.) Ἀνθρωποπάθεια: tum quia *Christus* dicitur *lapis*, h. e. *firmamentum Ecclesiæ suæ*, super ipso ædificatæ, *Ephes.* 2. v. 20. tum quia *oculi* (*Dei*) feruntur *esse super lapide illo unico*, i. e. *Dei providentia amor & benevolentia ipsi adesse*; siquidem *oculi* providentiæ & *gratiæ* symbolum sunt. (2.) *Enallage* partim antecedentis *Iesu* & *lapidem*, pro demonstrativo, *eo* (nam *Iesum* Deus alloquitur) & pro relativo, *quem* (statim enim *lapis* præcesserat) partim *temporis* præsentis, *sculpo*, pro futuro *sculpturus sum*. (3.) *Synecdoche speciei* pro genere: *Septem*, h. e. *perfectissima ratione*; *septenarius* enim *perfectionis* symbolum est. (4.) Hebraismus: *Sculpturus sum sculpturam ejus* (lapidis) ubi verbum, מְפַתֵּחַ, *sculpturus sum*, regit nomen conjugatum פִּתֻּחָהּ *sculpturam ejus*, & significat *effectum* vel *obje[illegible]um* actionis. (5.) *Metaphora*, quâ per *sculpturam* intelliguntur *plagæ & vulnera*, quæ Christus accepit in die passionis suæ. (6.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *terra* pro *hominibus*, *terra incolis* ponitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 643. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 896. & *Glass.* lib. 3. Phil. Sacr. tractat. 2. can. 8. p. 187. tract. 32. m. 2. p. 339. lib. 5. tract. 1. c. 7. p. 106. c. 8. p. 183. [illegible]. 15. m. 4. p. 450.

Deus sibi contrariari videtur: hic enim promittit, *se ablaturum iniquitatem terræ in die una*, per *quam diem* procul dubio insinuat diem *passionis Dominicæ*; cum tamen *agnus â mundi origine fuerit occisus*, *Apoc.* 13. v. 8. & ideo iniquitates etiam in V. T. ablatæ.

R. *Actus* quidem passionis Dominicæ incidit in diem unam, quâ nempe Christus in ligno crucis peccata terræ expiavit: sed hunc Passionis actum Pater æternus ab origine mundi *destinavit*, destinatum variis typorum involucris præfiguravit, & præfiguratum ratione meriti & efficaciæ credentibus per fidem applicavit. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. p. 349.

CAP. IV. v. 2. *Septem & septem infundibula lucernis, quæ sunt in summitate illius.*

*Ribera* in Comment. Zachar. 4. num. 6. & 7. existimat, alterum שִׁבְעָה, *septem*, *in codice Hebræo redundare*, idque apparere tum ex præcedentibus, quando *septem lucernæ in lychnucho* memorantur, quibus *septem infundibula* respondent: tum ex LXX. Interpretibus & *Hieronymi* versione, qui *septem tantùm infusoria* ponunt.

R. (1.) *Masoretæ* in Notis ad *Iudic.* 19. v. 19. testantur, jam olim voces illas *conjunctim* extitisse in fontibus Hebraicis, שִׁבְעָה וְשִׁבְעָה *septem & septem*; quibus adstipulatur *Paraphrastes Chaldæus*, qui sic textum hunc vertit: *Septem autem & septem* (instrumenta) *ex quibus effundent oleum in lucernas, quæ supra caput ejus.* (2.) Hanc nos observationem longè præferendam esse ducimus conjecturæ Jesuiticæ, â *Græca* LXX. versione desumptæ: quàm sæpe enim â textu *authentico* ea discedat, ipsis *Papistis* notum. (3.) Et eo minus corruptelæ hic quicquam deprehendimus, quò magis lectio nostra textui accedit. Quis enim absurdum esse judicet, Prophetæ ejusmodi lychnuchum *divina visione* oblatum fuisse, cujus lucernis singulis *bina infundibula*, atq; ita *septem lucernis bis septem infundibula* superiùs responderint, quibus ex utroque latere oleum lucernis adfundebatur, ne extinguerentur? *Glass.* lib. 1. Phil. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. obj. 79. p. 167. 169.

Vers. 3. *Duæ olivæ super illud, una â dextris lampadis, & una â sinistris ejus.*

*Paræus* libr. de Verb. Eucharist. p. 270. putat, in isthac prædicatione esse *metonymiam signi*, & verbum substantivum *significativè* intelligi oportere.

R. [1] In Hebræo non habetur verbum *substantivum*, unde etiam *metonymicè* accipi nequit. [2.] Aperta illhic est *metaphora*: quàm primùm autem ostenditur, posse ibidem *metaphora* locum esse, mox corruit necessitas *metonymiæ* Paræanæ. *Grawer.* in Propugn. Antipar. p. 33.

Vers. 7. *Quis tu, mons magne? coram Zerubbabele in planitiem es; & educet lapidem capitalem strepitibus: Gratia gratia ei.*

In versu hoc habetur [1.] *Metaphora*: tum quia *hostes Ecclesiæ elatos ac tumidos* Spiritus Dei vocat *montem magnum*, quia *montes magni* sibi videbantur: tum quia, *in planitiem esse*, est, *dejici atq; humiliari*: tum quia *lapis capitalis* in ædificio *summus* est, cujus positione, extrema manus operi imponitur. 2. Epizeuxis: *Gratia gratia*, h. e. *multa gratia*. Varabl. in Annot. ad h. l. p. 644. *Glass.* l. 5. Phil. Sacr. tract. 1. c. 10. p. 272. & c. 12. p. 337.

Vers. 10. *Nam quis spreverit diem parvorum? Et lætabuntur, & videbunt lapidem stanni in manu Zerubbabelis, septem illi oculi ipsi, circumeuntes in universam terram.*

En (1.) *Ellipsin* nominis substantivi: *Diem parvorum*, scil. *operum*, hoc est, *tenuiorum istorum principiorum*, quæ ducta sunt in extruenda domo Domini. (2.) *Metonymiam materiæ* pro *materiato*: nam *lapis* pro *pondere perpendiculi lapideo, â filo pendente.* (3.) Ἀνθρωποπάθειαν; quâ DEO

[illegible] *[illegible]arius* per [illegible] bol[illegible] [illegible] Philol. Sacr. tr[illegible] [illegible] tract. 1. cap. [illegible] m. ult. p. [illegible]

Vers. 14. *Isti duo filij olei, stantes juxta dominatorem universæ terræ.*

[illegible] est: nam *duæ illæ olivæ*, v. 3. & 11. di[illegible], h. e. *duæ oleæ oleaginosæ*, uberes, [illegible], scaturiginem quandam velut olei [illegible] indesinenter subministrantes. Sig[illegible] hæc metaphora *duarum olearum arborum*, omnia [illegible] *Spiritus Sancti dona*, a Deo [illegible] [illegible]um ad Ecclesiam per Christum obventura. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tractat. 1. cap. 11. p. 293.

CAP. V. v. 3. *Omnis fur ex hoc, sicut ipsa, succisus est; & omnis jurans ex hoc, sicut illa, succisus est.*

Est hic (1.) *Synecdoche speciei pro genere*: nam per *furtum* & *perjurium* omnis generis *crimina & nequitia* intelliguntur. (2.) *E[illegible] ipsis* nominis substantivi. *Ex hoc*, scil. *populo*. (3.) *Enallage temporis* præteriti, *succisus est*, pro futuro, *succidetur*. Jun. in Bibl. h. l. p. 897. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 645. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 7. p. 452.

Vers. 8. *Et projecit lapidem plumbi ad os ejus.*

*Metonymia* est *materiæ* pro *materiato*: nam *lapis* pro *pondere perpendiculi plumbeo* ponitur. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 20.

Vers. 10. *Quò ipsi deducunt Epham?*

*Enallage* est *generis* masculini, הֵמָּה *ipsi*, pro fœminino, הֵנָּה *ipsa*. Et id masculinum ad *sensum* refertur, quòd mulieres illæ (de quibus in textu Prophetæ) fungerentur officio מְשָׁרְתִים *ministrorum*, vel שְׁלוּחִים *nunciorum*, qui solent celerrimè suam legationem expedire, ut & istæ mulieres fecerunt. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 16. p. 204.

Vers. 11. *Ut ædificetur amphora egredienti domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basin suam.*

*Scheppius* in Syntagm. de Antichrist. p. 64. nugatur, *Antichristum Babyloniæ nasciturum esse*, quia *in terra Sennaar sit egressurus*.

℞. (1.) *Antichristi* ne quidem per somnium hoc loco fit mentio: describitur autē *communis impietas Judæorum*, quos propterea, veluti in unum manipulum [illegible], ex Ecclesia se ejecturum, & ad reproborum colluviem, quam periphrasi *terra Sennaar* seu *Babyloniæ* notat, perpetuum ablegaturum esse, minatur Dominus. [illegible] Sin Apostata omnino hunc locum de *Antichristo* acceptum velit, optimè in *Papam Romanum* quadrat. Ejus enim doctrina vere est *amphora impietatis*, quâ, veluti urceô aut mensurâ [illegible] hominibus nimium credulis & [illegible] s preculas, jejunia, peregrinationes, & alia, quæ ex superstitiosa credulitate ingrati [illegible] Romanæ facienda sunt. Sed hæc mensura tamen plena est impietatis, ideoque impietas in medio *amphoræ sedere* dicitur, donec tandem de[illegible]tur in domum *Sennaar*, hoc est, in *infernum*, ad habitaculum omnium dæmonum, & custodiam omnium spirituum immundorum, quemadmodum mystica *Babylon* describitur, *Apoc.* 18. v. 2. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 2. thes. 25. [illegible] p. 51. seq.

CAP. VI. v. 11. *Sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Josedec, Sacerdotis magni.*

*Papistæ* volunt, *Pontificem Romanum jure inca-*

[illegible] *am* [illegible]

℞. [illegible] le erat [illegible] cui R[illegible] Sace[illegible]tas d[illegible] jus in[illegible] duæ [illegible] mo V. T. [illegible] Ja[illegible] paruit, veni[illegible] *Hebr*[illegible] igitur hoc [illegible] imponebantur [illegible] o ipse et, c[illegible] *mandato*, teste hic *Propheta* [illegible] monstrare de[illegible] nequit. *Balduin.* in C[illegible] c. 6. p. 3[illegible]2 Tarnov. ibid. p. 1[illegible].

Vers. 12. *Ecce vir Oriens nomen ejus*, [illegible] *sub*[illegible] *orietur*, [illegible] *ædificabit templum Domino.*

I. In Hebræo [illegible] πoτωθεια, [illegible] *sias* dicitur צֶמַח *germen*, Ch[illegible] *ejus viriditatem*, [illegible] *citatem* [illegible] *perni*[illegible] verbum צמח *germinavit*, quod [illegible] atum [illegible] *Christi regno & beneficijs* usurpatur. [illegible] lol. Sacr. tract. 1. cap. 8. p. 168.

II. *Bellarminus* l. 3. de Cult. Sanctor. c. [illegible] exinde colligit, *Christianos in [illegible]ibus p*[illegible] *orare debere ad Orientem conversos*, quia *Chri*[illegible] *quem oramus, sit vir Oriens*.

℞. (1.) Hebræa vox צֶמַח, non rectè ver[illegible] *Oriens*, i. e. *plaga Orientalis*; sed ver[illegible] *men*, Aria & Vatablo testibus, à rad[illegible] צמח *minavit*. (2.) Nec ex illo concesso, qu[illegible] quitur. Nam Christus etiam est *fons vi*[illegible] an igitur debemus oculos nostros in [illegible] convertere in *cælum, mare, terram*? Itaque [illegible] ta illa Christi nihil affine habent cum hac [illegible] ne, aliàs innumeræ possent excogitari [illegible] congruentiæ. *Cham.* tom. 5. Panstr. l. 5. [illegible] 8. [illegible] 23. p. 207. seq. *Amos.* tom. 2. *Bellarm.* [illegible] c. 7. thes. 3. p. 250.

III. *Judæi* inficias eunt, *Messiam venisse*, *nondum tertium templum Domino ædificarit*, [illegible] tamen *Messias ædificaturus sit*.

℞. Adversarij confundunt templum [illegible] cum *spirituali*. Hoc enim debebat ædifica[illegible] M[illegible] lia, non *illud*: siquidem templum *terre*[illegible] reædificandum esse, ex textu isto probari [illegible] Unde ipsorum Judæorum Rabbini in [illegible] *ruth*, cap. *Betkjammas*, fatentur, [illegible] item [illegible] *secundum* Sanctuarium futurum fuisse. [illegible] L. Theol. p. 857. seq. *Jacob. Martin.* l. 3. d[illegible] Eloh. c. 37. arg. 9. & c. 41. resp. ad 9. p. 19[illegible] &[illegible]

Vers. 13. *Ipse sedebit & dominabitur [illegible] suo* &c.

Propheta videtur Evangelistæ rep[illegible] enim de Christo dicit, quòd dominaturus [illegible] *solio suo*; hic verò, *Luc.* 1. v. 32. ait, quòd [illegible] naturus super solio *Davidis*.

℞. Utrumque de *Christo* rectè dicitur: [illegible] tione *nativitatis* est de solio *Davidis*, quia e[illegible] mine Davidis secundùm carnem, *Rom.* 1. v. [illegible] ratione *regni* habet solium *proprium*, [illegible] vocatur [illegible] sempiternum, 2. *Sam.* 7. v. 13. *Bal*[illegible] C[illegible] m. Z[illegible] c. 6. p. 410. seq.

Vers. 14. *Coronæ erunt Helem & Tobia, & [illegible] & Hen filio Sophoniæ, memoriale in te*[illegible] *Dei.*

*Pontificij* persuasi sunt, *hic esse Sanctis in templo anathemata suspendi*, quoniam *coronæ* [illegible] *fuerint in templo Hierosolymitano*, q[illegible]bus [illegible] daici instauratio præfigurabatur.

℞. Superstitio *Papicolarum* nihil prorsus c[illegible] *erant*e

... (actô. 1.) enim ... ex peculiari ... in templa ... tò ... di ... mandatum ... cunt. 2.) Ju... anathemata ... : at Papic ... sua munuscula non ... consecrant. ...) Anathemata ... symbola regni Judaici certo restaurandi: at Pupillarum anathemata sunt testimonia ...rie, in adoc... dis. San... patz. Balduin, in Comm. Zach. ... 6. p. 41 ... 414.

CAP. VII. 2. Cum misisset in domum Dei Sarezerum &

Ellipsis est nominis substantivi: Cum misisset, scil. populus, ... nimirum, ... Judæa versans. Iun. in Bib... p. 898. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 2. obs. ... p. 698.

Vers. 5. Cum jejunaretis & plangeretis in quinto & septimo me... hos septuaginta annos, nunquid ... jejunasti mihi ego?

I. Ve... exhibent [1.] Epizeuxin: Jejunando ... h. e. ullo pacto jejunâstis. [2.] Pleonasmum: ... mihi ego? q. d. mihi inquam: ubi ... pronomen, licet non sine emphasi, ... sufficeret unum. Iun. in Not. ad h. l. p. 899. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 26. m. 1. p. 20.

II. Jejunium Ecclesiæ, accedente opinione cultus & meriti, Deo displicet: Propheta enim protestatur, Judæos in captivitate Babylonica, mense quinto & septimo, sub opinione cultus & meriti jejunantes, non Deo, sed sibimetipsis jejunâsse.

Gretserus in Apolog. pro discipl. p. 63. excipit, ibi non jejunium ipsum, sed circumstantiis quibusdam vitiatum, nempe propter jejunantium scelera, à Deo rejici.

R. Non jejunantium modò vitia, sed ipsum jejuniorum istorum institutionem, Deus accusat & ...: quia sine mandato Dei, & tamen sub peculiari cultus meritiq; opinione facta erat. Judæi enim in captivitate Babylonica jejunia quædam, in honorem & cultum Dei quotannis observanda, instituerant, tum ut anniversaria fierent peccatorum, quibus vastatio ... urbis & ... promeriti fuerant, recordatio; tum ut istorum jejuniorum observatione Deus placaretur. At illa Deus rejicit, asseverans, Judæos non Deo, sed sibipsis jejunâsse. Zeam. in Carnif. Elavvit. p. 457. seq.

Vers. 11. Et renuerunt attendere, & posuerunt humerum deflectentem, & aures suas aggravârunt ab audiendo.

In textu hoc reperitur [1.] Metaphora: nam ponere humerum deflectentem, est, sanctam obedientiam DEO debitam detrectare; translatione sumta à bobus renitentibus jugo. [2.] Hebraismus: Aures suas aggravârunt ab audiendo, i. e. surditatem sibi ... averunt, ne audirent. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 648. Iun. in Not. ad eund. loc. p. 899. Glass. lib. 5. ... Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 342.

C... v. 6. Hac dicit Dominus exercituum: Si videbitur impossibile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, nunquid in oculis meis impossibile erit.

Nonnulli ..., Deum posse facere ea, quæ in ratione nostra implicant contradictionem; eò quòd po... facere, quæ videbuntur impossibilia in oculis nostris.

R. Hic locus non videtur ad rem facere: tum quia in Hebræo est verbum, יִפָּלֵא, quod significat, mirum erit; cum tamen quælibet sit de impossibili; tum quia sermo est de eo, quod promise... Deus, & vult se declaraverat, nimirum de re... Hierosolymorum temporali post captivitatem Babylonicam, & verò inprimis spirituali; ... autem, Deum omnia posse quæ vult. Vedel. in Ration. Theol. l. 3. c. 8. p. 621. & 640.

Vers. 9. Roborentur manus vestræ, audientes in diebus istis verba hæc ex ore Prophetarum, qui in die fundata est domus Domini exercituum, templum ædificare.

Recurrit [1.] Metaphora: nam manus roborari, est, fortem & constantem animo esse. [2.] Ellipsis: Qui loquuti sunt in die, quâ fundata est domus Domini exercituum, quâ cœpit templum ædificari. Arian. par. 4. Bibl. p. 196. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 649.

Vers. 10. Dimisi omnes homines unumquemq; contra proximum suum.

Manichæi blasphemârunt, Deum efficaciter operari peccata in impiis, quoniam commiserit unumquemq; contra proximum suum.

R. Deus dicitur unumquemque committere contra proximum suum, non rixas in impiis efficaciter operando, siquidem ipse est Deus pacis, Rom. 15. v. 33. nec author dissensionis, 1. Cor. 14. v. 33. sed, ut justus judex, deserendo peccatores sua gratiâ, Diaboli tentationibus tradendo, propriæque voluntatis libidini relinquendo, in hunc finem, ut antegressa peccata puniantur, & alij ipsorum malò territi, simul à peccata evitare discant. Balduin. in Comment. Zach. c. 8. p. 503.-511.

Vers. 17. Et alter malum alterius ne cogitetis in cordibus vestris, & juramentum falsitatis ne diligatis, &c.

Conspicitur hoc loco [1.] Metonymia subjecti pro adjuncto: nam cor pro animo est. [2.] Enallage nominis substantivi, falsitatis, pro adjectivo, falsum. [3.] Hebraismus: Ne תֶּאֱהָבוּ diligatis, h. e. odio habete & detestamini; ubi verbum negans pro contrariè affirmante per μείωσιν quandam ponitur. Iun. in Not. ad h. l. p. 900. Glass. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 20. p. 287.

Vers. 19. Hac dicit Dominus exercituum: Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in solennitates præclaras; veritatem tantum & pacem diligite.

I. Bellarminus l. 2. de Bon. Oper. in particul. c. 19. caus. 1. exinde confirmare allaborat, Christianis debere quotannis esse quaterna jejunia, quia totidem quotannis fuerint Iudæis; his enim illos esse perfectiores.

R. (1.) Negatur id sequi: tum quia non ut Judæis, sic Christianis ulla sunt certa religionis tempora; siquidem Paulus, Gal. 4. v. 10. & Coloss. 2. v. 16. damnat eos, qui Judaicas observantias retinere volebant: tum quia si quid à Judæis ad nos transferendum sit, saltem non ab additamentis humanis, sed ab ipso Deo præscriptum esse oporteat: quomodo Apostoli in primo concilio, Actor. 15. v. 28. & 29. cum consulerent paci Iudæorum & Gentilium nonnulla retineri voluerunt, sed nulla nisi ex lege divina. Atqui hæc quatuor jejunia non fuit ex institutione legis divinæ, sed longè pòst cum abducta esset populus Judaicus in captivitatem Babylonicam, teste Cyrillo in h. l. (2.) Itane deinceps nulla erit perfectio Christiana, nisi pluribus sui certè totidem ceremoniis vacent, quot erant ante Christum? Atqui Paulus longè aliter. Gal. 4. v. 9. 10. 11. Unde certò colligitur, quò perfectiores sunt Judæis Christiani, eò minùs observanda eis jejunia mensium

p... decima. *Cham.* tom. ... Panst. L. 19. ... 4. 18. p. 367.

II. ... l. 2. de Bon. Oper. in partic. ... arg. 1. exemp. l. 3. disputat, *Ecclesiam Christianam posse certa quadam jejunia sancire, ad qua fideles obligentur in conscientia*; cùm & *Ecclesia Iudaica introduxerit quatuor jejunia quotannis observanda.*

R. Ratio hæc non concludit. Nam (1.) quatuor illa jejunia populi Hebræi *Deo magnopere displicuerunt*, ideoque reprehendit ea, tanquam intolerabilem ἐθελοθρησκείαν, c. 7. v. 5. (2.) Si maximè *ea tolerare* potuisset, tamen eadem non *perpetuanda* fuisse docet, sublatâ nimirum *causâ*, propter quam fuerant instituta, ideoque ea post captivitatem *in gaudium mutanda* dicit: quorsum igitur hodie in *Ecclesiam* revocantur? (3.) Loquitur Propheta more Scr pturæ, non *simpliciter* de *jejuniis*, sed per *metonymiam* de *calamitatibus præcipuis illis quatuor*, quæ tempore devastationis Jerosolymorum obtigerunt. *Quarto* enim mense capta est urbs, *Jerem.* 39. v. 2. *quinto* templum exustum, & urbs devastata. 2. *Reg.* 25. v. 8. & 9. *septimo* Godolias (residua reliquiarum spes) fuit interemptus, v. 25. & *decimo* urbs fuit primùm à Babyloniis obsessa, v. 1. Quemadmodum autem Christus tempus *lugubre calamitatum & tristitiæ* appellat *jejunium*, Matth. 9. v. 15. seq. pariter & Zacharias non de *jejunio & abstinentia cibi & potûs*, sed de *externis calamitatibus atq; afflictionibus* loquitur, & spem facit, diligentibus veritatem & pacem, illa omnia *tristia* in *festivitates & solennitates*, in *gaudium & benedictionem*, conversum iri. Jam verò à *singularibus calamitatibus Iudæorum* ad observationem *quatuor temporum jejunii in* N. T. argumentum desumi nequit. *Bellarminus* ibid. regerit, *jejunia quarti, quinti, septimi & decimi mensis à Deo per Prophetam non fuisse reprehensa*, quia ad *laudem eorum jejuniorum pertinent*, illa ipsa convertenda esse in *solennitates præclaras*.

R. [1.] Deus omnino reprehendit *præposterum istud jejunandi institutum*: siquidem c. 7. v. 5. expressè dicit, Judæos illis electitiis jejuniis, non *Deo*, sed *sibimetipsis* jejunâsse. [2.] Imò ab instituto Dominus dehortatur Judæos, quòd jam non opus sit ejusmodi *jejuniis & luctibus*, sufficere *pacis & veritatis studium*, quod si fectati fuerint, tunc illos loco *jejunii & luctûs* metas *solennitates, gaudia & delitias* habituros. *Balduin.* in Comm. Zachar. c. 8. p. 511-525. *Franz.* par. 3. disp. 5. in Aug. Conf. thes. 44 & 47. *Osiand.* in Defens. Refutat. propos. Coster. p. 215. seq.

III. *Reihingius* in E... b. pro Mur. Eccles. Rom. p. 416. sugillat *Lutherum*, qui in Bibliis suis Germanicis vocem, *tantum*, quæ in *Hebræis* codicibus non habetur, ex *Vulgata editione*, cujus tamen non fuerit cultor, addiderit.

R. Luth rus particulam, *tantum*, ideo inseruit, quia sic mentem emphasinque textûs optimè exprimere potuit, fatente ipso *Reihingio*, p. 414. non autem primo *Latini interpretis* exemplo & autoritate se commoveri passus est. *Meisner.* in Depulf. Eacub. Papist. p. 197.

Vers. 22. *Venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum Exercituum in Ierusalem, & deprecandam faciem Dei.*

*Pontificii* suadent *peregrinationes votivas ad terram sanctam*, cum prædictum sit, *fore ut multi populi veniant, ad quærendum Dominum in Ierusalem & deprecandam faciem Dei.*

R. Hic textus non patrocinatur *votivis ad ter-*

... quod ... Christi de ... tum, M... quasi vel maximè ... illud temp... ... tamen Christus ipse monet, ... N. T. non esse homines *Hierof...* *Ioh.* 4. v. 21. tum q... *diuturna Turcica* ... *terra Palæstina dominatio* ostendit, Deum ... le ibi eximium ... instituere cultum ... major esse possit vel devotio, vel precum eff... quam alibi locorum. *Balduin.* in Comm. ... c. 8. p. 532.-536.

CAP. IX. v. 8. *Et castra metabor circa domum me... ab exercitu, a transeunte & ... edeunte, ... transibit super eos amplius exact... quia ... vidi ... oculis meis.*

Offert se (1.) ἀνθρωποπάθεια: de D... dicitur *castrametari*, quo ipsius *defensio* & ... *oculis suis*, qua *gratia ejus* innuitur. (2.) *Metap...* nam *domus Dei* significat *Ecclesiam*, in hist... *stantem*. (3.) Ellipsis: *Vt non timeat* ab ex... (4.) *Synecdoche*: siquidem per *exactorem* ... gitur *rigor legis*, ejusque maledictio. *Osiand.* ... Paraph. Bibl. p. 525. *Artam.* par. 4. Bibl. p. ... *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 2. p. 2... lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 380.

Vers. 9. *Exulta valde filia Zion, jubila filia Ierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus & ... ipse, pauper, & equitans super asinum, ... super pullum, filium asinarum.*

I. Est hic (1.) *Prosopopœia*, tum qu... *Zi... & Ierusalem* sumitur pro *ipsius popu...* tum ... *pullus* dicitur *filius asinarum*. (2.) *Enal... ge* partim passivi, נושע *salvatus*, pro activo par... ticipio, σώζων *salvans*; partim numeri pluralis ... *narum*, pro singulari, *unius ex asinabus* Jun... Bibl. h. l. p. 901. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tra... can. 27. p. 96. tract. 3. can. 25. m. ... p. 311. tract. ... can. 2. not. 2. p. 412. lib. 5. tract. 1. cap. 9. p. 191. &...

II. *Hunthlaus* in Epit. controv. de V. D... §. 9. arguit, *fontes Hebræos esse à Iudæis corr...* cum LXX. *Interpretes, Paraphrastes Chaldæ...* & *Latina Vulgata* legant, *Salvator*: Sed H... *salvatus*, mutatis punctis, & unâ aut alterâ lite...

R. (1.) In *Hebraicis* nihil mutandum: nam c... *Masora* constat, legendum esse hoc loco, נושע *vatus*. (2). LXX. & Chaldæus *liberè*, suo mor... *sum* magis quàm *verba* secuti, reddiderunt *Sa...tor*, quos sequuta est Editio Latina, fatente *Gal...* l. 3. de arcan. Cathol. verit. c. 23. Exinde vero ... potest concludi, *corruptionem in hac voce fu...* *ctam*, sed hoc tantùm, eos vocem נושע ut *alii...* accepisse. Sunt enim, qui pro *beamantico* ... vocem istam habent, & conferunt cum מושיע ... utraque *servatorem, liberatorem & opitulatorem* ... gnificet. *Schindler.* in Lexic. Pentagl. col. 818. ... ad hujus sententiæ comprobandam veritatem ... ratio *sanctæ linguæ*, in qua *participia etiam præte...* *qua passivè significant, quando nominascunt, ac...* *adsumunt significationem*. V. C. *Prov.* 6. v. 5. ... *aucepi* (propriè *laqueo captus*) Psal. 137. v. 8. ha... שדודה *vastatrix* (propriè *vastata*) &c. ... id verum de *participio præterito in Kal*, ecur *parti... cipia passiva Niphal* non eadem fori forte po... cum æqualis utrobique ratio? (3.) Quid tam ... digni est, *Christum dici servatum*? Certè Apo... lus, *Hebr.* 5. v. 7. Jesum disertè dicit depre... eum, à quo poterat *servari*. Et neges *servatu...* Quid ergo absurdi, si in *Propheta* legamus ...

dictum

dictum, quod apud *Apostolum* legimus impletum? *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. p. 99. obj. 4. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 67. 68. 69. p. 221. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. par. 2. sect. 2. obj. 80. p. 169.

III. *Messias jamdudum venit*: venire enim debuit *stante adhuc Hierosolyma*, quippe *in quam ingredi oportuit equitantem, super asinum & pullum ejus*, at *Hierosolyma jamdudum eversa* est.

*Judæi* excipiunt 1. non de *Deo Rege* hîc sermonem esse; cum de *hoc Rege passivè* enuncietur quod sit Rex נוֹשָׁע, *salvatus*; id quod *Deo* nequaquam convenire possit.

℞. (1.) Paraphrasis *Chaldaica*, à qua *Judæis* ne ad latum unguem recedere licet, unà cum LXX. *Interpp.* activè *Salvatorem* interpretati sunt, qualia etiam Messias, *Esa.* 43. v. 3. prædicatur. (2.) Messias rectè etiam dicitur *salvatus*, non respectu *divinæ*, sed *humanæ* naturæ, quia solutis doloribus mortis *servatus*, & vitæ restitutus fuit. *Act.* 2. v. 13.

2. *Regem hunc* introduci, ut *pauperem*: Messiam verò nequaquam *pauperem* fore.

℞. (1.) In Hebræo est, עָנִי, quòd *humilem* pôtiùs, quam *pauperem* significat: at *humilitatem* de *Messia* negare nequeunt Judæi. (2.) Duplex *Messiæ* status à Propheta nostro describitur: unus *humiliationis*, de quo v. 9. alter *exaltationis*, de quo v. 10. Ratione *prioris* introducitur ut *abjectus*; sed ratione *posterioris*, ut *majestaticus dominator omnium*.

3. De *Rege hoc* dici, quòd *equitare debeat super asinum*, quo, ceu *animali impuro*, Jehovah *Messias* uti non potuerit.

℞. (1.) Non *simpliciter* usum asini prohibitum esse, evincit perpetua consuetudo procerum in Ecclesia V. T. qui *asinis* invehi soliti sunt, *Gen.* 22. v. 3. *Judic.* 12. v. 14. 1. *Sam.* 9. v. 3. &c. (2.) Ut maximè sub *umbris Leviticis* ominis *asinorum* contactus impuritatem quandam attulisset; tamen *Messias* venit ad abrogandas omnes illas leges doctrinâ & exemplô, *Jerem.* 31. v. 31.

4. Vaticinium *Zachariæ* vel in *Esdra*; vel in *Mardochæo*, vel in *Nehemia*, vel in *Maccabæis* esse impletum, ideoque malè ad *Messiam trahi*.

℞. (1.) Transigant priùs *Judæi* inter sese, in *quonam ipsorum* vaticinium hoc impletum esse putent: in *singulis* enim id impletum esse non dicent. (2.) Judæi post captivitatem Babylonicam nullum prorsus *Regem* ex sua gente, sed tantùm *Duces* ad tempus habuisse, cum Zacharias expressè de *Rege* concionetur. (3.) Hactenus à nemine, præter solum *Jesum Nazarenum*, solennis hæc equitatio super asino & pullo versus Jerosolymam impleta est; nec deinceps impleri potest, propter urbem dudum funditus eversam; enimvero saniores *Rabbini* Zachariæ prædictionem, ad *solum promissum Messiam* accommodent, quorum testimonia vide apud *Galatinum* l. 4. de Arcan. Cathol. Verit. c. 1.

5. Vaticinium istud Zachariæ impletum quidem esse in *Messia filio Joseph*, non autem pertinere ad *Messiam filium David*: quia *ille* fuerit humilis, *hic* verò debeat esse majestaticus & gloriosus.

℞. Messias *filius Joseph*, & Messias *filius David* non sunt *duo distincti Messiæ*: siquidem (1.) de *eodem Messia* dicitur, quòd fuerit *equitans super asinum*, & *dominans à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad fines terræ*, v. 9. & 10. quod posterius Judæi in *Midras Tillim* super Psal. 72. v. 8. de *Messia filio David* exponunt. (2.) Alioqui Propheta frustra jussisset *Judæos lætari in adventu Regis Messiæ*, si is non esset *verus Messias filius David*: unde R. *Salomon* sup. h. l. disertè docet, non posse verba illa Prophetæ exponi nisi de *Rege Messia*. Balduin. in Comm. Zachar. 9. p. 577.-581. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 15. thes. 8.-14. p. 373. seq. *Meelführ.* dec. 1. Vindic. Evangel. disp. 1. thes. 56.-61. p. 13. seq.

IV. *Calvinus* in Comm. h. l. autumat, Prophetæ verba esse *metaphorica*, adeò ut *genuinus* sensus sit, *Christum fore obscurum quasi hominem, qui sese non extollet supra communem vulgi modum.*

℞. Sensus ille Calvinianus non est *genuinus* tum quia Zacharias equitationem super asina, suo tempore instituendam, pro τεκμηρίῳ *Messiæ* assignat: tum quia *Matthæus*, c. 21. v. 5. illa Prophetæ verba allegans, vocabulum *asinæ & pulli* in *propria* significatione sumit, nec quicquam aliud intelligit, quàm illam ipsam *asinam mutuatitiam*, cui Dominus Jesus insedit, unà cum illius pullo. Si ergo *metaphoricus* ille sensus genuinus est, sequitur, Matthæum sensum *non genuinum* adduxisse, quod falsum esse, ex eod. c. 21. v. 4. patet. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 663. seq. *Meelführ.* ibid. thes. 29. 30. 31. p. 7. *Gerhard.* par. 1. Harmon. Evangel. c. 144. p. 239. seq.

V. *Triumphus* lib. de Potest. Eccles. art. 7. quæst. 1. censet, *regnum Christi esse temporale*, quia *Hierosolymam ut Rex ingressus fuerit.*

℞. N. C. ingressus enim est, ut *Rex spiritualis*, non ut *mundanus Monarcha*: nam cum *mansuetus & humilis* ingreditur, *equitans super asino*, illud *regnum* dicit, quod est *in cælis*, non verò *istud*, ait *Chrysostomus* homil. 41. in Johann. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 15. c. 4. §. 11. & 14 p. 312. seq.

VI. *Bartscius* tom. 1. p. 143. ex *humili me Christi ingressu* concilium Evangelicum pro *electissima paupertate* fabricat, cum ad imitationem eorum, qui *perfecti* esse velint, illud *Christi* exemplum sit propositum.

℞. Quis non videt, hæc omnia ex *proprio cerebro*, huic facto Christi affingi? quod hoc loco non ità commendatur, quasi imitatio ex parte in *libertate nostra relicta* sit, aut quasi nostra imitatione *propriam perfectionem* lucrari, aut sine *speciali necessitate vocationis* mendicitatem subire debeamus. Certè Christus *universam suam paupertatem & humilitatem* subiit ex ratione *demandati officii*, ut æterno Dei decreto de reparatione salutis humanæ satisfaceret. *Meelführ.* dec. 1. Vindic. Evangel. disp. 1. thes. 25. & 28. p. 6. seq.

VII. *Christus homo in statu exinanitionis non continuò & plenariò divitias suas exeruit*: quia *tùm temporis fuit pauper*; divitiarum autem infinitarum *perpetuus & totalis usus*, itemque *summa paupertas* sunt incompatibilia, ut loquuntur.

*Thummius* in Ταπεινωσιγ. p. 744. seq. observitt. *Christum fuisse pauperem*, quoad *sensum reflexum possessarum divitiarum deponendo*, non autem *directum usum universalem earum ad extrà evacuando*; alioqui non tantùm *usum*, sed etiam *possessionem* divinarum divitiarum ab humanitate Christi tempore *humiliationis* fuisse sublatam, cùm vera paupertas non tantùm *usum*, sed & *possessionem divitiarum* excludat.

℞. (1.) Ob usum divinarum divitiarum, duntaxat *reflexè* seu *ad intrà* retractum, nullus dives fit & est verè pauper; secus *Rex David*, suas regias divitias in sese ipso cibando & potando per aliquod tempus non usurpans, interim tamen omnes suos aulicos alens nutricans, fuisset pauper, 2. *Sam.* 12. v. 17. quod ἄτοπον. Ergo neque Christus fuit pauper ob solum *opulentiæ suæ reflexivè & ad intrà retractum usum*. (2.) Est dispar ratio *possessionis* & *usurpationis*:

nam

nam Scriptura cum *possessione* totius plenitudinis Deitatis, in Christo, quà homo est, habitantis, conjungit ipsius *paupertatem*; at cum *usurpatione ejus universali hanc* non conjungit.

2. Christum in officio *Sacerdotali* fuisse pauperem, nec suam abundantiam exeruisse; in *Regio* autem officio divinam suam opulentiam ad extra usurpâsse, quamvis sub *paupere schemate* latenter.

℞. Hoc Thummium non juvat: nam paupertas Christo, *Regi* etiam, à Propheta tribuitur, cum *Rex pauper* dicitur. Ergo Christus in *regio* suo officio retraxit usum suæ opulentiæ plenarium etiam ad extrà, & in ejus etiam intuitu fuit pauper. *Fevverborn* in Κενωσιγρ. sect.5. c.5. q.1. & 2. p.16.-20.

VIII. *Thummius* in Ταπεινωσιγρ. p.713. seq. statuit, *Christum hominem in statu exinanitionis potestatem & majestatem suam regiam in gubernatione Ecclesiæ suæ & totius universi exeruisse*, quòd & *cum fuerit Rex.*

℞. (1.) Ratio hæc non ferit scopum: fatemur enim ipsi, quòd Christus, ut homo, regiam suam majestatem in Ecclesia & aliis creaturis, *toties & tantum exeruerit; quoties & quantum gloria Dei hominumque salus, & officii sui ratio postularunt*; verùm controvertitur de *universali, incessante & perpetua regiæ majestatis exertione*, quæ Christo, quà homo est, à *primo conceptionis puncto*, perque *totum exinanitionis statum*, & ita quoque *media in morte*, competierit. (2.) N. C. nam filius Regis, qui est *minorennis*, est verissimo actu Rex, & quidem *natus*, neque tamen, donec est *minorennis*, regnat. *David* fuit in Regem Israelis ex mandato Dei *vere unctus*: nec tamen *statim* regnavit, sed persecutiones & exilium per aliquod tempus sustinuit. Sic etsi Christus, ut *homo*, non in toto exinanitionis statu *ubiq; & semper* regnavit, fuit tamen verissimo actu Rex & Dominus cæli ac terræ. *Fevverb.* ibid. c.8. q.9 p.65.

IX. Propheta repugnare videtur Evangelistæ: 1. enim *ille* in masculino genere *asinum* designavit, hic verò, *Matth.*21. v.5. in fœminino *asinam*.

℞. Vox Hebræa חֲמוֹר non præcisè tantùm de *asino mare* accipitur, cum *utrumq; sexum* notet, ut *Exod.*13. v.13. constat.

2. Zacharias appellat pullum filium *asinarum*; Matthæus autē eundē nominat filium *asinæ subjugis*.

℞. Propheta utitur Hebraismô, qualis etiam reperitur, *Iudic.*12. v.7. *Sepultus est in civitatibus Gilead*, pro, *in una de civitatibus Gilead.* Pari ratione Zacharias pullum *asinarum* dicit, pro filio *unius ex asinabus*, ut R. *David Kimchi*, & *Arias Montanus* in h.l. observant. Atque sic Propheta cum *Evangelista* concordat. *Meelführ.* dec.1. Vindic. Evangel. disp.1. thes. 59. & 62. *Tarnov.* in Comm. Johann. c.12. par.2. q.5. p.872. seq.

X. *Hunthlaus* in Epit. controv. de V. D. p.81 vult, בן apud *Hebræos* interdum significare *inchoationem rei*, cui adjungitur, ut *pullum nondum adultum dici filium asinæ.* ℞. Hoc *metaphoricum* est, & προσωποποιητικὸν, nihil huc pertinens. *Glass.* lib.4. Philol. Sacr. p.827. & 829.

Vers. *Evertam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas ejus à mari usq; ad mare, & à fluminibus usq; ad fines terræ.*

I. *Rasessius* in Colloq. Franckenthal. act.24. q.22. p.503. negat, *bella* in N. T. *esse licita*, quoniam *Messias eversurus fuerit currus ex Ephraim, & equos de Ierusalem, & dissipaturus arcus belli, & loquuturus pacem gentibus.*

℞. (1.) Verba Prophetæ non intelligenda sunt *absolute*, alias pugnarent cum prædictione Christi, *Matth.*24. v.6. & 7. sed *restricte*, de *modo propagandi Evangelii*, non carnalibus armis ac cruentis bellis, sed sola prædicatione, ut è contextu liquet. Sed quid hoc adversus *bellum defensivum*? (2.) Propheta non prædicit, pacem fore *civilem* in regno Christi, siquidem contrà protestatur ipse Christus, *Matth.*10. v.34. sed pacem *spiritualem*, de qua Christus, *Iohann.*14. v.27. & Paulus, *Rom.*5. v.1. (3.) Zacharias agit de regno Christi, quatenus *in se spectatur*, non quatenus *in regnis hujus mundi colligitur*. *In se* igitur non eget vel belli tumultibus, vel armorum corporalium robore; sed propagatur sola virtute verbi, & gratiâ Spiritus Sancti, quo respectu *quadriga eversa, & equi cum arcubus dissipati* dicuntur. *Dathen.* in Colloq. Franckenth. act. 24. q.23. *Balduin.* Comm. Zachar. c.9. p.504. q. *Gerhard.* tom.6. LL. CC. loc.27. de Magistr. Polit. §.387. obj. 6. p. 1162. seq. *Thumm.* in Impiet. Wigel. p.222. obj.5.

II. *Christus homo in statu exinanitionis non universalem dominii usum exeruit: etenim universaliter demum dominatus est, post suā humiliationem*, nimirum *quum prius pauper Hierosolymam ingressus esset.*

*Thummius* in Ταπεινωσιγρ. p.713. respondet, *nullum tempus apponi*, sed *verba illimitatè sonare.*

℞. Hoc falsum est: (1.) enim versus hic de *universali potestatis exercitio* loquens, non potest referri ad statum *exinanitionis*, in quo Christus fuit *pauper*, v.9. (2.) Verba, *loquetur pacem gentibus*, impleta sunt non *ante* sed *post captum exaltationis statum*, ut constat ex collatione, *Matth.*10. v.5. & *Matth.*28. v.19. (3.) Idipsum quoque indicat ordo: priùs enim narratur *humilis in Vrbem ingressus*, & postmodum *universale potestatis exercitium.* Fevverb. in Σκιαγρ. Theol. dissert.3. thes.25. p.52. seq. & in Κενωσιγραφ. sect.5. c.8. q.9. p.65.

Vers.11. *Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

I. *Hunthlaus* in Epitom. controv. c.10. §.10. nugatur, *Iudæos hunc locum in textu Hebræo corrupisse*, adjectâ literâ ', & mutatis punctis, totamque hanc sententiam ad *Synagogam* detorsisse, quasi *eam*, & non *Christum hominem*, Deus alloqueretur: cùm contrarium in *Vulgata* & LXX. *Interpp.* versione legatur.

℞. (1.) *Galatinus* l.8. de Arcan. Cathol. Verit. c.20. sine ulla *corruptelæ* suspicione locum hunc ad *Christum* accommodat, qui *Ecclesiam*, per sanguinis sui effusionem à peccatis & inferno liberandam, alloquatur. (2.) Mitte *Synagogam*, dic *Ecclesiam*, & quid erit incommodi, ad *hanc* Dei sermonem dirigi? & quidem cum emphasi, Hebræis familiari, ut *Iob.*3. v.6. *Ecclesiast.*2. v.14. *Esa.*8. v.13. &c. hoc modo: *Et jam tu in sanguine fœderis tui, eduxi vinctos tuos de lacu*, &c. cujus sensus est: *Et quod ad te attinet, ego educam vinctos tuos*, &c. positô nimirum præteritô pro futuro, ad indicandam *promissionis certitudinem*. Quemadmodum igitur v.9. ἀποστροφὴ fit ad *Ierusalem spiritualem*: ita eadem ἀποστροφὴ in v.11. continuatur, teste *Aria*. (3.) Quin suavissima etiam fluit ex nostro textu consolatio, quòd scil. sanguis *Christi* sanguis *fœderis Ecclesiæ* dicitur. Eo enim sanguine redempti sumus, quo fœdus novum inter Deum & homines sancitum est: qui propter homines, propterque Ecclesiam [quam præcipuè fœdus illud attinet, cum *fœdus Ecclesiæ* dicatur] effusus est,

*Aitor.*

*Actor.* 20. v. 28. quique in S. Cœna in remissionem peccatorum sub vino membris Ecclesiæ bibendus exhibetur. *Luc.* 22. v. 20.

Excipit verò 1. *Testamentum novum*, Christi sanguine sancitum, ubique appellari testamentum *Christi*, nusquam Testamentum *Ecclesiæ*.

℞. (1.) In Hebræo est vox, בְּרִית quæ commodiùs vertitur, *fœdus*, sed duriùs, *testamentum*. (2.) Negamus, *fœdus novum* nusquam dici fœdus *Ecclesiæ*: siquidem contrarium habetur, *Deut.* 4. v. 11. *Psal.* 89. v. 40. Itaque *fœdus novum* dicitur *fœdus Ecclesiæ*, quia *à Deo pactum est cum Ecclesia*.

2. Id testamentum non sanguine *Ecclesiæ*, sed sanguine *Christi* sancitum esse: Malè igitur nominari sanguinem *Ecclesiæ*.

℞. Ubi quæsò nominatus est *sanguis Ecclesiæ*? Certè si *fœdus Ecclesiæ*, significat id, quod *sancitum est cum Ecclesia*; ergo *sanguis fœderis Ecclesiæ*, significabit *sanguinem fœderis sanciti cum Ecclesia*. Id autem nullo pacto esse potest *sanguis Ecclesiæ*, sed *ipsius Christi*. Gerhard. in Conf. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. p. 99. arg. 25. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12. §. 71.-75. p. 221. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tractat. 1. par. 2. sect. 2. obj. 81. p. 170.-172.

II. *Calvinus* lib. 2. Instit. c. 16. §. 9. locum hunc interpretatur de *carcere Babylonico*, *sanguine sacrificiorum* V. T. & *fœdere antiquo*: itaq; ad literam ibi non agi de *inferno*, *sanguine Christi* & *novo fœdere*.

℞. (1.) Per *lacum* non intelligitur *carcer Babylonicus*, quippe in quo fuit *aqua consolationis*, qualis non est in *inferno*. (2.) Sermo est de eo sanguine *cujus vigore petitur liberatio illa ab inferno perfici*; quam liberationem non sanguis *animalium sacrificialium*, sed *solius Christi* potuit perficere, *Hebr.* 9. v. 12. (3.) Constitutum est Prophetæ, prædicare beneficia *Messiæ*, teste Evangelista, *Matth.* 21. v. 4. & 5. ideoque non de *antiquo*, sed de *novo fœdere* loquitur. (4.) Aliàs corrueret argumentum contra Judæos de *passione Messiæ* hîc prædicta.

*Paræus* lib. 2. Calvin. Orthod. c. 26. p. 184. regerit, *Prophetam ibi non prædicare beneficia Messiæ*, eò quòd non *Propheta*, sed *Deus* ibidem loquatur.

℞. Quòd hæc sint *ipsius Dei* verba, quis negat? neque tamen, cum *Zacharias* dicitur illic prædicare beneficium Messiæ, ideo negatur, *Deum ipsum* à Zacharia loquentem introduci. Quemadmodum non ideo, quia *Paulus*, Rom. 9. v. 25. affirmat, *Oseam* dicere; *Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum*; quia inferre potest, Paulum negare, quòd *Deus ipse* hæc loquatur. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 676. seq. & 810.-817.

III. *Bellarminus* l. 4. de Christ. anim. c. 11. probare nititur, *animas piorum* V. T. *fuisse in limbo quodam separatas à conspectu Dei, quas ex è lacu*, in quo *vinctæ erant, Christus in descensu suo eduxerit*.

℞. (1.) *Baldus* in Catech. Controv. tractat. 2. q. 43. disertè negat, prophetiam hanc Zachariæ posse intelligi de *limbo Patrum*, cum in *hoc* sit *aqua consolationis*, quæ non sit in *lacu ille Propheta*. Hac ratione ipse *Bellarminus* l. 1. de Purgator. c. 3. loc. 9. motus, fatetur, non adeò benè locum hunc *liberationi animarum ex limbo* convenire. Cur ergo pro *limbo* ipsum adducit? (2.) Propheta non de *statu animarum piorum* V. T. *post mortem* loquitur, sed *metaphorica* locutione significat, *Ecclesiam Christi sanguine fuisse ab æternis pœnis liberandam*. Et quia de *liberatione à pœnis* loquitur, quo jure illum *Bellarminus* ad *limbum Patrum* referre poterit, cum juxta ipsum in *limbo* nullæ sint *pœnæ*. (3.) Propheta nullum habet *descensus* indicium, sed sermocinatur de *sanguine fœderis*, qui referendus omnino est ad *mortem*. Itaque designaretur, non *descensus animæ*, sed *efficacia mortis*, quam quis neget potuisse ad Patres pervenire, si Patres vincti detinerentur?

*Bellarminus* ibid. reponit, nihilominus hinc convinci, *animas Sanctorum ante Christi mortem non fuisse in cœlo*, cum nec *cœlum* per *lacum* significari possit, nec ex *cœlo* Dominus Sanctos suos eduxerit, nec in *cœlo* ulli sint vincti.

℞. *Lacum non esse cœlum*, & *neminem educi è cœlis vinctum*, nemini dubium: sed *lacum esse limbum Patrum saltem mortuorum*, malè illatum est; nisi fortè nullus lacus aut *propriè* aut *metaphoricè* est, quàm *mortuorum limbus*. Atqui & *idololatria* lacus est, juxta Cyrillum; & *miseria humana vitæ* lacus est, secundùm Augustinum l. 18. de C. D. c. 35. & *infernus damnatorum* lacus est, Hieronymo in Comm. h. l. teste. Est quoque aliquis lacus *viventibus*, nisi *Davidis* fidem abrogamus, qui *Psal.* 40. v. 3. ait: *Eduxit me de lacu miseriæ*; idque ipsemet *Bellarminus* in Comm. Psal. p. 208. seq. agnoscit. Insuper etiam ab *idololatria*, à *miseria*, ab *inferno damnatorum* liberatio jam nunc in hac vita datur iis, qui per fidem incipiunt cognoscere verum Deum, atque ita de morte in vitam sunt translati, 1. *Joh.* 3. v. 14. *Gravver.* par. 3. Præl. in A. C. p. 111. & 142. *Gisen.* de Papism. disp. 21. thes. 47. seq. p. 416. *Gerhard.* in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 1. p. 430. seq. arg. 6. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 5. c. 8. §. 24. seqq. p. 84. & tom. 3. l. 25. c. 7. §. 17. seqq. p. 550.

IV. *Bellarminus* l. 1. de Purgat. c. 3. loc. 9. exinde *Purgatorium animarum fidelium post hanc vitam* fabricare allaborat, quippe *quas Christus ex eo eduxerit*, cum *eò descendit post mortem suam*: Purgatorium enim esse *lacum illum, in quo animæ vinctæ non habeant aquam consolationis*.

℞. (1.) Papistæ dubij sunt, an lacum hunc ad *limbum Patrum*, an ad *Purgatorium* referre debeant, teste *Becano* tom. 3. Opusc. 10. c. 2. q. 7. p. 578. Conveniant ergo priùs inter se: cum enim juxta ipsorum doctrinam, sint hæc duo receptacula distincta, ideo lacus iste non potest simul de utrisque accipi. (2.) Ex textu probari nequit, agi hîc de *descensu Christi ad inferos*: ergo etiam probari nequit, *hoc ipso descensu liberatas aliquas animas è Purgatorio*. (3.) Zacharias non agit de *Purgatorio*, cum agat de *lacu, in quo non est aqua consolationis*, interprete *Salmerone* in 1. Cor. 15. disp. 26. §. *Vocatur*: in *Purgatorio* verò esse *aquam consolationis*, affirmat *Bellarminus* ipse l. 2. de *Purgat.* c. 4. §. *Tertio quia*, &c. (4.) Idem *Bellarminus* l. 2. de Purgat. c. 8. disputat, *animas ex Purgatorio ad nos in terris adhuc viventes proficisci posse*. Ergo non sunt vinctæ in Purgatorio: Jam verò Propheta loquitur de vinctis. (5.) Si *Purgatorium est lacus sine aqua*, cur ad illud *Bellarminus* l. 1. de Purgat. c. 3. loc. 5. applicat dictum *Psal.* 66. v. 12. *Transivimus per aquam & per ignem*. (6.) Sermo hîc est de tali beneficio, quod tantùm *sanguini Christi*, adscribi queat, non etiam *sanguini Martyrum*, & *satisfactionibus inde collectis*. (7.) Zacharias ejusmodi redemptionem prædicat, quæ non solùm *animam*, sed & *corpus* respiciat: quia nimirum *vinctos* nominat, qui è lacu educuntur. (8.) Si maximè aliquod esset *Purgatorium*, quia tamen animæ fidelium per sanguinem Christi *ab inferno & pœna æterna* liberatæ sunt, multò magis eas à *Purgatorio & temporali pœna* liberatas fuisse, credendum esset.

Schop-

*Schoppius* in Apolog. contr. Hunn. de Indulg. c.58. p.82. oggannit 1. liberationem ex Purgatorio esse quoque *sanguinis Christi* beneficium, cum propter illum habeamus gratiam faciendi opera *satisfactoria*, quibus liberemur.

℞. (1.) Apostata petit principium: hoc ipsum enim in quæstione est, neque unquam probari potest, *talem gratiam satisfaciendi Christi sanguinem nobis meruisse?* Qui enim *solus torcular ira divina calcavit*, & *purgationem peccatorum fecit per semetipsum*; quomodo is *adjutorias nostras satisfactiones* ferre, nedum meruisse nobis voluit vel potuit? (2.) Hoc pacto non nisi *indirectè* liberatio ex Purgatorio adscriberetur sanguini *Christi*, *directè* verò & *immediate* sanguini *Martyrum*, propriisque hominum satisfactionibus, tanquam causæ, effectum suum *proximè* antecedenti.

2. Metaphoram esse in voce, *vinctos*, Scripturæ non inusitatam, adeò ut, sicut anima dici queat *soluta*, ita & *vincta*.

℞. Quis negat, animas per *metaphoram* dici posse *vinctas*: sed tales dicuntur propter *corpus*, quod *propriè* vinciri potest; sicut *corpus* dicitur sentiens propter *animam*, cujus proprium est sentire. Quapropter absurdum est de *anima à corpore separata* affirmare, quòd sit *vincta*: quia talis anima vinciri nequit. Quæ igitur impossibilia sunt in *re*, impossibilia quoque sunt in *phrasi*.

3. *In Baptismo* quidem propter Christi sanguinem, omnem culpam & pœnam etiam *temporalem* nobis remitti, non ita verò post *Baptismum*.

℞. Adversarius futili hac sua distinctione non potest non esse in Christum injurius: sequitur enim, non *æquabile* esse beneficium redemptionis, neque *ex æquo partum* omnibus, quippe cum eos, qui jam regenerantur in Baptismo, tantùm purget â peccatis, & peccatorum pœnis omnibus; qui verò iterum peccant, eos non purget, quod est blasphemum.

4. Fideles non posse dici *ex inferno redemptos*, cum *in infernum non descenderint*. Ita alij quidam ex *Papistis*.

℞. Liberati sumus ab inferno, non quòd *in inferno jamdum fuerimus*, sed quòd *virtute sanguinis Dominici ab inferno præservati simus*: in illum enim nos detrudi contigisset, nisi redemptio intervenisset. *Redimere* namque etiam is dicitur, qui alium â captivitate præservat, ut ex *Psalmis Davidicis* constat. *Hunn.* tom.1. Oper. Lat. p.1544. seq. *Balduin.* in Exam. Apol. Schopp. p.510.-514. *Gerhard.* in Conf. Cath. lib.2. spec. par. 2. p.484. seq. arg.19. *Chem.* tom.3. Paustr. l.26. c.8. §.30.-37. p.575.

Vers.12. *Convertimini ad munitionem vincti spei*, &c.

*Metaphora* est: (1.) enim *Ecclesia Christi* dicitur *munitio*, i.e. *asylum tutissimum salutis*. (2.) *Vincti spei* appellantur, quòd *in captivitate & calamitatibus spem in Deum non abjecerunt sed Dei promissionibus innixi mansêre*. Glass. lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.12. p.414.

Vers.15. *Et comedent, & subjicient lapides fundæ, bibentq; tumultuabuntur, sicut vinum*, &c.

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: nam [1.] *lapides fundæ* ponuntur pro *hostibus, ex quibus olim erant multa funditorum agmina*, quæ fundis utebantur, & pro optimo habebantur milite, ut ex *Judic.*20.℣.16. apparet. [2.] *Vinum* usurpatur pro *iis, qui vinum potaverunt*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p.652. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p.901. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.4. m.1. p.53.

Vers.17. *Frumentum juvenes, & mustum facundas faciet virgines.*

*Metaphora* est, qua verbum נוב *facundum facere* significat *fructum abunde proferre*, nim. ad celebrandum nomen Domini, illudque confessione leta propagandum, nec non fructificandum in bonis operibus. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tractat.1. cap.11. p.289.

CAP.X. v.1. *Dominus faciet coruscationes, & pluviam imbris dabit eis* &c.

Zacharias utitur [1.] *Enallage temporis* præsentis, *facit*, pro futuro, *facturus est*. [2.] *Hebraismo*: מְטַר גֶּשֶׁם *pluviam imbris*, h.e. רבוי מָטָר *multitudinem* sive *abundantiam pluviæ*, ut *Kimchi* exponit. Ubi rectio *duorum synonymorum* substantivorum *auxesin* notat. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.652. *Glass.* lib.3. Philol. Sacr. tract.1. can.32. p.117.

Vers.4. *Ex ipso angulus, ex ipso clavus, ex ipso arcus belli*, &c.

Offert se [1.] *Synecdoche partis* pro *toto*: nam & *angulus* pro *turre oppugnatoria* [ita autem dicitur, quia *angulis robustis* constat] & *clavus* pro *tentoriis militaribus*, quæ *clavis* panguntur & affiguntur, ponitur. [2] *Enallage nominis* substantivi, *belli*, pro adjectivo, *bellicus*. Jun. in Not. ad h.l. p.902. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.17. m.2. p.463.

Vers.6. *Et convertam eos, quia misertus sum eorum*, &c.

Recurrit [1] *Hebraismus*: præteritum enim in Hiphil cum affixo; הוֹשְׁבוֹתִים *converti eos*, ex duabus radicibus est compositum, יָשַׁב *sedit*, & שׁוּב *reversus fuit*, intendendæ significationis causâ. Posset igitur verti, *reversus collocabo eos*. [2.] *Enallage temporis* præteriti, *misertus sum*, pro futuro, *miserebor*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p.653. *Glass.* lib 3. Philol. Sacr. tract.3. can.31. p.334.

Vers.8. *Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos*, &c.

Verba hæc exhibent (1.) Ἀνθρωποπάθειαν quia per *sibilum* Deo tributum, intelligitur *lenissima Evangelij vox*, quâ homines in Ecclesiam advocat & colligit. Sic enim alicubi moris est, ut homines, canes &c. *sibilo* advocentur. [2.] *Enallagen temporis* præteriti, *redemi*, pro futuro, *redimam*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p.653. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.7. p.124. seq.

CAP.XI. v.1. *Aperi, ô Libane, portas tuas, & comedet ignis cedros tuas.*

Propheta usurpat [1.] *Apostrophen*, ad *Libanum*, quasi ad *personam*, directam. [2.] *Synecdochen partis* pro *toto*: nam per *Libanum* totam *terram Judææ* intelligit. Montis autem istius, qui erat terminus Judææ Aquilonaris, facit mentionem, quia ab Aquilonari parte omnia primùm occupârunt invadentes Romani, sicque pedetentim versus metropolim Jerosolymam, & interiores Judææ partes sunt progressi, ut ex Josepho liquet. De ultima enim panolethria Judæorum in hoc textu agitur. Chaldæus Paraphrastes pro *Libano* vertit *templum*, quòd extructum esset cedris Libani. [3.] *Prosopopœiam*: comedere enim tribuit *igni consumenti*. [4.] *Metaphoram*: siquidem per *cedros* designat *proceres, magnificos & potentes quosvis*, ut exponit v. seq. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.653. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p.902. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.10. p.274.

Vers.3. *Vox ululatus pastorum, quoniam vastata est magnificentia eorum: vox rugitus leunculorum, quoniam vastata est superbia Jordanis.*

In textu hoc habetur [1.] *Metaphora*; tum quia *pastores* sunt, quibus *in Republica & Ecclesia* cura

populi

populi commissa est; tum quia *rugitus leunculorum* de *tumultu & violentia hostilis* accipitur. (2.) *Enallage temporis* præteriti, *vastata est*, pro futuro *vastabitur*. (3.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam & per *pastorum magnificentia* tota *populi multitudo*, in qua est decor Principum, *Prov.* 14. v. 28. & per *Jordanem* Judæa, quæ sita est ad Jordanem parte Orientali, intelligitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 653. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 902. *Glass.* l. 5. Phil. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 2. p. 56. & c. 11. p. 322.

Vers. 7. *Assumpsi mihi duas virgas: unam vocavi decus, & alteram vocavi funiculum, & pavi gregem.*

*Antoninus* par. 3. Hist. tit. 23. duos *Monachorum* Ordines, *Franciscanorum* scil. ac *Dominicanorum*, exinde probat, ita ut *decus* sit Ordo Seraphicus *Franciscanorum*, & *funiculus* ordo *Dominicanorum*.

℞. Ridicula hæc est probatio. Nam (1.) per *decus* seu potiùs *amœnitatem* non *ordo Franciscanorum*, sed *prærogativa Judæorum*, quam habebant in Prophetarum dignitate, templi celebritate, &c. notatur. (2.) Vox Hebræa חֹבְלִים nam *funiculum*, sed *devincientes* significat, id est, Judæorum *αὐτονομίαν*, certam tribuum distinctionem, &c. cujus baculi operâ Judæi olim sustentati, conjunctis viribus suam politiam retinebant. (3.) De baculo *amœnitatis* v. 10. & de baculo *devincientium* v. 14. dicitur, quòd *sint confringendi*: idemne etiam de ordinibus *Franciscanorum* & *Dominicanorum* dixerit Antoninus? *Gerhard.* in Conf. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. p. 370. b. *Tarnov.* in Comm. Zachar. 11. p. 305. & 314 *Glass.* lib. 2. Philol. Sacr. tract. 2. sect. 3. art. 6. p. 425.

Vers. 10. *Ut irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis.*

*Vorstius* in *Deo* statuit *voluntatis mutabilitatem*, cui favere videtur, quòd Deus minetur *irritum facere fœdus suum*, quod cum omnibus populis percussit.

℞. Deus dicitur fœdus suum, cum Judæis initum, irritum reddere seu abrumpere, non *propriè & ratione sui*, sed per *ἀνθρωποπαθῶς*, ad indicandam Dei voluntatem ultricem, & ad ipsam etiam ultionem exprimendam, quam de iis tanquam *fœdifragis*, sumere vult, ipso interim fœdere ex parte DEI immotè permanente, *Rom.* 11. v. 29. *Balduin.* in Com. Zachar. 11. pag. 725. seq. *Feuverborn.* fasc. 2. Dissert. Theol. disp. 6. thes. 14. seq. p. 213. & 214.

Vers. 12. *Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; sin minùs, quiescite. Et appenderunt mercedem meam, triginta argenteos.*

*Messias triginta argenteis vendendus erat*: nam *pro ejus precio Judæi appenderunt triginta argenteos.*

*Calvinus* in Comm. h. l. nervum argumenti hujus incidit, & *triginta argenteos* symbolicè interpretatur de *mercede hypocritica*, videl. ceremoniis externis, sacrificiis, &c. quâ populus voluerit beneficia Dei compensare.

℞. Calvinus sine causa discedit à litera: *propriè* namque ibi agitur de *precio proditionis, quo Christus venditus est*, teste *Matthæo* c. 27. v. 9. qui & triginta argenteos *propriè* accipit, eosque datos asserit non *Domino*, sed *Judæ proditori*, c. 26. v. 15. Unde igitur probat Calvinus, per *triginta argenteos* symbolicè intelligendum esse *cultum religionis externum*?

Excipit vero 1. *idem*, congruere illud vaticinium Prophetæ cum allegatione Evangelistæ, quatenus Deus in *Christi persona* voluerit exhibere visibile specimen ac symbolum ejus, quod Propheta *figuratè* sub lege factum esse docuerit.

℞. Atqui hoc falsum est: nam allegatio Evangelistæ ostendit, in sensu *literali* ac *proprio* vaticinium Propheticum intelligendum esse, cum *completum* illud dicat in venditione Christi, triginta argenteis factâ, *Matth.* 27. v. 9.

2. *Pareus* in Calvin. Orthod. non tantùm in *verbis*, sed in ipsis etiam *rebus* discrepantiam esse inter *Zachariam* & *Matthæum*, quòd *ipse Propheta* mercedem exigat, cui etiam 30. argentei appendantur in mercedem laboris jam navati in grege Domini pascendo.

℞. (1.) *Propheta* non in *sua* loquitur persona, quasi sibi mercedem solvi petat, sed in persona *Domini*; siquidem non *Zacharias percussit fœdus cum omnibus populis*, sed *Dominus*, v. 10. Jam autem ab hoc 10 versu sic cohærent ea, quibus merces poscitur, ut planum sit, *eundem adhuc* (non mutatis personis) introduci loquentem, idque etiam ipse fatetur *Calvinus*. (2.) In textu non legitur, quòd pretium æstimationis appenderint *Zachariæ*, sed *simpliciter* dicitur, *appensos esse 30. argenteos*, tanquam precium æstimationis *Domini*; non addendo, *cui* id fuerit appensum; neq; enim additur pronomen, *mihi*, ut sensus esset: *Et appenderunt mihi mercedem meam, &c.* *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. pag. 1003. seq. *Gerhard.* in Harm. Evangel. de Passion. Christ. p. 364. seq.

Vers. 13. *Et dixit Dominus ad me: Projice eos ad figulum. Egregium pretium, quo appretiatus sum ab eis! Et tuli argenteos triginta & projeci illos in domum Domini ad figulum.*

I. Conspicitur hoc loco (1.) Hebraismus: *Projice eos ad figulum*, h. e. *prophetiâ tuâ ostende, sic futurum esse*. (2.) Ironia: *Egregium pretium*, scilicet. (3.) *Ellipsis participii*: Projeci illos in domum Domini *conferendos* ad figulum. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 654. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 903. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 15. p. 269.

II. In venditione *Messiæ* pretiũ 30. *argenteorum* in templum Hierosolymitanum erat projiciendum, ut figulo traderetur: hoc enim disertè prædictum fuit in hoc textu.

Vaticinium hoc adulterat 1. *Calvinus* in Comm. h. l. quasi sensus foret: *Projice 30. argenteos ad figulum, ut emat sibi lateres vel tegulas ad reficiendum templum, si qua sint in eo ruina, reficiant eas, & solvant figulo pretium, quia ego non patiar, tã contumeliosè mihi pretium majestate mea indignum obtrudi.*

℞. Explicatio hæc non congruit (1.) cum verbis *Zachariæ*, quia hic nil habet de *figulo, qui emat sibi lateres vel tegulas ad reficiendum templum*: cur enim *figulus* ad *laterarium* ablegaretur, ut ad reficiendas templi ruinas lateres emeret? (2.) Cum allegatione *Evangelistæ*, qui refert, triginta argenteos non in *usum templi*, Matth. 27. v. 6 sed in *sepulturam peregrinorum*, ad figulum esse projectos, v. 7. (3) Secum *ipsa*: quomodo enim projici poterant *triginta argentei* in templum Domini, ad emptionem tegularum, cum juxta Calvinum non sint *argentei*, sed *nugæ ceremoniarum*, quibus certè nec lateres emuntur, nec tegulæ.

2. *Id. ibid.* Zachariam *simpliciter* dicere, *projicè ad figulum*; non autem, *ad agrum figuli*.

℞. Calvinus velut ex proposito obloquitur Evangelistæ Quamvis enim *agri* apud Zachariam non diserta fiat mentio, tamen hunc finem spectâsse Spiritum Domini præscium rei, hoc oraculo prædictæ; vel *Matthæus* Calvinum docere poterat; c. 27. v. 9. qui ad *agrum figuli emendum* projectos argenteos, & hoc ita à Domino prædictum esse commemorat.

3. *Paraeus* in Calvin. Orthod. (1.) potuisse *argenteos* significare *hypocriticos cultus*, simulque *projici ad figulum*, hoc est, *repudiari & damnari*.

℞. Ubi verò manet *figulus*, si *ad figulum projici* idem est, quod *repudiari*? Sic enim omnis illa *projectio* ad *repudiationem* redigitur, nullo manente *vero figulo* superstite, qui post factam hanc damnationem & repudiationem lateres emat.

(2.) Illud, *ad figulum*, satis esse, si ad *signum* referatur; vel si nullum accessit, ad *impletionem*. quando argentei proditionis ad figulum reipsa sunt devoluti per agri emptionem.

℞. Neutrum horum consistit. Non *primum*: neque enim Calvinus *signi* alicujus, quod tùm in *continenti* fuerit adjunctum, ullo verbo meminit, sed meminit *rejectionis ceremoniarum*, quas dicit *argenteos*; meminit & *symboli*, sed *post aliquot demum secula exhibendi*. Non *alterum*, secus glossa foret *ἀσύστατος*, necessariò tamen sic enarranda: *Projice* (tu Zacharia) *ad figulum*, id est, *repudia & damna hypocriticos istos cultus*; & *in Iuda*, *projice aliquando veros argenteos in Domum Domini, ut dentur figulo ad emptionem agri*. At quid fit interim de *altero figulo*, qui lateres emerat ad reficiendas templi ruinas?

(3.) Vocabulum הַיּוֹצֵר diversimodè explicari, & modò *thesaurarium*, modò *statuarium*, modò *conflatorium*, &c. verti.

℞. Vox illa *propriè* significat *figulum*, à radice יָצַר, *finxit*; ut patet ex *Psal.* 2. v. 9. *Esa.* 29. v. 16. *Ierem.* 18. v. 3. &c. atque sic etiam hoc loco accipi, testatur Evangelista Matthaeus, qui de *figulo*, circa vasa ex luto efformāda versante, Prophetam exponit, c. 27. v. 9.

(4.) Discrepantiam esse non tantùm in *verbis*, sed & in *rebus ipsis*, inter Zachariam & *Matthaeum*: i. enim *illic Zachariam* introduci proditorem, qui pecuniam in domum Domini inferat; *hic* verò *Iudam Ischarioth*, Matth. 27. v. 3.

℞. Quòd Propheta in projiciendis argenteis in domum Domini sustinere jubetur *personam* Judae, tam nō habet quicquam discrepantiae, quàm cum *Esaias* c. 20. v. 2.3.4. denudato suo incessu *Aegyptios* atq; *Aethiopes*, in captivitatē Assyriacam abducendos, jussu Dei repraesentavit. Sicut autem inter *Esaiae vaticinium*, & *hujus eventum praesignificatum* nulla est discrepantia, ut maximè praedictus rei eventus impleatur non in *persona Prophetae*: sic quoque inter *Zachariae vaticinium*, & *eventum à Matthaeo descriptū* nulla est discrepantia, licèt eventus non in *Zacharia* repraesentante talia, sed in *Iuda* compleatur.

2. In vaticinio Zachariae, projectionis mandatae *causam* fuisse *pretii indignitatem*; apud Matthaeum verò *Iudae desperationem*, c. 27. v. 5.

℞. Causae istae non sunt *contraria*, sed *subalterna*: nam ex *justo Dei judicio*, & *scelerata mercedis fastidio* accidit, ut propter immanem atrocitatem sceleris, quo Judas pro vilissimo pretio non exhorruit filium Dei prodere, in desperationem rueret, ex eaq; desperatione mercedem iniquitatis rursum à se abjiceret. Ubi vides, *utrumque* clarè conjungi absque ulla discrepantia. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 997.-1017. *Gerhard.* in Harm. Evangel. de Pass. Christ. p. 365.

Vers. 16. *Ecce ego suscito pastorem in terra, succisas non visitabit, puerum non quaeret, & fractum non sanabit, restitantem non portabit, & carnem pinguioris comedet, & ungulas earum abrumpet.*

Et hic (1.) *Enallage temporis* praesentis, *suscito*, pro futuro, *suscitaturus sum*. (2.) *Prosopopoeia*, quâ *agnus*, propter *teneram aetatem*, puer dicitur. (3.) *Ellipsis* nominis substantivi: בְּשַׂר הַבְּרִאָה *carnem pinguioris*, scil. שֶׂה *pecoris*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 654. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 903. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 12. p. 50.

Vers. 17. *Brachium ejus arescendo arescet, & oculus dexter ejus caligando caligabit.*

Redit (1.) *Metaphora*: uti enim *brachium* pro *potentia & viribus*, ita *oculus dexter* pro *summa prudentia consilioque* in rebus agendis accipitur. (2.) *Epizeuxis*: *Arescendo arescet*, h. e. *penitus arescet*; & *caligando caligabit*, i. e. *omnino caligabit*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 654. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 903. *Glass.* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 12. p. 339. & 343.

Cap. XII. v. 1. *Dicit Dominus, qui extendit caelos, fundat terram, & format spiritum hominis in eo.*

*Trelcatius* in LL. Theol. p. 277 putat, *animam per novam quandam creationem corpori à Deo infundi*, quòd *Deus formet spiritum hominis in eo*.

℞. (1.) Contrarium potiùs exinde sequitur: nam si *Deus spiritum hominis format in ipso*, falsum omnino est, *animam priùs à Deo creari, deinde demum uniri corpori*. (2.) *Timotheus Brightus* in animadv. in Scribon. p. 18. disertè fatetur, respicere hic Prophetam ad *primum creationis ortum*, ubi Deus caelos extenderat, terram fundaverat, simulque hominis corpori vitae spiraculum inspiraverat: alioqui si ad *tempus praesens* referri debeat, sequi, quòd adhuc hodie creationis opus Deus revolvat, nova rerum fundamenta ponat, & novos caelos fabricet; quod tamen semel esse factum, tradunt sacrae literae.

*Zanchius* in Miscell. regerit, scopum Spiritus Sancti esse, praedicare *omnipotentiam Dei*: si autem *ex substantia parentum animae prodirent*, jam ad earum facturam concurrerent etiam parentes, & sic non ampliùs esset opus *omnipotentiae divinae*.

℞. (1.) Praesidium hoc ficulneum est: nam Propheta respicit *primaevam*, ut dictum, *creationem*, in qua Deum corpori Adae *spiritum infudisse*, concedimus, neque ad illius facturam hominem concurrisse. (2.) *Iobus* c. 10. v. 10. seq. itidem praedicat *omnipotentiam divinam in corporis sui factura*; ergóne verò nec ad *corporis facturam* parentes concurrunt, neque ipsa est opus *omnipotentiae divinae*? *Eckhard.* in fasc. controv. Calvin. c. 10. Append. de Trad. anim. obj. 5. p. 264. *Thumm.* in Controv. de Ort. animi. rational. p. 21. seq. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de peccat. c. 6. q. 7. obj. 3. p. 454. seq. *Dannhauv.* in Colleg. Psychol. disp. 6. theor. 2. p. 177. seq.

Vers. 2. *Ecce ego pono Ierusalem scyphum soporis omnibus populis, &c.*

Verba haec continent. (1.) *Enallagen* partim *temporis* praesentis, *pono*, pro futuro, *brevi positurus sum*; partim *nominis* substantivi, *soporis*, pro adjectivo *soporiferum*. (2.) *Metaphoram*: tum quia *Ierusalē* significat *Christi Ecclesiam*, quod in illa Deus promissiones de Christo subinde redintegrārit: tum quia *potione ex scypho soporifero* notatur *hostiū Ecclesiae pernicies & excidium*, quod ex tantâ animi perturbatione sibiipsis accersent, velut *ebrii* mente capti & praecipites in ruina facti. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 655. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 903. & *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 12. p. 400. & c. 13. p. 419.

Vers. 3. *Et erit in die illa, ponam Ierusalem lapidem oneris omnibus populis: omnes onerantes se eo cadendo cadentur, &c.*

Con-

Conspicitur hoc loco (1.) *Enallage nominis* substantivi, *generis*, pro adjectivo, *onerosum*, imò onerosissimum. (2.) *Metaphora*: Jerusalem enim futura dicitur *lapis onerosus omnibus populis*, h. e. *immobilis*, ut à nullis populis loco moveri & projici possit, veluti *saxum grave* alio transferri nequit. (3.) Epizeuxis: *Cadendo cadentur*, i.e. *omnino* cædentur, q.d. sub hoc onere succumbent, imò contererentur, vi nimirum & potentia *summi Ecclesiæ lapidis angularis* Luc. 20. v. 17. seq. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 655. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 903. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 11. p. 283.

Vers. 4. *In die illa, ait Dominus, percutiam omnem equum stupore, & ascensorem ejus amentiâ, & super domum Iehudæ aperiam oculos, &c.*

Recurrit (1.) *Enallage numeri* singularis, *omnem equum, & ascensorem ejus*, pro plurali, *omnes equos, & ascensores eorum*. (2.) *Metaphora*: nam per *equos* superbos atque incredulos, per *ascensores equorum* superborum illorum *duces*, per *domum Iehudæ* congregationem fidelium Propheta intelligit. (3) Ἀνθρωποπάθεια: *Aperiam oculos meos*, i. e. *gratiâ & favore prosequar*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 655. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 903.

Vers. 6. *Et comedent ad dextram & ad sinistram omnes populos circum, &c.*

*Hebraismus* est: הָעַמִּים סָבִיב *populos circum*, h. e. *circumjacentes*, qui sunt in circuitu, ubi *adverbium*, substantivo additum, *adjectivi* significationem induit. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 10. p. 44.

Vers. 10. *Et effundam super domum Davidis, & super habitatorem Ierusalem spiritum gratiæ & precationum, & adspicient ad me, quem transfixerunt; & plangent super eum quasi planctum super unigenitum, & amaricari super eum, ut amaricari super primogenitum.*

Iteratur (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Deus* enim dicitur *effundere spiritum suum*, cùm *ejus dona largiter concedit, & gratiam exhibet*. (2.) *Enallage* tum *numeri* singularis, *habitatorem*, pro plurali, *habitatores*; tum infinitivi, הָמֵר *amaricari*, pro futuro, *amaricabuntur*, seu amarè plangent. (3.) *Ellipsis* verbi: *Amaricando* plangent *super eum, ut amaricari* plangent &c. (4.) *Metaphora*, quâ *amaricari*, est, *tristitia affici*. Ariæm. par. 4. Bibl. pag. 199. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 656. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 904. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 44. m. 2. p. 361. lib. 5. tract. c. 7. p. 134. c. 10. pag. 268. c. 12. p. 361.

II. Rationem *Socini*, contra *Spiritus Sancti personalitatem*, vide refutatam in Vindic. *Ioel.* 2. v. 28. m. 2.

III. *Salmero* judicavit, *Iudæos hic Scripturam corrupisse*, quòd ex textu Hebraico eraserint voculas illas, *ad me*; ne videatur dici *Deus ipse punctus*, & *Messias Deus* esse.

℞. (1.) Etiam *Evangelista* non legit, *ad me*, *Ioh.* 19. v. 37. ergóne Adversarius hanc tam gravem accusationem concipiet, ut in *eundem Evangelistam* recidat? minimè verò. (2) Falsũ est, Judæos ex textu Hebraico voculas illas, *ad me*, erasisse. Nam & textus *Hebraicus* constanter retinet, אֵלַי, *ad me*; & Commentatores *Aben-Ezra* & *Salomo Iarchi* id ipsum legunt, etsi interpretando valde detorqueant. (3) Quid si omnes *Iudæi* corruptè legerent, an *nostri* codices propterea essent corrupti? At de *his* disputatio est: nam *Iudæorum* nequitia quid ad nos? *Chã.* tom. 1. Panstr. l. 12. c. 12 §. 90. 91. 92. p. 222. *Glass.* l. 1. Phil. Sacr. tract. 1. sect. 2. par. 2. post. obj. 82. p. 174.

IV. *Messias debuit crucifigi*: nam *ille ipse* est, qui hoc loco dicit, *se esse transfixum*, videlicet quando *cruci affigebatur*.

Respondet 1. *Anonymus ille Semijudæus* in tract. 2. de fundam. relig. Christ. hoc loco non agi de *Messia*, sed de *Deo*.

℞. Omnino locus hic de *Messia* agit: nunquam enim aliàs *Deus*, dator gratiæ fuit transfixus, nisi cum *Messias* fuit crucifixus; aut ostendat Antagonista, quando vel ubi Deus fuit transfixus, ut diceret: *Adspicient ad me, quem transfixerunt?* Unde testatur R. *David Kimchi* priscos Talmudistas hunc locum de *Messia* intellexisse.

2. R. *Salomo* in Comm. loqui Zachariam de *Messia filio Ioseph*, quia de *planctu mortui* agat; non verò de *Messia filio David*.

℞. Effugium hoc nullum est: siquidem (1.) R. *Moses Hadarsan* sup. Gen. 28. eundem v. 10. tribuit *Messiæ filio David*, ideoque idem est *Messias filius David*, super quem planctus iste fiet. (2.) Nonne *Salomo* videt, se hac ratione ex *Messia filio Ioseph Deum facere*, cum is, qui v. 10. loquitur, sit *Iehovah Zebaoth*, v. 9. *Bellarmin.* l. 1 de Christ. c. 5. loc 9. p. 294. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 15. thes. 16. seq. p. 375. & 376. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 53. p. 305.-308. & c. 112. p. 728. seq.

V. *Christus est unus ille Deus Israel*: ipse enim est *Iehovah Zebaoth*, ad quem gentes adspicere, quemque *confixisse* dicuntur.

*Socinus* in Refutat. argum. Bellarm. & Wieck. p. 200. & 202 excipit 1. ex hoc loco non posse probari, *Christum esse unum illum Deum Israelis*, quoniam *Iehovah* transfixionem per χρῆσιν quandam sibi attribuat, videlicet se transfigi ab illis, qui *Christum* configebant, quamvis *Christus* non sit unus & idem *essentiâ divinâ* cum ipso.

℞. (1.) *Socinus* quadantenus judaizat: eandem enim φλυαρίαν ferè habet superior ille *Anonymus Semijudæus* l. c. contra Johanniticam loci hujus allegationem. (2.) In Hebræo habetur verbum דָּקָרוּ, quod hîc non *metaphoricè*, sed *propriè* pro *transfixione* accipiendum est, cùm nulla ratio manifesta dari possit, quæ modum χρηστικὸν illius attributionis suadeat. (3.) Christum de *se suaque persona* in his Prophetæ verbis loqui, ostendit ipse textus Propheticus, in quo est, *ad me, quem transfixerunt*; hoc vero in *Christo* impletum est, *Ioh.* 19. v. 37. & *Apoc.* 1. v. 7.

2. Verba illa non esse intelligenda de *ipso Iehova, loquente de seipso*, sed de *alio*, videlicet *Christo*, de quo Jehovah loquatur in *tertia* persona: *Plangent super eum, & dolebunt super eum*; & sic verba illa, *ad me*, redundare.

℞. (1.) Verba illa, *ad me*, non redundant: nam Hebræi codices ea constanter habent. (2.) Committitur fallacia causæ: non enim mutatio sive Enallage *personæ primæ in tertiam*, facta in pronomine, EUM, cũ antea dixisset, *ad me*, sufficit ad probandum, de *alio* hîc agi, quàm qui loquitur; cùm *Enallage personarum* non sit insolens Scripturæ, qua de re vide *Luc.* 1. v. 44. & 45. c. 19. v. 9. *Ioh.* 6. v. 51. *Rom.* 7. v. 4. & alibi. (3.) Affixum pronomen in עָלָיו potest referri ad *factum transfixionis*, de quo plangent; non ad *personam transfixam*.

3. Etiamsi *Hebraica lectio*, quam hodie habemus, omnino incorrupta esse statuatur, posse tamen eam ex *Hebræo* ita verti, ut nulla in ipso *Dei Israelis confixi* mentio fiat, hoc nimirum pacto: *Et adspicient ad me eum illo, quem confixerunt*; inde verò non probari posse, *Iesum crucifixum esse Deum Israelis*.

℞. Non quæritur, quomodo textus possit *torqueri*, sed *legitimè verti*: illa verò *Socini* versio

non quadrat. Si enim is sensus fuisset *Dei loquentis* apud Prophetā, non dixisset, אתו אשר, sed את אשר. *Tarnov.* de SS. Trinit. p. 316.-325. *Matth. Dubm.* in disp. sup. h. l. thes. 46.-53.

VI. *Hayus* cont. Chambrun. c. 17. q. 145. suspicatur, *Christum judicem apparitururum cum stigmatibus vulnerum*, quia ad *eum, quem transfixerunt, gentes sint aliquando adspectura.*

R. N. C. nam textus nihil aliud designat, nisi *subjectum*, quod transfixerunt; *adjunctum* verò, sive *stigmata vulnerum* non describit. Quare phrasis illa, *videbunt eum, quem transfixerunt*, non significat idem, ac si dictum esset: *Videbunt Christum, habentem in corpore suo stigmata vulnerum, quæ passus est à crucifigentibus*; sed tantùm: *Videbunt eum, cui ea vulnera olim facta sunt.* Non aliter, ac si dictum esset; *videbunt eum, quem crucifixerunt*; quod etiam verum erit: nec tamen, opinor, tunc apparebit *cruci affixus.* Significant enim hujusmodi phrases, *quid olim factum fuerit*, non verò, *quid fit etiamnum*, vel *aliquando futurum* sit. *Meyfart.* in Meletem. Theol. de Extrem. Judic. pag. 566. seq. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 5. c. 21. §. 2. & 4. p. 99.

VII. *Pezelius* lib. contr. Hunn. p. 155. argutatur, *corpus Christi glorificatum non esse invisibile*, quòd *illud ipsum visuri sint, qui id confixerunt.*

R. Adversarius ignorat elenchum: neque enim corpus Christi dicim° ita esse invisibile, ut ne *δύναμις* quidem visibilitatis ei tribuatur (sicut *Angeli* in propria sua essentia sine forma assumpta, nec actu nec *δυνάμει* sunt oculis hominis aspectabiles) verùm libenter fatemur, corpus Christi *potentiâ* semper esse visibile, & suâ naturâ sic comparatum, ut quandocunque & ubicunque velit, se visibilem sistat *actu*: sicut faciet in novissimo die, ubi juxta humanitatem, *nativa effigie visibiliter apparentem*, faciet judicium orbis, & tum videbunt eum, qui in ipsum confixerunt. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. p. 406.

VIII. *Gretserus* in Apolog. pro Discipl. lib. 2. c. 2. exinde probare vult, *anniversariam flagellationem*, quæ ultimâ *Quadragesimæ* septimanâ fit; cum prædictum sit, *Christianos quotannis Christum plancturos esse.*

R. Zacharias non vaticinatur de *processione cum flagellis* (hoc namque toti interpretum choro ignotum, & è contextu probari minimè potest) sed de *discipulorum, aliorumque fidelium, qui tempore passionis Dominica lucturi erant super morte Christi, luctu acerbissimo*, ut ex contextu patet. Itaque nullâ inest argumento consequentia. *Gerhard.* in Conf. Cath. lib. 2. special. par. 3. p. 125. arg. 3. *Zeam.* in Carnif. Esavvit p. 306.

Cap. XIII. v. 1. *In die illa erit fons patens domus David, & habitantibus Ierusalem in peccatum, & in menstruum.*

I. Propheta utitur. (1.) *Metaphorâ*, quâ *sanguinem Christi* fonti comparat, in quo sordes abluĕtur. (2.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: In *peccatum*, & in *menstruum*, h. e. *in expiationem pro peccato, & in emundationē menstrui.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 656. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 904. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 10. p. 261.

II. *Bellarm.* lib. 2. de Effect. Sacram. c. 4. loc. 4. disputat, *Sacramentum Baptismi conferre gratiam ex opere operato*, cum *id ipsum sit fons patens in ablutionem peccatorum.*

R. (1.) Per *fontem apertum* quidam non intelligūt *Baptismum*, sed *latus Christi apertum*, è quo fluxit sanguis & aqua, *Ioh.* 19. v. 34. *Vatablo* teste. (2.) Etsi hic ageretur de *Baptismo*, non tamen sequitur, eum *ex opere operato* habere vim justificandi & gratiam conferendi, sed ex *inst*[illegible] *unc' divina*, debitò modò utentibus *Baptismo*, quā quidem ratione Sacramentum illud est efficax gratiæ divinæ organū. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontif. c. 29. q. [illegible] p. 514. *Scharp.* tom. 1. Curs. Theol. p. 1109. obj. [illegible] Vide *Balduin.* in Comment. Zachar. c. 1[illegible] par. 1. p. 8[illegible] 3. seq.

Vers. 2. *Et erit in die illa, dicit Dominus Exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra, & Pseudoprophetas & spiritum immundum auf[illegible] am de terra.*

I. *Messias jampridem*, nempe *ante annos sesquimille*, *venit*: etenim jampridem, nempe ante sesquimille annos, *idolomania Ethnica*, & *Gentilium oracula defecerunt*, juxta Prophetæ nostri vaticinium.

*Iudæi* ogganniunt, *nondum è mundo sublatam esse omnē idololatriam, falsumque Deorum cultum*; cùm *minima orbis terrarum pars fidei Messiæ nostri adhærere* videatur.

R. (1.) Mens Prophetæ non est, *omnes omnino idolomanias falsosque cultus in perpetuum esse defecturos*, cum Messias fuerit exhibitus; sed *definitè* loquitur de *idololatria Ethnica*, quæ iis temporibus erat ubivis terrarū & gentium frequentissima, item de *oraculis et Sacerdotibus idololatricis*, quæ omnia temporibus Messiæ sublatum iri, prædicit. Atq; id certissimè evenit: primùm quidem circa annum 100. à nato Messia, ubi prædicatō per totū mundum Evangeliō, passim obmutuerunt *oracula Ethnica*, neque responsa ampliùs dare potuerunt, testibus vel ipsis Ethnicis, *Plutarcho* in lib. de Oracul. inter. & *Iuvenali*, satyr. 6. imprimis verò à seculo *Constantini Magni* sacrificia quoque Ethnica cessārūt. (2.) Neque officit, *non omnes populos secuto esse Jesum.* Nam Prophetæ *residuum solùm servatum iri* dixerunt; Jesus verò, *multos esse vocatos, sed paucos electos*, Matth. 20. v. 16. Nobis sufficit, quòd vox Evangelii toto orbe insonuit, & porta Ecclesiæ omnibus gentibus aperta fuit. *Helvic.* tō. 4. Giess. disp. 14. p. 336. & [illegible] *Morn.* de Verit. Relig. Christ. c. 31. p. 511. seq. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 31. p. 155. - 160.

II. *Gualtherus* homil. 31. in Zachar suadet, *imagines Sanctorum è templis Christianorum esse eliminandas*, quòd ne quidem *nomina earum in templis nota fore populo Christiano*, Propheta prædixerit.

R. Propheta non patrocinatur *εἰκονομάχοις*. Nam (1.) non loquitur de *Sanctis*, sed de *Deastris gentilitiis*; neque (2.) de *imaginibus simpliciter*, sed de *idolis*. At quæstio est de *imaginibus Sanctorum*, non verò de *idolis gentilitiis*, quæ è templis omnino sunt ejicienda, quòd prostĕt ad cultum. *Balduin.* in Com. Zachar. c. 13. p. 813. seq.

III. *Papistæ* contendunt, *cultum imaginum* in N. T. *non esse idololatricum*, quia *idololatriam per adventum Christi extinguendam*, Propheta docuerit.

R. Dam°, adventu Christi non tam *imminuendam*, quàm propè *profligandam* idololatriā: sed addimus, *reducēdam postea per Antichristū* cultū idololatricū, teste Johanne, *Apoc.* 13. v. 1.-5. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Leg. c. 7. q. 5. obj. 5. p. 58. seq.

Vers. 3. *Et erit, cum prophetaverit quispiam ultrà, dicent ei pater ejus et mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater & mater ejus.*

*Schoppius* in Apolog. pro Bellarm. c. 4. n. 10. exinde probare cupit, *etiam* in N. T. *hæreticos capitali supplicio esse afficiendos*, quoniam *falsi Prophetæ* in N. T. *configendi sint, ne vivant*, eo quòd *mendaciū locuti sint in nomine Domini.*

R. (1.) *Configere* hic non *propriè* accipitur, prout idem est, ac *gladio transfodere*, tum quia Pseudoprophetæ non *gladio jugulari*, sed *lapidibus obrui* jubentur

bentur, *Deut.* 13. v. 10. tum quia de *confixo* dicitur, quòd *sit confundendus*, Zachar. 13. v. 4. qui autem *gladio corporali obtruncatur*, propriè non *confunditur*; tum quia aliàs *parentibus jus vitæ & necis in filios*, impia spargentes, traderetur, quod tamen in N. T. non habet locum: verùm *configere* hoc loco *metaphoricè* sumitur, estque idem, ac *verbis duris atque asperis* (κεντομίοις ἐπέεσσι) *cor penetrantibus impetere*, uti videre est ex *Prov.* 12. v. 18. *Esa.* 49. v. 2. *Actor.* 7. v. 54. *Hebr.* 4. v. 12. atque adeò *gladio spiritûs confodere*, impiamque doctrinam exterminare. *Dogmata* enim configenda sunt, non *homines*, inquit *Augustinus* l. 3. contra Cresc. Grammat. c. 50. Nã Scripturæ Propheticæ valde est familiare, ut in describendis rebus Ecclesiæ N. T. utatur phrasibus ex *lege* V. T. desumptis, qua de re vide *Zachar.* 14. v. 16. *Ioel.* 2. v. 28. &c. (2.) Phrasis illa, *non vives*, nequaquam accipi potest de *privatione vitæ naturalis*, contrarium enim ex adductis textûs circumstantiis colligitur; sed accipienda est de *amissione vitæ spiritualis & æternæ*, quòd falsam spargens doctrinam, sit alienatus à vita, quæ est *ex Deo*, Ephes. 4. v. 18. nec partem sit habiturus in vita *æterna*; quo sensu hæc vox accipitur. *Ezech.* 18. v. 24. & c. 33. v. 10. *Balduin.* in comm. Zachar. 13. pag. 820. 821. seq. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 27. de Magistr. polit. §. 350. p. 1099. *Matth. Dithm.* in Syst. Polit. p. 141. seq. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 4. sect. 1. can. 5. p. 328. & lib. 5. tract. 1. c. 12. p. 382.

Vers. 6. *Et dicet ad eum: Quid plagæ istæ in manibus tuis? Et dicet, quibus percussus sum in domo amantium me.*

In versu hoc habetur (1.) *Enallage verbi activi* pro *passivo*: וְאָמַר *& dicet ad eum*, h. e. *dicetur*, nisi subintelligas, *quispiam*. (2.) *Ellipsis nominis*, ex membro præcedente repetendi: *Et dicet*: Plagæ sunt, *quibus percussus sum*, &c. *Iun.* in Bibl. h. l. p. 904. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 23. m. 1. p. 304. & lib. 4. tract. 2. observ. 8. p. 717.

Vers. 7. *Gladie, expergiscere super pastorem meum, & super virum mihi proximum: percute pastorem, & dispergentur oves.*

I. Con[...] [...]tur hoc loco (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *gladius*, DEO tributus, *iram & vindictam* symbolum est, eoque notatur *calamitas*, *persecutio*, *passio*, *crux*. (2.) *Prosopopœia*, quâ *expergisci* gladius dicitur. (3.) Ellipsis: *Expergiscere*, subint. *ut venias* super pastorem, &c. (4.) *Hebraismus*: עַל־רֹעִי *super pastorem meum*; ubi pronomen possessivum significat *causam*, quæ exponitur statim: *Et super virum mihi proximum*, qui est alter ego. (5.) *Enallage* imperativi, הַךְ *percute*, pro futuro indicativi, πατάξω, *percutiam*, Matth. 26. vers. 31. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 657. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 30. m. 1. pag. 104. lib. 4. tract. 2. observ. 17. m. 2. p. 734. lib. 5. tract. 1. cap. 7. p. 115.

II. *Messias in suis captura discipulos suos fugientes amissurus fuit*: est enim *ille Dei Pastor*, quo percusso oves dispergentur.

Vaticinium hoc depravat 1. *Calvinus* in Harm. Evangel. fol. 338. scribens, non ad *unius Christi personam* locum hunc restringendum esse, sed extendend[um] ad *alios bonos* pastores tempore *Antiochi* dispersos.

ꝶ. Hoc oraculum Propheticum de *solo Christo* loquitur, & quidē juxta sensum *literalem*; id quod, præter evidentem ipsius *Christi* allegationem, *Matth.* 26. v. 31. quam præposteram aut minùs a- piam nemo sine blasphemia dixerit, ipsa verba Oraculi clarissimè testantur. Loquitur enim Pater cælestis (1.) *de viro* in singulari, non de *viris* in plurali, (2.) De *Pastore*, non de *pastoribus*. (3.) de tali viro, *qui sibi sit proximus*, sive, ut *Vatablus* reddit, *coæqualis*. (4.) de tali Pastore, quem singulariter vocat *suum Pastorem*, propter specialem illam *proximitatem* seu *coæqualitatem*.

2. *Pareus* in Calvin. Orthod. p. 294. non debere à *membris* alienum judicari, quod *capiti* evenit; ideoque *percussionem* non esse de *pastoribus* negandam, quæ maximè pastorum omnium Principi *Christo* evenit.

ꝶ. Hæc mera est impostura: sic enim etiam vaticinium *Esa.* 53. non de *solo Christo*, & *passione ejus*, sed de *Esaia* quoque & *aliis Christi membris* interpretari quis posset; cum passio *Christo ejusq. membris* evenerit. At erroneum est, idipsum, quod de Christo *speciatim* cecinere Vates, quod Scriptura N. T. ad *illum solum* pertinere demonstrat, velle sic referre ad *membra Christi*, ut ipsa *litera* vaticinii de illis exponenda sit, tanquam de iisdem sic prædicta. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. pag. 978.-981. *Gerhard.* in Harm. Evang. de Pass. Christ. c. 1. p. 23. seq.

Vers. 9. *Ducam tertiam partem per ignem, & uram eos, sicut uritur argentum; & probabo eos, sicut probatur aurum.*

*Fevardentius* l. 11. Theomach. c. 23. n. 6. exinde demonstrare nititur, *esse ignem Purgatorium*, *quo purgentur peccatrices animæ, postquam è corporibus excesserint*: illas enim *per ignem ducendas*, & *instar argenti urendas, atque instar auri probandas esse*.

ꝶ. Dictum hoc non favet *Purgatorio*. Nam (1.) *Ribera* in c. 13. Zachar. p. 753. & *Cornelius à Lapide* in Comm. h. l. p. 316. locum hunc exponunt de *fidelibus adhuc vivis*; at lis est de *animabus defunctorum*. (2.) Glossa *Interlinearis* ex *Hieronymo* & *Tyrinus* in Comm. interpretantur de igne *afflictionum*; cum quæstio sit de igne *Purgatorio*. Gerhard. in Conf. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. p. 485 arg. 20.

Cap. XIV. v. 4. *Stabunt pedes Domini in die illa super montem Olivarum, qui est è regione Ierusalem ab Oriente. [Et] scindetur mons Olivarum à dimidia parte sui, versus Orientem, & mare, valle magna valde: & discedet dimidia pars montis ad Aquilonem, & dimidia pars ejus ad Meridiem.*

I. Observa hic (1.) *Allegoriam*, quâ *mons Olivarum scissus* dicitur, h. e. *Ecclesia Christi*, in *monte illo collecta, divisa in quatuor mundi plagas*, ut prædicaret verbum Christi omni creaturæ, *Marc.* 16. v. 15. Sicut enim in superioribus *Ecclesia* significatur per *Ierusalem* & *Zion*, sic etiam hoc in loco intelligitur per *montem Olivarum*. (2.) Topographiam: *mare* enim, magnum scil. seu mediterraneum, *Occidentem* significat, eò quòd Judæam habitantibus in *Occasu* est. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 20. p. 493. & tract. 2. cap. 7. p. 565.

II. *Schoppius* in Syntagm. de Antichrist. c. 4. p. 52. scriptitat, *Antichristum post persecutiones Sanctorum in montem Olivetisereceptiurum*, *ibique dehiscente monte ad inferos descensurum esse*; eò quòd *montem olivetitunc ex media sui parte scindendum fuit*, *quando Dominus egressurus sit & præliaturus contra gentes*.

ꝶ. (1.) *Divisio montis Oliveti* non accipi debet de *reali aliqua ejus dehiscentia*, quippe quæ *Iudaismum* redolet; sed de *divisione spirituali*, quæ facta est tempore *Apostolorum*, quos Christus paulò ante suum in hoc monte adscensum in cælos, emisit in *quatuor mundi partes*, ad præliandū prælia Domini

prædicatio[illegible] Evangelii: & deo mons Oliveti, undeipse in cælos adscendit, in *quatuor partes scissus & divisus* dicitur. (2.) Esto autem, fingamus *montem Oliveti ita reapse scissum iri tempore Antichristi Papistici*, quæ quæso est ratio consequentiæ: *Mons Oliveti scindetur ex media sui parte*, ergo *Antichristus, Christi jussu deprehensus, in præcipitium montis dehiscentis præcipitabitur?* Nulla planè. *Balduin.* in Comm. Zachar. c. 14. p. 855. & tom. 2. Witteb. disp. 2. c. 7. thes. 10. 11. 12. p. 235. seq.

III. *Calvinus* in Comm. h. l. autumat. non innui hic *adscensum Christi in cœlum*, *in monte Olivarum factum*. Apostolis in *quatuor mundi plagas* emissis; verum sensum esse, *tam illustrem fore Dei potentiam in liberanda Ecclesia, ac si Deus ipse visibili modo se ostenderet, & spectaculares in prælium ex montis cacumine, & mandaret etiam pro imperio, hoc vel illud fieri.*

R. Hæc *Calvini* expositio nullo nititur fundamento; contrà verò nostram confirmat cohærentia textûs de promissione *aquæ vivæ* v. 8. & *regno Christi in toto terrarum orbe stabiliendo*, v. 9. quam & confirmat *Pellicanus*, fidei Calvinianæ alias ὁμόψηφος.

*Pareus* in Calvin. Orthod. regerit, sensum nostrum esse [illegible] concilium, cum durum sit ex *monte* facere *Apostolos*, & ex *scissura montis ab Oriente in Occidentem* extundere *gressum Apostolorum in universam terram.*

R. Calumnia hæc est: neque enim ex *monte Oliveti* facimus *ipsos Apostolos*, sed *eo*, tanquam *monte pacis*, adumbratam dicimus *Ecclesiam*, per Evangelii concionem ex Judæa in quatuor mundi partes dilatandam, cujus doctrinæ præcones sunt *Apostoli*, Rom. 10. v. 15. Deinde *scissura montis in quatuor mundi partes* tam non absurdè notat *Ecclesiæ & Evangelii in omnes mundi plagas dilatationem*, quàm nec visio de *curru Ezechielis*, qui animalium motu incitatus, ad *quatuor plagas mundi* ferebatur, *Ezech.* 1. vers. 17. *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin. p. 816. 820.

Vers. 5. *Et fugietis ad vallem montium, cum pertinget vallem montium, ad selegit, quemadmodum fugistis a facie terræ motus in diebus Vsiæ, Regis Iehuda, &c.*

I. Zacharias adhibet (1) *Allegoriam*, qua per *vallem montium* intelligit *Synagogam Iudaicam*, desertam & derelictam. (2.) *Ellipsin antecedentis & relativi* simul: *Cum pertinget* Deus *vallem montium*, ad montem *seu locum*, quem *selegit*. (3.) *Pleonasmum*: *A facie terræ motus*, h. e. *a te ræmotu*, nisi [illegible] *faciei* pro *metu* accipiat *Iun.* in Bibl. h. l. pag. 9[illegible] 5. *Glass.* lib. 1. Philol. Sacr. tract. 2 can. 23. p. 216. & lib. 5. tract. 1. c. 20. p. 4[illegible].

II. *Pareus* l. c. arguit. per *vallem illam* non intelligi *Synagogam Iudaicæ vastitatem & abjectionem*, cum pii ad *vallem illam* sint fugituri.

R. Ratio hæc desumpta est ex versione *Latina*, quæ talis est. *Hebraica* enim veritas sic habet: *Et fugietis vallem montium*. Describitur ergo vallis ejusmodi, quam *fugiant & aversentur pii*, qualis est *Synagoga Iudaica*. Hunn. ibid. p. 819. & 821.

V[illegible]. *Et erit in die illa, non erit lux pretiorum & densitatis.*

Offert se (1.) *Metonymia*: nam *lux* pro *die* est. (2.) *Enallage nominis* substantivi, *pretiorum* & *densitatis*, pro adjectivo, *pretiosa* & *densa*. (3.) *Allegoria* à *die aquabili* desumta, quâ *Ecclesiæ Christi splendor & felicitas verbi cognitio* denotatur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 905. *Glass.* lib. 5. Philol. [illegible] 1. c. 20. p. 4[illegible].

Vers. 8. *Et erit in die illa, egredientur aquæ [illegible] Ierusalem, &c.*

In versu hoc habetur (1.) *Metaphora*, [illegible] *vivæ* pro *jugiter scaturientibus perpetimque* [illegible] *bus* usurpatur. (2.) *Allegoria*, ab *aquis perpetim* [illegible] *entibus* deducta, quâ *beneficia*, *Ecclesiæ Christi* [illegible] *mini præstita*, designantur. *Iun.* in Not. ad [illegible] 905 & *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. [illegible] c. 20. p. 493.

Vers. 11. *Anathema non erit ampliùs, sed sedebit* [illegible] *rusalem secura.*

*Erastus* tract. de Excommunic. statuit, *neminem* [illegible] *in Ecclesia Christiana esse excommunicandum*, [illegible] *niam in ea non ampliùs fore anathema*, Pr[illegible] prædixerit.

R. (1.) Textus Propheticus non est intel[illegible] dus de *abrogatione anathematis in Ecclesia Christiana*, siquidem contrarium patet ex 1. *Cor.* 16. v[illegible] & *Galat.* 1. v. 8. sed de *exclusione Gentilium* a[illegible] *clesia*, quæ cessat in N. T. *Ephes.* 2. v. 14. (2.) [illegible] si tamen vox *anathematis* omnino ad *excommunicationem* referri deberet, distinguendum tamen [illegible] ret inter Ecclesiam *visibilem* & *invisibilem*. In [illegible] *Ecclesia invisibili* non opus est excommunicat[illegible] nulla enim condemnatio est in his, qui sunt in [illegible] sto Jesu, *Rom.* 8. v. 1. in Ecclesia autem *visibili* [illegible] interdum versantur notoriè impii, à corpore [illegible] fiæ, ut putrida membra, abscindendi sunt, exem[illegible] *Pauli*, *Incestuosum* illum, ut & *Hymenæum* a[illegible] *Alexandrum* excommunicantis, 1. *Cor.* 5. [illegible] *Tim.* 1. v. 20. *Balduin.* in Comm. Zachar. c. 14. pag. 873. seq.

Vers. 19. *Hoc erit peccatum Ægypti, & peccatum omnium gentium, quæ non ascendent ad celebrandum festum tabernaculorum.*

Rec[illegible] (1.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: [illegible] *peccatum* pro *pœna peccati* sumitur. (2.) *Synecdoche speciei pro genere*: per *Ægyptum* enim significa[illegible] *familia gentilis*. (3.) *Metaphora*, quâ *festum tabernaculorum* pro *toto* N. T. *cultu spirituali* usurpatur. *Artem.* par. 4. Bibl. p. 200. *Vatabl.* in Annot. ad 18. hujus capitis, p. 659. *Glass.* lib. 5. Philol. [illegible] tract. 1. c. 1. m. 3. p. 11. c. 13. p. 433. Confer c. 15. m. [illegible] 448.

Vers. 21. *Non erit ultrà mercator in domo Domini exercituum in die illa.*

*Anabaptistæ* negant, *posse Christianum quem* [illegible] *am illæsa conscientia mercaturam exercere*, q[illegible] tempore N. T. *non ultrà fore mercatorem in* [illegible] *Domini exercituum*, Propheta asserverit.

R. (1.) In Hebræo est, כְנַעֲנִי, quod hoc [illegible] non verti debet, *mercator*, sed (*hananaus*, [illegible] est) *extraneus*, ut sensus sit: *In Ecclesia Christian[illegible] erit extraneus, qui nimirum extra eam natus e[illegible] in eam recipi cupit.* (2.) Sin omnino vox *i[illegible]* denda esset, *mercator*, inde tamen *mercatura sim pliciter* damnari nequit: erit enim vaticin[illegible] *spiritualis Hierosolyma*, quòd in ea non sit fu[illegible] mercator *boum & ovium*, in *usum scil. victimar[illegible]* quia sacrificia Christianorû non erunt *irrati* [illegible] *& bruta*, sed *spiritualia*, & *rationalia* Rom. 1[illegible] *Petr.* 2. v. [illegible] &c. *Chemnit.* par. 2. L[illegible] Theo[illegible] de Paupert. c. 5. p. 16[illegible]. *Gerhard.* tom. 6. LL. C[illegible] loc. 27. de Magistr. Polit. §. 258. p. 946. obj. 2.

VIN[illegible]

# VINDICIÆ

# PROPHETÆ MALACHIÆ.

Cap. I. v. 1. *Onus verbi Domini ad Israelem per manum Malachiæ.*

Malachiæ occurrit (1.) Hypallage: *Onus verbi Domini* i.e. *verbum de onere.* (2.) *Metonymia subjecti pro adjuncto*: nam *onus* pro *prophetia de pœna divina* accipitur. (3.) *Pleonasmo*: Per *manum Malachiæ*, i.e. per *Malachiam*, voce *manûs* abundante *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.659. *Glass.* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1.c.3.m.4.p.47.

Vers. 3. *Et Esavum odi, & posui montes ejus solitudinem, &c.*

I. Verba hæc continent (1.) *Metonymiam causæ pro effectu*: nam *Esavus* pro *populo Esavitico* ponitur. (2.) *Hebraismum*, quia *odisse*, Hebræis est *postponere.* (3.) *Ellipsin* præpositionis: *In* solitudinem. *Ariam.* par.4.Bibl.p.201. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract.3 can.19.p.285.lib.5.tract.1.c.1.m.1.p.7.

II. Rationem *Bellarmini* & *Bezæ*, pro *absoluta quorundam reprobatione*, vide solutam in Vindic. *Rom.* 9. v.11.

Vers. 4. *Idumæa est populus, cui iratus est Dominus in æternum.*

*Junius* in Not. Bibl. ad h.l. statuit, *Deum ex beneplacito voluntatis suæ Edomæos reprobâsse*, quippe *quibus irascatur in æternum.*

℟. Non omne id, cui irascitur Dominus in æternum, illico *æternæ damnationi* est addictum, alioqui fallerent Prophetarum vaticinia de vocatione *Idumæorum* ad regnum *Messiæ*, Esa. 11. v. 14. & Amos. 9. vers. 12. Loquitur verò Dominus de ira exitij *temporalis* perpetui, quo *Idumæa* penitus devastanda erat, neque *Idumæi* ita è sedibus suis ejecti, unquam redituri erant; *Obad.* 1. v. 1. *Schroder.* in Enchir. Theol. p.482. seq.

Vers. 6. *Filius honorabit patrem, & servus Dominos suos: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi timor meus, dicit Dominus exercituum?*

I. Occurrit (1.) *Enallage tum temporis* futuri, *honorabit*, pro præsenti, *honorat*; tum *numeri* pluralis, אֲדוֹנִים *domini*, pro singulari, אָדוֹן *dominus*. (2.) Hebraismus: *Honorat*, h.e. *honorare debet.* Officium & debitum *filii* est, honorare patrem; & *servi*; honorare dominum. *Jun.* in Not. ad h.l. p.906. seq. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 660. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract.3.can.6.pag.247. Confer tract.1. can.25.p.90.

II. *Bellarminus* l.2. de Pænit. c.17. disputat, *timorem servilem utilem esse, & à Deo excitari*; cum *Dominus exigat timorem à servis, qui eum ut patrem amare non noverant.*

Non agitur hic de timore *servili*, sed *filiali*: siquidem Dominus *timorem* sui conjungit cum *amore filiali*, quem timor *servilis* expellit, 1. *Joh.* 4. v. 18. *Cham.* tom.5. Panstr. l.5 c.4.§.19 p.195.

Vers. 7. *In quo despeximus nomen tuum: Offertis super altare meum panem pollutum, &c.*

*Bellarminus* l.1. de Miss. c. 10 arg. 4. autumat, *gloriam Dei apud Gentes*, v. 11. nasci debuisse ex *publico & visibili sacrificio*, quòd *Hebraici Sacerdotes* Deum offenderint in *publico & visibili sacrificio.*

℟. N.C. potuit enim nasci gloria Dei apud Gentes ex *publico & visibili cultu*, sine *sacrificio propriè sic dicto*, atque is est *prædicatio Evangelii in mundo universo*, Paulo interprete, Rom.15 v.16.

*Becanus* in Manual. controv. l.1.c.10. n.26. pag. 309. excipit, nomine *sacrificii mundi*, v. 11. non posse intelligi *prædicationem Evangelii*, cùm nulla connexio sit: *Sacerdotes Mosaici mihi offerunt panes pollutos*, &c. *at Christiani prædicabunt Evangelium.*

℟. Est optima connexio: *Sacerdotes Mosaici* offerunt mihi *victimas pollutas*, at *Christiani præcones Evangelii* offerent mihi *sanctam & impollutam hostiam*, quando Gentes mactabunt cultro legis, & illas odore Evangelii refocillatas mihi offerent, hæ verò esse mihi hostias sanctas atque placentes exhibebunt, *Rom.* 12. v.1. *Hutter.* in refut. Bellarm. de Miss. pag.21. *Humm.* in ἀποδ. Theol. de Miss. contin p.56. seq. *Cham.* in Supplem. tom.4. Panstr. c.10.§.22.p.43.

Vers. 9. *Et nunc deprecamini jam faciem Dei, & miserebitur nostri: de manu vestra fuit, hoc nunquid suscipiet ex vobis faciem, &c.*

In versu hoc habetur (1.) ἀνθρωποπάθεια: nam *faciem Dei deprecari*, est, *gratiam ejus precibus expetere.* (2.) Ironia: *Deprecamini jam faciem Dei, &c.* Concessio est *sarcastica* ad eos, qui malè affecti animo, & reprobatis sacrificiis instructi erant, q.d. agite, experimini cum malo vestro, quid gratiæ à DEO impetraturi sitis &c. (3.) *Metonymia causa pro effectu*: De *manu vestra*, h.e. propter *opera manuum vestrarum.* (4.) *Hebraismus*: Nunquid suscipiet *ex vobis facies?* i.e. an *grate illi eritis?* Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 660. *Jun.* in Not. ad eund. loc p.907. *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract. 1.c.5.p 88. Confer c.1.m.2.p.9.& cap.7.p.105.

Vers. 10. *Dicit Dominus exercituum: Munus non suscipiam de manu vestra.*

Argumentum *Papisticum*, contra *sacrificiorum expiationem*, vide refutatum in Vindic. *Psal.* 40. v. 7.m.2.

Vers. 11. *Ab ortu enim Solis usque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, &c.*

I. Temporibus *Messiæ* lex Mosaica de *sacrificiis* erat abroganda: nam Jehovah, illic repudians *Judæorum sacrificia & oblationes*, prædicit fore, ut inter *omnes Gentes*, citra respectum *loci*, offeratur munda oblatio; cum quidem lex Mosaica omnia *sacrificia Levitica* ad *unum tantùm locum* astringebat, & cætera omnia severissimè prohibebat.

*Rabbini* respondent 1. vaticinium hoc fuisse impletum in *proselytis* V. T. è Gentibus ad verum Israelis Deum conversis, in quibus nomen Domini fuerit magnificatum.

℟. Interpretatio hæc contraria est textui: Propheta enim prædicit, fore ut *per totũ terrarum orbem* Gentes Deo sacrificent, & nomen ejus celebrent; num verò in V. T. per totum terrarum orbem fuerunt *proselyti*, è Gentibus ad verum Deum conversi? minimè.

2. Prophetam loqui de *naturali cognitione Dei inter Gentes*, quâ sciebant, Deum esse, eumque colendum, &c. Ita R. *Salomo.*

℟. Hæc quoque explicatio repugnat Prophetæ, qui sanè loquitur de oblatione *munda, Deoq; accepta*: num verò illa *Gentiliũ cognitio* est oblatio munda, & Deo accepta? Annon oblationis & religionis exercitia *Gentilium* omnia erant extra cultum divinitus ordinatum instituta? At quicquid extra

cultum divinitus or[illegible] [illegible]stituitur, [illegible] abest, ut sit oblatio *munda Deo accepta*, [illegible] potius Deo sit abominatio. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 9. m. [illegible] thes 5. p. 199. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 32. p. 162. seq.

II. *Bellarminus* l. 1. de Miss. c. [illegible]. probare allaborat, *Missam esse sacrificium propriè sic dictum* N. T. quòd in locum *sacrificiorum* V. T. successurum sit aliud *sacrificium in Ecclesia Christiana*, quod sit *oblatio munda*, atque hoc esse *Missam*, h. e. *corpus Dominicum in Missa oblatum*.

R. Propheta nihil habet de *Missa Pontificia*, tum quia non dicit, *Sacrificulum debere mimicis gestibus, ritibus & actibus in pane & vino repræsentare passionem Christi, illamque actionem esse sacrificium Deo gratum pro vivis & mortuis*, &c. de quo tamen controversia est; tum quia oblatio illa prædicitur offerri in *omni loco*, cum tamen Missaticum sacrificium non offeratur nisi in *altari consecrato*: verum vaticinatur de *prædicatione Evangelii*, in N. T. in omnes Gentes divulgandi, interprete Apostolo, *Rom.* 15. v. 16. cui suffragatur *Vatablus* in not. ad *Mal.* 1. v. 11. quo ipso nomen Dei magnum sit futurum in Gentibus.

*Bellarminus* ibid excipit 1. non de *gestibus & ritibus*, sed de *substantia rei*, id est, de *oblatione sacrificii propriè sic dicti*, nostram esse quæstionem.

R. Omnino quæstio est de *gestibus & ritibus*: siquidem communis est sententia Papistarum, *variis & mirificis illis ritibus ac gestibus, circa panem & vinum usitatis, repræsentari Deo Patri passionem Filii, & illam actionem repræsentationis esse sacrificium illud DEO gratum*, & quidem *propitiatorium*. Ergo in *gestibus Sacrificuli* ipsa *substantia sacrificii Missatici* tota consistit atque de *repræsentatione* illa quæritur, an sit *sacrificium propriè sic dictum*, id quod ex hoc *Malachiæ* loco demonstrari nequit.

2. Prophetam loqui de sacrificio *propriè sic dicto*, cum absolutè vocet מִנְחָה; nullum autem sacrificium *impropriè* dictum à Spiritu Sancto *absolutè* vocari מִנְחָה.

R. (1.) *Psal.* 96. v. 8. מִנְחָה est *spiritualis* hostia, vel ipso *Bellarmino* fatente in Enarr. Psalm. p. 572. *Psal.* 141. v. 2. oratio *absolutè* dicitur מִנְחָה, ut agnoscunt *Folengenius* & *Iansenius* in illum locum. *E[illegible]*. 66. v. 20. vocula illa מִנְחָה tribuitur *liberis Gentium*, ad Ecclesi[illegible] maximo cum gaudio, doni cujus[illegible] & gratæ oblationis vice, Deo adducendis, teste *San[illegible]* l. 11. 57. p. [illegible]. Itaque regula *Bellarmini* non [illegible] κατὰ παντὸς vera. (2.) *Bellarminus* vocem illam מִנְחָה non potest *propriè* accipere, & *Missæ* appropriare, tū qui ipsemet concedit מִנְחָה significare *propriè* certum genus sacrificii externi, quod ex *simila, oleo* [illegible] *thure* conficiebatur, *Levit.* 2. v. [illegible] in *Missa* nec *simila*, nec *olei*, nec *thuris* ulla conspiciantur vesti[illegible] tum quia est contra naturam *mincha*, destitui [illegible] stan[illegible] terrenâ, & conjungi vino, vel speciebus vi[illegible] quorum utrumque Missatici suo sacrificio Pontificii tribuunt; tum quia aliàs sequeretur, etiam vocabulum, מִקְטָר, *incensi*, propriè accipiendum esse, cum illud cum voce מִנְחָה Propheta hic conjungat, & sic in Missa non tantum *mactanda*, sed etiā *incēdenda* erit victima. Quæ omnia cum absurda sint, concedendum est, Prophetam rem N. T. proponere vocabulis V. T. cujus re[illegible] causa non fuit alia, quàm illustratio rei *minùs notæ* [illegible]a, quæ vulgò *notiora & illustriora* fuerunt.

[illegible]. Id non fieri, nisi cum describuntur res *novæ & futuræ*, quæ non erant tempore V. T. *in usu*; sacrificium verò *spirituale* non fuisse *novum*, nec *futurum*, nec [illegible] *inusitatum* vel *incognitum*, [illegible]oque nullam causam esse, cur id per *figuras* significari deberet.

R. (1.) *Cor contritum* vocatur *sacrificium*, *Ps.* 51. v. 19. nec tamen erat res *nova*. ([illegible]. No[illegible] *sensum tropologicum* à Pontificiis statui speciem [illegible] sensus *mystici*. Illa autem, quæ traduntur in *sensu tropologico*, æquè habent locum in V. ac in N. T. [illegible] Dicant nobis Pontificii, quænam res *nova* [illegible]*ra* significetur, *Zachar.* 14. v. 16. per *ascensionem ad Hierusalem ad celebrandum festum tabernaculorum*? (4.) *Universalis Gentium vocatio* [illegible] no[illegible] quo nomen Dei verè magnum fact[illegible] e[illegible] inter Gentes, cum antea tantùm in *Iuda* Deus notus & in *Israel* nomen ejus magnum fuerit, *Psal.* 76. [illegible]. 2. imprimis verò, quòd antea in *uno duntaxat l*[illegible] Hierosolymis nimirum, publica Dei celebrati[illegible] verbi prædicatio cum aliis ad cultum pertinen[illegible]bus fuerit; jam in *omni loco* futura, quod per *prædicationem Evangelii*, & inde *sub*[illegible] *cutam celebrationem nominis divini* in universo orbe terrarum impletum fuit.

4. Prophetam loqui de *tali sacrificio*, quod *malitia ministrorum non possit fieri immundum*, quemadmodum *sacrificia Iudaica* pollui poterant, illud autē nun & solū esse *sacrificium Eucharistiæ*, quod n[illegible] l[illegible] ministri malitia pollui possit, cum præcipuus Sacerdos sit *Christus*, & ip[s]e idem sit sacrificium.

R. (1.) Falsum est, Prophetam loqui de tal[i] sacrificio mundo, *quod planè non possit pollui per ministros*. Oblatio enim muneris mundi, [i]dem sonat in textu cū magnificatione nominis Dei, cui v. 12. opponitur ejusdem *profanatio*. Sicut igitur idem *nomen*, quod magnificatur, potest profanari: ita etiam idem *munus*, quod purè offertur, potest impurè tractari. (2.) Neque verum est, *Missam nullius ministri malitiâ pollui posse*. Nam *Concilium Tridentinum* sess. 22. de Reform. p. 226. ostendit, multis modis *Missam* malitiâ ministrorum contaminari posse: & *Munsterus* l. 5. Cosmogr. p. 667. narrat, Monac[h]u[m] quendam Ordinis *Prædicatorum* Florentiæ Ital[o]rum, hostiam consecratam (quæ juxta *Bellarminū* l. 1. de Miss. c. 27. est *unum sacrificium cum corpore Domini*, & *ad rem*, *qua sacrificatur*, *substantialiter pertinet*) anno Christi 1313 venenô infecisse, eaque Imperatorem Henricum VII. enecasse. [illegible] P[illegible]batidum quoque est, *Christum* in Missa sim[ul] & *Sacerdotem* & *sacrificium* esse: de hoc enim adh[u]c controvertitur.

5. Malachiam tantùm loqui de *Sacerdotibus* N. T. quos opponat tantū *Sacerdotibus Veteris Legis*, qu[i]que his *propriè* succedant: ideoq; nō loqui de sa[cri]ficio *spirituali*, quod ab omnibus Christianis o[ffer]r[i] soleat.

R. (1.) Falsum est, Prophetam tantùm loqui [de] N. T. *Sacerdotibus*. Hoc enim dicit, illam oblationē fore in *aliis Gentibus*, & non solùm in *populo Iudaico* verùm, quòd oblatio illa solis competat *Sacerdotibus propriè sic dictis* in N. T. hoc non dixit Malachias. Agit enim de *passiva Gentium oblatione*, hoc est, per Evangelium conversione & sanctificatione, cum qua oblatione cohæret *oblatio activa*, qua Gentes conversæ offerunt Deo fidem & vitam sanctam. *Rom.* 15. v. 16. (2.) Consequentia etiam est nulla, quia quamvis *omnes Christiani* offerre debeant *spirituale* sacrificium, de *ministris* tamen *seorsim & singulariter* hoc potest affirmari.

6. *Becanus* in Manual. controv. l. [illegible]. c. 10. n. 25. p. 309. ait, *prædicationem Evangelii non posse esse sacrificium*, de quo loquitur Malachias: tum quia nulla

hic

sit proportio inter *sacrificia Judæorum*, & *prædicationem Evangelii*; tum quia *non omnes prædicent Evangelium*, omnes verò pii Deo offerant sacrificium mundum, juxta adversarios.

℟. (1.) Omnino est proportio inter *sacrificia Judæorum*, & *prædicationem Evangelii* in N. T. ut patet ex *Rom.* 15. v. 16. Nam per illam non *Christus* sacrificatur, sed *nos ipsi* Deo sacrificamur, quatenus verbi divini gladiô spiritualiter mactati, Deo consecramur, & (ut Apostoli verba usurpemus) nostri oblatio sit accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum. Quò spectat, quòd idem Apostolus, 2. *Tim.* 2. v. 15. monet, doctorem verbi debere ὀρθοτομεῖν verbum Dei; quæ metaphora procul dubio sumta est à ritu *Sacerdotum secantium victimas*. Et *Esaias* c. 66. v. 20. prædicit fore, ut veri Israelitæ offerantur Deo *Hierosolymis super montem sanctum Domini*. Est itaque elegantissima proportio inter *cultum legalem* V. T. & *cultum spiritualem* N. T. cujus pars est *prædicatio Evangelii*. (2.) Etsi non omnes in N. T. prædicant Evangelium, tamen hoc sacrificium ad omnes pertinet: tum quia Evangelium *generali* vocatione omnes Christiani prædicent seu confiteantur, *speciali* verò soli ministri verbi divini; tum quia prædicatio Evangelii *synecdochicè* complectitur ipsius *lectionem, meditationem, collationem*, &c. hoc verò omnium piorum est, *Ioh.* 5. v. 39. *Chemnit.* in Exam. Concil. Trid. par. 2. p. 343. *Balduin.* in Com. Mal. 1. p. 927.-931. *Gravver.* Præl. in Aug. Conf. par. 8. p. 90.-99. *Hutter.* in Refut. Bellarm. de Miss. pag. 198.-235. *Gerhard.* in Conf. Cathol. l. 2. special. par. 2. pag. 1188.-1193. arg. 4. *Gisen.* de Papism. disp. 32. thes. 41.-49. p. 582. seq. *Meyfart.* tom. 2. Anti Becan. p. 325.-329. *Cham.* tom. 4. Panstr. Supplem. de Miss. c. 10. §. 22. p. 43. *Ames.* tom. 3. Bellarm. Enerv. l. 4. c. 9. thes. 6. p. 171. seq. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 4. sect. 1. art. 5 p. 322.

Vers. 13. *Exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum.*

*Porchetus* lib. 1. Victor. advers. Jud. c. 15. accusat *Judæos*, quasi *textum Hebræum post natum Christum corruperint*: quia antea fuerit, אוֹתִי, *me*; jam verò legatur, אוֹתוֹ, *eum*.

℟. Nulla hîc est *textus Hebraici corruptio, post natum Christum facta*: siquidem *ante natum Christum* LXX. Interpp. legerunt, καὶ ἐξεφυσήσατε αὐτά; & *Chaldæus Paraphrastes, & suffocâstis illud.* Nec aliter Vulgata Latina, *Et exsufflastis illud*: Itáne verò *hæc* non erit corrupta, ut probè colligit *Bellarminus* l. 2. de V. D. c. 2. Nostram proin lectionem meritò statuimus primævam & authenticam, utpote quæ textui quàm optimè congruit. Accusatur enim hoc loco Judæorum in cultu sacrificali nimia negligentia, quam ita Spiritus Sanctus effert: *Exsufflastis illud*, i. e. *flatu, ex ore emisso, contemsistis illud.* Quam explicationem luculenter ostendit vers. 7. Nam quando post solutionem captivitatis Babylonicæ Judæi *templum novum* priori illi magnificentiâ & splendore multùm cedere videbant, *Esdr.* 3. v. 12. tum *sacrificia* ipsa eos floccifecisse simul, nec ita, ut olim, curâsse, ex hoc loco apparet. *Glass.* l. 1. Philol. Sacr. tract. 1. part. 2. sect. 1. art. 1. obj. 11. p. 52. & par. 2. sect. 2. obj. 82. p. 172. *Cham.* tom 1. Panstr l. 12. c. 11. §. 3. & 18. p. 216. seq.

Vers. 14. *Et maledictus dolosus, si est in grege ipsius masculus, tamen vovet & immolat corruptum Domino, &c.*

*Ellipsis* est nominis adjectivi: *Si est in grege ipsius* זָכָר *masculus*, scil. תָּמִים *integer*; id quod requirit *antithesis*: nam *corruptum* statim opponit Propheta. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 661. *Glass.* lib. 3 Philol. Sacr. tract. 1. can. 11. p. 48.

Cap. II. v. 3. *Ecce ego corrumpo vobis sementem, & spargam stercus super vultus vestros, stercus festorum vestrorum, & tollet vos ad se.*

I. Conspicitur hoc loco (1.) *Enallage temporis* præsentis, *corrumpo*, pro futuro, *corrumpam*. (2.) Hebraismus: *Spargam*, h. e. *permittam spargi*. (3.) *Metaphora*: nam *spargere stercus super vultum alterius*, significat, *ipsum summo probrô & ignominiâ afficere*. (4.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: Stercus חַגֵּיכֶם *festorum* vestrorum, h. e. *sacrificiorum festivalium*. Aliàs *festis* ipsis cum κόπρῳ *fimo & stercore* nihil commercii. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 661. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 60.

II. Olim *Donatistæ*, hodieque *Anabaptistæ*, finxerunt, *efficacitatem ministerii ab integritate Ministri docentis dependere*, adeò ut *impietas Sacerdotum inefficax faciat ministerium*; cum *sacra solennia impiorum Sacerdotum Mosaicorum* vocentur *stercora*.

℟. *Stercora* vocatur *impurorum Sacerdotum sacra*, non *in se* considerata, sed respectu *ipsorum Sacerdotum*. His sunt stercora, hoc est, ad ignominiam eis cedunt, qui potissimâ nominis sui existimationem in eis ponebant. Sic *bona opera in sese* DEO placent, sed ex opinione *meriti* facta, σκύβαλα sunt & ζημίαι, *Phil.* 3. v. 8. Ita *veritas* ab homine impio prædicata non desint esse veritas, sed ipsi *prædicanti* nihil prodest, verùm in ignominiâ ei cedit, eò quòd vitam à doctrina dissentire patiatur, *Psal.* 50. v. 16. seqq interim tamen auditoribus prodesse potest: nam Evangelium fur quoque *Judas* prædicabat sine detrimento fidelium, inquit *Augustin.* lib. 2. contr. liter. Petilian. c. 11. *Balduin.* in Comm. Mal. 1. pag. 945. seq.

Vers. 5. *Fœdus meum fuit cum illo vita & pax, dedique ea illi, &c.*

R. *Levi Ben Gerson* in 1. Reg. 17. v. 1. probare vult, *Pinehasum Archisacerdotem non fuisse mortuum*, quòd *fœdus Dei cum illo fuerit vita & pax.*

℟. Non agitur hîc in specie de *Pinehaso*, sed de *tribu Levitica* in genere, ut ex v. 4. patet: quid verò hoc ad *perennem Pinchasi vitam*? *Glass.* lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 12. p. 818.

Vers. 6. *Lex veritatis fuit in ore ejus: & iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace & in veritate ambulavit mecum, &c.*

*Malachias* videtur *Salomoni* contradicere: *ille* enim asserit, Levitas à veritate non aberrâsse, nullamque iniquitatem in ore ipsorum repertam fuisse; *hic* verò, *Ecclesiast.* 7. v. 21. id sortem humanam prorsus excedere pronunciat.

℟. Veteres Leviticos Sacerdotes Propheta dixit homines inculpatæ vitæ, & impolluti labii, non *absolutè* sed *comparatè*, in collatione ad *Sacerdotes, qui tùm temporis erant*: *illi* enim ex animi sententia juxta doctrinam divinitus præscriptam docebant; *hi* secus faciebant, & præter inane nomen *Sacerdotum* nihil habebant reliqui, v. 8. *Balduin.* ibid. p. 955. 956. seq.

Vers. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.*

I. Propheta usurpat (1.) *Hebraismum*: Labia Sacerdotis יִשְׁמְרוּ *custodient*, vel *observabunt*, h. e. *observare debent*. **Des Priesters Lippen sollen die Lehre bewahren.** (2.) *Enallagen verbi activi* impersonaliter exponendi: *Et legem requirent*, i. e. *ut lex requiratur*. **Daß man das Gesetz suche.** (3.) *Meta-*

*Metaphoram*, quâ *Sacerdotem* vocat *Angelum Dei*, h.e. *verbi divini administrum & praconem*; quanquam Hebræum illud nomen מַלְאָךְ & Græcum ἄγγελος, cum *indifferens sit & commune*, quemvis *nuncium* vel *legatum* denotant, *propriè* accipi queat de *verbi divini ministro*. Jun. in Not. ad h.l. p.907. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 6. pag. 247. & lib. 5. tract. 1. cap. 10. p. 219.

II. *Bellarminus* l.3. de V.D. c.4. arg. 4. demonstrare allaborat, *summum Sacerdotem esse infallibilem Scriptura interpretē*, ac *supremum controversiarum Theologicarum judicem*, quia *illius labia custodiant scientiam, & legem ex ejusdem ore requirent.*

℞. (1.) Negatur id sequi: fit enim collectio à *debere* ad *inesse*, quæ illigitima est; siquidem multa *debemus facere*, quæ non *facimus*. Estque paralogismus Jesuiticus huic non absimilis: *Spiritus Sancti*, *Rom.* 13. v. 3. & 4. de *Magistratu pronunciat*, *quòd benefacientes laudem ab eo ferant*, *econtra* quòd *Dei minister sit in vindictam malè agenti*; ergo *Magistratus semper laude debita afficit bene agentes*, & *semper pro merito plectit facinorosos.* Sicut autem hanc argumentationem non valere, perspicit Jesuita, sic & suam ejusdem planè futilitatis esse agnoscat. (2.) Verba Malachiæ non sunt verba *promissionis*, quibus indicet, quid Sacerdos semper *facturus sit*, aut *actu faciat*; sed verba *praceptionis*, quibus admoner, quid semper per officium *debeat*. In Scripturis enim usitatum est, *futura* poni pro *imperativis*, idque maximè constat ex Decalogo; ex quo quispiam malè argumentaretur: *Deus omnis hominis dixit*, non furtum facies, ergo *nemo furatur*. Veram esse hanc nostram interpretationem, ex ipso contextu apparet. Nam è vestigio v.8. Malachias accusat *Sacerdotes*, quòd *recesserant de via*, & *multos scandalisabant in lege*; qua accusatione opus non fuisset, *si semper officio suo rite functi fuissent*, *nec à veritate aberrassent*. Non semper verò *Sacerdotem Leviticum* legem Domini custodivisse, sed interdū ex ore ejus mendacium prodiisse, exemplō *Aaronis*, *Exod.* 32. v. 5. *Vria.* 2. Reg. 16. v. 16. & *Caipha*, Matth. 26. v. 65. compertū est. (3.) Exinde quoque non probatur, *Sacerdotē esse infallibilem Scriptura interpretē*, *summumq; controversiarum judicem*: sed contrà potiùs, *legem*, cujus *minister est & custos*, & quam in ore habere debet, esse sumum judicem: respondet enim Sacerdos non de *suo*, nec *authoritate absoluta*, sed *limitata*, ut *angelus*, hoc est, *nūcius & praco voluntatis divina*, in lege revelatæ. Verum quid hoc ad *Romanū Pontificē*, qui unicè à *suo ore* nos pendére vult?

*Gretserus* in Colloq. Ratisb. sess. 2. p. 56. replicat, Deum hoc ipso loco *extra scriptum verbum* misisse, ad *Sacerdotem* etiam, Judæos.

℞. Adversarius è diametro pugnat contra Prophetam: hic enim misit Judæos ad Sacerdotem, ut ab eo inquirant *legem*, à Mose de *sacrificiis* traditam ac scriptam. Quare si eam legem custodire debet Sacerdos, & ex ejus præscripto respondere, certè eos Propheta non misit ad Sacerdotem, ut eum audiant docentem *extra scriptum verbum*. Huñ. tom. 2. Oper. Lat. p. 247. & 198. Chēnit. par. 3. LL. Theol. p. 143. Balduin. in Philosph. Cathol. l.7. c. 6. p. 71. *Gravver.* in Expos. Mich. p. 62. seq. *Osiād.* in Enchir. cōtrov. Pontif. c. 3. obj. 4. p. 18. seq. *Scharp.* tō. 1. Curs. Theol. p. 105. obj. 5. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 3. c. 2. §. 3. & 9. p. 25.

III. *Papista* exinde colligunt, *Laicis non esse Scriptura lectionem permittendam*, quoniam *eorum sit legem requirere ex ore Sacerdotis*; lectorē autem Scripturæ non ex *ore Sacerdotis*, sed è *Scriptura* legē requirere.

℞. (1.) N C. nam *Scripturam legere*, & *legem ex ore Sacerdotis requirere*, non sunt *opposita*, sed *subordinata officia auditorum*, uti ex exemplo *Berhoensium* patet, qui quod ex *ore Apostoli* requisiverunt, domi in *Scriptura* examinandi gratiâ inquisiverunt. (2.) Propheta non loquitur *exclusive*, tantum f ıl. ex ore Sacerdotis legem esse requirendam: siquidē interdum necesse est, ipsam legem ab auditoribus inquiri, quando nimirum labia Sacerdotis scientiā & legem parum fideliter custodiunt aut promunt; id quod aliquando accidere, testātur verba v. [illegible] Etsi verò lector Scripturæ, *quatenus talis*, ex ore Sacerdotis legem non requirit, id tamen non obstat, quò minus idem possit esse lector Scripturæ, & auditor Sacerdotis, saltem diversis temporibus, *Schroder* de Princip. Theol. c. 10. obj. 1. p. 163. *Thumm.* in Disquis. de V.D. part. 1. p. 359. obj. 6.

Vers. 8. *Vos autem recessistis de via, & scandalizâstis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.*

*Sacerdotes Levitici non semper erant audiendi*: ipsi enim *recesserant de via Domini*, *scandalizaverant plurimos in lege*, & *irritum fecerant pactum Levi*, tempore Malachiæ.

*Gretserus* in Colloq. Ratisb. sess. 2. p. 57. & 61. respondet 1. Dominum in illis verbis non illud *totum ministerium*, sed *hunc* vel *illum*, vel etiam *omnes reprehendere collectivè*; posse verò errare *singulares personas*, sed non *totum conventum*.

℞. Potentia singulorum trahit *totum Concilium*, quod non *absolutè & identicè* verbo Dei junctum est, sed *relatè*; at relationes in humanis possunt esse mobiles. Idipsum constat ex exēplo *Concilii*, à *Caipha* cōgregati, quod *totū* erravit, *Matt.* 26. v. 65. seq.

2. Improbari *mores improbos* Sacerdotum, non *doctrinam*; improbitatem autem *morum* non obstare veritati *doctrina*, quia etiam improbus judex possit sententiam veram ferre.

℞. Non tantùm *mores*, sed etiam *doctrinam* Sacerdotum Propheta redarguit: dicit enim, quòd in *sententia & lege*, hoc est, in *doctrina & fide* errârint, & populum seduxerint.

3. Illud, *in lege*, explicari posse de *moribus*, cum & is, qui improbè vivit, scandalizet suum proximum in *lege Christiana*.

℞. Illud, *in lege*, non solùm ad *mores*, sed etiam ad *doctrinam* extenditur. Sacerdotes enim dicuntur irritū fecisse *pactum Levi*, quod certè tum *doctrina* tū *vita* integritatē cōplectebatur, ut ex v. 5. & 6. patet.

4. Sacerdotes scandalizâsse suum proximū in *lege*, hoc est, *doctrinâ privatâ*, nō in illa *judiciaria & definitiva* doctrina; atq; sic in *illa*, non in *hac* errâsse.

℞. In *publica* doctrina errârunt, & auditores suos scandalizârunt in *lege*: siquidem *publicè* super altare Domini obtulerunt panem pollutum v. . & pecus cæcum, claudum ac languidum, v. 8. contra disertam Dei legē. *Heilbrunn.* in Colloq. Ratisb. sess. 2. p. 56. & 59. *Libav.* par. 1. Anal. Coll. Rat p. 59.

Vers. 10. *Nunquid non Pater unus omnium nostrum? nunquid non Deus unus creavit nos?*

I. *Photiniani* negant, *Christum esse verum & aeternum Deum*, quia *Pater est unus ille Deus*, *qui nos omnes creavit.*

℞. Larga nimis hæc est consequentia: aliud enim est dicere, Deum esse patrem *nostrum*; & aliud est dicere Patrem *Christi*. Deus Pater *Christi* significat ὑπόστασιν *patriam*, sed pater *omnium* dicitur Deus *creator unius essentiâ*: communia enim sunt opera Trinitatis ad extra. *Balduin.* in Colleg. SS. Trinit. disp. 10, thes. 2. & 9.

II. *Pat-*

II. *Puccius* lib. de Efficac. Christi &c. statuit, *omnes homines salvatum iri, cum omnes unum Deum habeant patrem, qui ipsos creavit.*

℞. In hoc argumento est *ἀνακολουθία*: procedit enim Adversarius à beneficio *communi*, putà *creatione*, ad beneficium *particulare*, nimirum *salvationem*; & ex *primo* gradu amoris Dei, quo complectitur omnes creaturas suas, efficit *secundum*, quo amplectitur in Christo electos suos. At quisquis de *illo* ad *hunc* argumentatur, eum justum argumentandi modum non tenere, necesse est. *Iun.* tom. 2. Oper. Theol. p. 337.

Vers. 14. *Dominus testificatus est inter te & uxorem adolescentiæ tuæ, quam tu despexisti eam cum sit ipsa socia tua, & uxor fœderis tui.*

I. Reperitur hoc loco (1.) Ἀνθρωποπάθεια: DEUS enim dicitur *testificari inter maritum et uxorem*, h. e. *eos conjungere in individuam vitæ societatem.* (2.) *Pleonasmus*: relativum namque *eam*, abundat. *Ariam.* par. 4. Bibl. p. 202. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 130.

II. *Polygamia Patrum V. T. verè fuit peccatum*: illam ipsam enim taxat Malachias, eò quòd *vir priori uxori superinducat alteram.*

*Thummius* in Explic. Decal. p. 468. respondet, non ibi de *polygamia* agi, sed de *contemtu prioris uxoris, &c.*

℞. Omnino de *polygamia* ibidem agitur: ostendit enim Dominus, gravius peccare Sacerdotes *in polygamia*, quàm in *repudiis uxorū*. Nam exacerbatæ à superinducta primæ conjuges, ante altare Domini provolutæ, ululatibus vindictam Domini provocabant, v. 13. *Franz.* in Vindic. disp. 10. thes. 84.

Vers. 15. *Custodite spiritum vestrum, & in uxorem adolescentiæ tuæ ne prævaricetur.*

I. Verba hæc exhibent (1.) *Metonymiam causa* pro *effectu*: nam *spiritus* pro *affectu* seu *motu animæ* est. (2.) *Enallagen personæ tertiæ* in verbo יִבְגֹּד *prævaricetur*, pro secunda, תִּבְגֹּד *prævariceris* seu *perfidè agas*; nisi subintelligas, *quisquam* vel *spiritus tuus*. Ariam. par. 4. Bibl. p. 202. *Glass.* lib. 3 Philol. Sacr. tract. 3. can. 50. m. 3. pag. 391. Confer lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 8.

II. *Concupiscentia alienæ uxoris etiam in V. T. fuit interna & propria fornicatio coram Deo*: Malachias namque monet Sacerdotes, multa uxorum repudia facientes, ut *custodiant se in spiritu suo*, hoc est, cohibeant affectus & cupiditates, ne amorem in alias à conjugibus suis transferant.

*Smalcius* contr. Franz. disp. alter. de Bon. Oper. fol. 248. regerit, locum hunc pertinere ad solos *Sacerdotes*; & saltem *præscribi*, non *mandari*, quid istos deceat; nec posse probari, quòd habitum fuerit pro *adulterio*, cum nec pro *adulterio* punitum fuerit.

℞. (1.) Sæpenumero *specialiter* applicantur, quæ sunt *generaliter* dicta à Deo, ut 1. *Tim.* 3. v. 2. *Oportet Episcopum esse sobrium*; hoc 1. *Petr.* 4. v. 7. ad omnes Christianos accommodatur: *Sobrii estote.* (2.) Omnino aliquid *mandatum* est habendum, sive id *jubeatur*, sive *suadeatur*. (3.) Annon aliquid amplius, quàm *levis scortatio* censebitur, id quod ab *uxoratis* committitur? & annon puniretur juxta alias divinas comminationes, *Deut.* 27. & 28. etsi illæ hoc loco non repetuntur, ut nec repeti de quovis vitio possunt omnia, quòd *generaliter* sunt proposita à Deo ipso *Franz.* disp. 8. Vindic. thes. 66. & par. 1. disp. 7. in Aug. Conf. thes. 127.

Vers. 16. *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel.*

Malachias videtur Paulo contrariari: *ille* enim jubet uxorem odiosam dimitti à viro; *hic* verò, 1. *Cor.* 7. vers. 11. præcipit, uxorem à viro discedere non debere.

℞. Deus apud Malachiam non dicit: *Qui odio habet, dimittat*; quis enim credat, Prophetam, cum esset reprehensurus repudium, Judæis in contrarium suppeditâsse argumentum? verùm ex idiotismo linguæ sanctæ usurpat infinitivū *Piel* locô nominis, hoc modo: *Odit Iehovah illud dimittere* vel *dimissionem conjugum.* Walther. in Harm. Script. Sacr. §. 185. p. 351. *Tarnov.* in Comm. Malach. c. 1. p. 57. seq.

Cap. III. v. 1. *Ecce ego mitto angelum meum, & parabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad tēplum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus fœderis, quem vos vultis, Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

I. In textu hoc habetur (1.) *Enallage partim temporis* præsentis, *mitto*, & præteriti, *venit*, pro futuro, *missurus sum*, & *venturus est*; partim *conjunctionis* copulativæ ו ET pro *relativo*, אֲשֶׁר, *qui*: Et parabit, pro, *qui* parabit. *Matth.* 11. v. 10. *Marc.* 1. v. 2. (2.) *Metaphora*: nam *Iohannes* dicitur *Angelus Domini*, ob *puritatem vitæ*, & *excellentiam doctrinæ*, juxta quosdam. Sed confer Vindic. *Malach.* 2. v. 7. m. 1. n. 3. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: quia *viam Domini parare* Baptistâ dicitur, h. e. *de adventu ejus instante, præconiô verbi, & sanctô Baptismi ritu inchoatô, seriò testari*, metaphora à *magnatibus* ductâ, quibus advenientibus via sterni & complanari, honoris causâ, solet. (4.) *Synecdoche generis* pro *specie*: nam *Christus* vocatur *Angelus fœderis*, ut qui sanguine suo novum fœdus confirmaturus erat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 663. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 908. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 15. m. 1. p. 201. lib. 5. tract. 1. cap. 8. p. 185. & c. 10. p. 219.

II. *Messias jampridem ante sesquimille annos venit*: venire enim debuit *ante templi secundi devastationem*, quippe *in quo se manifestare debebat*; illud autem templum jam pridem ante sesquimille annos totum devastatum est.

*Iudæi* obvertunt 1. restare adhuc *tertium templum* ædificandum, in quod Messias ingressurus sit.

℞. Glossa hæc nulla est. Nam (1.) Messias dicitur venturus in templum *suum*; at quomodo venturus est in templum *suum*, quod revera *non existit*. Ubinam enim est *tertium* illud templum? nullibi: aut quando ædificabitur? nunquam (2.) Malachias loquitur de *eodem templo*, de quo *Haggæus*, c. 2. v. 10. hic verò designat templum *secundum*, cum dicit, *hanc ipsam domum posteriorem.*

2. Hebræum הֵיכָל non reddendum esse per *templum*, sed per *palatium*: posse igitur *Regem Messiam venire in palatium suum*, templô Hierosolymitanô destructô.

℞. (1.) Vox illa omninò *templum* hîc significat, utpote *in quo Messias debuit filios Levi purgare*, v. 4. id quod peregit in *templo Hierosolymitano*, ubi veram proposuit doctrinam, eamque à fermento *Levitarum* repurgavit. (2.) Esto, vox illa reddatur per *palatium*, nobis tamen nil decedit. Ubinam enim est illud *palatium*? sanè ibi, ubi *politia & sacrificia*, hoc est, nullibi.

3. Virum eximium mittendum esse, antequam Christus veniat, qui Israelis corda ad *prælium* paret. Ita *Ram. bam.*

℞. Legatus ille Christi non ad *prælium*, sed ad *pœnitentiam* parare debuit corda Israelis, interpretibus *Esa.* 40. v. 3. & *Malach.* 4. v. 6. *Helvic.* tom. 4. Giess. disp. 13. p. 320. *Morn.* lib. de Verit. relig.

Christ. c. 31. p. 511. *Iacob. Martin.* l. 3. de trib. Eloh. c. 11. p. 59. 61. c. 15. p. 75. 76. seq.

II. *Christus est unus ille Deus Israelis*: is namque est *Jehovah Zebaoth*, qui angelum suum ante se misit viæ complanatorem.

*Socinus* in refutat. argum. Bellarm. & Wieck. p. 149. 249. & 445. opponit 1. non soli *Christo*, sed & *alteri*, Deo, viam à legato esse paratam, quamvis alius sit ipse *Deus*, alius vero *Christus*.

℟. Non negamus, *Deo* viam dici paratam; addimus verò, *Deum illum esse ipsum Christum*, Matth. 11. v. 10. & *Luc* 1. v. 76. Hic enim est *Angelus fœderis*, quo nomine *Deus Pater* nuspiam in Scripturis appellatur, sed solus *Christus*. Hic etiam est, qui *habet templum*, quod est signum, illi convenire cultum solius Dei proprium.

2. Verba, *ante faciem meam*, non notare *præcessionem ante Dominum*, per Johannem Baptistam futuram; sed idem significare, quod, *in conspectu meo*: siquidem vox Hebræa, לְפָנַי vix unquam aliud significet, quàm, *coram me*.

℟. (1.) *Socinus* sibi contradicit. Nam in Refutat. Bellarm. p. 149. affirmat, agi hic de *præcessione*: cur ergo jam id negat? (2.) Vox Hebræa, פָּנִים, (unde לְפָנַי est composita) *propriè* designat *faciem*. Unde illud, פָּנִים אֶל־פָּנִים, *Genes.* 32. v. 30. & alibi, quod malè vetteris, *A conspectu ad conspectum*. Item, פָּנִים וְאָחוֹר, *Ezech.* 2. v. 10. ubi ex opposito uno אָחוֹר patet, quid sit alterum, פָּנִים: Si enim illud designat, *Retrò*; hoc erit, *Ante*. Itaque falsum est, לְפָנַי rectiùs verti, *Coram me*, vel *in conspectu meo*, quàm, *Ante faciem meam*.

3. Nō omni, *qui habet templum*, competere cultum soli Deo proprium, cum & apud Ethnicos multa sint templa, *variis Diis dedicata*, quibus tamen cultus soli Deo proprius non conveniat.

℟. Adversarius nobis falsum tribuit: neque enim dicimus, *omni habenti templum sibi dedicatum competere cultum vero Deo proprium*, sed habenti ex *præscripto divino*, non ex *errore humano*, ut *Ethnici*, qui contra primum Decalogi præceptum plures coluerunt Deos, iisque templa dedicârunt. *Tarnov.* de SS. Trin. p. 232.-239. 418.-420. & 870. 880. 884.

Vers. 2. *Et quis poterit cogitare diem adventûs ejus? & quis poterit stare ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi sapo fullonum.*

*Costerus* in Enchir. c. 14. p. 426. opinatur, non agi hic de *primo Christi adventu*, cum sermo sit de *pœnis gravissimis*, quibus animæ conflandæ sint; & de eo Christi adventu, *qui non possit aut cogitari aut videri*.

℟. (1.) Versio *Latina* hîc mendosa est: non enim sic *Propheta* loquitur, quem ex Hebræo *Pagninus* ita reddidit: *Quis ferre poterit diem adventûs ejus? quisve poterit stare, cum apparuerit?* Græci etiam legunt: Τίς ὑπομενεῖ ἡμέραν εἰσόδου αὐτοῦ, ἢ τίς ὑποστήσεται ἐν τῇ ὀπτασίᾳ αὐτοῦ. Nam verbum כַּלְכֵּל nusquam occurrit *cogitandi* significatu, *tolerandi* vero habes, *Prov.* 18. v. 14. (2.) Si non potuit Costerus ferre *priorem Christi adventum*, quid *posterior* meritus erat, ut eum nullo loco haberet? Nunc *hunc* profectò mirari non potest, quomodo terribilis adeò describatur, ut sive *cogitari* sive *ferri* non possit. (3.) Intolerabilis fuit *prior Christi adventus* Sacerdotibus, Scribis & Pharisæis, qui ipsum citò prorsus mallent abolitum, quàm audire graviter docentem, & severè reformantem. *Balduin.* in Comm. Malach. 3. p. 969. *Cham.* tom. 3. Panstr. lib. 26. c. 4. §. 37. 40. 42. p. 566.

Vers. 3. *Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos, quasi aurum & quasi argentum, &c.*

I. *Metaphora* est: nam *argentum emundare* Salvator dicitur, h. e. *doctrina cælestis repurgationem instituere*. Glass. l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 281.

*Bellarminus* l. 1. de Purgat. c. 3. loc. 10. exinde probare vult *Purgatorium animarum post hanc vitam*, quas Christus purgaturus sit, quasi ignis conflatorius, easque tanquam aurum colaturus.

℟. Locus hic non favet *Purgatorio*. Nam (1.) Propheta non agit de purgatione *mortuorum* sed *viventium*, fatente vel ipso Bellarmino: at *Purgatorium* est pœna *mortuorum*, non *viventium*, eodem docente. (2.) Bellarminus l. 1. de Purgat. c. 1. ad *literam* locum hunc censet intelligendum de *tribulationibus hujus vitæ*. Atqui tribulationes hujus vitæ longè absunt à *Purgatorio*. (3.) *Toletus* in Comm. Luc. c. 3. exponit Prophetæ verba de *ultimo Christi ad judicium adventu*. Quid verò commune *ultimo Christi adventui et purgatorio*? (4.) Bellarm. l 1 de Miss. c. per *filios Levi* intelligi vult *solos Sacerdotes*, qui in Missa corpus Christi offerant. Ergóne *illis solis* eundum est in Purgatorium? (5.) Purgatio hoc loco futura dicitur per *Christum*: at in Purgatorio *Diabolus* torquet animas purgandas, juxta Papistarum opinionem. (6.) Suarez. tom. 4. in Thom. disp. 45. sect. 1 fatetur hunc locum habere *alium sensum literalem*, quàm qui sit de *Purgatorio animarum post mortem*. Ille autem sensus, testibus *Lyrano* & *Carthusiano* in h. l. est, Messiam in *primo suo adventu* impia *Iudæorum* dogmata damnaturum, ac *Apostolos*, quorum aliqui fuerunt de *tribu Levi*, à falsa doctrina probè purgatos, missurum. (7.) *Estius* hunc locum Propheticum refert inter eos, de quibus in 4. Sentent. dist. 47 & Comm. in 1. Cor. 3. scribit, quòd cum *Bellarmino, Lensæo, Vico*, aliisque, istos ad *Purgatorium* trahentibus, non conveniat, nemini mirandum esse, quia *nec ipsi inter se per omnia consentiant*.

Replicat 1. *Bellarminus* ibid. non quidem loquutum Prophetam de *pœnis Purgatorii*, pro *Purgatorio* tamen bonum esse argumentum; quia si *vivi* purgandi sint, ergo & *mortui*.

℟. N. C. non enim *utrorumque* eadem ratio est. *Vivi* purgantur, quum aufertur ab iis habitus malus qui est à peccato; quod in *mortuis* fieri, ne ipsi quidem *Pontificii* dicunt, qui asserunt, *solum pœnæ reatum remanere*, qui habitus dici non potest cujusquā animæ. Deinde *mortuorum* purgatio est *propria*, & per *ignem materialem* futura, Papistis docentibus at *hæc vivorum* purgatio est *metaphorica*, & per verbi prædicationem futura: esse enim meras *metaphoras*, docet vocula QVASI.

2. *Schoppius* in Apolog. pro Bellarm. c. 58 p 82. n. 171. locum hunc non de *primo Christi adventu in carne*, sed de *adventu Christi ad judicium* esse accipiendum: ante illud enim judicium purgatum iri *filios Levi*, hoc est, *omnes fideles superstites sub adventum Domini ad judicium*

℟. (1.) Omnino de *primo Christi adventu* Propheta hic loquitur: siquidem facit mentionē tum *præcursoris*, v. 1. qui fuit *Johannes Baptista*, Matt. 11. v. 10 tum *adventûs Messiæ in templū suum*, id quod factum in *primo ejus adventu*, Matth. 21. v. 12 (2.) Apostata tradicit Bellarmino: *hic* enim, ut suprà vidimus, *filios Levi* exponit de *solis Sacerdotibus propriè sic dictis*, ille verò de *omnibus fidelibus*, sub ultimum Christi adventum adhuc superstitibus. (3.) Demus verò omnes fideles, sub ultimum Christi adventum adhuc superstites, igne purgādos esse, nonè hinc sequetur

nemi-

neminem eorum *perfectè fidelem* fore. Ubinam igitur manet *perfectio justorum* toties à Papistis jactitata? *Balduin.* in Exam. Apolog. Schopp. pag. 514. 515. seq. *Gerhard.* in Conf. Cathol. lib. 2. spec. par. 2. pag. 485. 486. seq. arg. 21. *Osiand.* in Enchir. controv. Pontif. cap. 19. quæst. 1. object. 9. pag. 227. *Thummi*: de Purgat. p. 77. 78. seq. Gisen. de Papism. disp. 22. thes. 40. & 41. pag. 426. *Scharp.* tom. 2. Curs. Theol. loc. de Purgat. q. 2. obj. 10. p. 2010. seq. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 26. c. 4. §. 31. seq. p. 565. & 566.

Vers. 4. *Et erunt Domino offerentes sacrificia in Justitia: & placebit Domino sacrificium Juda & Jerusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui.*

I. *Bellarminus* l. 1. de Miss. cap. 10. arg. 5. arguit, *oblationem illam mundam*, Malach. 1. v. 11. à *solis sacerdotibus* offerendam esse, cum eandem sint oblaturi *filii Levi*, qui fuerint *Sacerdotes*, & una tantùm pars, *Laicis* contradistincta.

Resp. (1.) *Schoppius* contradicit *Bellarmino*: ille enim, ut modò vidimus, per *filios Levi* intelligit *omnes fideles*, hic verò *Sacerdotes*, fidelibus etiam Laicis contradistinctos. (2.) *Costerus* in Enchir. c. 14. p. 426. nomine *filiorum Levi* notari putat *animas in Purgatorio desudantes*. Atqui *illæ* non sunt *Sacerdotes propriè sic dicti*, quippe sacrificium *externum & propriè dictum* non offerentes Domino. (3.) *Filii Levi* hic non *propriè* accipiuntur, sed *metaphoricè*; unde nihil redit ad *Sacrificulos Missificantes*: hi enim neque Levitæ sunt *propriè* sic dicti, neque volunt esse tales *metaphoricè*, cum contendant, se esse *propriè sic dictos sacerdotes*, quippe versantes circa *sacrificium propriè sic dictum*. (4.) Esto, per *filios Levi* intelligi *Sacerdotes* N. T. num verò statim inferri potest, eos versari circa *sacrificium externum & propriè sic dictum*? minimè: possunt enim versari circa *cultum externum*, sine *sacrificio propriè sic dicto*. Hutter. de Miss. controv. Bellarm. pag. 213. *Thumm.* in Ἀπολ. de Miss. contin. pag. 58. *Ames.* tom 3. Bellarm. Enerv. l. 4. c. 9. thes. 6. p. 172.

II. *Bellarminus* l. 4. de Justif. c. 15. arg. 7. docet, *bona opera justorum in hac vita posse esse perfectè bona*, ita ut nihil omnino habeant vitii; eò quòd *Deo placeant*: nihil autem Deo placere posse, nisi quod est *verè bonum*, & *purum ab omni vitio*.

Resp. (1.) Sic *nemo hominum* Deo placere posset, quia nemo purus est ab omni vitio, Prov. 20. v. 9. & 1. Joh. 1. v. 8. Quod si ergo *persona*, non obstante vitio adhærente, & malo adjacente, Rom. 7. v. 17. nihilominus Deo placere potest, quia per & propter Christum, malum illud adjacens credentibus tegitur & remittitur; *opus* etiam, quod ex fide factum est, Deo placebit, quia adhærens vitiositas tegitur, & non imputatur. (2.) Deo, tanquam *benigno patri*, placitura erant sacrificia Juda, sed non tanquam *rigoroso judici*: quia ex operibus nulla caro justificatur apud eum, Rom. 3. v. 20. Itaque Malachias non *simpliciter* pronunciavit, placitura Deo sacrificia Juda, sed præmisit *purgationem à peccatis*, v. 3.

*Bellarminus* ibid. excipit, hoc omnino absurdum esse, cum ex eo sequatur, non solùm *peccatoribus*, sed etiam *ipsis peccatis* Christi justitiam imputari: quis verò intelliget, *ipsum peccatum per indulgentiam Deo placere?*

Resp. Nequaquam dicimus, bona opera *formaliter* esse peccata, proinde ex nostra sententia non potest inferri, *peccatis Christi justitiam imputari*, sed per fidem in Christum, peccatorum non solùm antè commissorum, sed etiam labis ac defectus, ipsis bonis operibus adhærentis, remissionem contingere dicimus. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 20. de Bon. Oper. §. 77. p. 150. seq. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 11. c. 23. §. 4. 5. 6. p. 181. *Eckhard.* in Pand. controv. Pontif. c. 27. q. 2. obj. 7. p. 430.

III. *Smalcius* in Catech. Racov. p. 57. arbitratur, *dies seculi* Mich. 5. v. 1. esse idem, quod *dies antiqui* notam; quoniam idem notent *dies seculi* in hoc Malachiæ loco.

Resp. Est dispar utriusque loci ratio, cum neque *res*, neque *verba* utrobique consentiant: siquidem apud *Michæam* legitur, *ante initium, & ante dies seculi*; apud *Malachiam* verò, *secundum dies seculi, & secundum annos antiquos*. Balduin. in Refutat. Catech. Arian. p. 120.

Vers. 5. *Et accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, &c.*

I. Ἀνθρωποπάθεια est: *Deus* enim *testis esse* dicitur, quando *mendaciter loquentibus pœnas immutis promeritas*. Glass. l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 7. p. 130.

*Schoppius* in Apolog. pro Bellarm. de Indulg. c. 58. p. 82. n. 171. sibi persuasum habet, v. 3. agi de *adventu Christi ad judicium*, cum ipse *Christus* pronunciet, *accessurum in judicio, & velocem fore testem maleficis, & adulteris, &c.*

Resp. Apostata committit fallaciam συναιρέσεως: hæc enim verba conjungit, ut *cohærentia*, quæ multis parasangis distant. In hac enim periodo *redit* Propheta ad *tempora sui seculi, populique Israëlitici improbitatem*, sicuti præcedente capite cœperat, castigare pergit. Neque enim insolens est Prophetis, vaticinia sua immiscere *mediis* vel admonitionibus vel reprehensionibus suorum temporum; quod non nisi hospes in Bibliis negaverit. *Balduin.* in Exam. Apolog. Schopp. p. 514. & 516.

Vers. 6. *Dominus ego, & non mutar, &c.*

I. *Voluntas Dei est immutabilis*: *Deus* enim *non mutatur*; mutaretur verò, si voluntatem haberet mutabilem.

*Vorstius* tract. de Deo & attrib. divin. p. 212. regerit, hoc solùm de *Dei essentia* esse intelligendum.

Resp. Deus ut *essentiâ*, sic & *voluntate* est immutabilis: tum quia voluntas Domini permanet, Prov. 19. v. 21. tum quia voluntas Dei secundùm rem est ipsa *Dei essentia*, cum in Deo nihil est, nisi *substantiale*. Itaque si *voluntas Dei* reipsa mutetur, ipse *Deus* substantialiter mutabitur. Malachiæ autem locum non solùm de *essentia*, sed etiam de *voluntate DEI* esse accipiendum, totus contextus testatur. *Gravver.* in Expos. Mich. p. 160. & in Cent. 1. qq. Illustr. Theol. disp. 1. q. 10. thes. 1. & 2. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 2. c. 16. §. 5. & 6. p. 35.

II. *Novatiani* olim *peccatoribus, etiamsi pœnitentiam agentibus, gratiam Dei denegârunt*, eò quòd *Deus non flectatur hominum pœnitentiâ*, cum *non mutetur*.

Resp. N. C. Deus enim ibi loquitur de *veritate suarum promissionum*, in quibus non mutatur, sed ita eas servat, ut qui ad Deum se convertunt, ad eos Deus se vicissim velit convertere, v. 7. Illa verò mutatio nō est in ipso *Deo*, sed in *objectis*, hominibus nimirū pœnitentibus. Quarè de *Deo & voluntate* ejus ex verbo Dei patefacto judicemus, quod cum promittat pœnitentibus peccatoribus gratiam per & propter Christum, debemus firma fide in hac promissione acquiescere. *Selnecc.* in Exam. Ordinand. par. 4. pag. 166. seq.

Vers. 7. *Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum.*

Controversias, fortè hic motas, vide in Vindic. Zachar. 1. v. 3. definitas.

Vers. 15. Καὶ ἀντέστησαν θεῷ, καὶ ἐσώθησαν. *Et restiterunt Deo, & salvi facti sunt.*

*Gnostici* quondam delirârunt, *homines impune posse vitam suam juxta Decalogum non instituere, quia eorum aliqui restiterint Deo, & salvi facti sint.*

Resp. (1.) Verba illa non sunt *Spiritus Sancti*, sed *impiorum*, quæ Propheta recitat, & v. 18. confutat. (2.) In Hebræo non est verbum, *restiterunt*; sed vox *tentaverunt*. (3.) Neque in Hebræo est, *salvi facti sunt*; sed, *liberantur*, id est, *liberi sunt ab omni malo*, videlicet *ad tempus*, quia cum firmissimè stare videntur, subitò corruunt, Ps. 73. v. 19. *Chemn.* par. 3. Exam. Concil. Trident. p. 451. *Osiand.* in Paraphr. Bibl. tom. 2. p. 543. Jun. in Schol. Bibl. Mal. 3. v. 15. n. 21. *Tarnov.* in Comm. h. l. p. 83.

CAP. IV. v. 1. *Ecce dies venit succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & ramum.*

I. Malachias usurpat (1.) *Enallagen temporis* præsentia, *venit* & *veniens*, pro futuro, *veniet* & *venturus*. (2.) *Ellipsin* particulæ comparativæ כ *quasi*, ex membro præcedenti repetendæ: *Stipula*, h. e. *quasi stipula* (3.) *Metaphoram*: quia *radicis & rami abrasione* notat *impiorum interitum, omnisq; prosperitatis privationem*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 664. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 287. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 872.

II. *Fevardentius* l. 11. Theom. c. 23. n. 2. exinde probare vult *Purgatorium*, utpote in quo, tanquam in camino, *peccatores sint instar stipulæ inflammata*.

Resp. (1.) *Lyranus*, & *Ribera* in Comment. pag. 802. locum hunc non de *Purgatorio*, sed de *die postremi judicii* exponunt. (2.) *Tirinus* in h. l. *ignem* interpretatur de *igne* non tantùm *metaphorico iræ & ultionis divinæ*, sed etiam *physico & propriè dicto*, puta igne *conflagrationis* mundi, qui præibit judicium, & igne *infernali*; qui instar lictoris assistet Judici: de igne *Purgatorii* nullum habet verbum. (3.) Propheta agit de peccatis *mortalibus & gravioribus*, quia meminit *superborum* & *impiorum*: at ex hypothesi Pontificiorum tantùm *venialia* peccata in Purgatorio abluuntur. (4.) In sensu *literali* ibi agitur de *primo Christi adventu*, qui Judæis obstinacibus fuit exitiosus, quemadmodum piis salutaris, v. 2. Sed quid hoc ad *Purgatorium*? Gerhard. in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 2. p. 487. argum. 22. & tom. 8. LL. CC. loc. 30. de Resurr. mortuor. §. 13. p. 1006. *Tarnov.* in Comm. Malach. c. 4. p. 88.

Vers. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitia, & sanitas sub alis ejus: & egrediemini & crescetis, sicut vituli saginati.*

Offert se (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *Christus* enim comparatur *Soli*, tum ratione *unitatis*, quia uti unus est Sol, ita unus est mediator, 1. Tim. 2. v. 8. tum ratione *efficacitatis*, quoniam sicut Sol omnia in his terris illustrat, sic Christus omnem hominem illuminat, Joh. 1. v. 9. (2.) *Metaphora*: tum quia per *sanitatem* intelligitur *remissio peccatorum*, tanquam morbi ablatio; tum quia *alæ Solis justitiæ* sunt *radii spiritualis lucis*, sicut *alæ Solis* sunt *primi lucis radii*, subitò instar alarum, super totam terram expansi. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 8. pag. 176. -178. cap. 11. p. 311. cap. 12. p. 353.

Vers. 4. *Mementote legis Moysis servi mei, quam mandavit ei in Horeb ad omnem Israël præcepta & judicia.*

*Schoppius* in Syntagm. de Antichr. nugatur, tempore *Antichristi arcam fœderis in terra Moabitarum monte Nebo repertum iri*; cum id *Judæis Deus inculcet memorandum*.

Res. Apostata manifestò Scripturam detorquet, Nam (1.) Malachias de *primo Christi adventu* loquitur, quo Sol justitiæ ortus est, v. 2. quam ob causam Zacharias ipsum *Orientem ex alto* vocabat. Luc. 1. v. 78. Cur ergo ad tempora *Antichristi*, paulò ante finem mundi manifestandi, id trahit? (2.) Quod Propheta de *lege Mosis*, in monte *Horeb* latâ, pronunciat, hoc ipse de arca fœderis, in monte *Nebo* reperienda, interpretatur. *Balduin.* tom. 2. Witteb. disp. 2. cap 6. thes. 61. seq.

Vers. 5. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.*

I. Occurrit (1.) *Enallage temporis* præsentis, *mitto*, pro futuro, *missurus sum*. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *exhibiti Christi tempus* vocatur *dies Domini*. Jun. in Bibl. h. l. p. 909. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 3. p. 59.

II. R. *Levi Ben Gerson* in 1. Reg. 17. v. 1. vult, *Pinchasum Sacerdotem esse Eliam Prophetam*, mittendum quippe *Judæis ante diem Domini extremum*.

Resp. (1.) *Johannes Baptista* nominatur *Elias*, Matth. 11. v. 14. ob *similitudinem*, quia *in spiritu & virtute Eliæ antecessit* Christum, Luc. 1. v. 17. (2.) Positô, intelligi *Eliam Thisbiten*; inde verò non probatur, *Pinchasum esse illum ipsum Eliam*. Glass. lib. 4. Philol. Sacr. tract. 3. observ. 12. p. 817. & observ. 19. m. 1. pag. 877.

*Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 6. demonstrare satagit, *Eliam Thesbiten ante judicium extremum esse rediturum*, quia *ipsum Dominus missurus sit*, antequam *veniat dies Domini magnus & terribilis*.

Resp. Vox, *Elias*, hic non accipitur *propriè*, pro *persona Eliæ Thesbitis*; sed *Metaphoricè*, pro alio, qui *virtute spirituq; Eliæ erat similis futurus*, h. e. *Johannes Baptista*, testibus Angelo Gabriele, Luc. 1. v. 17. & ipso Christo, Matth 17. v. 13. idque etiam fatentur ex Papistis *Sixtus Senensis* lib. 7. Biblioth. Sanct. hæres. 3. p. 591. *Jansenius* in comment. Malach. 4. *Ferus* in cap. 11. Matth. *Alcasar* in Apoc. 11. v. 3. notat. 6. *Arias Montanus* in c. 4. Malach. Itaque firmiter tenemus, jampridem illam Malachiæ prophetiam de adventu Eliæ esse impletam: quis autem est *Bellarminus*, qui meliùs eam intelligat?

*Bellarminus* ibid. excipit, 1. Johannem quidem fuisse Eliam promissum, sed non *ad literam*, verum *allegoricè*; Malachiam autem *ad literam* loqui de *Elia Thesbite*.

Resp. Ludit Jesuita verbis, *ad literam*. Vocatus quidem fuit Elias *figurate*, vel *per tropum*, quia spiritu & virtute Eliam referebat, Luc. 1. v. 17. Sed ipse *Bellarminus* l. 3. de V. D. c. 3. fatetur, hujusmodi sensum *figuratum* esse *literalem*. Itaque si verba, *ad literam*, idem notant ac, *proprie*, concedimus, non accipi de *Johanne Baptista*, siquidem non *proprie* est Elias: sin verò sumantur pro τῷ *figurate*, utique *ad literam* accipiuntur de *Johanne Baptista*, Matth. 11. v. 13. Marc. 1. v. 2.

2. Malachiam loqui de *secundo adventu Christi*, qui erit ad judicandum, quia *diem magnum & horribilem* vocet, qualis non fuerit *adventus Christi primus* in carnem.

Resp. (1.) Constructio in Hebræo ambigua est; potest enim verti: *Antequam veniat dies Domini magni & terribilis*. Et sic *Chaldæus Paraphrastes*. (2.) Hebræa vox, הַנּוֹרָא, *proprie* non significat *horribilem*, sed *timendum*. Timor autem vel est à *terrore*, vel à *reverentia*. Sic Gen. 28. v. 17. quum Jacobo in somnis Deus apparuisset, expergefactus dixit locum illum נוֹרָא *reverendum*, licet Latinus Interpres verterit *terribilem*. Ita Ezech. 1. v. 22. legitur *Sicut aspectus crystalli terribilis*, Hebraicè הַנּוֹרָא. Ergone hîc quidem necessariò *terror ille* intelligendus, quem

scimus

scimus fore in *extremo Christi adventu?* Similiter, Mal. 1. v. 14. nomen Domini dicitur inter Gentes נורא, *venerandum*, quanquam Vulgata habeat, *horribile*. (3.) *Sixtus Senensis* lib. 7. Bibl. Sanct. hæres. 3. p. 591. disertè docet, in sacris literis *diem magnum & terribilem Domini* non solùm de *secundo Christi adventu ad judicium*, sed etiam de *primo Christi adventu in carnem* intelligi solere. Nam *Joël*. 2. v. 31. tempus *primi adventus* eodem modo describitur, juxta infallibilem *Petri* interpretationem. Act. 2. v. 17. Quin & *Malachias* ipse c. 3. v. 2. de *primo Christi adventu* sic loquitur: *Quis poterit sustinere diem adventus ejus, & quis stabit, cum apparuerit?* Hæc verba *terrorem* significant. Erit igitur aliquis *terror* in *primo Domini adventu*: cur non ergo dici queat *terribilis?* Etsi enim *piis & fidelibus* gratissimus fuerit ille Messiæ adventus, secus tamen *obstinatis Judæis*, qui hinc cum Herode in terrorem conjecti sunt, Matth. 2. v. 3. (4.) *Johann Ferus* in c. 11. Matth. *diem illum magnum & terribilem* intelligit de *judicio Dei*, quo, tempore Titi Vespasiani, terram Judæorum percussit, quia prædicationi *Johannis Baptistæ* noluerunt credere. *Balduin*. tom. 2. Witteb. disp. 2. cap. 6. thes. 67.-71. p. 192. seq. *Erkbard*. in Pand. controv. Pontif. par. 1. cap. 4. q. 2. obj. 3. p. 212. *Grawer*. in Anticost. disp. 9. thes. 54.-63. p. 733.-736. *Gerhard*. par. 2. disp. Theol. contr. Fanat. nov. disp. 2. thes. 33. seq. p. 667. 672. & in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 1. p. 769.-770. seq. *Cham*. tom. 2. Panstr. l. 17. c. 5. §. 6.-10. pag. 368. *Ames*. tom. 1. Bellarm. Enerv. l. 3. c. 4. thes. 12. p. 178.

IV. *Johannes Baptista præcedere debebat Dominum, ad parandam ei viam*: fuit enim *ille Elias, à Domino missus, antequam veniret dies Domini magnus & terribilis, ut converteret corda patrum ad filios, &c.*

*Socinus* in Refutat. Bellarm. & Wieck. pag. 249. nihil ibi haberi de *præcessione ante Dominum*, sed tantummodo dici, quòd *Dominus missurus sit Eliam Prophetam*, h. e. *Johannem Baptistam, &c.*

Resp. Hæreticus committit fallaciam *divisionis*, dum *omittit*, quæ *necessariò erant conjungenda*. Non enim tantummodo ibi dicitur, *missum iri Judæis Johannem Baptistam à Domino*, sed etiam *conversurum cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres*; in quo constitit *officium* ejus, *parandi viam ante Dominum, cui populum parare debebat instructum*, ut patet ex interpretatione Angeli, Luc. 1. v. 17. *Tarnov*. de SS. Trinit. p. 418. seq.

Vers. 6. *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.*

*Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 6. instat, v. 5. non posse intelligi, nisi de *secundo Christi adventu* ad judicium, quoniam Deus ideò promittat Eliam venturum, ut habeat aliquos, quos salvet, ne *omnem terram anathemate percutiat*, h. e. condemnet.

R. (1.) Verba illa. *Et convertet cor patrum & filios, &c.* Angelus Gabriel disertè de *Johanne Baptista* interpretatur, Luc. 1. v. 17. ideoq; Malachias de *primo Christi adventu* loquitur. (2.) Si maximè *secundus Christi ad judicium adventus* intelligeretur, nihilominus & hæc particula de *Johanne Baptista* verissimè exponi potest: siquidem & iste homines præmonuit de *extremo judicio*, ut agentes pænitentiam sibi caveant, ne anathemate percutiantur, Matth. 3. v. 10. Rectè igitur Johannes dici potuit convertisse homines, ne in die judicii omnes damnarentur. Scimus enim, Christi *priorem adventum*, eum finem habere, ut ne in *secundo* universa terra percutiatur anathemate. Nec tamen sequitur, *Eliam venturum paucis annis ante eum diem*: jamdudum enim venit, Christo teste. Matth. 17. v. 12. Meritò ergo *Hieronymus* illum Judæorum & hæreticorum Judaizantium errorem de *Elia Thesbitis reditu*, in c. 4. Malach. irridet. *Grawer*. l. c. thes. 60. & 63. p. 735. seq. *Cham*. ibid. §. 10.

*VINDICIÆ*

LIBRORUM APOCRYPHORUM

in genere,

&

LIBRI JUDITHÆ

in specie,

unà cum animadversionibus.

CAP. I. v. 1. *Annô duodecimo regni Nabuchodonosoris, qui regnavit in Ninive, civitate magna, in diebus Arphaxad, qui regnavit Medis in Ecbatanis, &c.*

I. *Ἀντιλογία* quædam apparet: nam hoc loco *Nabuchodonosor* annô *duodecimo* regni sui fertur bellum gessisse contra Arphaxadum; at v. 13. denominatur annus *decimus septimus*.

Resp. Nulla est *ἀντιλογία*. Author enim libri hujus v. 1. notat tempus, quo bellum à Nabuchodonosore contra Arphaxadem *susceptum* est; at v. 13. designat tempus quo bellum id *confectum* fuit. Vatabl. in Annot. ad h. l. fol. 12.

II. *Liber Judith est dubiæ fidei*: neque enim ostendi potest, qui fuerit ille *Arphaxad*, cujus hoc loco mentio fit.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 12. p. 45. excipit, *Arphaxadum* illum fuisse *Dejocem*, Medorum Regem, qui *Ecbatana* ædificavit.

Resp. *Præsumit* tantùm Jesuita, absque ullo planè vestigio seu sacræ seu profanæ historiæ; Et præsumptionis vanitatem refellit *Achior*. Jud. 5. v. 21. qui hæc gesta esse asserit *post captivitatem Babylonicam*. Jam verò *Dejoces* ille præcessit captivitatem Babylonicã annos ut minimum 60. juxta Chronologos, quibus si addat annos 70. captivitatis, invenies annos 130. quo tempore *Dejoces* non vixit. *Thumm*. in Disquis. de V. D. par. 1. p. 173.

III. *Oppugnatio & solutio Bethuliensis non incidit in tempora Manassis, Regis Juda*: nam illis temporibus nullus fuit Rex *Assyriorum*, qui vel in sacra vel in profana historia dictus fuerit *Nabuchodonosor*; cùm tamen *Nabuchodonosoris* auspiciis bellum illud contra Judæos fuerit gestum.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 12. p. 45. respondet, illum *Nabuchodonoserem* fuisse *Merodach Baladan*, qui quidem fuerit Rex *Babylonis*, sed transtulerit etjam ad se regnum *Assyriorum*.

Resp. Jesuita nullam hujus conjecturæ suæ profert evidentem rationem. Liber Judith perpetuò *Regem illum* vocat *Nabuchodonosor*, nuspiam verò aliud nomen ipsi tribuit. Jam *Genebrardus*, quem *Bellarminus* in plerisque sequitur, lib. 2. Chronol. A. M. 3560. scribit, *pugnare cum Scriptura simplicitate, si alium Nabuchodonosorem, quam cognomentô Magnum, & qui 19. annô regni sui reliquias Judæorum in Babylonem abduxit, hoc loco intelligimus*. Certè ante patrem *Nabuchodonosoris Magni* nullus hoc nomine rebus Babylonicis præfuisse legitur, unde & pater *Nabuchodonosoris* Magni, Nabuchodonosor *primus* appellatur. *Hunn*. tom. 1. Witteb. disp. 3. thes. 59. seq. p. 136. *Gerhard*. in Exeg. loc. 1. de Script. sacr. §. 193. p. 195. *Thum*. in Disq. de V. D. par. 1. p. 173.

Vers. 6. *Et convenerunt ad eum omnes inhabitantes montanam, &c.*

*Ellipsis* est nominis substantivi, ad adjectivũ commodè subintelligendi: *Inhabitantes τὴν ὀρεινὴν montanam*, scil. *χώραν*, *regionem*, qui montosa illa Syriæ loca incolebant. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. fol. 12.

Vers. 14. *Et devastavit plateas illius, & ornatum illius dedit in opprobrium, &c.*

Occurrit (1.) *Ellipsis* nominis substantivi, ad pronomen commodè subintelligendi: *Plateas illius*, scil. *civitatis*. (2.) Hellenismus: *Dedit in opprobrium*, *exposuit opprobrio*. Jun. in Bibl. h. l. pag. 923.

CAP. II. v. 2. *Et convocavit omnem malitiam terræ ab ore suo*, &c.

*Hellenismus* est: *Convocavit omnem malitiam* &c. i. e. *demonstravit ac declaravit injuriam*, & *contumeliam*, *improbe ac malitiosè sibi factam ab omnibus populis* &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 13.

Vers. 6. *Non parcet oculus tuus, sed perficiens perficiet*, &c.

Verba hæc continent (1.) *Prosopopœiam*, quâ *oculo* tribuitur *miseratio*, cum *parcere* alicui dicitur. (2.) *Epizeuxin*, Hebræis frequentatam: *Perficiens perficiet*, h. e. *omnino* perficiet. Notatur *studium* & *cura* aliquid sine mora expediendi. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 13. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 9. p. 170. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 923.

Vers. 7. *Et eduxit Holofernes in bellum duodecim millia equitum*, &c.

Autor libri hujus sibi contradicere videtur: hîc enim affirmat, Holofernum *duodecim millia equitum* in bellum eduxisse; ad infrà cap. 7. v. 2. assignat ei *viginti duo millia*.

Resp. Nulla est contradictio. Nam *prima eductio* copiarum tot equites habuit; at *sequentibus temporibus*, cùm jam bello incubuisset per aliquot menses, accessio facta est decem millium; siquidem ad rapinas concurrebant vicini, quos propter ejus successus dementabat. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. m. 1. pag. 887.

Vers. 12. *Et exierunt de Ninive viam trium dierum in faciem campi* &c.

*Pleonasmus* est Hebræis usitatus: In *faciem campi*, h. e. in *campum*, q. d. in *planitiem campestrem*. Significat locum planum & accommodatum ad explicandas & collocandas copias. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 13. b. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 923.

CAP. IV. v. 2. *Ne hoc faceret Jerusalem*, & *templo Domini*, &c.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. cap. 12. pag. 46. urget, historiam hanc tempore *Manassis* accidisse, quoniam hic mentio fiat *templi Domini*, quod tempore *Manassis* steterit.

R. (1.) N. C. nam tempore *præcedentium Regum*, qui ante *Manassen* vixerunt, etiā stetit templum Domini: ergone *tum temporis* accidit historia Judith? (2. *Glossa Ordinaria* dicit, *ea falsa videri*, & *propterea Judæos non recipere hunc librum*. (3.) *Judith*. 5, 22. narratur *templū Domini fuisse solo æquatum*; id quod tempore *Manassis* non audit. *Thum.* ibid. p. 193. seq.

Vers. 5. *Sacerdos Eliachim scripsit ad universos*, *qui erant contra Esdrelon*, &c. *ut obtinerent montium ascensus*, &c.

*Historia hæc non incidit in tempora Manassis*: in præparatione enim ad bellum defensivum contra Assyrios nulla fit mentio *Regis*, sed totum illud negotium tribuitur *Sacerdoti*; at politica potestas non fuit penes *Sacerdotem*, neque *hic* rebus bellicis gerendis præfectus legitur.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. cap. 12. & *Gretserus* in Apolog. ejusd. respondent 1. fortasse hoc bellum incidisse in *ipsam captivitatem Manassis*, ideoq; *Rege absente* per *Pontificē* negotia regni fuisse procurata.

Resp. (1.) Hoc titubantis judicii indicium est: *Fortasse*, inquit Jesuita, ita fuit; at nos inquimus, *fortasse haud ita fuit*. Ergo aut falsum statuit, aut incertum. (2.) Si verba *Achioris* intelligenda sunt de *reversione Manassis* & *populi Israelitici ex Babylone*, uti vult Bellarminus, non potuerunt hæc incidisse in ipsam *Regis captivitatem*.

2. Fortasse etiam ideo non fieri mentionem *Regis*, quòd non accesserit bellum ad ipsam urbem Hierosolymam, ubi *Rex* erat.

R. (1.) Quis dixit, ad *Regis* curā non pertinere, quæ in eo regno sunt *procul ab urbe regia*? Certè ad *Regis munus* pertinuisset, non solùm *metropolin* & *sedem imperii*, sed *totam regionem* à periculis belli incolumen præstare. (2.) Cur facta est mentio *Pontificis*, qui tamen *ipse erat in eadem urbe*, in qua *Rex*?

3. Summum Pontificem, qui tempore Judith vixit, vocari *Eliacim*, atque sic etiam vocatum fuisse summum Sacerdotem tempore *Manassis*.

R. (1.) Textus *Græcus* libri Judith Sacerdotem illum vocat *Jojakim*, non *Eliakim*; quorum *ille* functus est munere *Ecclesiastico*, *hic* verò politico, 2. Reg. 18, 18. (2.) Tempore Manassis summus Sacerdos non fuit *Eliacim*: nam inter *Ezechiam* & *Josiam*, quo tempore *Manasses* vixit, summi Sacerdotes fuerunt *Neri*, *Joas*, *Selum* & *Chelcias*.

4. *Manassem*, maximè sub initium reditus, *totum fuisse occupatum in cultu Dei*, adeò ut penes eosdem maneret adhuc regni administratio, qui captivō eō rebus præfuerant.

R. Causa hæc (1.) adversatur *Bellarmino* & *Gordono*, qui *annos pacis* supputant ab ipso anno *captivitatis Manassis*. Quod si est, tū omnino necesse est, nondū reducem fuisse *Manassen*, nondum ita intentū pietati. (2.) Absurda est: quia nō obstat pietas etiam altissima, quò minùs Reges suō fungantur officio; imò præcipit pietas altissima, ut suō fungantur officiō. (3.) Habet quid monstrosum, *Regem* propter altissimam pietatem abstinuisse bello, *Pontificem* verò administrâsse bellum; *Regem* suæ dignitati tantùm non renunciâsse, sed *Pontificem* in alienam involâsse. An quia *Pontifex* procul ab altissima pietate?

5. Semper maximam fuisse apud Judæos *summi Pontificis* authoritatem, *Manassis* verò tempore longè maximam, tum propter *Regis jam excellentissimā religionem ac demissionem*, tum propter *communis boni utilitatem*, cum, ut magnarum rerum summa penes *Eliachimum* esset, populo fecundissimo fieret; tum propter *summam Eliachimi sanctitatem*, *sapientiam*, *rerumq́; gerendarum industriam* & *felicitatem*.

R. (1.) *Sacerdotum autoritatem semper fuisse maximam*, nemo negat; sed in administrandis *sacris*: nam in obeundis *regiis muneribus*, imò *bellis gerendis*, nemo docuit. (2.) Nec in *Manassis tempore* majus momentū. Nam usq; *Regis pietas profundissimaq; demissio* significat *abdicationem muneris regiorum*: nec *communis boni utilitas* arcet Regem ab *administrando bello*. (3.) Quod de *fecundissimo populo est*, divinatur à Jesuita. Nam cur non *fecundissimo populo* fieret, ut *Rex*, & quidem altissimæ pietatis Rex, publica administraret? (4.) *Eliacimi summi Pontificis res bene gesta* fabula sunt: neque enim id habet *Gretserus* ex ullo Scripturæ loco.

6. *Regem* sibi *Hierosolymam* tuendam, ac mœnibus atque propugnaculis muniendam fortè suscepisse; cæteram verò provinciam *aliis* reliquisse.

R. Divinatio hæc est, & quidem contra illud *putatur μεγαλύνειν*, quo nobis persuasum iri Jesuita sperabat, *Regē dimisisse curā belli*: nā hæc *unius urbis* munitio cur minus impedivit hanc partē, quàm reliquam *regni curā*? Deinde illud repeto, nō *Manassen* tantùm, sed etiam *Eliacimum* fuisse Hierosolymis.

7. Argumentum literarum, à Pontifice missarum, esse non tantùm *militare de montium faucibus occupandis*, sed etiam *sacrum* & *religiosum* de precibus, *jejuniis* & *ciliciis*.

Resp.

Resp. (1.) Adversarius oblitus est, *jejunia publica* indicta fuisse à *Regibus*, 1. Reg. 21. v. 9. 2. Parol. 20. v. 3. (2.) Divinavit de *precibus, jejuniis & cilicii* s mandatum fuisse in literis illis Eliacim; quod est contra codicis fidem. Nam hoc caput seorsim describitur, & post literarum argumentum, v. 7. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. sacr. §. 193. pag. 196. *Thomm.* par. 1. Disquis. de V. D. p. 193. seq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 7. §. 53.-65. p. 61.

Vers. 7. *Humiliaverunt animas suas in jejuniis, &c.*

*Bellarminus* l. 2. de Bon. Oper. in partic. c. 11. m. 4. blaterat, *jejunium esse utile ad satisfaciendum Deo, & ad eum placandum*; quoniam *Judai*, tempore *Juditha jejunantes, placatô Deô, liberati sint ab excidio imminenti.*

Resp. Negatur id sequi: Judæi enim tempore *Juditha* non *merito jejunii sui placârunt Deum*, & excidium imminens averterunt; sed *assiduis precibus, ex fide in Dei misericordiam factis*, beneficium hoc liberationis ab ipso impetrârunt, qui ex mera *clementia & gratia* auxilium ipsius implorantes exaudivit, & de tribulatione eos liberavit, v. 7. item. c. 7. v. 4. 19. 20. c. 8. v. 16. & 17. c. 13. v. 17. & 18. adeò ut mirum sit, *Bellarminum* eò progressum audaciæ, ut quæ ipsi Israëlitæ toties *misericordia Dei* accepta ferunt, hic hypocrita *jejunio* adscribere non erubescat. *Gerlach.* tom. 2. disp. Theol. 26. thes. 96. 103. 104. 105. p. 3082. 3084. seqq.

CAP. V. v. 2. *Dicite mihi, quis sit populus iste, qui montana obsidet, aut quæ, & quales, & quantæ sint civitates eorum, & quæ etiam sit virtus eorũ, &c.*

*Holofernes ille non fuit Princeps Merodaci*: quis enim credat, *ipsi incognitum fuisse Manassen, Regem Juda*, unà cum populò Judaico, sive *captivum*, sive *liberatum à Merodaco*? at verba *Holofernis* sunt verba ejus hominis, *cui prorsus erat incognita ea natio, ejusq; Rex*; alioqnin on opus habuisset *sciscitatione ex Principibus Moabitarum & Ammonitarum.*

*Gretserus* in Apolog. pro Bellarm. verba Holofernis interpretatur per *figuram Rhetoricam*, quæ *Communicatio* dicitur, cum is, qui rem perfectè habet cognitam, interrogat tamen: esse igitur hanc Holofernis interrogationem non *ignorantis*, sed *admirantis*, quòd sibi aliquis auderet obsistere.

Resp. *Communicationis Rhetoricæ* nullus hîc locus esse potest: hæc enim non solet expectare responsum, quale hîc subjicitur per particulas. Deinde hoc loco expressa est descriptio *convocati concilii*, & verò ad convocatos nulla est longa oratio, sed hoc unum objectum ζήτημα, cui satisfaciendum esset. *Admirationem* equidem nullus negaverim, sed hæc *cognitionem* non infert, imò oritur potiùs ab *ignorantia*. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 7. §. 17. 18. 19. p. 58.

Vers. 22. *Ante hos annos cum recessissent à via, quã dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt præliis à multis nationibus, & plurimi eorum captivi abducti sunt in terrã non suam, & templum Dei eorum factum est in pavimentũ, & civitates eorum captæ sunt ab adversariis.*

Historia hæc non incidit in tempora *Manassis*, in captivitatem Babylonicam abducti: siquidem Achior de tali loquitur captivitate, *in qua etiam templum fuit solo æquatum*; id quod factum est non in abductione Manassis, sed in captivitatem *Zedeciæ* in Babylonem.

Opponit 1. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 12. p. 47. nõ esse hunc locum intelligendum de *captivitate Babylonica*, tum quia aliàs non dicerentur Judæi exterminati *à multis nationibus*, sed *ab una*, nempe *Chaldæorum*; tum quia non dicerentur *plurimi* abducti captivi, sed *omnes*, paucissimis à Nabuchodonosore in Judæa relictis: sed de *variis afflictionibus præcedentibus*, præcipuè de *ultima, quæ acciderat, cum caperetur Manasses.*

R. Hæc argumenta nihil efficiunt; quia sunt à *Latino* textu duntaxat: nam in *Græco* non, *à multis nationibus* est, sed, ἐν πολλοῖς πολέμοις, *in multis bellis*; neq; abducti *plurimi*, sed indefinitè, ᾐχμαλωτεύθησαν, *captivi ducti sunt*. Aria interprete.

2. Verba illa in Græco textu, ἐγένετο εἰς ἔδαφος, *supposititia* videri, cum *Hieronymus*, qui fidelissimè transtulit ex *Chaldæo* sermone in *Latinum*, nihil de *eversione templi* in sua editione posuerit.

R. Quid si detracta potiùs fuerunt è *Latina* interpretatione? neque enim major certitudo *Latinæ*, quàm *Græcæ* Editionis. Quin imò *Bellarminus* ipse fatetur, *Græcos codices esse correctiores Latinis*: unde etiam *hos ex illis* corrigit & explicat. Est quoq; *Græci* textûs major authoritas, quàm *Latini*, utpote antiquior, & quidem (si verum, quod *Sixtus Senensis* l. 1. Bibl. sect. 2. asserit) confirmata à *Concilio Niceno*, cũ nondũ in vivis esset *Hieronymus*, & cũ nemo *Christianorũ* vidisset exemplar *Chaldaũ*, fortasse ne *Judæorũ* quidem: nam certè Judæi ignoratissima historia est.

3. *Gretserus* in Apolog. pro Bellar. l. 1. de V. D. c. 12. ad calamitatem exaggerendam coram homine *profano & irato*, ab homine *prudente*, multò magis injectam fuisse mentionem *regiæ urbis*, non *captæ* modò, sed & *inflammatæ, dirutæ, soloq;, æquatæ.*

R. Multò *majorem calamitatem* indicari, eversâ combustaq; *urbe regia*, quàm *templo destructo*, nec tã facilè credendũ *Gretsero*; cùm *sacra* prophanis longè præstent, adeoq; ipsi Ethnici, cum sibi gravissimas significarent bellandi causas, *aras* focis prætulerint.

4. Si illa Græca verba omnino pro *legitimis* defendantur, exponi posse de *summa illa & extrema templi vastatione* seu *profanatione*, quam fecerat olim Manasses, tum quia in ista vastatione verba *Græca* significent, *mansisse vasa, altare, & ipsam Dei domum*; sed eorũ βεβήλωσιν tantùm fuisse: tum quia nõ dicent *vasa, altare, templũ reædificatum*, sed duntaxat ἡγιασμένα, *sanctificata*: itaque illud, εἰς ἔδαφος γεγενῆσθαι, vel συγκατασκαφὴν accipi, quia *magnæ templi partes* disjectæ, dissolutæ, soloq; æquatæ jacerent; vel significare, *templi sanctitatem ita violatam*, quasi commune quoddam publicumque solum esset, quod omnium jam pedibus conculcaretur: ut discrimen sit inter hasce phrases, εἰς ἔδαφος γεγενῆσθαι, & εἰς ἔδαφος καθῃρῆσθαι.

V. Adversarius ementitur verba *Græca*; quasi significent duntaxat βεβήλωσιν, *mansisse vasa, altare domum Dei*, tantùm ἡγιασμένα. Atqui horum nihil est in tota *Achioris* oratione. Deinde, *templum profanatum fuisse à Manasse*, nemo negat: sed *eam profanationem hîc intelligendam* nego, & doceo ab ipso contextu, in quo describitur vindicta Dei ulciscentis defectionẽ Judæorũ, & quidẽ non per *ipsos Judæos*, sed per *eorũ hostes*. At ea profanatio facta est à *Manasse*, Judæorũ non *hoste*, sed *Rege*: facta *secundissimo populo*, qui abduci se passus à Rege in idololatriam. Quarè, quæcunque illa συγκατασκαφὴ est, sive μιαρὰ, importuna est. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de S. Script. §. 193. p. 193. & in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 1. p. 54. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 7. §. 66.-76. p. 61. seq.

Vers. 23. *Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, quâ dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Jerusalem, ubi sunt sancta sanctorum.*

Historia hæc non incidit in tempora *Manassis*: accidit enim *post reditum Judæorum ex captivitate Babylonica, & post restauratum templum Hierosolymitanum*, Achiore dicente.

*Bellarminus* l.1. de V.D. c.12. p.48. regerit, *reversionem ex dispersione* intelligendam esse, vel de *reversione Regis Manasse cum suis ex Babylone*, vel de *reversione ex iis locis, ad quæ fugiendo pervenerant*, cum Rex Assyriæ regionem illorum vastaret.

R. (1.) *Bellarminus* sibi contradicit: suprà enim statuit, *tùm Manassen fuisse adhuc Babylone*, cum Sacerdos Eliacim belli curam in se suscepisset; hîc verò statuit contrarium, videlicet *Manassen ex Babylone tùm temporis reversum fuisse*. (2.) 2. *Paral.* 33. v. 11. & 13. *solius Manassis* abducti ac reducti fit mentio, non autē *totius populi*. Jam verò Achior loquitur de *totius populi Judaici* abductione & reversione, quæ certè *Manassis* tempore non contigit. (3.) Achior illā intelligit dispersionē, *quâ Judæi abducti sunt in terram non suam*, v. 22. ideoque non loquitur de *fuga ad loca abdita*. Gerhard. in Exeg. loc. 1. de Scr. Sacr. §. 193. p. 193. seq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 7. §. 67. p. 61.

Vers. 26. *Ideo jam ascendemus: & erunt in devoratione universo exercitui tuo, domine Holofernes.*

In textu hoc habetur (1.) *Enallage* futuri, *ascendemus*, pro, imperativo, *ascendamus*, Hebræorum more. (2.) *Metaphora*: Erunt in *devorationem*, h. e. *instar cibi ab exercitu tuo consumentur*. Similitudo est in Scripturis frequens, quâ *sævitia hostium* notatur, & *imbecillitas eorum*, qui vincuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 16. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. pag. 309.

CAP. VI. v. 15. *Domine Deus cœli, respice in superbias eorum, & miserere humilitatis generis nostri, &c.*

Reperitur hoc loco (1.) Ἀνθρωποπάθεια: nam *respiciendi* verbū, de Deo usurpatū, *ejus vindictam & pœnas* denotat. (2.) *Hellenismus*: In *superbias*, i. e. *immensam superbiam*. (3.) *Metonymia adjuncti pro subjecto*: Miserere *humilitatis*, h. e. *humilis*. Vatabl. in Annot. ad h. l. fol. 17. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 924. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 140.

CAP. VII. v. 14. *Vendidit nos Deus in manibus filiorum Assur, &c.*

Offert se (1.) Ἀνθρωποπάθεια: *venditio* enim, *Deo* tributa, notat *traditionem in potestatem hostium, a Deo irato factam*; sicut apud homines res venditæ in aliorum jus arbitriumque transeunt. (2.) Hellenismus: *Filiorum assur*, h. e. *Assyriorum*, juxta *Hebræorum* stylum. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 927. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. pag. 130. seq.

Vers. 19. *Et clamaverunt ad Dominum Deum voce magna: Peccavimus cum patribus nostris &c.*

Ἐναντιοφανὲς est: *Peccavimus cum patribus nostris*, v. 19. at *non fecuti fuimus peccata patrum nostrorum*, cap. 8. v. 18.

Resp. Peccatores in *genere* erant ipsi Bethulienses, & patres eorum, ut confitentur loco priori: at enim non peccârant in *specie*, sicut patres eorum, nempe *idola colendo, blasphemando &c.* ut in loco posteriori dicitur. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. qu. 2. pag. 887.

CAP. VIII. v. 5. *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, &c.*

*Parmannus* in Hodeg. autumat, *posse quempiam benè aliquod facere in honorem Dei, de quo ipsi præceptum non est datum; cum Judith perpetuum cilicium portârit super lumbos suos, de quo præceptum habuerit nullum, ut illud faceret*, & tamen *Deo acceptum fuerit, laudemque meruerit.*

Resp. Exemplum *Juditha* planè præter rem affertur: illius enim cilicium nullam speciem alicujus *cultus* habebat; *pœnitentia* autem, cilicio conjuncta, cultus fuit, sed divinitus præceptus. *Baldvin.* in Phosph. Cathol. lib. 6. cap. 9. pag. 639.

CAP. IX. v. 2. *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudaverunt femur virginis in confusionem, & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captivitatem, & omnem prædam in divisionem servis tuis, qui Zelaverunt Zelum tuum.*

*Liber Juditha non undiquaq; congruit cum fidei analogia*: approbat enim hoc loco factum *Simeonis & Levi*, qui Sichemitas contra pactum & datam fidem gladiò interemerunt; id quod Jacobus Patriarcha vehementer damnavit, Gen. 49. v. 5. *Gretserus* in Defens. Bellarm. distinguit inter *Zelum*, & *modū Zeli*; dicitque; *illum*, non verò *hunc* à Juditha laudari: itaque *punitionem* esse laude dignam, non autem *punitionis exsequendæ modum*, qui fuerit nimiò vehemens & furiosus; non quasi non puniendi potestatem haberent: cum enim *Hemor* loci ejus Princeps esset, ad nullum tribunal vocari poterat, sed armis tantummodo puniri.

Resp. (1.) Fatetur Gretserus, saltem *Zeli hujus exsecutionem* damnandam in Simeone. Atqui, inquam, *hanc ipsam executionem* Juditha laudat, & sibi imitandam proponit. Disertè namque audit *gladium*, qui sanè *Zelum* non significat. Audit *dationem mulierum in prædam, & dationem prædæ in divisionem Simeoni & Levi factam*: & ista quis persuadebit non pertinere ad *exsequutionem*? Sed applicatio disertior, v. 10. *Fac Domine, ut gladiò propriò ejus superbia amputetur; capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis ἀπάτης μου.* Ubi primùm vides non *Zelum Zelo* comparatum, sed *successum successui*. Zelus enim non poterat esse nisi in ipsa *virgine*, non autem in *Holoferne*. Adhæc orat, ut illa fiant non in *seipsa*, sed in *Holoferne*. Denique quis nō videt, illud de *labiis τῆς ἀπάτης* manifestè alludere ad illud ex historia *Hemor*, Gen. 34. v. 13. *Responderunt filii Jacob Sichem & patri ejus in dolo?* (2.) Filii Jacob non habuerunt *potestatem puniendi*: quis enim ipsis eam dedit? Certè nec *Deus*, quippe sine cujus mandato fecerunt, quicquid fecerunt: nec *Jacob*, utpote qui facinus illud furorem & iniquitatem appellat, Gen. 49. v. 5. 6. 7. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 194. pag. 197. 198. seq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. cap. 4. §. 3. 4. 5. pag. 54.

CAP. X. v. 5. *Cui etiam Dominus contulit splendorē: quoniam omnis ista compositio nō ex libidine, sed ex virtute pendebat, & ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.*

*Gretserus* in Defens. Bellarm. arbitratur, *Juditham fuisse pulcherrimam formâ etiam divinitus indutâ*, quòd *Dominus ei contulerit splendorem, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.*

R. (1.) N. C. siquidem collatio illa splendoris nullum designat miraculum: nam Deus confert etiam *naturalem* formam. (2.) *Græcè* est aliter; sic enim, *Aria* interprete, legitur: *Et ornata est valde in deceptionem oculorum virorum, quicunque vidissent eam.* Quæ verba non *ullum Dei miraculum*, sed *magnum ingenii muliebris artificium* denotant. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. cap. 7. §. 36. pag. 59.

Vers.

Vers. 8. *Et dixerunt ei: Deus Deus patrum nostrorum det te in gratiam, & perficiat studia tua, ad gloriam filiorum Israelis, &c.*

*Hellenismus* geminus est: (1.) *Det se in gratiam*, i. e. *efficiat te gratiosam, reddatque acceptam*. (2.) *Filiorum Israelis*, h. e. *Israelitarum*. Quæ phrases sunt Hebræorum. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 20. b. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 929. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 4. p. 135.

Vers. 14. *Vadam ad faciem Principis Holofernis, ut indicem illi secreta Judæorum, & ostendam illi, quo aditu possit obtinere eos, ita ut non cadat vir unus de exercitu ejus.*

*Bellarminus* l. 2. de V. D. c. 15. suspicatur, *plebi periculosum esse, Scripturas legi*, v. g. *mendacium hoc Juditha*, magna cum laude commemoratum, unde populus rudis provocaretur, ad illud imitandum.

Resp. *Malum exemplum* ex *bona lege* est judicandum, quam qui ex *Scriptura Canonica* dicet, is profectò *exemplo malô* nõ facilè dimovebitur à rectô statu. De *Judith* autem libro nihil mirum, qui non sit compositus à *S. Sanctô*, propterea neque *canonicus*. Cham. tom. 1. Panstr. l. 10. c. 10. §. 11. & 12. p. 189.

Vers. 15. Θαυμασία τῷ κάλλει σφόδρα. *Impensè mirabilis pulchritudine erat.*

*Bellarminus* malè tribuit *Juditha*, Holofernẽ interfecturæ, annos ætatis 40. pejùs *Gretserus* 50. pessimè *Gerdanus* 58. Nam historia eam describit *eximiam formâ*, h. e. *impensè mirabilem pulchritudine.*

*Gretserus* in Defens. Bellarm. nodum hunc solvit, *Juditham ea ætate potuisse esse pulcerrimam*, partim *naturali*, partim *divinitus inditâ* formâ: nam ne *nunc* quidem esse in solens.

R. (1.) Non negaverim, conservari potuisse pulchritudinem, sed *suo modo*: h. e. non *absolutè*, ut fuerit omnium omnino pulcherrima; sed κατά τι, nempe *pro ætate*, quomodo habemus, Gen. 12. v. 11. *Saram pulchram pro ætate*. (2.) Mirabilem fuisse Judithæ formam *supernaturaliter*, in textu non legimus: itaq; *miraculum* Adversarius non debebat comminisci. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 7. §. 34. 35. 36. p. 59.

CAP. XI. v. 4. *Si secutus fuerit verba puellæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.*

*Gretserus* suspicatur, *mulieres consuevisse appellari puellas*, cum *Judith* seipsam appellârit παιδίσκην, *puellam*, idque per demissionem.

R. Quivis facilè videt, ita Juditham non *ætatem* aut *formam* laudâsse, sed *conditionem* professam esse, quasi *formulam Principis*, quod nomen etiam *decrepitas* deceat. *Cham.* ibid. §. 35. & 38.

Vers. 20. *Et nunc venusta tu es in vultu tuo, & bona in sermonibus tuis &c.*

*Hellenismus* est: Ἀγαθὴ ἐν τοῖς λόγοις σου. *Bona in sermonibus suis*, h. e. *facunda & viribus dicendi præstans*, quæ phrasis *Hebraica* est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 22. *Friedl.* in Ann. ad eund. loc. class. 1. p. 886.

CAP. XII. v. 11. *Ecce enim fœdum conspectus nostro, si fœminam talem dimiserimus, non communicantes cum ea, &c.*

*Euphemismus* est: ὁμιλεῖν enim, *communicare*, hic accipitur ἀντὶ τοῦ συγγίνεσθαι, *stupri consuetudinẽ habere* cũ muliere. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 22. b.

Vers. 13. *Ne vereatur bona puella introire ad Dominum meum.*

*Judith*, quando Holofernem interfecit, nondum attingere potuit annos 40. aut 50. nam *puella* appellatur à *Bagoa Eunucho*, earum rerum haud ignaro.

Replicat 1. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 12. p. 46. Juditham potuisse ea ætate judicari ab *Assyriis puellam*, propter *incredibilem pulchritudinem*.

Resp. Solere, quæ annorum sunt 40. aut 50. *incredibili pulchritudine pulcherrimas videri*, fortè verum; sed in *aulis*, ubi variis artibus etiam *edentulæ* formam mentiuntur: at mulierem *pietatis austeræ, viduamque, defuncti mariti desiderio tabescentem*, magnum aliquit præstet Adversarius, si nostri seculi persuadet *Bagois*, eas esse Regum delicias.

2. *Gretserus* in Apol. ejusd. consuevisse *puellas* appellari mulieres ab eis, *qui blandiri volunt*.

Resp. *Puellas* appellari mulieres ab *abblandientibus*, haud ita difficile crediderim affirmantibus *Jesuitis*: sed à *Bagois* appellari, & apud *Principes*, quibus non nisi ob exquisitissimas voluptates subministrandas, sunt grati, vix credent, qui aulicos mores nôrint. *Cham.* l. c. §. 34. 35. 37. seq.

CAP. XIII. v. 9. *Judith percussit bis in cervicem Holofernis, & abscidit caput ejus, &c.*

*Jesuitæ* persuasi sunt, *Magistratum hæreticum licitè è medio tolli posse*, cum etiam *Judith Holofernem, populi Israelitici hostem, interfecerit.*

Resp. Exemplum *Judithæ* huc non quadrat: illa enim, tanquam *hostis*, suô periculô *manifestum hostem* manifestè adiit, postea eum nimis stultum circumvenit & occidit, id quod licitum esse, simili insidiarum exemplo, Jos. 8. v. 4. edocemur, imò & hodiernam experientiam assentientem habemus in bellis. *Franz.* par. 3. disp. 7 in Aug. Conf. thes. 197.

CAP. XIV. v. 6. *Achior cecidit in faciem, & dissolutus est spiritus ejus, &c.*

*Metonymia* est: *Dissolutus est spiritus ejus*, hoc est, *defecit animo*. Nam ἐκλύεσθαι, *dissolvi* idem est, quod λιποθυμεῖν, & ἔκλυσις est *ejusmodi animi consternatio*, & *quasi quadam virium omnium dissolutio*. Vatabl. in Annot. ad h. l. fol. 24.

Vers. 17. *Et factus est eorum clamor & vociferatio magna valdè in medio castrorum.*

Offert se (1.) *Hellenismus*: Βοὴ μεγάλη σφόδρα, *vociferatio magna valde*, h. e. *maxima*; Hebræi enim, quos Græcus hic Autor sequutus est, carent *Superlativo*. (2.) *Pleonasmus*: In *medio castrorum*, i. e. in *castris*. Jun. in Not. ad h. l. p. 632. Confer *Glass.* lib. 3. Phil. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 5. p. 59.

CAP. XV. v. 9. *Ad fundandum bona, quæ Deus fecerat Israëli, & ad videndum Juditham, & ad loquendum cum ea pacem.*

Occurrit (1.) *Metaphora*: nam *fundare* accipitur pro *constituere & ordinare*, ut firmum fixumque maneat. (2.) *Hellenismus*: λαλῆσαι μετ' αὐτῆς εἰρήνην, *loqui cum ea pacem*, id est, ut *felicitatem & prospera quæq; ei precarentur*, seriò etiam blandeque salutarent. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 25. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 932. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 388.

CAP. XVI. v. 14. *Filii puellarum confoderunt illos, &c.*

Μείωσις est: *Filii puellarum*, i. e. *homines imbelles ac timidi, viribus nequicquam cum hostibus comparandi*, ut nec *mulier* cum *viro*. Friedlib. in Annot. ad h. l. class. 1. p. 887. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 364.

Vers. 20. *Dabit ignes & vermes in carnes eorum, &c.*

*Serarius* in c. 16. Judith. quæst. 6. statuit, *in inferno esse vermes corporeos, qui etiam corpora damnatorum erodant*; quòd *Deus vermes in carnes damnatorum sit daturus*.

Resp. *Vermes* non *materiales* hîc intelliguntur, sed *spirituales*, nempe *conscientiæ remorsus*: quemadmodum enim vermis affligit *corpus* pungendo; ita etiam conscientiæ remorsus affligit, *animam* pungendô.

gendo. *Thom. de Aquin.* in Supplem. par. 3. quæst. 97. art. 2. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 33. de Infern. §. 70. p. 645.

Verſ. 28. *Manſit in domo viri ſui annos* 105.

Narratio illa, de tam *diuturna pace in Iſrael, per omne ſpacium vitæ Judith, & poſt mortem ejus multis annis continuatâ*, v. 30. nullâ ſupputatione conciliari poteſt cum hiſtoriæ veritate: nam Judith vixiſſe dicitur annos 105. *poſt obitum mariti ſui*, (ſiquidem *totidem annis manſiſſe fertur in domo viri ſui*) quibus ſi addas annos 15. pacis poſt ejus mortem, anni futuri ſunt 120. profundæ continuæque pacis in Iſraële; quos nemo eſt, qui neget non poſſe conſtare.

Reſpondet 1. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 12. p. 46. numerari hìc annos non *viduitatis*, ſed *vitæ*, ut clariùs colligatur ex *Græco* textu.

Reſp. (1.) Jeſuitam non decet diſcedere à Verſione *Latina*, quæ numerat annos *viduitatis* Judith; ſic enim habent verba: *Manſit autem in domo viri ſui annos centum quinque.* Alioquin ſequeretur, Juditham manſiſſe in domo viri ſui *jam inde à prima nativitate*, quod abſurdiſſimum. Verba autem *Græca* ſunt: Ἐγήρασεν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἑκατὸν πέντε ἔτη. *Conſenuit in domo viri ſui centum quinque annis.* Quæ eundem ſenſum efficiunt, niſi penitus ineptè ſcripta ſunt. Itaque non tantum *Sixtus Senenſis*, ſed etiam *Stapletonus* conſentit. (2.) Sed demus, annos numerari non *viduitatis*, ſed *vitæ*, atque ita cedamus totis annis *viginti*, ut ſint viduitatis *octuaginta quinque*: relinquetur tamen adhuc anni *centum pacifici*, qui demonſtrari nullo modo poſſunt. Nam nudum *dicere* Bellarmini non curamus, ſed id, quod *dicit*, probari petimus.

2. *Huntlaus*, proſtare textum emendatiorem, aſſerentem, Juditham mortuam *ætatis* anno centeſimo quinto.

Reſp. Viderit Sophiſta, utrum hoc verè dixerit. Certè nulla dum talis edita eſt, ne *Sixtinorum* quidem Bibliorum. Nos interim inſiſtimus *literæ* Editionis Græcæ ac Latinæ: de *ea* quo jure nos dejiciet? *Thummi.* in Diſquiſ. de V. D. par. 1. p. 188. ſeq. *Cham.* tom. 1. Panſtr. l. 5. c. 7. §. 27-34. p. 59.

## VINDICIÆ
## LIBRI SAPIENTIÆ.

Tit. Σοφία τοῦ Σολομῶντος. *Sapientia Salomonis.*

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 13. p. 49. diſputat, *hunc Sapientiæ librum eſſe Canonicum*, quoniam *ipſe ſit Salomonis*, quippe *cujus ſapientia dicitur.*

Reſp. (1.) *Hieronymus* in Prolog. libror. Salomon. teſtatur, *librum hunc eſſe Ψευδεπίγραφον*, tum quòd apud *Hebræos* non extet, tum quòd ſtylus redoleat *Græcam* eloquentiam. Nam. c. 4. v. 2. manifeſta habetur alluſio ad *Græcorum certamina*, cum hieronicæ coronarentur, unde vocabula, στεφανηφορεῖν, πομπεύειν, ἆθλων, ἀγών; cujus rei teſtis eſt *Petrus Faber*, agoniſt. 2. non contradicente *Lorino* in eum locum. At quis ſibi hoc de *Salomone* perſuadeat, ducentis atque ampliùs annis antè denatô, quàm prima *Olympias* eſſet acta? Unde *Bonfrerius* in Præloq. ſup. Pentateuch. fol. 24. ſect. 3. negat, *hunc librum eſſe Salomonis*; contrà *Lyranus*. in Comm. Sap. 1. *Bonaventura* in Comm. h. l. *Ludovicus vives* in Comment. l. 17. Auguſt. de Civit. Dei, c. 20. fol. 984. *Driedo* lib. 1. de Script. Eccleſ. c. 4. docent, *Philonem Judæum* eſſe hujus libri autorem. Quarè liber ille non poteſt liber *Canonicus* V. T. eſſe, cum *Philo* nec *Propheta* fuerit, nec *ante Christum* vixerit; atque hoc quoque fatetur *Sixtus Senenſis* lib. 8. Bibl. hæreſ. 9. p. 646. (2.) Quòd ſi vel maximè liber iſte *Salomonis* eſſet, nondum tamen efficeretur, eſſe *Canonicum*, quia, ut notat *Auguſtinus* l. 18. de C. D. c. 38. *fieri potuit, ut ſacri Scriptores alia hiſtoricâ diligentiâ, alia inſtructione divina ſcripſerint.* Gerhard. in Exeg. loc. 1. de Script. ſacr. §. 210. p. 239. ſeq. & in Confeſſ. Cathol. lib. 2. ſpec. par. 1. p. 57. ſeq. *Cham.* tom. 1. Panſtr. l. 5. c. 5. §. 2. p. 55.

CAP. I. v. 1. *Diligite juſtitiam judicantes terram, ſentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum.*

Salomon utitur (1.) *Synecdoche*, quâ *optimam Reſpubl. regendæ partem* accipit pro *toto genere*, nempe *judicare* pro *regere*. Quanquam *Junius* participium, *judicantes*, ſubſtantivè ſumit, & *judices* vertit. (2.) *Ellipſi* nominis ſubſtantivi, ἀπὸ κοινοῦ ex ſequente membro repetendi: *In bonitate*, ſcil. *cordis*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 1. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1022.

Verſ. 4. *In animam malevolam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore obærato peccatô.*

I. Verba hæc continent (1.) *Enallagen temporis* futuri, *introibit* & *habitabit*, pro præſenti, *intrat* & *habitat*. (2.) *Metaphoram*, quâ *corpus* dicitur *peccatô obæratum*, id eſt, *obnoxium & ſubditum peccato*, tranſlatione ſumta ἀπὸ τῶν χρεωφειλετῶν, à *debitoribus*, qui nexu ſunt implicati, atque oppreſſi ære alieno. *Jun.* in Bibl. h. l. p. 1022. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 1.

II. *Bellarminus* l. 4. de Amiſſ. grat. & ſtat. peccat. c. 15. rat. 3. argutatur, *B. Mariam non fuiſſe obnoxiam peccatis*, cum *in ea ſingulari modo Dei Filius*, qui eſt ipſa Dei ſapientia, *habitàrit*; at *in malevolam animam non intrare ſapientiam, nec habitare in corpore peccatis ſubditô.*

Reſp. (1.) Nomine *Sapientiæ* non intelligitur illa ὑποστατικὴ *Dei Sapientia*, id eſt, *Filius Dei*; ſed *ſapientia creata*, quâ homines ſunt & dicuntur ſapientes: indeque *Holcot* in h. l. aſſerit, huic libro nomen inditum *Sapientiæ*, à *materia*, de qua tractatur. (2.) Sapientia dicitur *habitare* in corpore, non *corporaliter*, ſed *ſpiritualiter*: aſt Bellarmini argumentum eſt de *corporali inhabitatione Christi*, qui ſingularis eſt ille modus, quo habitavit in matre. (3.) *Non omnis, qui obnoxius eſt peccatis, malevolam habet animam, corpuſve ſubditum peccatis*: alioquin nemo hominum ſapientiæ fuiſſet unquam particeps; quod contrà eſt. Nam & *Salomon* fuit ſapiens, & *Prophetæ* omnes, & *Apoſtoli*, & omnes *Sancti*: itaque iſtis non fuit malevola anima, neque corpus ſubditum peccatis, quanquam nati fuerint in *peccato originali*, imò & *actualibus* non caruerint. Quarè is intelligendus habere animam malevolam, & corpus ſubditum peccatis, *qui iniquitate delectatur, in eaq́, vivit perpetuè*; non autem, qui clamat, *ſe facere malum, quod non vult, & non facere bonum, quod vult*, Rom. 7. v. 19. At *virgo Maria* in his fuit; itaq; non habuit animam malevolam, neque corpus ſubditum peccato; quanquam omni peccato non caruerit. *Cham.* tom. 3. Panſtr. l. 5. c. 7. §. 10. ſeq. p. 64.

Verſ. 6. *Humanus enim ſpiritus ſapientiæ, & non abſolvet blaſphemum à labiis ſuis: quoniam renum ejus teſtis Deus, & ſpeculator cordis ejus verus, & linguæ auditor.*

Conſpicitur hoc loco (1.) Helleniſmus: *Spiritus ſapientiæ*, hoc eſt, *ad ſapientiam erudiens.* (2.) *Ellipſis* nominis: A *labiis ſuis*, pro, à *maledictis labiorum ſuorum.* (3.) *Metonymia* tum *ſubjecti* pro *adjuncto*, quia *renes & cor* pro *cogitationibus internis occultisque* ſumuntur; tum *cauſa* pro *effectu*,

quoniam *lingua* accipitur pro *sermone*, qui linguâ profertur. *Jun.* in Bibl. h. l. p. 1022. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. pag. 1. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 34. m. 3. p. 125. lib. 5. tract. 1. cap. 1. m. 2. p. 8. & cap. 3. m. 1. p. 33.

Vers. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, &c.*

I. *Impletio orbis terrarum definitivè est substantialis ubiq; propinquitas & gubernatio divina*: nam *impletio* essentialiter includit *operationem causæ implentis*, unde & *impletio totius universi* entis ubique præsentis *gubernationis* definitivè dicit. *Thummius* in Ταπεινωσιγρ. p. 319. seq. regerit, locum hunc solummodo concludere, *Deum nil latere posse*, eò quòd *præsens omnia intueatur*; ex eo verò non inferendum esse, *præsentiam Dei ad creaturas essentialiter includere & propinquitatem substantialem & operationem*, alioquin labefactari argumentum, pro *immensitate* ac *divinitate Spiritus Sancti* exinde deductum.

R. (1.) Falsum est, quòd hic locus hoc solummodo concludat, *Deum nil latere posse*: quia implet Deus orbem terrarū, & *substantialiter adessendo*, & *omnia videndo, operando ac gubernando*, interpretibus *Osiandrô* tom. 2. Parapb. Bibl. p. 573. & *Gerlachiô* tom. 2. disp. 6. thes. 84. & 85. p. 113. (2.) Licet autē *divinitas & immensitas S. Sancti* ex h. l. firmiter evinci queat, nō tamē *impletio omniū est ipsa immensitas*. Nam *immensitas* est ab æterno, adeoque est ipsa æternitas in Deo: at *impletio orbis terrarum* non est ab æterno, quia cæpit cum creatione. *Fewerb.* in Κενωσιγρ. sect. 7. cap. 3. quæst. 1. & 7. pag. 33. 37. seqq.

II. Argumentum nostratium, pro *Spiritus Sancti divinitate*, vide ab exceptione Πνευματομάχων vindicatum in Vindic. Psal. 139. v. 7.

Vers. 10. *Auris Zelotypia audit omnia, &c.*

In versu hoc habetur (1.) *Ellipsis* nominis substantivi: *Auris*, scil. *Dei*, qui zelotypus passim in Scripturis dicitur. (2.) *Enallage* nominis substantivi, ζηλώσεως, *Zelotypia*, pro adjectivo, *Zelotypa*. (3.) Ἀνθρωποπάθεια: Deo enim tribuitur *auris Zelotypa*, qua *ira & vindicta ejus vehemens* adversus improbos innuitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 2. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1022. Confer. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 107. & 121.

Vers. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.*

I. *Becanus* l. de Judic. controv. relig. Christ. p. 48. *Scripturam sacrā* accusat *obscuritatis*, hanc ob ἐναντιοφανείαν, quòd hic *Deus* dicitur *mortem non fecisse*, cum tamen *Syrac.* 11. v. 14. *mors feratur a Deo esse.*

Res. *Mors* dupliciter potest considerari, notante *Thomo de Aquino* in 22. q. 164. art. 1. ad 5. Uno modo, secundùm quod est quoddā *malū humanæ naturæ*, & sic non est ex *Deo*, sed est defectus quidā, ob culpam humanā à Diaboli introductus, *Sap.* 2, 24. Alterô secundū quod habet rationē quandā *boni*, prout scil. est *justa quadā pœna*, & sic est à Deo. *Priori* modo *mortem* considerat Salomon, *posteriori* Syracides. *Garth.* l. de Judic. controv. relig. Christ. contr. Becan. p. 69.

II. *Mors Adamo non fuit naturalis*: ipsam enim *Adamus à Deo creatus ere non habuit.*

*Socinus* contr. Puec c. 7. p. 198. 199. 201. excipit 1. Sapientem non loqui de *mortalitate*, sed de *morte*, quippe *quam impii vitare possint*, *quamq; malis operibus accersiverint.*

R. (1) Distinctio hæc vana est: *mors* enim & *mortalitas* se habēt, ut *actus* & *potentia*, explicante *Socino* libr. de Stat. prim. hom. c. 1. p. 74. Cum ergo Deus nō est causa *mortis*, etiam nō est causa *mortalitatis*. (2.) Deus hominem condidit εἰς τὸ εἶναι, v. 14. Ergo nec *mortalē*, nec *morti obnoxiū* creavit, & consequenter nec *mortalē conditionē* fecit. (3.) Illā mortē nō fecisse dicitur Deus, quam ceu *amicam diligunt impii & tentant*, c. 2. v. 1. 6. 24. Sed mortem *corporalem*, ceu amicam, diligunt impii & tentant, 1. Cor. 15. v. 32.

2. Etiamsi Deus hominē ab initio *mortalem* creaverit, tamē ejus mortalitatis nulla ratione auctorē *propriè* dici posse, cùm ea mortalitas ex natura *materiei*, ex qua creatus fuerit homo, necessariò proveniat, & id vitium illi auferre nullo modo cogeretur, exemplô *figuli*, quem, cum luteam statuam fecerit, eam *fragilē* fecisse dicamus, non quia *illi fragilitatem ipse illam indiderit*, sed quia ex duriore materia ipsam facere potuerit: pari ratione Deum efficere potuisse, ut homo fragilis non esset, si ab initio eum creâsset ex alia *materia*, quàm ex terra, quæ *suâpte naturâ* necessariò alteratur & corrumpitur, &c.

R. (1.) Ita non emergit Socinus: quia enim Dei *materiei* causa fuit, etiā *mortalitatis inde fluentis* causam fuisse consequitur; qui namq; in *subordinatis & immediatè connexis* causæ causa est, ille etiam causati causa est. (2.) Alia ratio *figuli* est, qui lutum nō *facit*, sed existenti aliam atq; aliam formam externā indit. (3.) *Deum non cogi ad corruptibilitatem materiæ auferandam, nec ulla ratione teneri*, largimur: sed quia *mortem non fecit*, sponte ipsam pro *suo beneplacito* hoc fecisse asserimus. *Hunn.* in Exam. error. Photin. sect. 1. cap. 2. de Primi homin. felicit. n. 29. p. 67. seq. *Thumm.* in Impiet. Photin. p. 231. 232. seq.

Vers. 14. *Creavit ad esse omnia, & salutares nationes mundi, & non est in illis pharmacum exitii, nec inferorum regnum super terram.*

Offert se (1.) *Synecdoche generis* pro *speciei*: nam *esse* pro *æternum vivere*, & *omnia* pro *omnibus hominibus* capiuntur. (2.) *Enallage nominis* substantivi, *exitii*, pro adjectivo, *exitiale*. (3.) *Metaphora*, quâ *pharmacū exitiale* pro *malo mortifero* accipitur, ut opponatur *salutaribus nationibus mundi*. Vatabl in Annot. ad h. l. p. 2. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1022. *Friedl.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 891. Conf. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 14. m. 1. pag. 436. & m. 4. pag. 445.

CAP. II. v. 1. *Et non est remedium in morte hominis &c.*

*Hellenismus* est: Ἐν τελευτῇ, *in morte*, h. e. *contra mortem*. Hebraicâ formulâ ἐν pro ἀντὶ ponitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 2. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. pag. 891.

Vers. 2. *Ex nihilo facti sumus, & post hoc erimus, quasi non fuerimus.*

Ἄθεοι negant, *animam hominis esse immortalem*, eò quòd *homo post mortem futurus sit, quasi non fuerit.*

Resp. Verba ista non in persona *Dei*, sed in persona *impiorum* proferuntur, eò fine, ut nulla existimatione futuræ vitæ ad præsentis gaudia incumbamus. Sed illa ipsa *Sapiens* ibi culpat, v. 21. *Hæc cogitaverunt impii, & erraverunt.* *Scheibl.* lib. 2. Oper. Metaphys. cap. 5. n. 29. *Conimbric.* tract. de Anim. separ. dis. 1. art. 6. resp. ad 1. argum. pag. 587. seqq. *Complut.* disp. 16. de Anim. quæst. 2. n. 23. & 40. pag. 354. & 360.

Vers. 5. *Umbræ enim transitus tempus nostrum, & non est impedimentum mortis nostræ, quoniam obsignata est, & nemo revertitur.*

Occurrit (1.) *Ellipsis* particulæ comparativæ: *Ut umbræ enim &c.* (2.) *Metaphora*, quâ *mors* dicitur *obsignata*, hoc est, *occlusa & prohibita a reditu ejus ad vitam*, sicut verba immediate sequentia ostendunt, non secus ac ea, *quæ obsignantur*, à prospectu aliorum removentur. *Jun.* in Bibl. hoc loco pag. 1023. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. pag. 3. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. pag. 409.

Vers. 7. *Non prætereat nos flos aëris.*

*Hypallage* est: *Flos aëris*, h. e. *jucundus flos*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1023.

Vers. 23. *Deus creavit hominem in incorruptibilitate, & ad imaginem propriæ similitudinis fecit illum.*

I. *Epiphanius* hæres. 64. probare voluit, *imaginem Dei adhuc in homine integram esse*, quoniam *Deus hominem fecerit ad imaginem propriæ similitudinis.*

Resp. Loquitur Sapiens de homine, *qualis à Deo primùm conditus*, non autem, *qualis post lapsum in mundum nascitur*: tum quia statim sequitur adversativa, v. 24. *Invidiâ autem Diaboli mors introivit in mundum*: tum quia de *infantibus* affirmari non potest, quòd creantur ἐν ἀφθαρσίᾳ *in incorruptibilitate*, cum corruptioni sint obnoxii, Rom. 5. v. 14. Uti ergo homo post lapsum non ampliùs gaudet ἀφθαρσίᾳ, ita nec *imagine divina*. *Rung.* tom. 1. Wittcb. disp. 6. thes. 86. p. 458. *Gerhard.* tom. 2. LL. CC. loc. 11. de Imag. Dei in hom. §. 136. obj. 5. p. 520.

II. *Primus homo per creationem non factus est mortalis*: illum ipsum enim *Deus creavit incorruptibilem*; at quod ἄφθαρτον est, idem quoque ἀθάνατον.

Obvertit 1. *Socinus* libr. de Stat. prim. homin. contr. Pucc p. 14. seq. τὸ ἐν ἀφθαρσίᾳ idem esse, quod, *in integritate*, conditum esse, & hoc Autorem velle dicere, non *ad injustitiam & pravitatem* Deum hominem creâsse, sed *integrum & incorruptum, omniq́ue injustitia vacuum.*

R. (1.) Hic sensus Græcæ vocis est *metaphoricus*, qui meritò vitandus, cũ sensus *proprius* sine absurditate aut errore retineri potest, adeò ut vertatur, *in incorruptibilitate*. (2.) Sed nec iste sensus *metaphoricus* nobis obstat. Nam si Deus hominẽ ita condidit, ut *integer esset & incorruptus*, utiq; & *immortalẽ eũ condidit*: siquidẽ *integritas illa* in creatura, morti naturaliter subjectâ, esse nõ poterat; unde Scriptura *mortem stipendiũ peccati esse* dixit, *Rom.* 6. v. 23. (3.) Interim ex nostro textu sic colligimus: *Qui factus est ad imaginem propriæ similitudinis Dei, ita ut sit creatus* ἐν ἀφθαρσίᾳ, *ille conditus est immortalis*. Atqui *primus homo factus est ad imaginem propriæ similitudinis Dei, ita ut sit creatus* ἐν ἀφθαρσίᾳ. Ergo *primus homo conditus est immortalis.*

2. *Osterrodius* Instit. c. 33. p. 266. *ex imagine Dei* nõ *quamvis cũ Deo similitudinẽ* inferendam esse, adeoq; *ex imagine divina* malè statim colligi *immortalitatẽ.*

Resp. Concedimus, *ex imagine Dei non quamvis cum Deo similitudinem inferendam*: sed non *ultra competens tertium* nos imaginem diducere, hic locus suadet. qui expressè ἀφθαρσίαν cum *imagine Dei*, ut *ejus partem*, conjungit.

3. *Socinus* contr. Pucc. p. 268. *immortalitatem* in *Dei imagine* nullo pacto contineri, neque *corpus*, sed *hominem* ad Dei imaginem conditum fuisse.

R. (1.) *Incorruptibilitas* disertè collocatur in *imagine divina*; incorruptibilitas autem & *immortalitas* sunt ταυτὰ: quod enim *immortale* est, expers etiam est corruptionis, & vice versa. (2.) *Homo dicitur* conditus ad imaginem Dei, sed non *excluso corpore*, quod ἐν ἀφθαρσίᾳ conditum esse, *Sapiens* non negat.

4. *Moscorovius* in Catech. Racov Latin. pag. 20. *integritatem & incorruptionem* non solùm ad *naturam hominis*, sed & ad *conditionem & fortunam, ejusq́ue cursum felicem ad vitæ terminum extremum* referri posse, ut sensus sit, *Deum condidisse hominem, ut ab omnibus malis exemtus, vitam felicem ageret.*

R. (1.) *Moscorovius* non convenit cum *Socino*, qui l. de Stat. prim hom. p. 14. vocem ἀφθαρσίας vertit *integritatem*, ille verò *felicitatem*. (2.) Ἀφθαρσία *propriè* non significat *felicem fortunæ cursum*, sed *incorruptibilitatem*, ut ex *Sapient*. 6. v. 19. constat, ubi ἀφθαρσία dicitur *facere appropinquare Deo*. Jam verò non *felix fortunæ cursus facit appropinquare Deo*; siquidem & multi *impii*, qui procul sunt à Deo, felici fortunæ cursu non carent: *immortalitas* autem conjungit hominem cum Deo, 1. Tim. 6. v. 16. (3.) Non ad quid *possit*, sed ad quid *debeat* referri *incorruptio*, quæritur. Probet ergo Adversarius suam assertionem, si suadere velit: nobis favet *proprietas literæ*, de qua nullo jure nos dejiciet.

5. *Smalcius* in Catech. Racov. Germ. p. 24. quòd aliud sit, *ad immortalitatem esse conditum, & immortalem esse conditum*: tam & eum, qui mortalis conditus est, ad immortalitatem conditum esse potuisse, juxta consiliũ Dei, si mandatis ejus obediens fuisset.

R. (1.) Dicitur homo conditus ἐν ἀφθαρσίᾳ, *in immortalitate*; non πρὸς ἀφθαρσίαν, & *ad immortalitatem*. Itaq; literæ erat insistendum, cum ab ea discedendi nulla subsit necessitas. (2.) Et si vel maximè hæc versio admittatur, *immortalẽ* tamẽ esse, & *ad immortalitatẽ* creatũ esse, hîc nõ differunt: quia noluit Deus mortẽ homini condito immittere, sed invidiâ Diaboli ea subintravit, v. 24. (3.) Non dicimus, hominem à Deo ita conditum fuisse, ut *nullo modo mori potuisset*; verùm sic à Deo esse creatũ, ut, *quamdiu animus justa & sancta maneret*, juxta communẽ naturæ cursum à corpore nunquã separanda esset. Hæc erat Dei intentio, voluntas & consiliũ in creatione. Neq; ullâ literâ probare possunt Sociniani, hominẽ à Deo conditum esse mortalem, ita ut animam à corpore separare potuerit, homine in statu integritatis etiam manente. Hoc enim directè est contra intentionem Dei de creatione hominis, v. 23.

6. *Smalcius* contr. Franz. fol. 401. hominem, si quidem *is ad immortalitatem fuerit conditus*, necessariò fuisse mortalem; cum *ad immortalitatem* conditus non sit conditus *immortalis*.

Res. (1.) *Intelligentiæ & animæ rationales* conditæ sunt *ad immortalitatẽ*, & tamen *immortales* sunt conditi. (2.) Phrasis ista, *ad immortalitatem esse conditum*, geminum potest habere sensum: vel enim idem est ac, *ad vitam æternam esse conditum*, quæ in altero demum seculo sequetur; & hanc immortalitatem homo, si non peccâsset, sine ulla morte naturali consecutus fuisset: ad quam immortalitatem & nos, qui propter peccatum mortales sumus, suo tempore per Dei gratiam promovebimur. Hoc pacto *immortalem esse creatum, & ad immortalitatem esse creatum*, duo sunt distincta. Vel *ad immortalitatem esse conditum*, idem est, ac *à Deo ita esse conditum, ut anima à corpore naturaliter separari non possit*; atq; hoc idem est, quod, *immortalem esse*, quia mors naturalis in corporis ac animæ separatione consistit, & hac de re propriè hic agitur. Idcirco utrumq; verum est, *Deum condidisse hominem immortalem, & ad immortalitatem*. *Balduin.* in Refutat. Catech. Arian. p. 34.-41. *Hunn.* in Exam. error. Photin. sect. 1. cap. 2. n. 28. p. 66. seq. *Thumm.* in Impiet. Photin. p. 231. 235.

Vers. 24. *Invidiâ autem Diaboli mors intravit in mundum, &c.*

*Moscorovius* in Catech. Racov. Lat. p. 20. autumat, nomine ἀφθαρσίας, v. 23. notari *felicem vitæ cursum*, cum illi opponatur *mors*, v. 24.

R. Contextus iste nihil probat; siquidem juxta mentem Autoris hic emergeret sensus: *Ex invidia Diaboli omnis infelicitas in mundũ venit*; textus autẽ habet θάνατος: *Mors per invidiam Diaboli intravit in mundũ*. Hoc verò pro nobis militat. Nã *morti* opponitur *immortalitas* seu *vita*; jã si *mors* est *à Diabolo*, sequitur, *vitã & immortalitatẽ* esse *à Deo*: *illud* propter peccatũ, quod Diabolus intulit in mundũ; *hoc*

propter

propter justitiam, ad quam homo fuit conditus. *Balduin.* in refut. Catech. Arian. p. 36. seq.

CAP. III. v. 1. *Justorum animæ in manu Dei, & non tanget illos tormentum.*

I. Sapiens usurpat (1.) *Ellipsin verbi substantivi*, in sententiis hic valde frequentem: *In manu Dei*, scil. *sunt.* (2.) Ἀνθρωποπαθῶς: nam *manus*, DEO tributa, notat *Dei potentiam*, in *forti & gratiosa protectione* se exerentem. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 4. *Glass.* lib. 5. Philol. sacr. tract. 1. cap. 7. p. 110.

II. *Bellarminus* l. 3. de Christ. c. 15. resp. ad 1. arg. censet, *dexteram Dei non semper in Scripturis notare infinitam gloriam ac potentiam*, quòd *in manu Dei sint justorum animæ, quæ tamen infinitam gloriam ac potentiam non consequantur.*

Resp. (1.) *Manus Dei* hîc non notat manum *finitam*, sed *infinitam*, hoc est, *ipsam divinam potentiam*, sub qua sunt animæ justorum, ne illas tangat tormentum. (2.) Inde verò non sequitur, *animas justorum, quia in infinita Dei manu sunt, infinitam potentiam consequi.* Nam inter duas hasce phrases luculentum est discrimen, *esse in infinita Dei manu, & consequi infinitam potentiam*: in hoc enim phrasi plus continetur, quàm in *illa.* Meisner. par. 2. Philos. sobr. sect. 1. cap. 1. q. 2. m. 1. obj. 2. p. 21. *Gerhard.* in Exeg. loc. 4. de Person. Christ. §. 221. obj. 4. p. 1402. seq.

III. *Costerus* in Enchir. p. 390. asserit, *Sanctos defunctos esse ubiq; præsentes*, quoniam *ipsorum animæ sint in manu Dei, quæ est ubiq; præsens.*

Resp. (1.) *Bellarminus* Costero contradicit: *ille* enim l. jam c. disertè fatetur, *animas justorum non esse omnipræsentes*, licet *sint in Dei manu.* (2.) Sunt in argumento hoc quatuor termini: aliud enim est, *esse in manu Dei omnipræsentis*; aliud verò, *esse ipsam manum omnipræsentem.* Hoc duntaxat inferri potest, *sanctos esse in manu Dei omnipræsentis*, non autem, *ipsos esse omnipræsentes*; alioquin & *cor Regis esset omnipræsens*, cum & *illud sit in manu Dei*, Prov. 21. v. 1. (3.) De *Sanctis defunctis* V. T. dicitur, quòd *animæ ipsorum sint in manu Dei.* Jam verò Sancti V. T. nondum in *cælesti gloria* fuerunt, sed in *Limbo* usque ad Christi adventum conclusi tenebantur, juxta communem *Pontificiorum* hypothesin: quomodo igitur *omnipræsentia ipsorum* ex hoc dicto elici potest? Sublatâ causâ *propriâ & adæquatâ* tollitur effectus. Atqui *propria & adæquata causa*, propter quam Sancti statuuntur omnipræsentes, juxta *Costerum est gloria cælestis.* Ergo ubi nondum adhuc habet locum *gloria cælestis*, ut in Sanctis V. T. ibi non potest locum habere *omnipræsentia.* Gerhard. tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 339. p. 642.

IV. Rationem eorum, qui negant, *sessionem ad dextram Dei notare omnipræsentiam*, vide confutatam in Vindic. Deut. 33. v. 3.

Vers. 3. *Illi autem sunt in pace.*

*Synecdoche* est *species* pro *genere*: nam *pax* apud Hebræos significat *felicitatem*, q. d. *felices sunt ac plane beati.* Vatabl in Annot. ad h. l. p. 4. Conf. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 3. p. 449.

Vers. 4. *Spes eorum immortalitatis plena.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: Spes eorum, h. e. *res sperata*, quam consequuntur à morte, ut ostendunt sequentia. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1022. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 5. pag. 65.

Vers. 5. *Deus tentavit eos, & invenit eos dignos se.*

*Bellarminus* lib. 5. de Justif. cap. 3. argum. 6. disputat, *renatos bonis operibus mereri vitam æternam*, quia *ipsos Deus inveniat se dignos*; dignum autem *esse præmiò*, & *mereri præmium*, idem esse.

Resp. (1.) Locus hic non agit de dignitate *meriti*, cum renati nunquam mereantur, ut *Deo, infinito illo bono*, digni sint; sed agit de dignitate *gratiæ*, ut ex v. 9. manifestum est. (2.) Nec prorsus ἰσοδυναμοῦντα sunt, *dignum esse*, & *mereri*; nam 2. Thess. 1. v. 11. Deus dicitur homines dignari *vocatione ad regnum* Dei; nemo autem adeò rudis est in re sacra, ut ignoret, *vocationem nostri ad regnum Dei* non pendere ab *ullis nostris meritis*, sed à *sola Dei misericordia*, teste Spiritu Dei, Ephes. 2. v. 4. 5. 6. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontific. cap. 27. quæst. 5. obj. 6. pag. 461. *Thumm.* in disp. de Oper. & merit. pag. 57. seqq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Bon. Oper. cap. 2. quæst. 9. p. 626. seq.

Vers. 13. *Felix est sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.*

*Tirinus* in Comm. h. l. exinde *consilium cælibatus* probare vult, cum *felix judicetur à Deo sterilis, & incoinquinata anima.*

Resp. (1.) *Tirinus* contradicit reliquis Pontificiis, qui unanimi consensu statuunt, *consilium cælibatûs primùm in* N. T. *à Christo fuisse promulgatum*: Ergo non debebat id probare ex *dicto* V. T. (2.) Quæstio est de continentia *voluntaria*, & cui aliquis per *votum* se adstringit: ast Sapiens loquitur de sterilitate, *quam natura adfert.* (3.) Contextus loquitur de fæmina *sterili conjugata*, teste *Lyrano* in h. l. Adversarius autem loquitur de fæmina *extra conjugium*: sterilitas enim, nisi præcedente virili congressu, agnosci non potest. (4.) Sapiens sermocinatur de fæmina, *quæ ab adulterio abstinuit*, id quod ostendunt verba (*quæ nescivit thorum in delicto*) Tirinus verò de fæmina, *quæ à legitimo thoro abstinuit.* (5.) *Glossa Ordinaria* in h. l. textum exponit de anima casta & continente, *quæ scil. nec hæresi nec idololatriâ polluitur.* At talis anima potest etiam esse *in conjugio.* *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontif. cap. 21. quæst. 9. obj. 2. pag. 178. *Osiand.* in Enchir. controv. Pontif. cap. 21. quæst. 2. obj. 9 p. 266. *Gerhard.* in Conf. Cathol. lib. 2. special. par. 2. pag. 285. seq. arg. 3. & tom. 3. LL. CC. loc. 17. de Evang. §. 94. pag. 604. seqq.

Vers. 14. *Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptior.*

I. *Enallage* est comparativi, θυμηρέστερος, *acceptior*, pro superlativo, θυμηρέστατος, *acceptissima.* Jun in Not. ad h. l. p. 1023.

*Bellarminus* libr. 2. de Monach. cap. 9. testim. 2. arguit, *cælibatum hominis singularem gratiam mereri*, quoniam condicatur his, *qui vivunt cælibes*, electum fidei donum, & sors in templo Dei acceptissima.

Resp. Sapiens non prædicat *meritum cælibatûs*, siquidem vocibus *δόσις* & χάριτος; quibus utitur, opinionem *meriti* pro sternit; sed evehit *spadones*, qui *non operati sunt per manus suas iniquitatem, nec cogitaverunt adversus Deum mala*, supra eos, *qui ex illegitimo thoro susceperunt numerosam prolem*, v. 16. nam adulterorum filii exterminabuntur, v. 16. spadoni autem, *non operanti iniqua*, dabitur *fidei gratia electa*, sors in templo Domini acceptior, v. 14. Spadoni ergo, non quia *spado* est, sed quia *mandatorum divinorum observans* est, promittitur præmium. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Minist. Eccles. c. 2. quæst. 18. dub. 4. obj. 2. pag. 949. seq.

Vers. 17. *Sine honore erit novissima senectus illorum.*

Inveni-

Inveniuntur, qui oegent, *spurios ad honorandos parentes teneri*, cum *parentes scortatione sua liberis adulterinis existant causa infamia.*

Resp. Infamia coram *mundo* non est sufficiens causa dehonestandorum parentum: non enim quarto Decalogi præcepto Deus præcipit, tales vel tales parentes esse honorandos, sed omnes parentes, quia *parentes* sunt, honorari vult, *Syr.* 3. v. 9. *Balduin.* de Casib. Cosciens. lib. 4. cap. 14. cas. 7. pag. 1229. seqq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Leg. cap. 10. sect. 3. quæst. 3. obj. 2. pag. 126.

Vers. 18. *Si celeriter ex vita discesserint, non habebunt spem, nec in die inquisitionis consolationem.*

Fuerunt inter *Reformatos*, qui *Baptismum spuriis negârint*, eò quòd *ipsi non habituri sint spem aut consolationem in die judicii.*

Resp. Sapiens non *indifferenter omnes spurios* damnat; id enim eepugnaret universali Dei promissioni, *Ezech.* 18. v. 20. & exempli *Jephtha*, spurii quidem, Judic. 11. v. 1. sed salvati, Hebr. 11. v. 32. & *infantis Davidici*, ex Bethsabea in adulterio suscepti, itidem tamen salvati, 2. Sam. 12. v. 23. sed tantum *spurios flagitiosos*, quos vocat τέκνα πονηρὰ, v. 12. & γενεὰν ἀδίκον, v. 19. Nec mirum est, *spurios plerumque dissoluta vita esse*, cum iis deesse soleat liberalis educatio; atque inde accidit, ut in impietatis casses prolapsi, æternæ damnationi involvantur. *Hunn.* tom. 1. Oper. Lat. pag. 1944. *Gerhard.* tom. 4. LL. CC. loc. 23. de Baptism. §. 208. pag. 1185. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Baptism. cap. 7. cas. coosc. 5. p. 2065. seqq. *Fewerborn.* fasc. 2. Dissert. Theol. disp. 5. §. 54. pag. 190.

CAP. IV. v. 2. *In perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.*

*Thomas de Aquin.* in Comm. 2. Tom. 4. docet, *aureolam deberi Virginibus in pudendis*, cum *illa ipsa in perpetuum coronata triumphent, incoinquinatorum certaminum præmium vincentes.*

Resp. (1.) Sapiens non loquitur de *virginitate*, sed de *castitate conjugali*, teste *Holcoth* in h. l. quippe quam opponit *promiscua & bruta Veneri*, v. 1. (2.) Sed si maximè tamen *hanc virginitatem* concederemus, totidem literis scriptam, quid erit, quo *ejus aureola* significetur? Nihil enim habet Sapiens de *aureola in partibus illis, in quibus peccari solet adversum castitatem.* Contrà verò nos & *vitam æternam* scimus esse *coronam*, & satis dignam *præmii* nomine; nec *solas virgines* referre præmium incoinquinatorum certaminum. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 25. cap. 4. §. 16. 18. 19. pag. 547.

Vers. 6. *Ex illegitimis somnis geniti liberi testes sunt, &c.*

*Metonymia* est, quâ *somni* pro *congressibus* ponontur: *somnus* enim res proxima est *congressui.* Vatabl. in Not. ad h. l. p. 6.

Vers. 9. *Canities est prudentia hominibus, & ætas senectutis vita immaculata.*

*Metonymia* est, quâ *signum* pro *reipsa* sumitur, *canities* pro *senectute* sive *ætate devexa atque admodum grandi.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 7.

Vers. 11. *Raptus est justus, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.*

I. *Vincentius Victor* olim docuit, *infantes sine renascentia in Christo ex hac vita excedentes, demum salvari*, quia *rapiantur, ne malitia mutet intellectum eorum, &c. Histor. Magdeb.* Cent. 5. cap. 5. pag. 621. hypoth. 14.

Resp. (1.) Quasi verò baptismate reparentur in pejus, & fictione deciperentur, si post baptismum raperentur. (2.) Hoc dictum non de *infantibus non baptizatis* iotelligendum est, sed de *omnium Sanctorum immaturis ætatibus*, cum quibus malè actum, stulti arbitrantur, si de hac vita celeriter rapti fuerint. *Augustin.* l. 2. de anim. & origin. ejus cap. 9. & l. 3. cap. 10. *Histor. Magdeb.* ibid. pag. 623. contr. 14. hypoth.

II. *Costerus* in Enchir. controv. cap. 4. pag. 188. arguit, *hominem incertum esse de sua in virtutibus perseverantia*, quoniam *à Deo rapiatur, ne malitia mutet intellectum ejus, neque fictio decipiat animam illius.*

Resp. Locus hic non pro *Costero*, sed pro *nobis* facit: fideles eoim adeò certi sunt de sua in virtutibus, *mediante auxilio Spiritus Sancti*, perseverantiâ, ut priusquam perverti possint, Deus eosdem hinc evocet. *Meyfart.* in Anticost. disp. 3. thes. 101. & 105. pag. 145. & 148.

Vers. 12. *Fascinatio improbitatis obscurat bona, & rotatio concupiscentiæ dimovet mentem puram.*

*Metaphora* suot: (1.) enim *fascinare* sumitur pro *seducere falsâ persuasione*, quâ homines à Satana quasi dementantur. ut Gal. 3. v. 1. nam *fascinare* propriè est *oculis aspectuque lædere ac necare.* (2.) *Rotatio*, quâ ferè hominum hebetantur sensus, idque eò vehementiùs, quò velocior est rotatio, notat *commotionem & inconstantiam.* (3.) Μεταλλεύειν propriè est *metallum effodere atque ernere*, hoc io loco est *dimovere planeque pervertere.* Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 7. *Jun.* in Not. ad eund. loc. pag. 1024. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. pag. 383.

CAP. V. v. 3. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes.*

*Anabaptistæ* statuunt, *damnatos in inferno habere spem futuræ ex eo liberationis*, cum *pœnitentiam ibi agant, quæ est bonæ voluntatis, & spem faciat gratiæ divinæ recuperandæ.*

Resp. (1.) *Pœnitentia* hic non *totaliter* accipitur, pro tota hominis ad Deum conversione; sed *partialiter*, pro contritione, adeò ut sensus sit: *Pœnitebit eos*, h. e. *animò angentur, quòd rebus suis tam malè consuluerint.* (2.) Pœnitere de peccato, *per se*, dum scilicet aliquis dolet de *turpitudine culpæ*, est *bonæ* voluntatis; sed pœnitere *per accidens*, dolendo de *acerbitate pœnæ*, potest ad *malam* voluntatem pertinere, quæ rectitudini justitiæ repugnat. *Thom. de Aquin.* in 4. Sentent. dist. 50. art. 1. ad 1. fol. 372. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. pag. 579. & *Hutter.* in Compeod. Theol. loc. 11. de Evangel. quæst. 11. pag. 124. seq.

Vers. 17. *Idcirco accipient regnum decoris, & coronam pulcritudinis è manu Domini: quia dexterâ suâ proteget eos, & brachiô defendet illos.*

Salomon usurpat (1.) *Hellenismum*: Regnum *decoris* & coronam *pulcritudinis*, h. e. regnum *decentissimum* & coronam *pulcerrimam.* Hebræi enim, quos Sapiens imitatur, carent superlativo. (2.) *Metaphoram*, quâ *coronam* pro *præmio cælesti*, fidelibus Christi athletis dandô, accipit, sicut olim victores in certaminibus coronabantur. (3.) Ἀνθρωποπάθειαν, Deo namque tribuit *manum dexteram & brachium*, quo *potentiam* Dei innuit, exereotem se in *beneficentia erga suos*, & in *forti protectione eorum.* Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 9. Confer. *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 4. pag. 58. lib. 5. tract. 1. cap. 7. pag. 109. 110. 12. cap. 12. pag. 402.

CAP.

CAP. VI. v. 1. *Audite ergo Reges & intelligite, discite, ô Iudices finium terræ.*

*Synecdoche* est, quâ *judices finium terræ* sumuntur pro *rectoribus ac gubernatoribus ipsius orbis*: est enim *judicium* præcipua pars gubernationis. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 9.

Vers. 8. *Æqualiter est Deo cura de omnibus.*

*Pelagiani* olim docuerunt, *Deum pari gratia omnib. subvenire*, quòd *ipsi æqualiter sit cura de omnibus*.

℞. (1.) Sapiens non asserit, omnia *æqualiter* esse curæ Deo, sed omnia ὁμοίως, i. e. *similiter*, curæ esse Deo: omnia enim *æqualiter* Deo curæ esse, negat Scriptura, 1. *Cor.* 9. 9. *Matth.* 6, 26. 1. *Tim* 4, 10. (2.) Sed etsi Sapiens diceret, Deo *æqualiter* curæ esse de omnibus, nihil tamen Pelagiani inde lucrarentur. Nam non loquitur Sapiens de *beneficio gratiæ*, sed de *retributione præmiorum atq; pœnarum*, ut ex contextu patet. Itaq; sententia hujus loci est, in extremo judicio Deum non accepturum personas Regum & Principum, sed ex æqualitate justitiæ sententiam esse laturum. *Bellarm.* l. 2. de Grat. & lib. arb. c. 3. resp. ad 1. arg. p. 583. *Brochm.* tom. 1. syst. Theol. art. de Grat. Dei, c 3. cas. consc. 5. obj. 1. p. 625. seq.

Vers. 12. *Expetite sermones meos, cupite & instituimini.*

*Hellenismus* est: *Cupite & instituimini*, h. e. *cupidò animò instituimini*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1025.

CAP. VII. v. 11. *Venerunt mihi innumerabiles divitiæ per manus ejus.*

*Pleonasmus* est: Per *manus ejus*, i. e. per *eam*, voce *manus* abundante. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1025.

Vers. 21. *Et quæcunq; sunt occulta & manifesta, novi: nam omnium artifex docuit me sapientia.*

I. *Græcismus* est: Ὅσα τέ ἐστι κρυπτὰ &c. Ubi (1.) particula τε est *finalis*, quâ in fine orationis γενικῶς universeq; concluditur superior rerum distributio ac enumeratio, & exponitur, *demq;*. (2.) Neutrum plurale gaudet verbo singulari. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 12.

II. *Bellarmin.* l. 1. de V. D. c. 13 §. 1. probare vult, *librum Sapientiæ esse Canonicum*, quia *Concilium Sardicense*, teste *Theodoreto* l. 2. hist. Eccles. c. 8. ex hoc versu confirmet, *Filium Dei esse verum Deum*, cum sit *Sapientia illa omnium artifex*.

℞. (1.) N. C. nam *Clemens* in Stromatibus, & *Lactantius* in Institutionibus ex *libris Sybillinis* idem probant; neque tamen *libri Sybillini* sunt Canonici. (2.) Concilium Sardicense sententiæ suæ de *Christi Deitate* fundamentum in hoc dicto ponit, non *primarium*, sed *secundarium*, quatenus cum *Canonicis Scripturæ libris* consonat, secus non fuisset id allatum. *Thumm.* in Disquis. de V. D. part. 1. p. 197. seq. & in Impiet. Photin. p. 231.

Vers. 26. *Splendor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei operationis, & imago bonitatis suæ.*

Nonnulli exinde probant, *Christum esse verum & æternum Deum*, quia *est splendor lucis æternæ, & imago bonitatis divinæ*.

*Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck. p. 441. respondet 1. locum hunc ad *Christum* non pertinere, ideoque nihil ex eo probari de *Christi divinitate*.

℞. Afferunt hoc argumentum, quatenus cum Canonica Scriptura consentit, *Coloss.* 1, 15. ubi de *Christo* sermonem esse, contextus ostendit.

2. *Sapientiam* illam non esse ipsam *bonitatem divinam*, cum *sit ejus imago*; rei verò alicujus *imaginem* non esse *rem* ipsam, cujus est imago.

℞. (1.) *Imago rei non est res ipsa, cujus est imago*, nempe *in quantum est imago*: alioqui relativum & correlativum essent idem, quod est falsissimum. (2.) Pater & Filius sunt unum & idem, ratione *essentiæ*, Joh. 10, 30. non sunt unum & idem, ratione *personarum*, Joh. 8, 16. *Tarnov.* de SS. Trin. p. 864. - 869.

CAP. VIII. v. 1. *Pertingit autem à fine ad finem fortiter, & disponit omnia utiliter.*

Sapiens adhibet (1) *Hellenismum*: *A fine ad finem*, h. e. *a fine uno ad alterum*. (2.) *Synecdochen*, quâ verbum, διοικεῖν, *disponere*, aliàs *œconomiæ* proprium, ad omnem aliam *rectionem atq; administrationem* transfert. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 13. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 1025.

Vers. 17. *Immortalitas est in cognatione sapientiæ, &c.*

Est, qui pro *Canonica libri Sapientiæ authoritate* allegat hoc, quod *liber iste contineat fragmenta ex Proverbiis Salomonis*, idq; manifestum sit ex collatione, v. 17. cum *Prov.* 9. v. 11. &c.

℞. (1) Si hoc sufficit, ut liber aliquis sit Canonicus, quod *pars ejus ex Canonico est desumpta*, consequens fuerit, etiam *librum tertium Esdræ esse Canonicum*: is enim ferè totus coagmentatus est ex *duobus postremis capitibus secundi Chronicorum & primi Esdræ*. (2.) Scripturæ sacræ non solùm *aliquas sententias*, sed etiam *verba omnia* à Spiritu S. esse oportere, agnoscit *Bellarm.* l. 2. de Concil. c. 12. §. *Quartum est*. Ergo si vel maximè in *quibusdam sententiis* Sapientiæ & Proverbiorum sit eadem veritas, tamen longè impar est librorum autoritas. *Gerhar.* in Exeg. loc. 1. de Script. S. §. 215. p. 227.

Vers. 20. *Magis autem bonus existens veni ad corpus incoinquinatum.*

Species quædam ἀντιφάσεως oritur: Salomon enim de se pronunciat *corpus incoinquinatum*; at nullius hominis corpus incoinquinatum, *Hiob.* 14. v. 4.

℞. *Corpus incoinquinatum* hoc loco est *bona indoles*, quæ *vitæ pollutæ ac dissolutæ* opponitur: atque *hanc* Sapiens asserit, se Dei indultu nactum esse præ aliis secum educatis, ne flagitiis & sceleribus infamem vitam, ut illi, duceret, & honori suo malè consuleret. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. m. 2. p. 894.

Vers. 21. *Ut scivi, quoniam aliter non possum esse continent, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire, cujus esset hoc donum; adii Dominum, & deprecatus sum ipsum, &c.*

*Papistæ* exinde probare conantur, *donum cœlibatûs generaliter promissum esse omnibus id à Deo petentibus*, cum *illud ipsum Salomon à Deo petierit, ac impetraverit*.

℞. (1.) Non est hic sermo de *cœlibatu*, tum quia *Salomon non fuit cœlebs*, tum quia in illa oratione nulla prorsus fit mentio *cœlibatûs*, quem Salomon petierit; sed de *sapientia*, quam sibi dari à Deo petit Salomon. Nam cum in præcedentibus dixisset, *se à puero amâsse & sectatum fuisse sapientiam*, sed intellexisse, quòd non posset eam consequi, nisi ex dono Dei; ideo inquit, *se adiisse Dominum, & deprecatum ipsum fuisse, ut sibi daret sapientiam, &c.* (2.) In communi lingua Græca, vox ἐγκρατὴς, sæpe ita usurpatur, quando aliquis alicujus rei fit *compos*; atque sic etiam hoc in loco rectè accipi potest: *Cum viderem, me non posse compotem fieri sapientiæ, quam amabam, oravi igitur Dominum.* Ita totus contextus optimè cohæret. Ineptissimum autem esset, si de *cœlibatu* proponeret Salomon, & postea in prolixa oratione aliud peteret, nullâ prorsus mentione factâ *cœlibatûs*. (3.) Etiamsi ἐγκρατὴς hîc idem esset ac *continens*; non tamen extorquebitur inde, *donum cœlibatûs commune esse omnibus petentibus*. Nam vocabulum ἐγκρατὴς tribuitur etiam *conjugibus castis*, qui liberos habent, *Tit.* 1. v. 6. & 8. & Salomonis conjugium ante orationem pro sapientia describitur, 1. *Reg.* 3.

v.1. ideoque de *perpetuo cœlibatu* vocabulum ἐγκρατής ibi non est intelligendum. (4.) Sed demus, id de *perpetuo cœlibatu* intelligi, certè hinc *jurata Monachorum & Jesuitarum castitas* evertitur. Ex his enim Sole meridiano clariùs elucescit, quod castitas non adscribenda sit *voto concepto*, sed referenda *dono accepto, & divinitus collato*; id quod *personale* est donum, Matth.19,11. non *gratia communis omnium fidelium*, de quibus extat regula Apostolica, 1.*Cor*.7,2. *Chemn.* in Exam. Concil. Trid. part.3. tit. de Cœlib. p.470. seq. *Meyfar.* in Anticost. disp.5. th.80. & 81. p.245. seq.

CAP.IX.v.4. *Da mihi tuorum thronorum assistricem sapientiam, &c.*

*Enallage* est emphatica *numeri* pluralis, *tuorum thronorum*, pro singulari, *tui throni*. *Iun.* in Not. ad h. l. p.1026.

Vers.8. *Dixisti, me ædificare templum in monte sancto tuo, &c.*

*Bellarminus* l.1. de V.D. c.13. p.49. contendit, *Salomonem esse hujus libri autorem*, quippe qui asserat, *se in urbe Ierusalem ædificâsse Deo templum.* At *hæc*, inquit Costerus in Apolog.2. contr. Gomar. cap.9. *quis præter Salomonem dicere potuit?*

℞.(1.) Negatur sequi: fieri enim potest, ut inducatur Salomon per *imitationem* à Scriptore, majoris authoritatis causâ, idque per figuram Rhetoricam, quam *Prosopopœiam* nominamus. *Moris enim est in Scripturis, ut is, qui loquitur, in alterius persona loquatur*, fatente *Driedone* l.1. de Catal. Script. Eccles. c.4. ad 4. difficult. Sic canon 84. Apostolorum in *persona ipsorum* est conceptus: *Nostri autem libri & alii a nostra sequuntur*: & tamen *Bellarm.* l.1. de V.D. c.20. §. *Quod ad priorem, &c.* statuit, *canonem illum non esse Apostolicum.* (2.) August. l.17. de C.D. c.20. disertè docet, *librum Sapientiæ non esse Salomonis*, non *dubitare Doctores*; sed esse *Philonis Iudæi*, qui in *persona Salomonis* locutus fuerit, asserit *Iohannes Capistranus* in præfat. Specul. Clericor.

*Bellarm.* ibid. regerit, non fuisse *Philonem* illum, qui vixit *post natum Christum*, sed *alium antiquiorem*, qui quidem verbis Græcis Salomonis sententias complexus est, Spiritu S. dictante.

℞.(1) Tandemne concedit Bell. librum illum Sapientiæ non esse *Salomonis*, sed *Philonis*? (2.) *Senior ille Philo* fuit *Ethnicus*, non *Iudæus*, ut docet *Sixtus Senensis* l.1. Bibl. sect.2. ex *Iosepho* l.1. contr. Appionem; canonicum ergo librum scribere non potuit. *Gerh.* in Exeg. loc.1. de Script. Sacr. §.210. p.221. & in Conf. Cath. l.2 spec. part.1. p.59. resp. ad 1. arg. *Gisen.* de Papism. disp.2. th.74. seq. p.41. *Thumm.* in Disq. de V.D. part.1. p.201. *Scharp.* in Curs. Theol. tom.1. p.22. obj.1. *Cham.* tom.1. Panstr. l.5. c.5. §.2. p.55.

Vers.15. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, &c.*

*Papistæ* autumant, *animam rationalem à Deo sine peccato infundi corpori*, quòd *anima aggravetur à corpore*, dum nempe à corpore inficitur.

℞. Sapiens (1.) loquitur de peccato *actuali*, non *originali*. (2.) sermocinatur de *ignorantia* tantùm, (3.) Ostendit corpus suis perturbationib. multùm posse, quib. nō illico assentiretur anima, nisi *jam antè morbo isto aliàs esset infecta.* Quod v. post lapsum hominis *anima à Deo sine peccato infundatur corpori*, & non potiùs *ab homine corrupto veniat in prolem corrupta & ipsa*, & quidem maximè *corrupta in mente & voluntate*, hoc scilicet est, quod pernegamus. *Selnecc.* part.3. Exam. Ordinand. p.112. *Dannhavv.* in Coll. Psychol. disp. 6. theor.2. p.168. seq.

Vers.16. *Difficilia æstimamus, quæ in terra sunt; & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?*

*Meisnerus* part.1. Philos. sobr. quæst. gener. p.35. statuit, *rationem fidem facere dubiam*, cum *cœlestia nequeat investigare.*

*Vedelius* in Ration. Th. l.3. c.14. p.723. respondet, Sapientem loqui tantùm de veritate *sententiarum*: nam veritatem *connexionū* ratio potest cognoscere.

Vers.18. *Et sic correctæ sunt semitæ eorum, qui in terra, &c.*

*Ellipsis* est verbi, commodè subintelligendi: *Qui in terra*, scil. *vixerunt* aut *fuerunt*. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.16.

CAP.X.v.5. *Hæc* (sapientia) *in filii visceribus fortem custodivit.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: nam σπλάγχνα, *viscera*, Sapiens vocat *affectum paternum erga filium*, qui Græcè φιλοστοργία, *naturalis amor parentum in liberos*, in quo Deus Abrahamum invictum præstitit, atque in amore paterno erga filium, eum fortem conservavit. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.17.

Vers.8. *Non cognoverunt bona, &c.*

*Metonymia* est *causa* pro *effectu*. quia *cognoscere* est *experiri ac obtinere*. *Iun.* in Not. ad h.l. p.1027. Confer *Glass.* lib.5. Phil. Sacr. tract.1. cap.1. m.3. n.1. p.14.

Vers.10. *Multiplicavit labores ejus.*

*Metonymia* itidem est *causa* pro *effectu*: nam *labores* accipiuntur pro *bonis multo labore partis*, q.d. *maximâ bonorum copiâ eum cumulavit.* *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.17. Confer *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.1. m.3. p.12.

Vers.15. *Hæc populum justum & semen sine querela liberavit a natione prementium.*

Salomon videtur Mosi contradicere: *ille* enim Israelitas vocat populum justum & semen sine querelæ: *hic* verò contrario nomine eos appellat, *Deut.*32,5.

℞. Salomon *populum justum & semen sine querela* vocat Israelitas, non quod ratione *primæ nativitatis sancti*, aut *conversatione sua inculpabiles* fuerint; sed ideo, quod *eos Deus propter Messiam per Circumcisionem in gratiam & fœdus recepit, eisq; peccata condonavit, & per fidem in Messiam justificavit.* *Friedlib* in Annot. ad h.l. class.2. m.3. p.894.

Vers.19. *Hostes autem ipsorum demersit, & ex profunditate abyssi eduxit ipsos.*

Salomon sibi contradicere videtur: affirmat enim, *Deum hostes Israelitarum demersisse*, & tamen *eduxisse ipsos.*

℞. Nulla est contradictio: siquidem pronomen, *ipsos* non ad *hostes Israelitarū*, sed ad *Israelitas* referendum est, utpote *quos* Deus è profunditate maris eduxit incolumes, *illos* verò submersit. Unde ad devitandam ambiguitatem, *copulativa* καὶ. ET, verti potest *adversativè*, ἀλλὰ, SED. *Vatabl.* in Ann. ad h.l. p.18.

CAP.XI.v.1. *Prosperavit opera eorum per manum Prophetæ sancti.*

Sapiens utitur (1) *Metaphorâ*, quâ *manum* pro *administratione* sumit. (2.) *Synecdoche generis* pro *specie*: nomine enim *Prophetæ sancti* intelligit *Mosen*. *Iun.* in Not. ad h.l. p.1027.

Vers.18. *Non impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittens illis multitudinem ursorum, &c.*

*Photiniani* opinantur, *terram non esse ex nihilo creatam*, quoniam *eam Deus creaverit ex materia invisa.*

℞. Sapiens per *materiam invisam* intelligit terram & aquam, quatenus erant *sine luce & ornatu*: per *orbem terrarum* intelligit *discoopertam & ornatam*. Itaque sensus illius est hic: *Tam facilè*

potest

potest Deus immittere ursos, ad perdendos malos homines, quam facilè potuit ex terra inani & vacua, & ex aquis tenebrosis, facere orbem, terrarum, id est, dis-cooperire terram, & producere omnia mixtorum genera, ita ut appareret orbis terrarum, qui antea non apparebat. *Becan.* in Theol. Schol. par. 1. tr. 4. cap. 2. conclus. 5. p. 347.

V. 22. *Omnia in numero, pondere & mensura disposuisti.*

I. *Keckermannus* l. 7. System. Phys. p. 818. disserit, *Deum nullum chaos* (id est, nullam rudem & inelaboratam materiam) *creâsse*, quia *omnia creaverit in numero, pondere & mensura*, hoc est, *distinctissimè & ordinatissimè*; chaos autem nec esse in pondere, nec in numero, nec in mensura.

℞. Textus iste loquitur de operibus creationis *absolutis*, quatenus sunt in *esse*, non autem *absolvendis*, quatenus adhuc erant in *fieri*, quale opus cum fuerit *prima moles*, ideo â Mose ante plenam sui efformationem, *rudis, indigesta & inexculta*, sine omni creatoris injuria, rectissimè appellatur, *Gen.* 1. v. 2. *Meisn.* par. 1. Phil. sobr. sect. 3. cap. 3. q. 3. obj. 3. p. 787. seq.

II. *Keckermannus* l. 1. de Loc. c. 2. exinde probare vult, *cuivis corpori naturali internam competere locationem*, cum *id omne in mensura fuerit à Deo creatum*, hoc est, ita constitutum, ut in seipsum absolutè terminetur ac mensuretur certâ diversarum partium, suis quantitatibus dimensarum, distantiâ, ultra quam sese non extendat.

℞. Nulla hæc est consequentia: non enim positâ *certâ certi corporis mensurâ*, statim ponitur *locatio*, nedum *interna*, cum *locatio* non sit aliquid *internum*, teste *Aristot.* lib. 4. Περὶ ἀκροάσ. φυσικ. c. 4. t. 39. ideoq; nec idem quid cum *trina dimensione*, sive *interna corporis determinatione*. Jacob. Martin. lib. 1. de Loc. c. 6. p. 23. seq.

V. 24. *Connives ad peccata hominum in pœnitentiam.*

Ἀνθρωποπάθεια est, quâ *Deus* dicitur παρορᾷν, *connivere*, & oculis præterire, ut acerbè non observet, h. e. *parcere & pœnas avertere* ab hominibus. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 20. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 144.

Vers. 25. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*, &c.

*Becanus* l. 1. Manual. c. 1. q. 5. n. 7. p. 19. *Scripturam* accusat *obscuritatis*, propter hanc ἐναντιοφανίαν: *Deus nihil eorum odit, quæ fecit*; at *Esau odio habuit*, Roman. 9. v. 13.

℞. (1.) *Odisse* in priori loco significat *hostili animo erga aliquem affectum esse*, idq; indicat vox Græca βδελύσσειν; in posteriori autem dicto notat, *postponere*, ut Luc. 14. v. 26. Esavum enim Deus *postposuit* Jacobo in participando jure primogenituræ, *Hebr.* 12. v. 17. (2.) Si maximè *odisse* utrobique *hostilem significaret animum*, facilè tamen conciliari potest apparens illa ἀντιλογία. Deus enim nihil eorum quæ fecit, odit, quantum ad *naturam*, quippe quam ipse fecit; Esavum verò odit, quantum ad *culpam*, quam contra eum Esavus commisit, secundùm illud *Ps.* 5. v. 7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem* Thom. de Aquin. in Summa Theol. par. 3. q. 49. art. 4. resp. ad 1. p. 103. *Garth.* l. de Judic. controv. relig. Christ. p. 70. *Meys.* tom. 1. Anti-Becan. p. 166. *Walther.* in Harm. Script. Sacr. §. 185. p. 350.

CAP. XII. v. 6. *Et epulum sanguinis, & interfectores animarum* &c.

In versu hoc habetur (1.) *Enallage nominis* substantivi, *sanguinis*, pro adjectivo, *sanguinarium*. (2.) *Synecdoche* partis pro *toto*: Interfectores *animarum*. h. e. *hominum*, puta *liberorum*. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1028.

Vers. 10. *Non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum.*

*Flacians* contenderunt, *peccatum originale ad naturam ipsam & essentiam hominum pertinere*, quòd *eorum malitia dicatur naturalis.*

℞. Negamus consequentiam: malitia enim dicitur *naturalis*, non οὐσιωδῶς & *essentialiter*, sed συμβεβηκότως & *accidentaliter*, quia cum natura hominis ortum trahit, ita ut quamprimum homo incipiat formari in utero, illa etiam adsit: quomodo illi, qui ex *nativitate cæcus* est, cæcitas *naturalis* esse dicitur, non tamen ad ipsam *cæci essentiam* pertinet, sed quia *cum natura hominis istius capit*, & ille talis natus fuit, rectè *cæcitas naturalis* nominatur. Non enim de *omnibus hominibus* loquitur Sapiens, (quod tamen faceret, si peccatum originis ad *essentiam hominis* pertineret) sed de Chananæis, qui in parente suo Cham maledicti fuerunt: *Erat enim*, inquit v. 11. *semen maledictum ab initio.* Bellarmin. l. 5. de amiss. grat. & stat. peccat. c. 3. resp. ad obj 9. p. 363. *Meisn.* dec. 1. Anthropol. sacr. disp. 6. thes. 43. p. 202. seq.

Vers. 22. *Nos ergo castigans, hostes nostros decies millies flagellas*, &c.

Reperitur hoc loco (1.) *Metaphora*: nam παιδεύειν, *castigare*, significat *paterno corripere*; μαστιγοῦν verò, *flagellare* notat *plagas infligere*; quæ duo hîc opponuntur. (2.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: siquidem *decies millies* ponitur pro *infinities*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 22. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1028. Confer *Glass* lib. 5. Phil. Sacr. tract. 1. c. 12. p. 404. & cap. 15. m. 4. p. 450.

CAP. XIII. v. 1. *Vani sunt omnes homines, quibus non inest scientia Dei.*

Rationem *Socinianorum*, contra *naturalem Dei notitiam*, vide solutam in Vind. 1. *Thess.* 4. v. 5.

Vers. 6. *Veruntamen in his est parva reprehensio*, &c.

*Puccius* statuit, *saniores gentiles non fuisse damnatos*, quòd *in iis parva reprehensio fuerit*, quæ veniam facilè mereatur.

℞. Verba Sapientis non ἁπλῶς, sed κατά τι accipienda sunt, quòd nimirum *hi*, de quibus v. 6. digniores sint excusatione, quàm illi, de quibus v. 10. nec tamen propterea *planè* sunt excusandi, v. 8. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1028.

CAP. XIV. v. 3. *Tua, Pater, providentia cuncta gubernat.*

Quidam *Reformati* docuerunt, *adigi homines vi occulta gubernationis Dei, ut in peccata ruant, & in iisdem pereant: cuncta* enim *gubernari Dei providentiâ*, ideoque etiam *peccata*, & ex his scaturientem hominum *damnationem*.

℞. (1.) In Græco textu non habetur, *cuncta*; sed, *Junio* interprete ita habet: *Tua, Pater, gubernat providentia.* (2.) Si contextum intueamur, prædicat ibi Sapiens opera Dei, quæ in hac universitate ad *hominum emolumenta* dirigit, cujus rei aliquot exempla profert. Nihil ergo ibidem de *damnatione*, sed potiùs de *salutaribus Dei operibus* tractat. (3.) Ex v. 9. manifestum est, Deum, quia *odit impium, ejusq; impietatem*, nequaquam esse authorem peccatorum: quandoquidem *nihil eorum odit quorum ipse auctor est*, Sap. 11. v. 25. (4.) Si verò lubeat, locum hunc ad *universa*, quæ unquam uspiam fiunt, extendere, haud difficulter largiemur, etiam circa *hominum peccata disponenda*, & *exitium gubernandum*, Deum minimè esse otiosum: non sanè quòd peccatum vel velit, vel homines ad illud destinet; sed quòd peccata, quæ libera hominum voluntate designantur, ad *fines bonos, suæq; naturæ congruentes*, divina sua gubernatione revocat, & exitiis impiorum non *absolutum aliquod decretum* exequitur, sed im-

pietatem & contemtum verbi ejus ulciscitur. *Hunn.* tom.4.Oper. Latin. p.489. & seq.

Vers.5. *Propter hoc & minimo ligno credunt homines animas* &c.

Salumon usurpat (1.) *Metonymiam materiæ pro materiato:* Minimo *ligno*, i.e. *σχεδίᾳ*, *rati* seu *naviculæ*, ex ligno confectæ (2.) *Synecdochen partis* pro toto: *Animas.* h.e. *seipsos.* Vatabl. in Annot. ad h.l. p 25. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p.1029.

V.9. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus.*

I. *Gregorius de Valentia* censuit, *Christum passione sua non effecisse, ut Deus peccatorem iniquitate obstrictum non odio prosequatur*; cùm *odio sint Deo impius, ejusq; impietas*, quam ut Deus odio non habeat, Christum non effecisse.

℞. (1.) N.C. quia confunditur *abstractum* cum *concreto*. Fatemur, non effecisse Christum, ut *iniquitatem* Deus odio non habeat; negamus verò Christum non effecisse, ut *peccatorum* nullum non oderit. Nam Deus, qui miseretur peccatoris, amat peccatorem, etsi non propter *peccatum*, sed propter *meritum Christi*, fide apprehensum â peccatore. (2.) Aliud est *impius*, & aliud est *peccator pœnitens.* Impium Deus odit, non autem *peccatorem pœnitentem*, & pallio Christi sua peccata tegentem. De *illo* loquitur Sapiens, de *hoc* verò Gregorius. *Meyfart.* in Anticost. disp.9. th.112. & 113. p.604. seq. *Cham.* tom.3. Panstr. l.10. c.17. §.9. & 11. p.152.

II. Argumentum *Bellarmini*, pro *omnimoda peccati ex homine justificato extirpatione*, vide refutatum in Vindic. *Psal.45. v.8.*

V.12. *Initium fornicationis excogitatio idolorum*, &c.

*Metaphora* est: usitatum enim in Scripturis, idololatriam *fornicationem* appellari. Vatabl. in Annot. ad h.l. p 25. Confer *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.12. p.383.

V.15. *Intempestivo luctu vexatus pater citò rapti*, &c.

*Metaphora* recurrit: *Intempestivo* luctu, h.e. *acerbo*, translatione â *fructibus immaturis* deducta, qui calore Solis non sunt cocti, sed *acerbi*. Itaque ut apud Latinos *acerbitas*, ita *ἄωρον* apud Græcos, *intempestivum*, ad *vitæ incommoda malaq;* transfertur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p.25. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p.1029.

Vers.21. *Incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.*

*Gregorius de Valentia* l.1. de Idololatr. c.2. disputat, *eam demum esse idololatriam*, cum *honor divinus defertur creaturæ tanquam Deo*; ut *nomen Dei incommunicabile lapidibus & lignis.*

℞. In hoc loco quid quæso est magni momenti? Incommunicabile nomen, nim. *Deitatis*, audio *idolis* impositum: quia scil. *Dei* nomine idola honorantur. Sed ad Gregorij figmentum quid hoc facit? An enim *incommunicabile nomen* distinctio est *illa honoris divini tributi*, & tributi *tanquam Deo?* Certè tantæ subtilitatis capaces non fuere *Lyranus*, *Holcotus*, *Rikel*, hunc locum *simpliciter* exponentes, ut significentur *idola appellata Dij.* Cham. tom.2. Panstr. Cath. l.21. c.11. §.8. & 11. p. 429.

Vers.29. *Malè jurantes injusti esse non expectant.*

*Hellenismus* est: nam *ἀδικηθῆναι*, *injustum esse*, Hebræis est, *injustitia argui*, item *pœnas dare*, seu *malum aliquod accipere.* Vatabl. in Annot. h.l. p.27. *Iun.* ibid. p.1029.

CAP.XV. v.8. *Et malè laborans Deum vanum, ex eodem finget luto, qui paulò antè è terra genitus paulo post* &c.

Offert se (1.) *Ellipsis:* Fingit luto *imaginem ejus*, qui paulò antè è terra genitus, paulò pòst abibit *in eam*, ex qua &c. (2.) Periphrasis hominis mortalis: *Qui paulo antè è terra genitus* &c. *Iun.* in Not. ad h.l. p.1030.

Vers.14. *Omnes autem insipientissimi & infelices super animus infantum* &c.

*Metaphora* est: vox enim *νηπίων*, *infantium*, ad *animum* refertur, & pro *stultis* accipitur, in quibus non est plus intelligentiæ ac prudentiæ, quam in *infantibus*, qui fari nesciunt. *Vatabl.* in Annot. h.l. p.28. Confer *Glass.* l.5. Phil. Sacr. tract.1. c.12. p.365.

CAP.XVI. v 3. *Ut illi quidem escam appetentes, propter ostensam miserorum* &c.

*Ellipsis* est nominis substantivi, ex membro præcedente repetenti: *διὰ τὴν δειχθεῖσαν*, *propter ostensam*, subint. *τροφὴν*, *escam.* Vatabl. in Annot. ad h.l. p.29.

Vers.14. *Si ex homine exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta est.*

*Ἄθεοι* negant, *mortuos aliquando esse resurrecturos*, quoniam *exiens ex homine spiritus non reversurus aut revocandus sit.*

℞. Dictum hoc impertinenter allegatur. (1.) enim Sapiens loquitur de *hoc seculo*, at est quæstio de *altero seculo.* (2.) Sapiens negat, *hominem* posse spiritum egressum revocare, non autem hoc negat de *Deo.* Quanquam igitur *homo* non potest animamê corpore egressam revocare ad *hoc seculum*, *Deo* tamen factu facile est, egressam hominis animam ad alterum seculum revocare, *Ezech.* 37. v.13. seq. 2. *Maccab.* 7. v.23. *Gerhard.* tom.8. LL.CC. loc.30. de Resurr. mort. §.38. m.9. p.1082. *Brochm.* tom.2. Syst. Theol. art. eod. c.2. quæst.2. obj.5. p.6086. seq.

V.20. *Angelorum escâ nutristi populum tuum*, &c.

*Origenis* rationem, contra *Angelorum incorporeitatem*, vide solutam in Vind. *Psal.78. v.25.*

Vers.21. *Manna, ad quod quisq; volebat, convertebatur*, &c.

I. *Salomon* videtur *Mosi* contradicere: *ille* enim asserit, *Manna deservisse uniuscujusq; voluptati ac palato*, Sap.16. v.21. *hic* verò affirmat, *Manna non nisi mellitæ similæ saporem retulisse*, Exod.16. v.31.

℞. Nulla est contradictio: Moses namque loquitur de *sapore prædominante*, interim *alij concurrebant*, de quibus Salomon. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class.2. m.4. p.894.

II. *Valentianus* tom.4. disp.6. quæst.3. punct.2. §.4. vult, quòd *manna fuerit typus transsubstantiationis panis Eucharistici in corpus Christi*, dum *illius substantia ad votum comedentium fuerit conversa.*

℞. (1.) Sapiens non loquitur de *substantiali conversione*, Cornelio â Lapide in Comment. Exod.16. teste; alioqui non murmurâssent Israelitæ, pro *manna* desiderantes *cucumeres*, *pepones*, *allia*, *pisces*, &c. *Num.* 11. v.5. sed de *accidentali mutatione*, siquidem per *coctionem & præparationem* manna *varios acquisivit sapores*, Num.11. v.9. Aliàs eidem Moses certum saporis genus, videl. ut *simila cum melle* tribuit, *Ex.* 16,31. (2.) Si vel maximè *mannæ transsubstantiationem* concederemus, nondum tamen *transsubstantiatio panis Eucharistici in corpus Christi* esset probata: quia ex *solo sensu literali* ducuntur *firma argumenta*, docente *Bellarmino* lib. 3. de Verb. Dei c.3. *Gerhard.* lib. 2. spec. Confess. Cath. par.2. art.14. cap.2. thes. un. arg. advers.4. p.1019.

Vers.25. *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ suæ deservit*, &c.

*Bellarminus* l.1. de Gr. & lib. arb. c.1. affirmat, *gratiam* hîc pro *donis naturalibus* sumi, quia introducitur tanquam *nutrix*, *quæ omnia conservet ac foveat.*

℞. Locus *ἀπροσδιονύσως* allegatur: in *Græco* enim non extat vox *χάριτος*, *gratiæ*, sed *δωρεᾶς*, *doni*, Ariæ versore. Laudabiliter ergo il

Διδα-

*διαλογῶν*, qui non premunt vestigia *Pelagy*, *bona natura* vocantis *gratiam*, sed sequuntur ductum & stylum Spiritûs Sancti. *Brochm.* tom. 1. Syst. Theol. art. de Grat. Dei cap. 2 quæst. 2. p. 562. seq. *Fevverb.* in Fasc. 6. Dissert. Theol. disp. 5. th. 10. p. 250. seq.

CAP. XIX. v. 11. *Cum concupiscentiâ adducti, postulaverunt escas deliciarum* &c.

*Enallage* est nominis substantivi, *deliciarum*, pro adjectivo, *delicatas*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1032.

Vers. 12. *In consolationem adscendit eis coturnix de mari* &c.

*Synecdoche* est numeri singularis pro plurali: *Adscendit coturnix*, h. e. *coturnices adscenderunt*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 36.

## VINDICIÆ

# LIBRI TOBIÆ,

### unà cum animadversionibus.

CAP. I. v. 1. *Liber sermonum Tobia, Tobielis, Ananielis*, &c.

Tobias utitur (1.) *Hellenismo*: *βίβλος λόγων*, *liber sermonum*, h. e. *commentarius* seu *recensio rerum gestarum*, ex *Hebræorum* idiotismo, ut 1. *Reg.* 11. v. 41. (2.) *Ellipsi* nominis substantivi: *Filÿ* Tobielis, *filÿ* Ananielis &c. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 913.

Vers. 2. *Qui captus est in diebus Enemessari, Regis Assyriorum.*

Species quædam *ἀντιφάσεως* occurrit: Rex enim Assyriorum, à quo captus erat Tobias, dicitur *Enemessar*, Tob. 1. v. 2. at 2. *Reg.* 17. v. 3. *Salmanassar*.

℞. Nulla est *ἀντίφασις*. Ille namque Rex Assyriorum fuit *binominis*, ita ut Græci *Enemessarum*, & Hebræi *Salmanassarum* vocârint. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 1. *Friedlib.* ibid. class. 2. m. 1. p. 878.

Vers. 12. *Ego verò custodivi animam meam, ne manducarem* &c.

*Pontificy* inculcant *stata jejunia*, & *delectus ciborum, certis festis diebus observandos*, quòd *de panibus Gentilium Tobias non manducaverit.*

℞. Egit Tobias, ut *par erat illis temporibus*, secundùm *præscriptum Legis Mosaica*; *hodie* verò discrimen ciborum non attenditur, sed mundis omnia munda sunt, *Tit.* 1. v. 15. & *umbra*, superveniente *corpore*, disparuerunt, *Col.* 2. v. 17. Qui ergo *certos cibos certis diebus* prohibent, hoc ipso *Legis ceremonialis onus*, quod Christus à nobis removit, in nos revolvunt. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 4. m. 1. p. 880.

CAP. II. v. 1. *Cum esset dies festus Domini, sepelivit jugulatum* &c.

*Baronius* in Annal. putat, *ministerium sepulturæ in die festo Iudæis non fuisse Lege prohibitum*, cum *Tobias*, homo maximè pius, *in die festo Domini mortuum sepeliverit.*

℞. *Tobia* exemplum suadet potiùs *contrarium*: nam quia mortuum contigerat, pollutionem contraxisse dicitur, propter quam ædes non ingreditur, sed noctem sub dio agit. *Gerhard.* par. 2. Harm. Evang. p. 1094. seq.

Vers. 2. *Qui meminerit Domini*, &c.

*Metonymia* est *causa* pro *effectu*: nam *Domini meminisse*, notat, *Deum piè colere, Legemq́; ejus observare*; quæ *vera pietatis* descriptio est. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 2. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 3. n. 1. p. 14.

Vers. 19. *Et uxor mea Anna in muliebribus serviebat*, &c.

*Ellipsis* est nominis substantivi: *ἐν γυναικείοις*, *in muliebribus*, scil. *ἔργοις*, *operibus*, q. d. labore manuario, mulieribus debito, diligenter vacabat, ut me aleret filiumque nostrum; nisi *γυναικεῖα* accipias *substantivè*, pro *loco, in quo mulieres versantur*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 2. b. *Friedlib.* in Observat. ejusd. loc. class. 1. p. 877.

CAP. III. v. 7. *Sara filia Raguelis in Rages urbe Medorum* &c.

*Liber Tobia non est indubia fidei*, ob manifestam hanc *ἀντιλογίαν*: *Sara* enim *& Gabel habitâsse* dicuntur *in una eademq́; urbe Rages*, Tob. 3. v. 7. & cap. 9. v. 3. nihilo tamen minùs *Angelus cum servis & Camelis ex urbe Rages, ubi Sara erat, in urbem Rages, ubi Gabel degebat, mittitur*. v. 6.

Respondet 1. *Lyranus* in h. l. *duas fuisse Rages in Media urbes*, in quarum una habitâcit *Sara*, in altera *Gabel*.

℞. Hoc sine ratione fingitur. Quomodo enim vel ex *sacra* aut *profana* aliqua Historiâ, vel ex ullo *Chronologo* aut *Cosmographo* fide dignô probabitur?

2. *Medina* lib. 6. de Rect. ad Deum fid. cap. 14. vitiô Scribarum pro, *ἐν Ἐκβατάνοις*, positum fuisse, *in Rages*.

℞. (1.) Ita verò *Græcus textus* esset purus, & *Latina Editio* corrupta: nam in *Græco* Sara dicitur habitâsse in *Ecbatanis*. (2.) *Bellarminus* lib. 1. de Verb. Dei cap. 11. hanc *Medina* responsionem rejicit, eò quòd *vix credibile sit, talem errorem contingere potuisse*, cùm nulla sit inter *Rages* & *Ecbatana* similitudo.

3. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 11. resp. ad obj. *Rages* vocari non *ipsam civitatem*, sed *locum aliquem vicinum*: cum *Roma* habitare dicatur, qui *Tusculi*, vel alibi in *agro Romano* habitat.

℞. (1.) Textus non patitur, ut per *Rages* intelligatur *locus aliquis vicinus civitati Rages*; siquidem expressè dicitur, *in Rages civitate Media*. Et annon hæc ipsa etiam periphrasis (*Rages Medorum*) arguit, non ita potuisse *propinquum esse locum*: Eâ namque periphrasi aliâs nihil opus fuisset; perindè ac si quis veniens *Tusculum* usque, dicat alteri, ut porrò vadat usque *Romam in Italia*; ubi quilibet propter vicinitatem locorum intelligit, otiosam esse periphrasin. Ac circumstantiæ textûs manifestè ostendunt, Gabelum non in *vicinia*, sed in *civitate distantiore* habitâsse: siquidem Angelus cum *tanto Camelorum & servitiorum apparatu* ingredi jubetur viam ad Gabelum, c. 9. v. 3. Atqui si tanta foret utriusque loci vicinitas, ut hac de causa *nomen etiam commune* esset: quid opus erat, ut Angelus tanto cum apparatu in locum veniret tam vicinum? Causa quoque ablegationis adducitur ista, quòd *Tobias noluerit moras nectere sed interea absente Angelo nuptias parare, & expedire omnia, ut ad reditum in patriam esset instructior*, cap. 9. v. 4. Quòd si in vicinia habitâsset Gabelus, Tobias ipsemet ad eum fuisset profectus. (2.) JCti notant, quòd *urbis appellatio mœnibus Roma continentibus ædificiis terminetur*, l. *urbs*, ff. de Verbor. signif. Non ergo habitat *Roma*, nisi qui *intra muros Romæ saltem continentibus ædificiis* habitat. *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin. p. 86. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 180. p. 181. seq. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V. D. p. 166. seq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 5. §. 5. p. 55. *Ames.* tom. 1. Bellarm. Enerv. l. 1. c. 2. thes. 14. p. 14.

Vers. 12. *Sara perrexit in superius cubiculum domûs sua, & tribus diebus ac tribus noctibus non manducavit, neq́; bibit*, &c.

*Bellarminus* l. 2. de Bon. Oper. in particul. c. 11. m. 5. arbitratur, *jejunium mereri beneficium aliquod temporale*: Saram enim per *jejunium* à Dæmonio fuisse liberatam.

℞. Sara non per *jejunii meritum*, sed per *orationem fidelem* (quæ *solâ Dei gratiâ & misericordiâ* nitebatur) à Dæmonio liberatur, statim enim subduntur hæc verba: *In oratione persistens, cum lachrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam.* Et in c. 8. v. 6. dicitur: *Surgentes pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis.* Quinimò ex v. 14. manifestum est, Saram ne quicquam *jejunio* suo tribuere, sed ad *Dei misericordiam* confugere, & liberationem à malo petere; cujus etiam preces exauditæ fuerunt, v. 24. Jam verò *misericordia* excludit meritum, *Rom.* 11. v. 6. *Gerh.* tom. 2. disp. Theol. 26. th 107. 115. 116. seq. p. 3086. 3087. 3089. seq. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontif. c. 28. q 4. obj. 3. p. 482.

CAP. IV. v. 4. *Memento fili, quòd multa pericula vidit propter te in utero.*

Tobias adhibet (1.) *Metaphoram*, quâ *videre* est *experiri*. (2) *Ellipsin* participii *Propter te*, subint. *latentem*. Jun. in Not. ad h. l. p. 915.

Vers. 11. *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

I. *Veteres* quidam tempore *Augustini* nimia multùm *eleemosyna* tribuebant, docentes, *non posse perire eos, qui eleemosynas faciunt, licet nefariè vixerint*; cùm *eleemosyna liberet à morte, nec patiatur animam ire in tenebras.*

℞. Loquitur Tobias de eleemosynis, ut sunt *fructus pænitentiæ*: nam eleemosynæ *sine charitate* nihil prosunt. 1. *Cor.* 13. v. 3. *Bellarmin.* l. 3. de Bon. Oper. in particul. c. 3. p. 1490.

II. *Bellarminus* l. 3. de Bon. Oper. in part. c. 3. resp. ad 3. obj. vult, *eleemosynas disponere hominem ad justificationem*, quia ab *omni peccato liberent.*

℞. (1.) Etiam *mors corporalis* liberat ab omni peccato, neque tamen disponit, hominem ad justificationem. (2.) In *Græco* textu non habentur verba illa, *liberat ab omni peccato*, sed simpliciter ita legitur: Ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται, καὶ οὐκ ἐᾷ εἰσελθεῖν εἰς τὸ σκότος. Hoc est, *beneficentia eripit è morte, neq; sinit venire in tenebras.* (3.) Tobias non loquitur de *justificatione*, sed de *pœna temporali*, à qua liberat beneficentia, *Ps.* 41. v. 1. Hæc enim est fructus hominis jam *justificati*, qui facit opera digna pænitentia. *Matth* 3. v. 8. *Chemnit* par. 2. LL. CC. loc. de Oper. renat. class. 5. arg. Advers. p. 98. seq. *Balduin.* de Cas. Consc. lib. 4. c. 17. cas 15. p. 1272. *Osiand.* in Enchir. controv. Pontif. c. 10. q. 3. obj. 10. p 98.

III *Schoppius* in Apolog pro Bellarm. de Indulg. c. 45. p. 62. n. 128. nugatur, *eleemosynam expiare temporalem pœnam*, quoniam *liberet a morte, nec patiatur animam ire in tenebras.*

℞. (1.) Locus hic nihil facit ad *satisfactiones Pontificias*; agit enim de *morte*; at ipso *Bellarmino* teste, satisfactiones sive ad *æternæ* sive ad *temporalis mortis* expiationem ne quicquam pertinent. (2.) Eleemosynæ non liberant à morte, ex *condigno Deo satisfaciendo*; sed *Deum permovendo*, ut sæpe aliquod *mortis periculum* aut *morbos*, qui alioqui mortem minitantur, clementer & ex mera misericordia propellat, velut contextus v. 10. edocet. *Hunn.* tom. 1 Oper. Lat. p. 1501. & seq. *Bald.* in Ref. Schopp. Apolog. p. 356. seq. *Franz.* par. 3. disp. 5. in A. C. thes. 94. & 97.

Vers. 12. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*

*Alphonsus de Castro* advers. Hæres. statuit, *fiduciam coram Deo licitè collocari posse in eleemosyna facta*; siquidem *fiducia magna sit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*

℞. (1.) Editio Græca præferenda est Latinæ; nam Græcè nihil est absurdi: Δῶρον γὰρ ἀγαθόν ἐστιν ἐλεημοσύνη πᾶσι τοῖς ποιοῦσιν αὐτὴν ἐνώπιον τοῦ ὑψίστου. *Donum enim bonum est eleemosyna omnibus facientibus eam coram Altissimo.* (2.) Bellarminus l. 5. de justif. c. 7. propos. 1. utitur hoc eodem loco, ut probet, non ex *fide* solùm, sed etiam ex *bonis operibus* nasci fiduciam, & quidem postquam sollicitè distinxisset inter hasce phrases, *nasci fiduciam ex operibus*, & *constitui in operibus*. Ergo *prius* tantùm ex hoc loco probari potest, non *posterius*; à quo nos certè non sumus alieni, docentes, *ex bonis operibus nos certiores fieri, fidem nostram non fuisse mortuam, sed vivam.* Eckhard. par. 2. Pand. controv. Pontif. c. 28. q 7. obj. 4. p 492. *Gerh.* in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 3. p. 918. arg. 1. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 14. c. 21. §. 7. & 8. p. 249.

Vers. 14. *In superbia initium sumsit omnis perditio.*

*Bellarminus* l. 3. de Amiss. grat. & stat. pecc. c. 4. p. 222. affirmat, *primum hominis peccatum fuisse superbiam*, utpote *in qua initium sumserit omnis perditio*; id autem, in quo perditio sumsit initium, fuisse primum actum vitiosum. a

℞. (1.) Est vitium Vulgatæ Versionis: verba enim in *Græco* textu sic habent: Ἐν τῇ ὑπερηφανίᾳ ἀπώλεια, καὶ ἡ ἀκαταστασία πολλή. Hoc est, *In superbia est perditio & multa instabilitas.* Quæ autem consequentia: *In superbia est perditio, ergo illa fuit omnium primum peccatum?* Quandoquidem pariter dicere possum: *In intemperantia in ὀκνηρίᾳ. in contemtu verbi, est perditio*; nec tamen hi actus omnes *primi* fuerunt *in ordine*. (2.) Sermo est non de *originali*, sed *actuali* superbia. Ordo igitur actuum vitiosorum primorum hic noo iodicatur. Saltem enim mens Tobiæ senioris erat, dehortari filium à *superbia*, eò quòd *illa perditionem & ruinam secum ferat*; id quod huc non pertinet. (3.) Et licet de *superbia Evæ* loqueretur, nihil tamen hinc sequeretur pro *primo hominis peccato*: quia non *ordo actuum*, sed *effectus tantùm superbiæ* indicatur. Aliud verò est *effectus*, qui omnibus illis vitiosis actibus inest: & aliud, *primitas ordinis*, quæ uni duntaxat propria: de *illa*, oon de *hac* loquitur præsens textus, si de *prima superbia* sit intelligendus. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontif. c. 19 q. 2. obj. 2. p. 29. seq. *Meisn.* dec. 1. Anthr. sacr. disp. 4. q. 3. th. 10. p. 125. seq. *Gerh.* tom. 2. LL. CC. loc. 12. de Peccat. Origin. §. 30. p. 548.

Vers. 16. *Et ne ambulet tecum ebrietas in via tua.*

*Hellenismus* est: ponitur enim *ebrietas* pro eo, quod Hebræi dicerent, *vir ebrietatis*. Jun. in Not. ad h. l. p. 916.

Vers. 18. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue, &c.*

*Bellarminus* l. 1. de Purg. c. 3. loc. 2. probare vult, *oblationes rectè fieri pro fidelibus defunctis, ut ex Purgatorio liberentur*; quia Tobias jusserit *panem & vinum super sepulturam justorum constitui*, id est, *instrui convivium, & vocari fideles pauperes, ut ipsi post acceptam eleemosynam orent pro animabus defunctorum, in Purgatorio desudantibus.*

℞. (1.) Ipse *Bellarminus* ibid. de *hoc* & similibus locis scribit, quòd *probabiliter solùm suadeant Purgatorium*. Ergo de *firma probatione*, ex hoc loco petenda desperat. (2.) Tobias nihil planè habet de *intercessionibus pro defunctis, ex Purgatorio liberandis*: loquitur enim de *justis*, quorum animæ sunt in manu Dei, & non tangit illos tormentum, *Sap.* 3. v. 1. ideoque non *veniunt in Purgatorium*, ac proinde non *indigent*

*gent orationibus vivorũ*, vel ipsis Pontificiis testibus verùm respicit morem *Veterum in curandis funeribus piè defunctorum*. Nam epulas super illis instituebant, non propter *adjumentum mortuorum*, sed propter *solatium vivorum*, qui in luctu erant, *Ier.* 16. v. 7 & *Prov.* 31. v. 6. idq; etiam concedit *Hugo Cardinalis* in h. l. (3.) *Tirinus* in Comm. h. l. agnoscit, *consuetudinem apponendi epulas ipsi sepulchro, &c. jure merito ab Ambrosio è templis & cœmiteriis sublatam esse, cujus exemplum S. Augustinus & reliqui Prælati secuti, jusserunt ejusmodi epulas domi institui, & esculenta pauperibus ibidem erogari*. Jam verò ex *consuetudine abrogata* invalidum ducitur *Purgatorij* fundamentũ

Excipit 1. *Schoppius* in Apol. pro Bell. de Indulg. c. 56. quia *justi* etiam cum aliquo *veniali peccato* decedant, ideo pro his etiam orari & sacrificari, quos tamen credibile sit statim in regnũ cælorũ receptos.

℞. (1.) Peccata justorum jam antè deleta sunt sanguine *Christi*, sive *mortalia* sive *venialia* dicantur: Christus enim unica oblatione in perpetuum consummavit eos, qui sanctificantur. *Hebr.* 10. v. 14. Consummatio itaque jam facta est, antequam post hanc vitam sanctificentur. (2.) Ἀσύστατον planè est, esse aliquem justum, & quidem non *imputativè*, sed *propria inhærente justitia*; & tamen habere peccata, imò mori in iisdem. (3.) Absurdum est, orare pro remissione peccatorum ejus, *qui jam statim in regnum cælorum est receptus*. Hic enim est omnis remissio peccatorum, inquit *Augustinus* in Enchir. c. 115. & postquam homo semel mortuus est, postea sequitur judicium. *Hebr.* 9. v. 27.

2. *Pazmannus* in Hodeg. l. 14. c. 5. Tobiam non consider esse *consolationẽ viventiũ*, sed in sepultura *justi saltẽ hominis* præcepisse nobis apponendũ epulũ; alioqui si de *consolatione viventiũ* dixisset, de sepultura tã *boni*, quàm *mali* hominis loqui debuisset.

℞. Quomodo quæsò sequitur: *In sepultura justi instituebatur epulum*, ergo *anima justi hoc epulo liberabatur ex Purgatorio*. Nam & hodie in *Ecclesiis Evangelicis* post sepulturam justorum epulæ instituuntur, & eleemosynæ pauperibus distribuuntur; non eum in finem, ut *ij in Purgatorio juventur*, sed ut *memoria defunctorum* honesta conservetur. Et quis scit, annon etiam in sepultura *impiorum* fecerint idem opulentiores? Unius enim inclusio non est alterius exclusio. *Hunn.* tom. 1. Op. L. p. 1539. *Chemn.* in Exam. Conc. Trid. par. 3. tr. de Hist. Purg. c. 2 p. 527. *Hutt.* in LL. Theol. loc. 31. de Invoc. c. 1. q. 7. obj. 2. p. 985. seq. *Bald.* in Ref. Apol. Schopp. p. 491. seq. & in Phosph. Cath. contr. Pazm. l. 14. c. 5. p. 1219. *Osiand.* in Ench. contr. Pontif. c. 19. q. 2. obj. 6. p. 232. *Gerh.* in Conf. Cath. l. 2. spec. par. 2. p. 487. seq. arg. 23. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 26. c. 15. §. 18. -22. p. 589.

CAP. V. v. 19. *Angelus dixit: Ego sum de genere Azariæ, & Ananiæ magni filius, & fratris tui.*

*Liber iste non congruit Canonicæ veritati*: etenim Angelus ille dicit, *se esse de genere Azariæ, & Ananiæ magni filium*; id quod in rei veritate ita sese non habet. Atqui *Angelis bonis* in Scriptura Canonica nuspiam tribuitur *mendacium*, quippe quod est peccatum longè gravissimum.

*Dionysius à Rikel Carthusianus* in Comm. h. l. respondet, verba Angeli *mysticè* esse intelligenda: Is enim *se vocat filium Ananiæ, i. e. Dei, qui propterea vocatur Ananias, quòd respondeat, h. e. clementer annuat precibus nostris*; *Azariam verò seipsum vocat, propterea quòd à Deo emissus esset ad opẽ ferẽdã Tobiæ.*

℞. (1.) Aliud dicit *Angelus*, aliud intelligit *Tobias*. Angelus enim ad interrogationem *propriam* respondit *figuratè & mysticè*, ac tale quid in sensu *mysticè* protulit, quod Tobias tanquam *propriè* dictum accepit. (2.) Angelus non solùm se *filium Ananiæ* vocat, sed & in *Græco* dicit se filium Ananiæ *fratris Tobiæ*. Num ergo *Deus* cujusquam frater. *Gerb.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 182. p. 185. & 586.

Vers. 21. *Tu es frater meus ex pulcro & bono genere, è radice magna es, frater*, &c.

Tobias usurpat (1.) *Synecdochen speciei pro genere*: nam *fratrem* pro *agnato* accipit. (2.) *Hellenismum*: Ex *pulcro & bono* genere, i. e. *optimo*. (3.) *Metaphoram*, quâ *radicem* pro *stirpe* sive *origine* sumit. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 916.

Vers. 23. *Sit Deus in itinere vestro, & Angelus ejus comitetur vobiscum.*

*Pazmannus* in Hodeg. l. 13. c. 4. contendit, *Angelos esse invocandos*, quòd *Tobias filio suo exoptaverit præsidium Angelicum*.

℞. N. C. Estne enim *invocare Angelũ*, cum *præsidiũ Angelicũ exoptatur à Deo*? nullo modo; alioquin toties *invocabuntur* Angeli, quoties *alii præsidiũ Angelicũ exoptamq*. quis nõ videt absurditatẽ Jesuiticã? *Bald.* in Phosph. Cath. contr. Pazm. l. 13. c. 4. p. 1179.

Vers. 25. *Nonne baculus manus nostræ est, dum ingreditur ipse & egreditur coram nobis?*

Recurrit [1.] *Metaphora*, quâ *filius* dicitur *baculus manuum parentum*, i. e. *subsidium & auxilium*, sicut *baculus* est *fulcrum subsidiumq; hominis infirmi*. [2.] *Synecdoche speciei pro genere*: Dum *ingreditur ipse & egreditur coram nobis*, h. e. *res nostras agit arbitratu nostro*; ubi *ingredi & egredi* pro *officij actionibus* sumitur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 917. Confer *Glass.* l. 5. Phil. Sacr. tr. 1. c. 12. p. 397. & c. 15. m. 6. p. 451.

C. VI. v. 1. *Profectus est Tobias, & canis secutus est eũ*, &c.

*Tannerus* in Colloq. Ratisb. sess. 11. p. 352. seq. autumat, *articulum fidei esse, quòd canem secum duxerit Tobias*; cum *id omnibus fidelibus necessariò credendũ sit*.

℞. [1.] Adhuc lis est de *Canonica libri Tobiæ autoritate*: nam quidam *Papistæ* ipsi nobiscum negant, *librũ Tobiæ esse Canonicum*. [2.] Sed esto, concedatur hac vice, *esse canonicum*, distinguimus tamen inter *historicam narrationem*, & inter *articulum fidei*. Particula illa de *cane currente cũ Tobia* est *narratio historica*, quæ vera est, & cui nemo contradicat, præsupposita authoritate libri Tobiæ; negamus verò eam esse *articulũ fidei*, cum non sit scitu necessaria omnibus omnino Christianis: sunt enim innumeri Christiani, qui *illam ipsam historiam* ignorant. At omnes omnino *fidei articuli* omnibus Christianis necessariò noti esse debent.

*Tannerus* ibid. p. 354. regerit, omnino esse *articulum fidei*, quòd *Tobias canem habuerit*, cum *hæreticus sit, qui id ipsum neget*.

℞. N. C. neq; enim tantùm *hæreticus* est, qui negat *articulũ aliquẽ fidei*, sed etiã, qui negat *historicã narrationem Spiritus Sancti*, quippe cui contradicit. Itaque ille solùm hæreticus est, qui negat vel *historiam à Spiritu Sancto dictatam*, vel *articulum aliquem fidei*, in scripto Dei verbo expressè contentum. *Hunn.* in Colloq. Ratisb. sess. 11. p. 353. seq.

V. 9. *Cordis ejus particulã si super carbones ponas, fumus ejus extirpat omne genus Dæmoniorũ sive à viro sive à muliere, ita ut ultra nõ accedat ad eos.*

*Liber iste non est indubitatæ fidei*: nam in eo Angelus pronunciat, *fumum cordis piscinis ita fugare Dæmones, ut nunquam revertantur*. At Christus ait, eos non *nisi precationibus & jejunio ejici*, Matth. 17. v. 21. *ejectos verò reverti posse*. Luc. 11. v. 24

Respondet 1. *Petrus Comestor* in Histor. Tob. hoc non esse mirum, cum *fumus cujusdam arboris adusta* eandem vim habere dicatur.

℞. (1.) Hoc falsum est de *fumo arboris*: Dæmones enĩ sunt *substãtiæ simpliciter intellectuales*, ideoq; *fu-*

*mum* in its impressionem facere nequit. (2.) Si tale quid interdum fiat, id non fit *virtute fumi*, sed *Dæmones hoc fingunt voluntariè*, ut homines teneant in errore, teste *Lyrano*.

2. *Lyranus* in h. l. fumum illum non *expulisse Dæmonem*, sed *significâsse virtutem orationis*.

℞. Hæc explicatio non convenit verbis Angeli: *Fumus cordis extricat omne genus Dæmoniorum*. De *felle* loquitur, ut de *causa*: ergo etiam de *corde & jecore*, (illud enim in Græca Editione rectè additur, ut ex complemento apparet) ac c. 8. v. 2. priùs dicitur *Dæmonium fugatum jecoris fumô*, postea demum Tobiam surrexisse ad *precandum*. Gerhard. in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 183. p. 186. seq.

CAP. VII. v. 4. *Ex tribu Nephthalim sumus, ex captivitate Ninive*.

*Angelus ille priori mendacio novum addit*: dicit enim, *se esse ex tribu Nephthalim*; at verò *Angeli* ex nulla *tribu Israel* sunt oriundi.

*Hugo Cardinalis* respondet, hoc verum fuisse de *Tobia*, quoad *literam*: de *Angelo* autem, quoad *nominis interpretationem*: Nephthalim enim exponi *dilatationem*, & Angelum fuisse ex illis, qui erant *dilatati charitate*.

℞. (1.) Etymologia illa non adeò quadrat: alia namque nominis *Nephthalim* notatio traditur. *Gen.* 30. v. 8. (2.) Qua veritatis specie Angelus ille dicere potuit, *se fuisse ex captivitate Ninives*? Num verò & *Angeli* in *captivitatem Assyriacam* sunt abducti? *Gerhard*. ibid. § 182. p. 185. seq.

Vers. 7. *Et dixit Raguel: Honesti mei & boni hominis filius*.

*Hellenismus* est: nam ex *Hebræorum idiotismo*, filius hominis *honesti & boni*, *optimi viri* filius est. *Jun*. in Not. ad h. l. p. 917.

Vers. 10. *Nisi promittas mihi dare Saram filiam tuam*.

*Bellarminus* lib. 1. de Matrim. cap. 19. propos. 2. arg. 1. docet, *matrimonium filii esse ratum absq; consensu parentum*, cum *Tobias Junior uxorem duxerit in aliena regione parentibus ignorantibus*.

℞. Exemplum *Tobiæ* non est ad rem: (1.) enim non est *propriè & principaliter* quæstio de parentibus *absentibus*, quorum consensus haberi nequit, sed de *præsentibus*. Jam verò parentes *Tobiæ* tunc longè abfuerunt. (2.) Tobias non *privato ausu*, sed *Angeli suasu* duxit Raguelis filiam, adeò ut Raphael ipsi Tobiæ hoc matrimonium, quasi sub *necessitatis lege*, commendârit, c. 6. v. 12. *Oportet te eam accipere*. Hactenus igitur in hoc exemplo est aliquid speciale. (3.) Nec tamen Angelus *à communi regula* discedere voluit, sed ipse Tobiam jussit, ut Saram (licèt vidua esset, â *patre ejus expeteret*, v. 13. quam etiam Raguel parens Tobiæ desponsavit, *c.* 7. v. 15. (4.) Tobias omnino habuit patris sui consensum, si non *individualem*, tamen *specificum*, ut ex *Tob*. 4. v. 13. & *c.* 6. v. 17. juxta Græcum textum patet; cujus certitudinem eventus postea comprobavit. *Eckhard*. par. 2. Pand. controv. Pontif. cap. 32. q. 5. obj. 1. p. 661. seq. *Gerhard*. tom. 7. LL. CC. loc. 28. de Conjug. §. 77. p. 142. & 145. *Brochm*. tom. 2. Syst. Theol. art. de Conjug. *c.* 4. q. 9. obj. 1. p. 5092.

CAP. IIX. v. 14. *Mitte unam ancillarum, & videat, si vivit: si verò non, ut sepeliam eum, & nemo sciat*.

*Ellipsis verbi* est, ex v. 16. complenda: *Si verò non renunciet, ut sepeliam* &c. *Jun*. in Not. ad h. l. p. 918.

Vers. 20. *Et fecit eis nuptias dierum quatuordecim*.

*Ἀντιλογία* apparet: Raguel enim instruit nuptiale convivium *duarum hebdomadum*; at tantùm *unam hebdomadam* destinari isti gaudio, ferebat mos Judæorum. *Gen*. 29. v. 27. *Jud*. 14. v. 13. Tob. 11. v. 20.

℞. Nulla est *ἀντιλογία*: Raguel enim usitatum tempus duplicavit, propter *insperatum gaudium*. Namque in talibus *ritualibus*, cùm nulla certa lex posita esset, variari poterat. *Jun*. in Not. ad h. l. p. 918. *Friedlib*. in Annot. ad eund. loc. class. 2. m. 6. p. 879.

CAP. IX. v. 3. *Vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum*, &c.

Argumentum nostratium, contra *indubitatam libri Tobiæ fidem*, vide ab exceptionibus Pontificiis vindicatum in Vindic. *Tob*. 3. v. 7.

CAP. X. v. 8. *Per dies autem panem non manducabat*, &c.

*Hellenismus* est, ex *Hebræorum idiotismo* ortus, quippe quibus *panem manducare*, est, *cibum capere*, Jun. in Not. ad h. l. p. 919.

Vers. 10. *Raguel dedit ei Saram, & corpora, & jumenta, & argentum*.

Tobias utitur (1.) *Synecdoche partis* pro *toto*: nam *corpora* pro *personis*, *humanis* accipit, i. e. *mancipiis* κατ᾽ ἐξοχὴν. (2) *Metonymiâ materia* pro *materiato*: *argentum* enim pro *pecunia* est. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. fol. 9. *Jun*. in Not. ad eund. loc. p. 919.

Vers. 12. *Prosperabit vos Deus, ô liberi. Et dixit filiæ suæ: Honora socceros tuos, ipsi nunc parentes tui sunt. Utinam audiam auditum tuum!*

Trinus est *Hellenismus*. Hebræi enim (1.) *futurum* pro *optativo* habent: Εὐοδώσει, *prosperabit*, h. e. *prosperet*, q. d. felices beatosque faciat. (2.) *Socerum & Socrum* vocant *Soceros*. (3.) *Auditum* pro *fama* accipiunt, per *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*. Vatabl. in Annot. ad h. l. fol. 9. *Jun*. in Not. ad eund. loc. p. 919. Confer *Glass*. l. 3. Phil. Sacr. tract. 3. can. 45. m. 2. p. 367. & l. 5. tract. 1. c. 4. m. 5. p. 65.

Vers. 13. *Angelus Domini sanctus in itinere vestro*, &c.

Rationem *Pazmanni*, pro *religiosa Sanctorum Angelorum invocatione*, vide confutatam in Vindic. *Tob*. 5. v. 23.

CAP. XI. v. 9. *Tunc præcurrit canis, qui simul fuerat in via, & quasi nuncius adveniens, blandimentô suæ caudæ gaudebat*.

Controversiam hujus loci vide decisam in Vindic. *Tob*. 6. v. 1.

Vers. 17. *Et benedicti omnes sancti tui Angeli, quia flagellasti*, &c.

In versu hoc habetur (1.) *Græcismus*: participium enim passivum, εὐλογημένοι, *benedicti*, ex *Atticorum* usu intelligendum est. (2.) *Metaphora*, quâ *flagellare* significat *affligere*, seu *plagas inferre*. Jun. in Not. ad h. l. p. 919. Confer *Glass*. l. 3. Phil. Sacr. tract. 3. can. 24. m. 1. p. 306. seq. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 404.

CAP. XII. v. 7. *Tunc vocans ambos, occultè dixit eis: Bonum benedicere Deum, & exaltare nomen ejus, sermones Dei honorificè ostendentes* &c.

Reperitur hoc loco (1.) *Ellipsis* nominis substantivi, ex membro præcedente repetendi: *Tunc vocans*, scil. *Angelus*, ex v. 6. (2.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: quia *nomen Dei* pro *Dei majestate* ponitur. (3.) *Hellenismus*: Raphael enim dicit λόγους *sermones*, Hebræorum more, qui דָּבָר *sermonem* pro *rebus gestis* aut *operibus* accipiunt. *Jun*. in Not. ad h. l. p. 919. *Vatabl*. in Annot. ad eund. loc. fol. 9. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. class. 1. p. 878.

Vers. 8. *Bonum facite, & malum non inveniet vos*.

*Prosopopœia* est, quâ *malum* dicitur *invenire homines*, h. e. *eis evenire*, more loquendi Hebraico. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. class. 1. p. 878. Confer *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. p. 213.

Vers. 9. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam*.

I. *Bellarminus* l.1. de justif. c.10. resp. ad prim. argum. asserit, *eleemosynam non justificare sine fide, cum ipsa liberet à morte.*

℞. Angelus non loquitur de *justificatione*, sed de *liberatione à morte immatura*, quam sæpe Deus avertit ab iis, qui ex vera charitate erga pauperes sunt benefici, Psl 41 v.1. Unde *Jus Canonicum* c. *Miror*, dist.1. de Pænit. docet, *eleemosynam liberare à morte, non illa, quam semel Christi sanguis extinxit, & à qua nos salutaris Baptismi & Redemptoris nostri gratia liberavit; sed ab ea, quæ per delicta postmodum serpit.* Baldvin. in Phosph. Cath. contr. Pazm. l.12.c.3.p.1089. *Meisn.* dec.3. Anthr. sacr. disp.8.th. 34.p.416. *Gisen.* de Papism. disp.34. thes.38.p.611. *Gerhard.* tom.3. LL. CC. loc.19. de justif. §.153.p. 1397. & in Conf. Cath. lib.2. spec. par.3 p.31. seq.

II. *Bellarminus* l.2. de Pænit. c.12. arg.1. contendit, *pænitentes per eleemosynas ex congruo Deum placare*, quoniam *eleemosynæ à morte liberent, & peccata purgent.*

℞. Duplex est *animæ purgatio*: una respicit peccatorum *præteritorum* reatum, nempe cum condonantur admissa; altera respicit peccatorum *futurorum* cautelam. *Illa* est solius *Christi*, 1. Joh. 1. v.7. & Hebr. 1. v. 3. *Hæc* ad *eleemosynam* pertinet, utpote quæ inducit habitum priori oppositum. Dum enim homo studet beneficentiæ, interim multa peccata, ceu avaritiam, rapacitatem, inhumanitatem & similia vitat. Alioqui, si liberalitate in pauperes potuimus à peccatis *præteritis* purgari, & à morte *æterna* liberari, Christus frustra mortuus est. *Hunn.* tom.1. Oper. Lat. p.637. *Chemnit.* par.3. LL. CC. controv. de Operib. bon. renator. class.5 arg. Adversar. p.99. & class.11.p.104. *Eckhard.* par.2. Pand. contr. Pontif. c.24. q.8. obj.5. p.298. *Gerh.* in Conf. Cath. l.c.

III. Quidam ex *Veteribus* statuerunt, *eos esse vitam æternam participaturos, qui eleemosynas erogaverint, quamvis non adeo piè alias vixerint*; quia *eleemosynæ faciant invenire vitam æternam.*

℞. (1.) Angelus non de *quorumvis hominum*, sed *piorum* eleemosynis loquitur, ut ex contextu v.8. & 10. patet. (2.) In textu *Græco* non habetur, *vita æterna*, sed nudè ζωὴ, *vita*; itaque sensus est: *Qui exercent beneficentiam & justitiam, vita longâ & diuturnâ perfruentur.* V. tabl. In Not. ad h.l. fol.10. *Bellarmin.* l.2. de Pænitent. c.12.p.1563.

IV. Cæteras controversias fortè hîc motas vide in Vindic. *Tob.* 4. v.11. directas.

Vers.12. *Ego obtuli orationem tuam Domino*, &c.

*Bellarminus* l.1. de Sanctor. beatit. c.18. propos.4. probare allaborat, *Angelos in particulari pro nobis orare*, quòd *Raphael orationem Tobiæ obtulerit Domino.*

℞. (1.) Angelus non dicit, se *orâsse pro Tobia*, sed tantùm *detulisse preces Tobiæ*: aliud verò est, *deferre preces*: & aliud, *fundere preces.* (2.) Distinguendum etiam est inter *oblationem precum* ἱστορικὴν sive *simplicem*, & ἱλαστικὴν seu *propitiatoriam*. Illa est *Angelorum*. hæc autem solius *Christi*, preces nostras virtute meriti sui Deo gratas & acceptas reddentis, *Rom.*8. v.34. 1. *Tim.*2. v.5. *Hebr.*13. v.15. 1. Joh.2. v.1. *Reinecc.* tom.4. Panopl. Theol. c.7. p.44. *Gerhard.* in Exeg. loc.1. de Script. Sacr. §.185. p.187. seq. *Cham.* tom.2. Panstr. l.8. c.4. §.7. & 8. p.137.

Vers.19. *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere: sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.*

Sunt, qui contendant, *Angelos in assumptis corporibus verè non obire munia vitalia, sed tantùm in speciem*; quia *Angelus Raphael visus fuerit comedere & bibere, revera autem nec ederit nec biberit.*

℞. Verba Raphaelis non *simpliciter*, sed *secundùm quid* intelligenda sunt, de ejusmodi *naturali esu*, quo cibus non solùm in os ingeritur, sed etiam in ventriculum trajicitur ibidem concoquendus. Hoc ergo *Physico* modo non ederat Angelus, quantumvis Tobias ita putaret; hoc tamen non impedit, quò minùs Angelus cibum *dentibus verè fregerit*, & divina virtute, nobis incognitâ, consumpserit, quamvis ipsum nec *concoxerit*, nec *in alimentum verterit.* Hunn. tom.3. Oper. Lat. p.1570: *Brochm.* tom.1. Syst. Theol. art. de Angel. c.2. q.2. p.236.

Vers.20. *Nunc igitur revertar ad eum, qui misit me* &c.

Species quædam contradictionis apparet: *Angelus* enim dicit, *se reversurum ad Deum*, at *nunquam à Deo discesserat*, sed *semper videt faciem Patris cælestis*, Matth.18. v.10.

℞. Verum hoc est, Angelum, ubicunque est, nunquam carere conspectu Dei: at enim loquitur is ἀνθρωποπαθῶς, habito ad corpus assumtum, sed deponendum, respectu. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. class.2. m.7. p.879.

CAP.XIII. v.5. *Celebrate Deum in toto ore vestro, & benedicite Domino potentiæ* &c.

Tobias geminum adhibet *Hellenismum*: (1.) Ἐν ὅλῳ τῷ στόματι ὑμῶν, *in toto ore vestro*, i.e. *ore plenissimo.* Significatur *studium & alacer animus laudes Dei non parcè celebrans.* (2.) Τὸν Κύριον τῆς δυνάμεως, *Dominum potentiæ*, h.e. *potentissimum.* Hebræi enim carent superlativo. *Jun.* in Not. ad h. l. pag.920. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class.2. p.878.

CAP.XIV. v.5. *Et addidit Tobias timere Dominum Deum, & celebrare ipsum.*

I. *Hellenismus* est: *Addidit timere & celebrare*, h. e. *magis magisq́ue timuit & celebravit.* Vatabl. in Annot. ad h.l. fol.11.

II. Tobias sibi *contradicere* videtur: hîc enim ait, *se perrexisse Dominum celebrare*: at v.1. *cessavit.*

℞. Nulla est contradictio: Tobias enim v.1. loquitur de *fine cantilenæ*, quæ c.13. v.ult. præcesserat; ast v.5. c.14. de *nova.* Confer *Osiandr.* tom.2. Paraphr. Bibl. p.618.

V.7. *Domus Dei, quæ incensa est, reædificabitur*, &c.

Verba hæc Tobiæ pugnant cum *veritate historica*: ex Chronologia enim constat, *templum Hierosolymitanum adhuc stetisse eo tempore, quo moriebatur Tobias.* Nam circa sextum annum Ezechiæ deportatur Tobias in captivitatem Assyriacam, ut collatio 2. *Reg.*17. v.6. & 2. *Reg.*18. v.1. indicat. Jam verò à sexto anno Ezechiæ ad conflagrationem templi sunt anni 130. ὡς ἐν πλάτει Atqui Tobias mortuus est anno ætatis suæ 102. *Tob.*14. v.3.

*Johannes Benedictus Parisiensis* in Annot. margin. ad h.l. respondet, verba Tobiæ *sensu Prophetico* dicta accipi: Prophetas enim ob vaticiniorum certitudinem de rebus *futuris* loqui verbis *præteritis.*

℞. Verba Tobiæ non possunt accipi *sensu Prophetico* dicta, quia verba sunt *historica*: proponit enim incensionem templi, ut *rem gestam*; reædificationem autem prædicit *futuram.* Gerhard. in Exeg. loc.1. de Script. Sacr. §.181. p.184. & 185.

# VINDICIÆ
# LIBRI SYRACIDÆ.

Prolog. §.1. *Sapientia Jesu filij Sirach, sive Ecclesiasticus.*

*Autor hujus libri non est Salomon*: nam disertè appel-

appellatur *Iesus filius Sirach*, qui longo post Salomonem tempore vixit.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c.14. sub fin. replicat, facilè potuisse fieri, ut Jesus Sirach senteotias Salomonis à se diligenter collectas in unum volumen redegerit, ut ita uterque autor dici possit.

℞. (1.) Dicit hoc Bellarminus, sed verum esse, non probat. (2.) Si autor comportâsset duntaxat *Salomonis* sententias, non potuisset de *avo suo* id asserere, quod tamen facit in prologo. (3.) Si vel maximè quasdam *Salomonis* sententias Autor libri collegisset, non tamen propterea esset *Canonicus*, nisi idem de *tertio libro Esdra* concedere velimus. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 218. p. 230. *Thumm.* par 1. Disquis. de V. D. p. 206.

§. 9. *Sectator Salomonis hic Iesus fuit, nihil minus quam ille circa sapientiam & disciplinam approbatus* &c.

*Papista* volunt, *librum Iesu Sirach esse canonicum*, quòd *Iesus hic nihil minus quam Salomon circa sapientiam & disciplinam fuerit approbatus.*

℞. Jesus iste in *sapientia* non *aquiparatur* Salomoni, hoc enim blasphemum foret; sed *quadantenus assimilatur*, non diffitente *Vatablo* in Annot. ad h. l. p. 39. Nam Græca vox, ἐνδοκιμήσας, reddenda est, *incumbens probanda* scil. sapientiæ & disciplinæ; id quod cum ea notatione illius, tum ex vegitate hujus comparationis patet. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1033.

CAP. I. v. 4. *Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentia ab aterno.*

I. *Enallage* est comparativi, προτέρα, *prior*, pro superlativo, πρώτη, *prima*. Glass. lib. 3. Phil. Sacr. tract. 1 can. 18. m. 3. p. 72.

II. Quidam *Patres*, qui ante *Augustinum* vixerunt, docuerunt, *Angelos multis ante hunc mundum seculis esse conditos*, quia *intellectus prudentia creatus sit ab aterno.*

℞. (1.) Nondum probatum est, per *intellectum prudentia* necessariò intelligendos esse *Angelos*. (2.) Sed si vel maximè ij hoc loco intelligerentur, non tamen exinde probari posset, *eosdem multis ante hunc mundum seculis esse conditos*: siquidem Græcum αἰὼν non tantùm *aternitatem*, sed & *seculum* notat, Luc. 1. v. 70. ubi de Prophetis dicitur, quòd ἀπ' αἰῶνος, h. e. à *condito mundo* fuerint. *Thumm.* in Decad. Eaerc. Theol. disp. 2. p. 33. *Balduin.* in Refutat. Catech. Arian. p. 135.

Vers. 16. *Initium sapientia timor Domini*, &c.

Controversias, fortè hìc motas, vide in Vindic. *Psal.* 111. v. 10. definitas.

Vers. 18. *Religiositas custodiet & justificabit cor*, &c.

*Andradius* lib. 6. Orthod. Explic. probare nititur, verbum *justificare*, in justificatione hominis peccatoris coram Deo, non significare idem quòd *absolvere à peccatis*, sed *mentem qualitate justitia inhærentis exornare*; quoniam sic accipiatur hoc in loco: *Religiositas justificabit cor*, id est, *faciet, ut fiat justum.*

℞. (1.) In *Graco* textu verba illa non inveniuntur, sed in textum saltem Latinum irrepserunt, teste *Iansenio*. Et nos id pro *Dei* verbo admittamus? (2.) Ipsum illud *justificare* incertum. *Quidam libri*, inquit Jansenius, pro, *justificabit*, *habent*, *vivificabit*: *sic enim legit Dionysius*. Egregiè! neq; *vox certa*, neque *locus* αὐτόπιστος est. (3.) Nec si hic *justificare* significet *habitualem justitiam*, propterea necesse est, idem in *justificationis articulo* significare. Sed præterit *Andradius*, quod Syrac. 1. v. 28. habetur: θυμώδης ἀνὴρ, *iracundus vir* (vulgata, *qui sine timore est*) *non poterit justificari*, hoc est, *à culpa absolvi*. Chemnit. par. 1. Examin. Concil. Trid. p. 131. *Meisner.* dec. 3. Anthr. sacr. disp. 4. thes. 32. p. 175. seq. *Osiand.* in Enchir. controv. Pontif. c. 10. q. 1. obj. 3. p. 88. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 21. c. 5. §. 12. p. 427.

Vers. 27. *Timor Domini expellit peccata*, &c.

I. *Bellarminus* l. 1. de justif. c. 13. dispos. 2. colligit, *timorem Dei justificare*, quòd *expellat peccata*, id est, *ea purget.*

℞. (1.) Ecclesiasticus *propriè* agit non de *servili*, sed de *filiali* timore, qui non est nisi in illis, *qui per fidem jam sunt justificati*, & *in Dei filios adoptati*. Ergo non potest ad *justificationem* demum præparare. (2.) Timor ille filialis *expellit peccatum*, scil. *futurum*, hoc est, *prohibet*, *ne ruamus in peccatum*, & *Dei in nos iram concitemus*. Ita enim habent verba Ecclesiastici: φόβος κυρίου ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα, παραμένων δὲ ἀποστρέψει ὀργήν. *Timor Domini depellit peccata, & quamdiu præsens est, iram avertit.* Quoniam verò *justificatio* est remissio *peccatorum præteritorum*. Rom. 3. v. 26. non potest *timor ille* esse ad eam dispositio. (3.) *Purgari peccata*, dupliciter significat: vel *eadem condonari*, vel *deseri per mutationem vita*. Priori sensu concedimus, idipsum, quod purgat, etiam justificare: sed constanter negamus, *timorem hoc modo purgare peccata*, aut unquam ita dictum à Spiritu Sancto. Altero autem sensu fatemur, *timorem purgare peccata*, atque eam mentem esse Syracidæ, qui ἀπωθεῖται dixit, id est, *dispellit*: sed negamus, quicquid sic purgat, id est, expellit peccata, idem justificare. *Balduin.* in Phosph. Cathol. contr. Pazm. l. 12. c. 3. p. 1089. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontif. c. 26. q. 8. m. 2. obj. 6. p. 396. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de Justif. §. 168. p. 1456. obj. 6. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 22. c. 9. §. 15. 16. 17. p. 470.

II. *Bellarminus* l. 1. de Justif. c. 20. resp. ad 1. arg. concludit, non ideo *solam fidem* rectè dici justificare, quòd *sola nominetur*, cùm & *timor solus* nominetur, neque tamen *solus justificet sine fide*.

℞. Hic locus non est ad rem: neque enim docet, quòd *timor Domini justificet*, sed quòd, *quamdiu timor Domini adest, iram comprimat, atq; futura peccata solicitè caveat*. Tota enim illa exhortatio Syracidæ pertinet ad *studium pietatis*, in cujus continuo exercitio filios Dei esse decet. *Thumm* in dec. Exerc. Theol. disp. 6. p. 36. & seq. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de justif. 533. seq.

Vers. 28. *Qui sine timore est, non poterit justificari*, &c.

*Bellarminus* l. 1. de Justif. c. 13. dispos. 2. vult, *timorem justificare*, quia *sine eo nemo possit justificari*, id verò, sine quo nemo potest justificari, vel maximè justificare.

℞. (1.) In Græco textu nihil habetur de *timore Dei*, sed de *viro iracundo* Syracides loquitur: οὐ δυνήσεται θυμώδης ἀνὴρ δικαιωθῆναι, id est, *Aria* interprete, *non poterit iracundus vir justificari*. (2.) *Iustificari* hoc loco non est, *Deo conciliari*, sive *remissionem peccatorum consequi*: sed *justè vivere*, ut vult *Iansenius*; vel ut mavult *Tirinus* in h. l. *Deo placere*. Jam nos non disputamus, ad *vitam* benè Deoque placentem instituendam, solam sufficere fidem. (3.) Sed etsi dixisset Ecclesiasticus, *sine timore neminem justificari*, non magis inde sequeretur, *timorem justificare*, quàm sequitur, *agriculturam aut similem aliquam honestiorem vita occupationem justificare*: quia idem *Ecclesiasticus* cap. 26. v. 37. negat.

negat, *corpoream justum esse, vel justificari à peccato.* *Gerh.* in Conf.Cath.lib.2.spec.part.3.p.666.arg.5. *Cham.*tom.3 Panstr.l.22.c.9.§ 5.& 6.p.470. *Ames.* tom.4.Bellarm.Enerv.l.5.c.4.th.2. p.110.

Vers.29. *Usque in tempus sustinebit patiens, & postmodum pullulabit ei lætitia.*

*Metaphorice* stinam ἀναδίδωμι accipitur pro ἀναβλαστάνω, *pullulo, germen emitto*; ut *herba* aut *planta*, quæ mortua videbatur, germen emittit. Translatio autem verbi est valdè apta ad *fractam hominis afflicti ac patientis declarandam*, in quo afflictionis exitus est salutaris ac jucundus. *Vatabl.* in Ann.ad h.l.p.41.

CAP.II.v.1. *Fili, si accesseris ad serviendum Domino, præpara animam tuam ad tentationem.*

*Synecdoche* est *partis* pro *toto*: Præpara *animam tuam*, h.e. *teipsum. Iun.* in Not.ad h.l.p.1034.

Vers.10. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.*

*Bellarminus* l.1.de Justif.c.13.dispos.4.vult, *dilectionem Dei esse præparationem ad justificationem*, quoniam *corde diligentium Deum illuminetur.*

℞. (1.)Non extant verba hæc in *Græco* textu, sed, *Jansenio* judice, videntur ab aliquo adjecta. At si *adjectitia* sunt, quid *fidei* illis inesse potest? (2.) Textus ille non agit de *justificatione*, sed de *consolatione*, quâ diligentes Deum lumine recreationis in tribulationibus illustrabuntur, eodem *Iansenio* interprete. (3.) Ecclesiasticus loquitur de *renatis & Dominum timentibus*: quare nihil facit ad *dilectionem eam*, quam Bellarminus statuit præparatoriam ad justificationem in hominibus *non renatis*. (4.) Aliud est, *illustratio mentis*, aliud *remissio peccatorum*: *illustratio* enim est donum inhærens, at *justitia* imputatur. *Eckh.*part.2. Pandect. controv.Pont.c.26.q.8.m.4.obj.1.p.397. *Meisn.*dec.3. Anthr.sacr.disp.8.th.8.&10.p.414.& 416. *Gerh.*tom.3.LL.CC.loc.19.de Justif.§.170.p. 1459.& seq.& in Conf.Cath.l.2.spec.part.3.p.666. seq.arg.6. *Cham.*tom.3.Panstr.l.22.c.9.§ 36.p.471. seq.

Vers.12. *Quis invocavit illum, & despexit eum?*

*Enallage* est *verbi* activi, *despexit* eum, pro passivo *despectus est* ab eo: id enim innuit verbum passivum immediatè præcedens, ἐγκατελείφθη, *derelictus est. Iun.* in Not. ad h.l.p.1034.

Vers.22. *Incidemus in manus Dei, & non in manus hominum.*

Speciem quandam ἀντιλογίας, circa locum hunc occurrentis, vide conciliatam in Vind.2.*Sam.*24.14.

CAP.III.v.14. *Ne dedecores patrem tuam, omnibus viribus tuis.*

*Ellipsis* est verbi contrarii: *Sed honora* omnibus, &c. *Iun.* in Not.ad h.l.p.1034.

Vers.17. *Sicut in sereno glacies, solventur peccata tua.*

*Papistæ* arbitrantur, *benignitatem disponere hominem ad justificationem*, eò quod *solvat peccata*, *sicut serenitas glaciem.*

℞. *Benignitate in parentes dissolvi dicuntur peccata*, non *absolutè*, nimirum sublimi illo modo, quo expiantur coram Deo, ut ad damnationem non imputentur; hoc namq; pacto *solus Christus* propitiatorio sacrificio sui corporis & effusione sanguinis expiavit totius mundi peccata, operaq; Diaboli dissolvit, ut ex perpetuo consensu Scripturæ V. ac N.T. constat: verùm *secundùm quid*, quatenus virtus hæc vim peccatorum sic reprimit & cohibet, ne temporalibus pœnis in aliquod funestum incendium calamitatum erumpant, ut ex *Psal.*41.v.1.& *Ephes.*6.v.2.& 3. patet *Hunn.*tom.1.Oper.Lat.p.640.seq.

Vers.22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, &c.*

I. *Fratres ignorantiæ* delirârunt, *non necesse habere Christianos, ut sciant omnes fidei articulos, cum altiora se non debeant quærere*, neque *fortiora se scrutari.*

℞. (1.) *Scrutinium altiorum* non *simpliciter* prohibetur, sed *limitatè*, si fiat ἀναισθήτως, *sine sensu*, & ἀφρόνως, *cum stultitia*, ut Græcus habet textus. (2.) Licet ea, quæ sunt altiora hominis cognitione, non sint ab homine per *rationem* inquirenda; sunt tamen à Deo revelata, suscipienda per *fidem*, Joh.5. v.39. qualia sunt *dogmata fidei*, in quæ non extra revelatum Dei verbum inquirere decet. *Thom.de Aquin.* in Summ. Theol.part. 1.quæst.1.art.1.ad 1. *Selnecc.*part.1.Exam.Ordinand. p.149. *Meyfart.* Proleg.1.in Compend.Theol.Hutter.

II. *Turrianus* lib.contr.Verger.suadet, non esse quærendum, *cur Angeli Nazareticam B. Mariæ domunculam non diutiùs passi fuerint cum infidelibus in Galilæa esse*, quia non *debeamus esse curiosi in operibus Dei, quæ nobis sunt altiora.*

℞. Jesuita ineptit: priùs enim probare debebat, *hoc esse aliquid ex Dei operibus*, ac non potiùs ex *Sacrificulorum commentis*. Ecclesiasticus verò prohibet curiosas speculationes de *Dei operibus extra vel contra Dei verbum. Bernecc.* in Demolit. Idol. Loret. p.64.

Vers.33. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

I. *Bellarminus* lib. 1. de Indulg.c.2. demonstrare satagit, *eleemosynam satisfactoriam esse pro pœnis temporalibus*, quia *extinguat peccatum*, *sicut aqua ignem.*

℞. (1.) Verba *Græca*, Aria interprete, ita sonant: *Ignem ardentem extinguet aqua, & in eleemosynis veniam impetrabit peccata.* Et pleraque exemplaria *Latina* ita legunt: *Eleemosyna resistit peccato.* (2) Ecclesiasticus sermocinatur de *peccato*, cujus culpam eleemosyna non extingui, fatetur *Bellarminus*: cur ergo pro reatu *pœnæ temporalis* extinguendo eleemosynam adducit? (3.) Idem Bellarminus vim Deo satisfaciendi restringit tantùm ad *spontè susceptas pœnitentias in hoc seculo*, & ad *pœnas Purgatorii in futuro*. Syracides autem nec de *spontè assumptis pœnitentiis*, nec de *pœnis Purgatorii* hîc loquitur: sed de *calamitatibus*, quas Deus solet immittere, ut proximè subsequens v.34. ostendit. (4.) Quia *satisfieri pro peccatis* non aliter hîc usurpatur, quàm pro *compensandis pœnis peccatorum*, & quidem *temporalibus*: nego *eleemosynam esse satisfactoriam*; etsi concedam, *delere peccatum*. Falsum enim est, *quæcunque delent peccatum, eadem satisfacere pœnis peccati.* Certè Papistæ concedunt, *Christi mortem delere peccata*, & tamen pertinaciter negant, *satisfacere pœnis omnibus peccati* (5.) Peccata duobus modis dicuntur *delere*: aliàs *redimendo*, aliàs *immutando*. *Priori* modo concedimus, *quæcunque deleat peccatum, eadem satisfacere pœnis peccati*; & sic veras satisfactiones esse *Christi*: sed negamus, ullam *eleemosynam* hîc delere peccata, quia id privilegium est duntaxat meritorum *Christi*. *Altero* autem modo concedimus, eleemosynam delere peccata; sed negamus, *quæ sic delent peccata, esse pœnarum peccatis debitarum satisfactiones.* Delent enim, mutando ipsam hominis animam ab habitu pravo in bonum, ut, qui crudelis erat in fratrea, fiat benignus & liberalis. Sic *fides* ipsa, quam tamen nemo Papistarum dixit unquam satisfactoriam, *delet peccata*; quia ipsa bonus est habitus, unde reliqui omnes manant, idque etiam fatetur *Vatablus* in not. ad h. l. *Hunn*, tom. 1. Oper. Lat. p. 1501. seq.

*Franz.*

*Franz*.disp.5.in Aug.C.par.3.th.94.& 98. *Eckh*.in Pand.controv.Pontif.part.2.c.28.q.7.obj.3.p.492. *Cham*.tom.3.Panstr.l.24.c.14.§.3.5.6.7.p.539.

II. Cæteras controversias hîc motas vide in Vindic. *Tob*.4.v.11.& c.12.v.9.

CAP.IV.v.3. *Cor irritatum ne conturbet, & ne protrahas donum indigentis.*

Hellenismus est (1.) enim *παρελκύζειν Hellenistis* ponitur pro מוד aut עצב, quæ alibi vertuntur per *λυπεῖν, ὀδυνᾶν*, & similia. (2.) *Donum indigentis*, pro, *ab indigente*. *Jun*.in Bibl. h.l.p.1035. *Friedlib*.in Annot.ad h.l.class.1.p.898.

Vers.10. *In judicando esto pupillis misericors, ut pater, & pro viro matri illorum; & eris tu velut filius Altissimi obediens.*

*Papistæ* contendunt, *bona opera justificare*, quoniam *ad ea beneficium filiationis referatur*.

℞. Committitur fallacia à *non causa*: nam ex *operibus* non provenit nobis filiatio, sed ex *filiatione* opera, per quæ, tanquam per *effecta*, nos declaramus filios Dei. *Matth*.5.v.45.& *Ioh*.13.v.35. *Hunn*.tom.1.Oper.Lat.p.640.

Vers.22. *Si oberraverit, derelinquet eum, & tradet eum in manus casus sui.*

*Prosopopœia* est: *manus* enim tribuuntur *casui*, quibus *potestas* ejus intelligitur. *Jun*.in Not.ad h.l. p.1035. Confer *Glass*.lib.5.Philol.Sacr.tract.1.cap.9. p.203. (&c.

CAP.V.v.5. *De propitiato peccato noli esse sine metu,*

I. *Bellarminus* l.3.de Justif.c.4.arg.3.exinde concludit, *neminem posse esse certum de remissione peccatorum suorum*; siquidem *de propitiato peccato nemo debeat esse sine metu.*

℞. Vitium est in *Vulgata Versione*, quia in *Græco textu* non habetur aliquid de *propitiato peccato*: ita namque habet: Περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ, προσθεῖναι ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις. I.e. *Aria* interprete: *De propitiatione ne sine timore sis in abundantia, ad addendum peccata super peccata.* Ubi Sapiens non vult, *homines dubitare de remissione peccatorum*, sed *homines non abuti misericordia Dei ad licentiam peccatorum*, ut probè *Vatablus* exponit ex *Rom*.6.v.1.

Excipit 1. *Andradius*, ex Græco etiam textu posse probari, *fidem quoq;, post acceptam jam reconciliationem debere dubitare*, quia *propitiatum illud dicatur, quod jam est condonatum.*

℞. In *Græco* non est *participium præteritum*, sed *περὶ ἐξιλασμοῦ, de propitiatione*. Contextus verò v.4. & 6. ostendit, Syracidem concionari contra *carnalem securitatem*, ne quis cumulet peccata sine pœnitentia, ideo quia proposita sit propitiatio, vel ne quis ita sit securus, ut differat reconciliationem. Inde autem non sequitur, *fidem debere dubitare de accepta propitiatione peccati.*

2. *Vasques* in 1.2.disp.200. locum illum non esse corruptū, quia idem prorsus fit sensus, sive dicas, de *propitiato peccato*, sive de *propitiatione peccati*: non enim loqui de propitiatione *futura*, sed *præterita*.

℞. (1.) Eundem esse *Latinè* sensum, qui *Græcè* est, ipse sonus verborum refellit: nam de *propitiato peccato* respicit *præteritum*, de *propitiatione verò peccati*, scil. committendi, spectat *futurum* tempus, de quo Syrac. loqui, fatetur *Jans*. in h.l. cujus expositionem de *propitiatione futura* præfert Bellarmini sententiæ de *propitiatione præterita*, tanquam probabiliorem. *Sacroboscus* part.3.Defens. Bell.c.6.§. Rursus. (2.) Sed *utramvis propitiationem* intelligat Jesuita, manet tamen, *Græcum* textum, qui est originalis, nostræ interpretationi favere, fatente *Tirino* in Comm.h.l. *Latinam* verò lectionem, de *propitiato peccato*, non esse veriorem, ipso *Jansenio* teste ibidem.

3 *Bellarminus* l.c. etiamsi daretur, loqui Autorem de propitiatione *futura*, tamen manere argumentū: quòd enim non simus certi de propitiatione *futura*, inde fieri, quod *nesciamus, an simus habituri spatium pœnitendi*.

℞. (1.) Si Syracides de *propitiatione futura* loquitur, uti Bellarminus concedit, falsum sanè erit, quod de *propitiato peccato*, h.e. *remissione peccatorum* jubeat dubitare aut metuere. (2.) Quòd dicit, ideo de *propitiatione futura non posse nos certos esse, quia nesciamus, an simus habituri spatiū pœnitendi*; sententiā nostram non evertit. Neque enim docemus, *eos, qui misericordia Dei abutuntur ad peccandum* (de quibus Syracides loquitur) *posse vel debere securos esse de propitiatione futura, & de pœnitentia sua*: verùm credimus, *fideles* certos esse, Deum sibi petituris in Christo perseverantiam non esse denegaturum. Itaque scire possunt, *se habituros spatium pœnitendi*. *Chemn*. in Exam. Concil. Trid.part.1.p.173. *Meisner*.dec.3. Anthr.sacr.disp.10.th.4.p 523.seq. *Gerhard*.tom.3. LL.CC.loc.19.de Justif.§ 97. p.1257.-1260 & in Conf.Cath.lib.2.special.part.3.p 758.seq. *Thumm*. in dec.Exerc.Theol.disp.10.p.38.39.seq. *Cham*. tom.3.Panstr.l.13.c.14.§ 17.-23 p.216.seq.

II. *Salmeron* tom.11.tract.24. ex eo colligit, *post remissionem peccati superesse satisfactionem*, quippe *quâ homo sibi consulit, ut propitiatô peccatô non sit sine metu.*

℞. (1.) *Salmeron* sibi contradicit: ipse enim aliâs exinde vult conficere, *neminem debere apud se statuere, sibi dimissum esse peccatum*; hoc tamen loco nunc utitur, ut supponat, *peccatum esse remissum*. Si pœna nulla temporalis est, nisi *remisso peccato*, in hoc quidem argumento; & satisfacere quis velit ei pœnæ: hunc necesse est supponere, *sibi esse remissum peccatum*. Aut si incertum hoc est, certè altiùs ille pavor penetrabit, quam ut proponat sibi pœnæ temporalis expiationem. (2.) *Græca* sunt facilia; tum quia verba, *περὶ ἐξιλασμοῦ*, verti debent, nō *de propitiato peccato*, sed, *Jansenio* judice, de *propitiatu peccatorum*; tum quia particula, *neq;*, Græcè nusquam est, uno autem spiritu legendum: *De propitiatu peccati ne esto nimiū abq; metu, ut addas peccata peccatis.* Quod ad *satisfactionem* nil facit. Nam profectò, ut nulla sint post propitiationem pœnæ residuæ, nulla pœnarum satisfactio; tamen satis est causæ, ut ne ex *propitiationis* confidentia quisquam temere ruat in peccata. *Cham*. tom.3.Panstr.l.23.c.12.§.4.5.6.p.496.

Vers.17. *Turpior est susurro, quam fur, &c.*

*Reformati* quidam censuerunt, *fures non esse suspendio puniendos*, cum *levius peccent ac susurrones, qui tamen suspendio non puniri soleant.*

℞. N.C. quoniam confunditur *absolutum* cum *comparato*. Furtum *absolutè & in se* gravius est peccatum, quàm detractio: minus tamen esse dicitur, *comparatè*, quatenus *fures* nonnihil præcavere possumus, non autem *bilingues*, qui omnia agunt subdolè, interim rigido Dei judicio obnoxii sunt morti, *Rom*.1.v.30.& 32. *Meisner*.part.1.Philos. sobr.sect.2.c.4.q 3.m t.arg.3.p. 610.seq. *Brochm*. tom.2.Syst.Theol.art.de Leg.c.3.sect.2.q.1.obj.3. p.154.seq.

Vers.18. *In magno & in parvo ne ignores aliquid.*

*Hellenismus* est: *ἀγνοεῖν* enim Hellenistis est, *imprudenter aliquid agere*, אשם vel סכל. Qui in parvis rebus inconsideratè agit, paulatim eò pervenit, ut in magnis idem faciat. *Friedlib*.in Annot. ad h.l.class.1.p.898.

CAP.

CAP. VI. v. 13. *Ab inimicis tuis separa te, & ab amicis tuis cave.*

*Syracides* videtur *Christo* contrariari: *ille* enim jubet te separare ab inimicis tuis, *hic* verò mandat tibi inimicis tuis benefacere, *Matth.* 5.

℞. *Separare* hîc nihil aliud est, quàm *consortium alicujus relinquere, neq; cum eo, quæ ad pacem tuam faciunt, communicare.* Frustra enim hæc ab inimico postules. Interim *ei benefacere* omnibus modis potes. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. m. 2. p. 902.

Vers. 33. *Si tradideris animam tuam, eris solers.*

*Metonymia* est. nam ἐκδιδόναι τὴν ψυχὴν, est, *intendere animum in re aliqua, in eamq; studium suum conferre.* Salustius: *Ubi intenderis ingenium, valet.* *Vatabl* in Annot. ad h. l. p. 52.

CAP. VII. v. 5. *Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est.*

*Pontifices* statuunt, *neminem posse esse certum de sua justificatione*, quòd *nemo se ante Deum justificare debeat.*

℞. Syracides loquitur de *vana propria justitiæ gloriatione*, teste *Vatablo*; at quæstio est de *justitia Christi imputata*, num *de ea quis certus esse possit?* Nam de *justitia propria ex lege* verum est, conscientias inde nunquam posse certam & firmam consolationem concipere, sed manere in perpetua dubitatione: ideo autem proponitur *Evangelium*, ut ex *fide*, secundùm *gratiam*, firma sit promissio, *Rom.* 4. v. 16. cui anima fidelis innixa, certa est de sua per fidem in Christum justificatione. *Chemnit.* part. 2. LL. Th. p. 280.

Vers. 15. *In precatione tua verba ne repetas.*

*Syracides* videtur contradicere *Davidi*: hic enim *Psal.* 136. per omnes 26. versus repetit illa verba conjunctim (*Quoniam in æternum misericordia ejus*) *ille* autem cavet, ne in precatione verba repetantur.

℞. Verba *Syracidæ* non *absolutè* accipienda sunt, quasi nullâ prorsus de causa in precatione verba repeti debeant; alioquin ipse *Syracides* in hoc suum monitum peccâsset, ut qui in precatione, c. 23. v. 1. & 4. binis vicibus repetit verba, *Domine Pater*, sicut etiam c. 36. v. 1. 14. 15. verbum, *miserere*: verùm *restrictè*, de *inani saltem & superstitiosa garrulitate atque* βαττολογίᾳ. Itaque monet Ecclesiasticus, ut in precatione ad Deum animus ardenter talia concipiat, quæ sint aliena ab omni temeritate, & ut ea proferat attento ore, quę mente satis attentè meditatus est, ne preces, sine intentione recitatas, præ pudore postea cum attentione repetere cogatur. *Hutter.* in LL. Th. loc. 31. de Invocat. c. 1. q. 4. p. 974. *Franz.* tract. de Interpret. Script. orac. 140. p. 1323. 1324. seq.

Vers. 19. *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.*

*Papistæ* quidam credunt, *in inferno esse vermes corporeos*, qui corpora damnatorum erodant; quoniam *vindicta carnis impii sit ignis & vermis.*

℞. (1.) In *Græco* textu non additur nomen *carnis*. (2) *Augustinus* l. 21. de C. D. c. 9. ita exponit: *Carnalis vis ignis corpori, & vermis animo*, nimirum *vermes conscientiæ*, ut habet *Thom. de Aquin.* in Supplem. 3 part. q. 97. art. 2. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 33. de Infern. §. 70. p. 665.

Vers. 21. *Ne excidas ab uxore sapiente & bona, &c.*

*Metaphora* est: nam verbum ἀστοχεῖν propriè dicitur de his, *qui à scopo, ad quem jaculantur, aberrant*; hîc verò idem est ac *excidere* vel *discedere*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 54.

Vers. 37. *Gratia dati in conspectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam.*

*Fevardentius* l. 11. Theomach. c. 17. opinatur, *animas defunctorum juvari suffragiis vivorum*, quia *mortuo gratia non sit prohibenda.* Dari ergo aliquid potest *mortuo*, quod ei opus sit, & eum juvet: *Quid autem mortuis, præter suffragia, quod illis prosit, impertiri possit, non video*, inquit *Peltanus* lib. de Purg.

℞. (1.) In V. T. fatentur Papistæ aliqui *Purgatorium* non fuisse, eò quod isto tempore *animæ Patrum fuerint in Limbo*: itaque de *Purgatorio* nil quicquam constare potuit Syracidæ. (2.) *Theologi Lovanienses* hunc locum exponunt de *honore sepulturæ, & lachrymis super defunctum*, quando in Concordantiis marginalibus nos remittunt ad locum, *Rom.* 12. v. 15. ubi Paulus vult *nos flere cum flentibus.* Συμπάθειαν ergo Syracides à nobis requirit cum *lugentibus adhuc viventibus*, non *satisfactionem pro iis, qui in Purgatorio laborant*: atque illuc etiam respicit *Glossa Ordinaria* in h. l. (3.) *Vatablus* in Not. ad h. l. ait, Syracidem hoc velle significare, jura & officia pietatis ac humanitatis defunctis hac vita præstanda esse, aut *in illis sepeliendis*, aut in *propinquis ac posteris eorum consolandis atq; adjuvandis.* Tot modis satisfieri cum possit præcepto Ecclesiastici, cur necessariò volunt nos *precibus* adstringere pro defunctis? (4.) Importuna est tyrannis, nullam gratiam admittere, nisi *quæ mortuis prosit.* Atqui id Ecclesiasticus nullus dixit. Est verò præceptum universale, quo admonemur, ne quos amavimus *vivos*, eorum obliviscamur *mortuorum.* Itaque non est deneganda gratia nostra *Abrahamo, Davidi, Petro, Paulo, Virgini Mariæ*, quibus tamen prodesse nemo potest. Quare nihil est, quo *suffragia* suffulciantur. *Balduin.* in Phosp. Cath. contr. Pazman. l. 14. c. 5. p. 1221. *Gerh.* in Conf. Cath. lib. 2. special. part. 2. p. 488. arg. 24. *Osiand.* in Enchir. controv. Pont. c. 19. q. 2. obj. 4. p. 232. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 26. c. 15. §. 13. - 18. p. 588. seq.

CAP. VIII. v. 11. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis, &c.*

I. *Bellarminus* l. 4. de V. D. c. 4. arg. 1. putat, *Judæos, etsi Scripturæ extarent, tamen magis usos fuisse traditione, quam Scripturâ*; cum Syracides amandet ad *narrationem seniorum*, qui à patribus suis didicerint intellectum.

℞. Locus iste non probat intentum *Bellarmini.* Nam (1) præcepta sunt *moralia* atque *civilia*, non *religiosa*, ut ex toto capite apparet. (2.) Sermo est de *ratione docendi*, non de *rebus, quæ docentur.* (3.) Patres de *Scripturis* narrabant filiis, & illi de *Scripturis* eos interrogabant, ac memoriâ conservabant. Ergo malè concluditur, Judæos magis usos fuisse traditionibus. *Thumm.* part. 2. Disquisit. de V. D. p. 247. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 9. c. 7. §. 2. & 18. p. 145. & 147.

II. *Canus* lib. 7. LL. CC. c. 3. autumat, *consensum Patrum esse regulam interpretationis Scripturæ*, quoniam *Syracides inculcet narrationem Seniorum*, qui à patribus suis didicerint intellectum, &c.

℞. Non concluditur quæstio: non enim quæritur, utrum *prætereunda sit*, sive pro *nihilo habenda Seniorum narratio*: sed utrum ea *certissimum suppeditet Theologis argumentum.* Nam alioquin *utilem*, imò *necessarium* suo modo esse *consensum Veterum*, ipsi profitemur. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 16. c. 8. §. 3. & 4. p. 294.

Vers. 14. *Ne insideat sicut insidiator ori tuo.*

*Metonymia* est *causa pro effectu*: nam *os* pro *sermone* seu *verbis* ponitur. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 898.

Vers. 17. *Ne judices contra judicem: nam secundum opinionem ejus judicabunt eum.*

*Enallage* est *verbi activi* pro passivo: *judicabunt eum*, h. e. *is judicabitur.* *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1057.

CAP.IX.v.1. *Ne zeles mulierem sinûs tui, &c.*

*Metaphora* est: *Sinus* enim *amoris* notionem habet, ob *conjugalem amplexum*, ut Deut.28.v.54. ita ut *mulier sinus tui*, sit *uxor tibi charissima*. *Iun.* in Not. ad h.l.p.1057. Confer *Glass.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1 cap.12.p.347.

CAP.X.v.2. *Qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.*

*Bellarminus* l.5.de Rom.Pont.c.7.rat.3. suspicatur, *tolerantiam Regis haeretici* vel *infidelis*, homines ad suam sectam pertrahere conantis, *exponere religionem evidentissimo periculo*; quia, *qualis rector est civitatis, tales & sint inhabitantes in ea.*

℞. (1.) Negamus, quòd per id, quod Rex haereticus aut infidelis, qui conatur homines ad suam sectam pertrahere, toleratur, religio nostra periculo *per se* exponatur; sed periclitatur saltem religio *sine culpa populi*, qui nullum justum evitandi hoc periculum habet remedium, cum penes ipsum non sit electio Regis, sed inciderunt in electos. (2.) Pronunciatum Syracidae non est κατὰ παντὸς & *universaliter* verum, sed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ & *ut plurimum*: subditi enim *ut plurimum* ad ingenium Principis formantur. *Osiand.* tom.2. Paraph. Bibl.p.635. *Baldwin.* de Casib. Conscient. lib.4.cap.12.cas.3. p.1162. seq.

Vers.8. *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.*

I. *Pontificii* quidam asserunt, *terras infidelium à Christianis Principibus licitè posse occupari ob eorum infidelitatem*, quòd *regnum à gente in gentem transferatur propter injustitias, injurias, &c.*

℞. Hoc dictum non continet vaticinium *translationis dominii ab infidelib. ad Christianos ex Dei voluntate*, sed *eventûs*, qui saepe solet contingere, nempe ut propter peccata transferantur regna de gente in gentem, Deo ita volente & permittente. At non solùm transferuntur ab *infidelibus* ad *Christianos*, sed etiam à *Christianis* ad *infideles*, ut patet ex *Imperio Orientali*, quod olim *Christianorum* fuit, nunc *Turcarum* est. *Meisn* part.3. Philos. sobr. sect.2.cap.2.q.8. obj.1.p.661. *Becan.* in Theol. Schol. part.2.tom.2. tract 1.can.13.q.6.n.2.& 11.p.203.& 205.

II. *Armacanus* lib.10. Quaestion. Armenie. cap. 4. docet, *impios non posse dominos esse in regnis*, quoniam *regnum à gente in gentem transferatur propter injustitias, injurias, &c.*

℞. Negatur id sequi: tum quia translatio regnorum fit tam propter peccata *populi*, quàm *Regum*; tum quia Deus propter peccata *Regum* saepè donat victoriam hostibus eorum, sed non propterea eo ipso, quo peccant, jus regni amittunt Reges. *Bellarm.* lib.3. de Laic.c.8. resp. ad 2. arg.p.1778. seq. *Scharp.* in Curs. Theol.p.1963. obj.2.

Vers.15. *Initium omnis peccati est superbia, &c.*

I. *Bellarmin.* l.3. de Amiss. grat. & stat. peccat. c.4. statuit, *primum hominis peccatum fuisse superbiam*, cùm *superbia sit initium omnis peccati.*

℞. (1) *Arias* & *Vatablus* Graecum textum sic proponunt: Ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία. *Initium peccati est superbia.* Jam verò non sequitur: *Superbia est initium peccati*, ergo *fuit etiam initium primi peccati.* Nam à *non distributo* ad *distributum* N.V.C. (2.) Syracides hoc loco non agit de superbia *prima & originali*, sed *ex prima orta & actuali*, quam ad alia quoque peccata homines irritare dicit. Hoc ergo libenter concedimus, quod *ex superbia post lapsum multa pullulent flagitia alia*; non autem exinde sequitur, quod *superbia in primo primi hominis peccato omnium prima fuerit transgressio*, adeoque *primus peccati illius gradus*, sicuti neq; *inobedientia*, quo nomine itidem peccatum illud appellatur Rom 51,9. (3) Oppono v.14. ubi *initium superbiae* dicitur ἀποστασία sive ἀπιστία. Jam verò si ἀπιστία est initium ὑπερηφανίας, utique *haec* non erit initium *illius*: neque enim idem est initium sui ipsius initii. Unde *Bellarminus* in paraphrasi hujus dicti concedit, *primum actum superbiae apparuisse in defectione illa hominis à Deo.* Atqui illa *defectio* nihil aliud est, quàm *incredulitas*: qui enim à verbo Dei discedit per incredulitatem, is hoc ipso à Deo discedit. *Meisner.* dec.1. Anthrop sacr. disp.4. q.3. thes.9.p.125. *Gerhard.* tom.2. LL.CC. loc.12. de Pecc. Orig. §.29.p.547. *Gisen.* de Papism. disp.43. th. 66. seq.p.761. *Eckh.* part.2. Pand. controv. Pontif. c. 19.q.2. obj.1.p.29.

II. *Becanus* in manual. controv. Theol. l.1.c.1.q.5. & lib. de Judic. controv.p.49. inter alia *Scripturam accusat obscuritatis*, quod hanc foveat contradictionem apparentem: nam Syracides dicit, *superbiam esse initium omnis peccati*; cùm contra Paulus, 1. *Tim.* 6. v.10. *avaritiam pronunciet radicẽ omnium malorum.*

℞. Utrumque verum est, & *superbiam esse initium peccati*, & *avaritiam radicem esse omnium malorum.* Nam & ex *superbia*, & ex *avaritia* pullulant varia peccata, scelera & mala, uti notum est. Quae igitur hîc contradictio? *Garth.* l. de Jud. controv. Th.p.70.

Vers.26. *Non est justum, pauperem intelligentem despici, & non decet honorare virum peccatorem.*

*Hellenismus* est: *Virum* enim hoc loco ex *Hebraeorum* usu accipe pro eo, *qui divitiis aut aliâ re praestat*, atque hoc pacto constabit antithesis. *Jun.* in Not. ad h.l.p.1038.

Vers.31. *Fili da animae tuae honorem secundùm meritum suum.*

*Papistae* disputant, *opus hominis justi rectè vocari meritum*, cum secundùm *hoc* homo dare debeat animae suae honorem.

℞. (1.) In textu *Graeco* non habetur vox *meriti*, sed ἀξίας sive *dignitatis*, Aria interprete. Atqui non idẽ est, *dignum esse* & *mereri*: siquidem pii dicuntur *Deo digni*, Sap.3.v.5. non verò *Deum merentur.* (2) Apud Syracidem non notatur aliquod nostrum meritum erga *Deum*, sed tantùm meritum erga *homines.* Sed nihil hoc ad rhombum. *Hutter.* in LL. Theol. art.14. de Bon. Oper. q.3.p.487.

CAP.XI.v.14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiae à Domino sunt.*

Controversias hujus loci vide decisas partim in Vind. *Es* 45.v.7.m.2. partim in Vind. *Sap.*2.v.13.m.1.

Vers.27. *Facile est coram Deo in die obitûs retribuere unicuiq; secundum opera ejus.*

I. *Animae defunctorum non asservantur in communi quodam receptaculo usq; ad judicii extremi diem consopitae*, sed vel *praemia vel poenas percipiunt*: statim enim *in die obitus redditur à Deo secundum opera sua.*

*Armenii* regerunt, Syracidem haudquaquam *categoricè* asserere, quod in die obitus unicuique secundùm opera à Deo *reddatur*; sed duntaxat *hypotheticè*, quòd *possit Deus reddere*, si vellet.

℞. Illud, *facile est*, non significat, *posset Deus, si vellet*; sed, *reddit Deus*, & *facilè reddit* unicuique secundùm opera sua in die obitus. Nam Sapiens hoc argumento nos exhortatur ad *studium bonorum operum*: Jam verò si Deus *posset reddere* secundum opera, sed non *redderet*, frustra nos hoc argumento hortaretur Sapiens ad benefaciendum. *Gerh.* tom.8. LL.CC. loc.29. de Mort. §.298.p.567.

II. *Animae Sanctorum in V.T. defunctorum non fuerunt in Limbo quodam, à visione Dei exclusae*: siquidem *etiam in V.T. dabat Deus in die obitûs retribu-*

tribu-

*tributionem unicuique*, id est, *Sanctis fruitionem visionis suæ.*

*Bellarminus* l. 1. de Sanctor. beatit. c. 3. arg. 1. excipit, Sapientem intellexisse, reddi remunerationem, quæ pro *temporum diversitate* haberi poterat; & quia tunc nondum cœlum erat reseratum, nunc autem à Christo reseratum est, ex illius sententia sequi, in die obitûs, & tunc *requiem* dari solitam justis, & nunc *veram felicitatem.*

℞. (1) *Remunerationem pro diversitate temporum*, ubi, quando, quibus verbis designavit Sapiens? Nam *statim in die obitûs reddit Deus cuilibet præmium*, ipso Bellarmino interprete; id quod verum esse nequit, si *præmium differretur in tantum temporis.* (2.) Jesuita sibi contradicit: disputabat enim paulò antè adversus eos, qui negabant, *Sanctos adhuc esse beatos, sed servari in abditis quibusdam receptaculis ad resurrectionem usque*: & contrà asserebat, *non differri in tantum temporis veram felicitatem.* Quâ igitur veritatis specie dicere potuit, Deum reddere cuique in die mortis remunerationem, *quæ pro diversitate temporum haberi potest?* (3.) *Carthusianus* in h. l. ita interpretatur Sapientem: *Ipsi Deo facillimum est reddere, quicquid promeruit*, & quidem *in die obitûs.* Atqui Sancti V. T. juxta Papistas, & *quietem* & *veram felicitatem promeruerunt.* Itaque & *quietem* & *veram felicitatem* illis in die obitûs reddidit. (4.) Nunquam fuit cœlum ullis clausum *Sanctis*, verùm *impiis* duntaxat, ideoque & manet æquè hodie post mortem Christi clausum, & antè fuit æquè apertum: non enim hæc clausura distinguitur *temporibus*, sed *caussis.* *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 25. c. 11. §. 24.-29. p. 558.

Vers. 35. *Inhabitare fac alienum, & pervertet te in turbatione, &c.*

*Ironia* est: *Inhabitare fac alienum*, q. d. *recipe modo alienum in domum tuam.* Sarcastica concessio, quâ alluditur ad proverbium, Qui *canem alit externum*, &c. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1039.

CAP. XII. v. 6. *Benefac humili, & non dederis impio, prohibe panes illi dare.*

I. *VVicleffus* apud *Thomam VValdensem* tom. 3. lib. 2. Doctrinal. fid. antiq. c. 91. dicitur statuisse, *non esse dandam eleemosynam impiis, sed solis justis*; eò quòd Syracides jubeat benefacere nos *humili*, nec dare *impio* panes.

℞. (1.) Ecclesiasticus non loquitur de *eleemosyna*, quæ datur *pauperi*; sed de *beneficio*, quæ in *amicum* confertur, etiamsi fortè non egeat. Statim enim subjicit: *Prohibe illi panes dare, ne in ipsis potentior te sit.* (2) Etiamsi de *eleemosyna* loqueretur, illa ipsa tamen *impiis pauperibus* etiam danda est, non quidem quatenus *peccatores* sunt, id est, ut per eam in peccato foveantur; sed quatenus *homines* sunt, id est, ut per eam natura humana sustentetur. *Bellarm.* l. 3. de Bon. Oper. in particul. c. 12. resp. ad 1. obj. p. 1511. *Becan.* in Theol. Schol. part. 2. tom. 2. tr. 1. c. 21. n. 21. p. 300.

II. *Becanus* l. de Judic. controv. relig. Christ. p. 49. inter alias ἐναντιοφανείας, ad *obscurandam Scripturam*, hanc profert, quòd *Syracides* prohibeat panem dari impio, *Christus* verò jubeat dari omni petenti, Luc. 6. v. 30.

℞. Nulla utrobique est pugna: neque enim Christus jubet *cuivis sine ullo discrimine* dari, sed αἰτοῦντι, *petenti*, i. e. *suppliciter roganti*, quem Syracides vocat ταπεινὸν, h. e. *humilem*, cui opponit *præfractè impium*, panibus nostris turpiter abutentem. *Gerh.* l. de Judic. controv. relig. Christ. p. 70.

Vers. 12. *Ne colloces inimicum tuum ad dexteram tuam, ne stet in loco tuo.*

*Reformati* quidam *sessionem ad dextram Patris* interpretantur de *participatione virtutis Deo proximæ, inferioris tamen*; quoniam *collocatio ad dexteram notet participationem honoris inferioris.*

℞. (1.) Syracides ἀπροσδιονύσως allegatur: nam quæritur de *sessione Christi ad dexteram Patris*, quæ toto genere differt à *collocatione inimici tui ad dexteram tuam.* (2) Phraseos illius interpretatio nostræ sententiæ accedit ita: *Ne adsciscas inimicum tuum in consortium regni, dignitatis & honoris*, (quemadmodum *Imperatores* nonnunquam alios sibi adjunxerũt, dividentes cum eis imperium, vel ipsos ex æquo honoris ac dignitatis suæ participes fecerunt) *ne ipse potentior factus te detrudat de loco tuo.* *VVinckelm.* tom. 4. Giess. disp. 17. thes. 51. p. 104.

Vers. 16. *Caput suum movebit, & plaudet manib. &c.*

*Parœmia* est: *Caput suum movebit, & plaudet manibus &c.* h. e. *te eversum ludificabitur, nec ampliùs dissimulabit odium.* *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1039.

CAP. XIII. v. 5. *Si utilis fueris, operatur in te, &c.*

Syracides utitur (1.) *Apostrophe* ad pauperem: *Si utilis fueris &c.* i. e. *quamdiu ipsi usui eris.* (2) Hellenismo: *Operatur in te*, h. e. *opera tua utitur.* *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 68. *Iun.* in Not. ad eund. l. p. 1040.

CAP. XIV. v. 18. *Omnis caro ut vestimentum veterascit: nam hæc constitutio à seculo est: Morte morieris.*

In versu hoc habetur (1.) *Synecdoche partis pro toto*: quia *caro* pro *homine* est. (2.) Epizeuxis: *Morte morieris*, h. e. *omnino* morieris. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 71. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 1040. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 17. m. 1. p. 460.

CAP. XV. v. 14. *Deus ab initio creavit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.*

I. Olim *Gaudentius*, Episcopus Donatista, apud *Augustinum* l. 2. contr. Gaudent. c. 11. teste *Historia Magdeburgensi*, Cent. 5. c. 5. p. 628. & nuper ex Papistis *Bellarm.* l. 5. de Grat. & lib. arbit. c. 22. loc. poster. disputavit, *hominem habere liberum arbitrium*, quòd *illum Deus reliquerit in manu consilii sui.*

℞. (1.) Syracides loquitur de homine *ante lapsum*, idque probat addita particula, ἐξ ἀρχῆς, *ab initio*, Matth. 19. v. 4. ac ipse fatetur *Bellarm.* l. 4. de Grat. & lib. arbit. c. 7. §. *Postremò addantur*, &c. At quæstio est de homine *post lapsum*: itaque locus iste huc non pertinet. (2.) Phrasis illa, *relinqui in manu consilii sui*, quando de *homine per peccatum corrupto & non renato* accipitur, libertati ad bonum nihil patrocinatur: quia universa Scriptura testatur, quando *Deus hominem consiliis & cogitationib. suis relinquit*, eum in *spiritualibus* tantùm peccare, *Psal.* 81. v. 13. & *Rom.* 1. v. 24. Unde quid ad probandum hominis *non renati* liberum in spiritualibus arbitrium faciat, non videmus.

*Bellarminus* ibidem replicat, hic dari rationem, *cur Deus non sit causa peccati*; eam verò esse inutilem, nisi admittatur *in posteris Adami liberum arbitrium tale, quale in Adamo ipso ante peccatum.*

℞. N. C. licet enim Ecclesiasticus non loquatur de *homine post lapsum*, firma tamen est ejus illatio. Quia enim Adamus *suo vitio* liberum arbitrium, quale habebat, perdidit, ut loquitur *Augustinus*; nec *sibi soli* perdidit, sed & *posteris*: ergo posteri habent in se *originem mali*, à quo tentantur, non autem à *Deo*. Et hæc ratio est efficacissima. *Eckhard.* part. 2. Pand. controv. Pontif. c. 20. q. 4. obj. class. 5. p. 116. seq. *Gerhard.* in Conf. Cath. lib. 2. spec. part. 3. p. 571. seq. arg. 7. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 3. c. 14. §. 22. & 24. p. 34.

II. *Epicuræi* negant, *homines subesse divinæ providentiæ*, cum eos *sibi Deus dimiserit*, hoc est, *in manu*

*consilii sui reliquerit*; neminem verò sibi demissum subesse providentiæ alicujus gubernantis.

℞. (1.) Dictum Syracidæ non *indefinitè de omnibus hominibus* est accipiendum, sed tantùm de *primis nostris parentibus*, in statu *integritatis* adhuc constitutis, quos subfuisse divinæ providentiæ, ex *Gen.* 2. v. 22. patet. (2.) Phrasis illa, *relinquere in manu consilii sui*, non hic notat, *nullam sui curam habere*, sed *deliberando & eligendo voluntariè agere*. Itaque primi nostri parentes ita erant conditi, ut *relinquerentur in manu consilii sui*, hoc est, ut *deliberando & eligendo voluntariè agerent*. Quia in parte ipsorum conditio plurimùm distabat à *naturaliter agentibus*: hæc n. eodem semper modo agût, absq; ulla deliberatione. Sed quia ipse *actus liberi arbitrii* reducitur in *Deum*, sicut in *causam*: necesse est, ut ea, quæ ex libero arbitrio fiunt, divinæ providentiæ subdantur: providentia enim hominis continetur sub providentia Dei, sicut causa *particularis* sub *universali*. *Thom. de Aquin.* part. 1. q. 22. art. 2. ad 4. *Hutter.* in LL. Theol. art. de Provid. div. q. 2. arg. 5. p. 825.

Vers. 16. *Adjecit mandata & præcepta sua: Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam servare.*

*Bellarminus* l. 3. de Grat. & lib. arb. c. 5. arg. 1. adstruere conatur *arbitrii libertatem a necessitate*, quòd *homo possit, si velit, servare legem, & non servare, si non velit.*

℞. Nego, sermonem haberi de libero arbitrio hominis *in genere*, sed *specialiter hominis primævi*, quando nondum erat servus peccati, testibus *Thoma de Aquino* in 1. 2. q. 109. art. 8. ad 3. *Driedone* lib. 2. de Grat. & liber. arbitr. tract. 2. *Jansenio* & *Tirino* in h. l. Non est autem legitima consequentia à *primo hominis statu* ad *alterum ejusdem hominis corrupti statum*. Nam nova superveniens conditio, & quidem hujusmodi, quæ transiit in alteram *naturam*, unde dicimur *natura filii iræ*, Ephes. 2. v. 3. quid mirum si actiones immutavit? Alioqui sequeretur, in hominis *non renati* potestate esse, totam legem implere; quod tamen Jesuita non admittit.

*Bellarminus* ibidem regerit, nihil interesse, utrum hæc verba convenianthomini pro eo tempore, *quo erat in Paradiso ante peccatum*; an verò pro eo tempore, quo *jam in peccata deciderat*: non enim nos disputare nunc de libero arbitrio *hominis lapsi*, sed *in genere*.

℞. Omnino nunc disputamus de *viribus humanis post lapsum*: nam si disputamus nunc *in genere*, ergo non tantùm de arbitrio *hominis nondum corrupti*, sed etiam *hominis corrupti*, de *hominis salvati*, de *hominis damnati*, de *Diabolorum*, de *Angelorum*, de *Dei*: siquidem hi omnes habent liberum arbitrium. Itaque investiganti naturam liberi arbitrii *in genere*, ea consectanda sunt, quæ illis omnibus sunt *communia*, non verò quorundam *propria*. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 2. c. 2. §. 1. - 8. p. 10.

Vers. 17. *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

*Bellarminus* l. c. instat, *in homine esse libertatem tum volendi & non volendi*, quæ est *libertas contradictionis*; tum *ex duobus contrariis unum eligendi, alterum recusandi*, quæ est *libertas contrarietatis*: homini enim dari optionem, *velle* aut *non velle* bonum aut malum, illudque *eligendi*, vel hoc *respuendi*.

℞. Antea probatum est, sermonem hic esse de *homine nondum corrupto*, in quo fuisse libertatem volendi & non volendi, eligendi & recusandi bonum vel malum in *spiritualibus*, ultrò concedimus: eam autem adhuc esse in *homine corrupto*, Jesuitæ probandum est.

*Bellarminus* l. 5. de Grat. & lib. arbit. c. 22. resp. ad loc. poster. replicat. exinde non solum colligi, *primum hominem cum libero arbitrio conditum fuisse*, sed etiam *idem liberum arbitrium in ejus posteris remansisse*: quandoquidem *Ecclesiasticus alloquatur homines, qui nunc sunt, & illos concionetur, qui possunt ex ejus cohortatione proficere.*

℞. (1.) Phrasis ista, *remansisse in posteris liberum arbitrium idem, quod in Adamo*, homonyma est: potest enim intelligi, vel *simpliciter*, ut sint posteri liberò arbitrio prædíti, vel ut *tali per omnia, quale erat in Adamo ante peccatum*. *Illud* verum est, *hoc* verò [illegible] sum, nec colligi potest ex Ecclesiastico: neque enim eandem esse rationem *primi statûs in integritate*, & *statûs corruptionis*, neque vires utrobique esse easdem, *Jansenius* in Comm. h. l. agnoscit. (2.) Ecclesiasticum illis verbis *alloqui homines sui temporis*, non tam facilè conceditur. Cur non enim dicamus esse sive *Dei prosopopœiam* ad Adamum, sive *ipsius Autoris apostrophen* ad eundem, ut magis explicaretur, quid illud esset, *relinqui in manu consilii sui*. (3.) Quid tum, si *alloquitur homines sui temporis*? Non enim quid *possit* homo, aut *quam vim habeat*, disserit; sed quid *facere debeat*, ostendit, teste *Vatablo*. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 3. c. 14. §. 18. - 26. p. 34.

CAP. XVI. v. 10. *Non misertus est gentis perditionis, &c.*

*Enallage* est *abstracti* pro *concreto*: ἔθνος ἀπωλείας, *gens perditionis*, h. e. *perdita*, *Jan* in Not. ad h. l. p. 1041.

Vers. 13. *Celsitur Princeps placationum, & effundens iram &c.*

Syracides adhibet (1.) *Hellenismum* · Princeps *placationum*, h. e. *placidissimus*. (2.) Ἀνθρωποπάθειαν: *Deum* enim dicit *iram effundere*, cum *pœnas immittit*. *Jan.* in Not. ad h. l. p. 1041. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 134.

Vers. 14. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum operum suorum.*

*Bellarminus* l. 5. de Justif. c. 2. arg. 1. concludit, *opera justorum rectè vocari merita*, cum *id diserte hic habeatur.*

℞. Vox *meritis* non habetur in *fonte Græco*, sed duntaxat in *Versione Latina*: siquidem Græcus Autor scripsit, κατὰ ἔργα, *secundùm opera*, Aria interpretè. Itaque non est ejus *Autoris* verbum, sed *Interpretis*. Sensus verò est, Deum remunerari beneficentiam, compensatione licet gratuita.

*Bellarm.* ibid. excipit, illud, κατὰ ἔργα, rectè verti, *secundùm meritum operum*; cum *reddere secundùm opera*, nihil aliud sit, quàm, *reddere sicut opera merentur*.

℞. Nego utrumq; nam (1) κατὰ, sive *secundùm*, nō idem est, quod, διὰ seu *propter*: at non διὰ ἔργα, *propter opera*; sed κατὰ ἔργα, *secundùm opera*, dixit Syracides. (2.) Aliud est, *secundùm opera reddere*, & aliud, *secundùm merita operum reddere*, teste *Gregorio Magno* in Psal 7. Pœnitent. *Illud* notat qualitatem, *hoc* verò æqualitatem. Ita *Matth.* 23. v. 3. cum legis, κατὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε; nemo unquam sanus reddit, *secundùm merita operum eorum*, sed tantum, *secundùm opera eorum ne facite*, id est, talia opera nolite facere, qualia illi faciunt. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 154. *Hutter.* in LL. Theol. art. 14. de bon. oper. q. 3. p. 487. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. part. 3. p. 870. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 14. c. 3. §. 5. - 11. p. 228.

Vers. 15. *Lucem suam & tenebras divisit adamante.*

*Metaphora* est, quâ *adamas* idem est ac *firmissimè & ve-*

*& validissimè*: nam *adamantinum* ex natura gemmæ appellamus, quicquid *invictum est & robustissimum*, ut Ismenias apud Plutarchum dicit, *amoris inter populares vincula esse adamantina ad Remp. continendam*. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1041.

Vers. 18. *Ecce cœlum & cœlum cœli, abyssus & terra, &c.*

*Hellenismus* est: *Cœlum cœli*, h. e. *summum*, ad morem *Hebræorum*. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1041. Confer *Glass.* lib. 3. Philolog. Sacr. tract. 1. can. 16. m. 2. p. 56.

CAP. XVII. v. 3. *Deus secundùm se vestivit hominem virtute.*

*Bellarminus* l. de Grat. prim. hom. c. 6. arg. 1. concludit, *imaginem Dei in primo homine ante lapsum fuisse donum extrinsecum & superadditum*, eò quòd *fuerit indumentum*; indumentum autem esse aliquid extriosecum & superadditum.

℞. (1.) Vox *vestiendi* sumitur hîc *metaphoricè*, quo sensu non semper aliquid *externum & superadditum* notat. Nam Jobus etiam *carne & cute* vestitus, c. 10. v. 11. Deus *lumine velut vestimento* amictus, *Psal.* 104. v. 2. gramina agri *pulchris coloribus* vestita dicuntur, Matth. 6. v. 30. Num autem hæc omnia dona sunt *supernaturalia*? Absurdum. Sic *humana in Christo natura* à Patribus quibusdam *indumento* comparatur, quæ tamen *personæ Mediatoris nostri integritatem* coocernit. (2.) In Græco est: *Vestivit eos virtute* καθ' ἑαυτοὺς, *secundùm seipsos*, id est, *Tirino* interprete, *secundùm eorum naturam & conditionem*; quibus certè verbis rectitudo *intrinseca*, altè implantata, & naturæ convenientissima denotatur. (3.) *Pererius* in Genes. p. 548. ἰσχὺν interpretatur de *acumine ingenii, quo homo per omnia animo & cogitatione penetrare, multaque præclara potenter efficere valeret*. At hæc fuerunt homini *naturalia*, etiam ex ipsius *Pererii* hypothesibus. *Meisner.* dec. 1. Anthr. sacr. dis. 2. q. 2. thes. 16. p. 57. seq. *Eckh.* part. 2. Pand. controv. Pont. c. 17. q. 3. obj. 3. p. 10. *Gerh* in Conf. Cath. l. 2. spec. part. 3. p. 358. arg. 4. *Meelf.* dec. 5. Vind. Evang. disp. 10. thes. 77. - 80. p. 256. Vide *Gerh.* tom. 2. LL. CC. l. 11. de Imag. Dei in hom. §. 85. p. 449. seq.

Vers. 14. *In unamquamque gentem Deus præposuit rectorem, & pars Dei Israel facta est manifesta.*

*Anabaptistæ* contendunt, *Christianis non esse præficiendum Magistratum politicum*, quoniam *ipse Deus eos regat*, cum *reliquis gentibus Deus præfecerit duces, qui illas regant*.

℞. Argumentum hoc est contra ipsos *Anabaptistas*. Nam habuit Israel *Judices* & *Reges*, quorum ipse Syracides multos nominatim laudibus evehit, c. 46. 47. 48. 49. & tamen *Deus Israelem gratiosè rexit*, de qua *singulari gratia* erga hunc populum, vide *Deut.* 10. v. 14. & 15. quæ cum Magistratus pii gubernatione optimè stare potest, imò *hæc* illi servivit. *VVinckelm.* tom. 3. Giess. disp. 17. thes. 19. p. 510. seq.

CAP. XVIII. v. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.*

*Augustinus* lib. 4. de Genes. ad liter. c. 33. statuit, *mundum uno temporis momento à Deo creatum esse: Deum enim creasse omnia simul*.

℞. (1.) In *Græco* Ecclesiasticus habet κοινῇ, quod *Drusius* vertit, *communiter* seu *universaliter*, sine ulla exceptione; ut sensus sit, *Deum communiter omnia creâsse*, Joh. 1. v. 3. quod facilè damus: inde verò non sequitur, ipsum *mundum unô temporis punctô creâsse*. (2.) Ut maximè verò τὸ *simul* apud Syracidem haberetur, id non sumi oporteret *Mathematicè*, pro collectione temporis; sed *synecdochicè*, pro creaturarum συλλογῇ, atque sic esset *collectivum specierum*: qualiter vulgò, cum è portu magna classis solvitur, etsi aliquæ naves prius abiverint, dicitur tamen tota classis *simul* solvisse. Docet idipsum *oppositio*: siquidem Ecclesiasticus confert inter se *Deum creatorem*, qui ab æterno in æternum vivit; & *res creatas*, quæ simul omnes in tempore sunt à Deo productæ. *Gerhard.* tom 2. LL. CC. loc. 8. de Creat. §. 22. p. 12. *VValther.* in Harm. Script. Sacr. §. 148. p. 95. *Dannhavv.* in Idea boni Interp. part. 1. sect. 3, art. 11. §. 93. p. 197. *Becan.* in Theol. Schol. part. 1. tract. 4. cap. 1. n. 4. p. 345. *Mendoz.* disp. 3. de Cœl. sect. 1. §. 10. p. 514.

Vers. 2. *Dominus solus justus, & non est alius præter illum, disponens mundum in palmo manus suæ, & omnia obediunt voluntati ejus, &c.*

I. Syracides utitur (1.) *Metaphora*: nam verbum οἰκίζειν, *disponere*, propriam habet sedem in *œconomicis*, h. e. in gubernatione rei familiaris ac domesticæ, hîc transfert ad *mundi administrationem*. (2.) Ἀνθρωποπάθεια: In *palmo manus suæ*, i. e. in *potentia sua*, exerente se in *potentissima mūdi gubernatione*. (3.) *Græcismô*: Πάντα ὑπακούει, *omnia obedit*, ut ita loqui liceat; ubi neutrum plurale gaudet verbo singulari. *Vatabl* in Ann. ad h. l. p. 78. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 7. p. 109. seq.

II. Gemina apparet ἀντιλογία: 1. enim *solus Deus dicitur esse justus*, at *Habel quoq; pronunciatur justus*, Matth. 23. v. 35.

℞. *Solus Deus justus* est per *essentiam*: at verò Habel justus erat *fide*. Hebr. 11. v. 4. & sic per *imputationem*.

2. *Omnia* feruntur *Dei voluntati obedire*; sed *aliqui homines Dei voluntati non obediunt*, *Psal.* 81. v. 14. *Jes.* 1. v. 4. &c.

℞. *Omnia obediunt voluntati Dei absolutæ*, quippe cui nemo resistere potest, *Rom.* 9. v. 19. at *voluntati Dei ordinatæ*, proh dolor! multi non obediunt.

Vers. 22. *Non impediaris orare semper, & ne verearis usq; ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.*

I. *Bellarminus* l. 1. de Justif. c. 1. p. 934. automat, nomen *justificationis* accipi pro *incremento justitiæ*: ita namq; accipi à Syracide, quando jubet, *ne verearis usq; ad mortem justificari*.

℞. (1.) Græcè est: *Ne differas justificari, usq; ad mortem*; ubi τὸ *usque ad mortem*, non pertinet ad vocabulum proximum, *justificari*. sed ad verba præcedentia, *ne differas*. Vult igitur Syracides, *justificationem non esse differendam usque ad mortis* diem. (2.) *Justificari* hîc non notat, *majori justitia augeri*, aliàs, cùm v. 2. *solus Deus justificari* dicitur, ipse majori justitia augeretur, quod est absurdum; sed *Tirino* in h. l. interprete, *à statu peccati per pœnitentiam transire ad gratiæ statum*. Proinde hîc verbum illud *justificari* tam de *justificatione fidei gratuita*, (quæ fit per remissionem peccatorum) quàm de *emendatione vitæ* accipi potest, non verò pro *incremento justitiæ*, in quo nostra coram Deo consistat justificatio. *Gerlach.* tom. 2. disp. Theol. 17. thes. 25. p. 654. seq. *Hutter.* in LL. Theol. art. de Justif. controv. 1. spec. obj. 3. p. 439. *Eckhard.* part. 2. Pand. controv. Pontif. c. 26. q. 3. obj. 1. pag. 357. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 19. de Justif. §. 10. obj. 5. p. 997. *Osiand.* in Enchir. controv. Pontif. c. 10. q. 1. obj. 4. p. 88.

II. *Bellarminus* l. 4. de Justif. c. 19. testim. 1. stabilire allaborat *operum bonorum justificationem*, quia *assidua oratione justitiam nostram augere atque alere studeamus*, Syracide hîc monente.

℞. (1.) Ex *fonte Græco* palam est, *procrastinatio*-

*nem conversionis* hî prohiberi, videlicet ut ne quis salutis suæ negligens, pœnitentiam & conversionem suam differat ad extremum usque vitæ articulum. Ubi nihil audis de *justificatione secunda per bona opera*, quasi studere debeamus justificationem nostram ad mortem usque conservare & perficere per bona opera. (2.) Neque valet sequela: *Justificationem nostram debemus continuare usque ad mortem*, ergo *continuatio illa fit per bona opera*; cùm Apostolus potiùs dicat, *ex fide in fidem*, Rom.1.v.17. cui tamen *pia oratio*, cujus quasi anima est fides, *Marc*.11.v.24.& *Jacob*.1.v.6. opponi non debet.

*Bellarminus* ibid. replicat 1. verbum μείνῃς posse etiam commodè verti, *cesses*, quod sit idem cum illo, *verearis*: omnia enim *continuationem & progressionem*, non *inchoationem justitiæ* significare.

℟. (1.) Imò verò Græcum verbum *propriè* significat *expectare, differre*, &c. Unde *Arias* vertit: *Ne expectes justificari*, &c. Et Vatablus: *Ne tuam probitatem usque in mortem differas*. (2.) Si vel maximè *continuatio justitiæ* denotaretur, nondum tamen *justificatio operum* stabilita foret, cùm & *fides justitia* continuatione indigeat.

2. Quemadmodum illud præcedens, *non impediaris orare semper*, significat *continuationem & progressum orationis*; ita quoque hoc consequens, *ne verearis usque ad mortem justificari*, justitiæ *incrementum* notare.

℟. (1.) Græca sic habent: Μὴ ἐμποδισθῇς τοῦ ἀποδοῦναι εὐχὴν εὐκαίρως. Id est, *Aria* interprete: *Ne prohibeas reddere votum opportunè*. Ubi nomine εὐχῆς hic non *oratio*, sed *votum* intelligitur, teste *Vatablo*. Itaq; non de *justitia operum*, sed de *justitia in verbis*, seu *fidelitate in servando voto* Syracides hic agit, respiciens ad *Deut*.23.v.21. & *Eccles*.5.v.4. (2.) Si vel maximè de *oratione* loqueretur, nihil aliud significat, quàm quòd *in tempore adhuc commodo & opportuno* precibus sit invigilandum. Quid verò hoc ad stabiliendam *justificationem per opera* facere potest? Quin imò cùm *operum justitia* quotidiè debeat incrementa capere, ideo nondum est *perfecta*, atque sic non potest coram Deo justificare.

3. Rationem hanc, *quia merces Domini manet in æternum*, esse aptissimam, congruentem præcepto *augendæ justificationis*: nam *prima justificationi impiorum* non *mercedem*, sed *indulgentiam* congruere.

℟. Verba illa non habentur in *Græco* fonte, *Aria* & *Vatablo* testibus, sed à *Latino Interprete* sunt infarta. Nos verò *suppositiis* stabimus? *Hutter*. in Explic. lib. Form. Conc. art.3. de Justit. fid. cap.3. antith.3. error.5. p.408. seq. *Eckh*. part.2. Pand. controv. Pont. c.26. q.9. obj.2. p.411. seq. *Gerh*. tom.4. LL. CC. loc. 20. de Bon. Oper. §.86. p.173. seq. & in Conf. Cath. lib.2. spec. part.3. p.891. arg.17.

CAP.XIX.v.4. *Qui credit citò, levis corde est, &c.*

Apparentem quandam ἀντιλογίαν hîc occurrentem, vide conciliatam in Vind. *Mich*.7.v.5.

Vers.11. *A facie sermonis improperabit stultus, ut à facie fœtûs parturiens.*

*Pleonasmus* est: *A facie sermonis*, hoc est, *à sermone*, & *a facie fœtus*, id est, *à fœtu*. *Jun*. in Not. ad h. l. p.1043.

Vers.18. *Facientes quæ placita sunt ei, immortalitatis arborem decerpunt.*

*Metonymia* est *causa* pro *effectu*, Hebræis usitata: nam *arbor* pro *fructu* ponitur. *Jun*. in Not. ad h. l. p.1043.

Vers.28. *Est correptio, quæ non est tempestiva, & est tacens, & ipse est prudens.*

Syracides videtur Apostolo contrariari: *ille* enim correptionem intempestivam rejicit; *hic* verò eam inculcat. 2. *Tim*.4.v.2.

℟. Nulla utrobique est pugna: etsi enim *importuno tempore* (ut aliis videtur) delinquentem corripere necesse est; tamen semper id observemus, *quod ad proximi nostri ædificationem faciat*, ne dum eum emendare & sanare volumus, morbum animi ejus intempestivô remedio augeamus & exasperemus, non autem tollamus. Itaque *prudentiâ* opus est, quam & Syracides & Paulus requirunt. *Osiand* tom.2. Paraph. Bibl. p.652.

CAP.XX.v.18. *Neque enim illud habere in recto sensu accepit, & ipsum non habere similiter indifferens illi.*

*Ellipsis* est (1.) *verbi* conjugati: *Accepit*, pro, *acceptum dedit*. (2.) *Negationis*, ἀπὸ κοινοῦ in posteriori membro repetendæ: *Similiter non indifferens illi*. *Jun*. in Not. ad h. l. p.1044.

Vers.27. *Potior fur, quam assiduitas viri mendacii: perditionem autem ambo hæreditabunt.*

*Reformati* quidam inficiascunt, *furtum esse capitaliter puniendum*, *cum sit levius delictum mendacio*, quod capitaliter non punitur.

℟. Aliud est loqui de peccatis *simpliciter*, & aliud *in certa comparatione*. Furtum *simpliciter & in se* gravius est peccatum, quàm mendacium; levius tamen dicitur *in certa comparatione*: sæpe enim egestas & fames ad furtum impellunt, *Prov*.30. vers.9. mentiendi verò consuetudo mera malitia est. Sic *ebrietas* fornicationem malitiâ excellit *sub certa comparatione*: sed num ob id gravius punitur? Quare de *pœnis* non est judicandum ex *qualibuscunq; peccatorum collationibus*, sed ex ipso potiùs *facto & delicto*. Quod enim aliàs supplicium *mendacibus* adjudicabunt Adversarii? Nam si graviùs puniendi, quàm *fures*, non sufficient *perpetui labores & servitia*. Maturè igitur deliberent de *politica mendacii pœna*. *Osiand*. tom.2. Paraphr. Bibl. p.653. *Meisn*. part.1. Phil. sobr. sect.2. c.4. q.3. membr.1. arg.3. p.610. seq.

CAP.XXI.v.1. *Fili peccâsti? ne adjicias iterum, & de præteritis deprecare, ut dimittantur tibi iterum.*

I. *Bellarminus* l.3. de Justif. c.4. arg.3. opinatur, *neminem posse esse certum de remissione peccatorum*, eò; quòd *quivis peccator debeat esse sollicitus pro peccatis futuris & præteritis*.

℟. Syracides à *carnali securitate* dehortatur, & pro præteritorum remissione potiùs humiliter precandum, quàm in peccatis securè pergendum esse docet. Quæ v. hæc consequentia: *Debemus pro peccatorum pristinorum remissione deprecari, ergo de illa non possumus esse certi?* Contrarium potiùs inde infertur: quia enim preces pro peccatorum remissione nituntur *immota & infallibili Dei veracis promissione*, ideo de ea certi esse possumus. *Gerh*. tom.3. LL. CC. loc.19. de Justif. §.97. p.1259.

II. *Alphonsus de Castro* autumavit, *orationem satisfacere pro peccato*, quia *institui debeat*, *ut præterita peccata dimittantur*.

℟. (1) Hac ratione etiam daretur satisfactio *futurorum* peccatorum: nam & de *futuris* jussit Dominus orare, *ne inducamur in tentationem*, Matth.6.v.13. & Bellarm. sollicitudinem pro *futuris* jam modò concessit. (2.) Inde potiùs contrarium sequitur, nempe *eos non habere satisfacere, qui debent deprecari peccata*, ut dimittantur, etiam sensu communi teste. Nam cur *precer remitti, si paratus sim satisfacere*. (3.) Ipsas *preces*, quibus remissio postulatur, pro *satisfactione* ipsa nominare, est contra ipsos Papistas, qui pœnas dicunt *post remissionem*: itaq; *satisfaciunt nunquam*, nisi remisso peccatô.

*Salmero* tom. 11. tract. 24. regerit, quia homo sine gratia addit peccatum peccato, quum ait, *ne adjicias iterum*, gratiam ponere in eo; & tamen adhuc velle orare, ut remittantur: quod, præterquam ad *pœnam*, fieri non contingat.

℞. (1.) Nihil est necesse, *gratiam in eo poni*, quod *quis admonetur, ne adjicias peccatum peccato*: nam quis nescit, posse *omnes homines*, etiam *reprobos*, admoneri, ne adjiciant peccata peccatis? Aut quinam illi, ad quos *Psal.* 4. v. 5. dicitur: *Irascimini & nolite peccare?* Nonne qui paulò antè *graves corde*, v. 3.? An ergo in iis jam gratia? (2.) Sed demus, *jam inesse gratiam*, quid tum? Nam etiam *post gratiam* à fidelibus flagitatur venia, id est, remissio tum culpæ, tum pœnæ. Sic enim *David*, post auditam à Nathane consolationem, tamen exclamavit, *Psal.* 51. v. 3.: *Miserere mei, dele iniquitatem meam, lava me ab iniquitate mea*, v. 4. At *satisfactionis* suæ nullius unquam, ne verbulò quidem, meminit. Cur non æquè *omnes fideles?* (3.) Concedimus, orandum esse pro remissione *pœnæ*, neque hoc quæritur, sed utrum jubeatur *satisfacere?* Ego verò infero, non juberi *satisfacere*. Longè enim aliud est, *satisfacere pœnæ*, & aliud, *condonari pœnam*: quia oratur pro *condonatione pœnæ æternæ*, non pro *satisfactione*. (4) Absurdum est, in argumentum *satisfactionis retentarum pœnarum*, proferri *preces pro remissione pœnæ*. Quid enim tu postules *remitti pœnam*, quam asseras *retineri*, aut cui te *satisfacere* oporteat? (5.) Falsum est, non nisi de *pœna* intelligi, quod jubentur orare, ut sibi remittantur peccata. Nam cur non etiam id de *culpa?* Ipsi enim Papistæ volunt, neminem, quantumvis in gratia, certum esse de remissione *culpæ*. Si incertus sis, cur non precibus postules? *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 23. c. 9. §. 16. seqq. p. 492. & 493.

CAP. XXII. v. 4. *Filia prudens hæreditas erit viro suo, &c.*

*Hellenismus* est: κληρονομήσει, h. e. *hæreditas erit*, ut ex Græco benè redditur. Hellenistæ enim quia non habebant voces, quib. *Hiphil* Hebræum redderent, *activum simplex* pro *duplici activo* posuerunt. Ita βασιλεύειν est pro המליך *facere regnare*. Et hæc ipsa vox κληρονομεῖν est *Prov.* 13. v. 22. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 899.

Vers. 28. *Ante ignem vapor camini & fumus, sic ante sanguines convitia.*

Verba hæc continent (1.) Ellipsin; *Ut* ante ignem *præit* vapor &c. (2.) *Metonymiam*, quâ *sanguines* pro *cædibus* ponuntur, ad morem Hebræorum. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 91. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 1045. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 351. & cap. 15. m. 3. p. 449.

CAP. XXIII. v. 1. *Domine pater & dominator totius vitæ, ne derelinquas me in consilio istorum, & ne finas me cadere inter istos.*

*Hellenismus* est, quia relativum præit antecedenti, ex *Hebræorum* usu: In consilio *istorum*, h. e. *qui ex professo peccatores sunt*, prout versu sequente 2. nominantur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1045. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 2. can. 11. p. 193.

Vers. 9. *Iurationi non assuescat os tuum, &c.*

*Anabaptistæ* negant, *jurare esse licitum*, quia *jurationi os non sit assuescendum*.

℞. Mens Syracidæ non est asserere, *jurationem esse in se malam*, cum à Deo disertè mandetur, *Deut.* 6. v. 13. sed quia est *periculosum jurare*, & ideo consuetudo jurandi *per accidens* est mala. *Thom. de Aquin.* in 3. Sentent. Lombard. dist. 39. q. 2. art. 1. ad 1. fol. 271.

Vers. 23. *Donec deglutiatur homo πόρνος in corpore carnis, &c.*

*Hellenismus* est: nam Græcis nativis πόρνος est *scortum masculum*, Hellenistis verò est πορνομανὴς, *qui scorta sectatur*, & à Syris redditur '22, quæ vox etiam Chaldæo usitata est, *Ierem.* 9. v. 2. & pro *scortatore* adhibetur à Rabbinis. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 900.

Vers. 29. *Antequam crearentur omnia, agnita sunt ei, &c.*

*Hellenismus* iteratur: Πρὶν ἢ κτισθῆναι, *antequam crearentur*, h. e. *fierent*. Ubi κτίζεσθαι Hellenistis dicuntur omnia, quæ *ullo modo producuntur*: itaque יצר plerumque, & עשה interdum κτίζειν vertitur. *Friedlib.* l. c.

CAP. XXIV. v. 29. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.*

*Becanus* in Manual. controv. Theol. l. 1. c. 1. q. 5. n. 7. p. 19. & lib. de Judic. controv. relig. Christ. p. 49. metuit, *Scripturam reddi obscuram*, ob hanc etiam apparentem contradictionem, quòd Sapientia dicat: *Qui bibunt me, adhuc sitient*; cùm contra asserat, *Ioh.* 4. v. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

℞. Sensus *literalis* utriusque dicti nullam admittit contradictionem. Nam *prius* loquitur de *affectu*, quem ex verbo Evangelii concipiant omnes, qui Deum concupiscunt, *Eccles.* 24. v. 27. Posterius de *effectu*, quem nanciscantur omnes bibentes aquam, ne æternam sitim patiantur, hoc est, perpetuo ardore & cruciatu conscientiæ in æternum teneantur, *Ioh.* 4. v. 10. 11. 12. 13. 14. *Garth.* l. de Judic. controv. contr. Becan. p. 71. seq. *Meyfart.* in Anti-Becan. tom. 1. p. 167.

Vers. 30. *Qui operantur in me, non aberrabunt.*

*Metaphora* est: Qui *operantur in me*, h. e. *colunt me*: sumta translatione à *terra*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1047.

Vers. 33. *Hæc lex, quam mandavit nobis Moses, &c.*

*Enjedinus* in Explic. locor. V. & N. T. concludit, *Sapientiam*, *Prov.* 8. v. 1. non esse λόγον, *Filium Dei*, cum sit *lex*, quæ non est λόγος.

℞. Est dispar utriusque loci ratio. Ecclesiasticus enim expresse docet, *sapientiam* de qua ipse loquitur, esse *accidens*; non item, *Prov.* 8. v. 1. ubi tanquam *substantia* describitur æterna. *Thumm.* ἰσ' ἀποδείξ. Theol. SS. Trinit. p. 75. seq.

Vers. 39. *Ex mari emergunt plurimæ cogitationes illius, &c.*

*Metaphora* est: Ex *mari*, h. e. *infinito fonte*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1047.

Vers. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

*Pererius* Comment. in Gen. fol. 423. exinde probare vult, *Christum in limbum Patrum descendisse, eosdemque ex eo liberâsse*; quoniam promiserit, *se penetraturum omnes inferiores partes terræ, & inspecturum omnes dormientes, & illuminaturum omnes sperantes in Domino.*

℞. (1.) Verba hæc desunt in *Græco* textu, unde nos non convincunt, vel ipso *Bellarmino* fatente, l. 4. de Christ. c. 12. loc. 2. (2.) Ecclesiasticus non loquitur de sapientia *increata*, quæ est Filius Dei; sed *creata*, v. 12. Unde nihil ad rem facit. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2 spec. part. 1. p. 431. arg. 7. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 5. c. 4. §. 4. p. 76.

CAP. XXV. v. 21. *Improbitas mulieris mutat faciem illius, & faciem illius obscurat tanquam ursa.*

*Synecdoche* est *species pro genere*: Tanquam *ursa*, h.e. *bestia ferocissima & nemini parcens*, 1 *Sam*. 17. v. 8. *Arist*. l. 9 Histor. animal. c. 1. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 1047. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. class. 1. p. 900.

Vers. 32. *A carnibus tuis abscinde illam, da & dimitte.*

Offert se (1.) *Enallage numeri* pluralis, *carnibus tuis*, pro singulari, *carne tua*. (2) *Ellipsis*: Da *libellum*, & dimitte *illam*. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 1047.

CAP. XXVI. v. 6. *Calumniam civitatis, & concionem populi.*

*Hellenismus* est: nam διαβολὴ Græcis quidem *calumniam* significat, sed apud Hellenistas respondet voci שִׂטְנָה, quæ *inimicitias* notat. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. class. 1 p. 900.

Vers. 20. *Omnis ponderatio non est digna anima continentis.*

*Papistæ* nugantur, *cœlibatum coram Deo esse sanctiorem, & plus mereri, quàm statum conjugalem*; quoniam *omnis ponderatio non sit digna anima continentis*, h.e. *in cœlibatu viventis*.

℞. Syracides non loquitur de *cœlibatu*, sed de *conjugio*, fatente *Barradio* lib. 8. comment. in Evangel. Concord. cap. 15. tom. 3. idque etiam manifestè probat pronomen relativum αὐτῆς, *ejus*, quod v. 19. respicit *mulierem viro junctam*, pudicam tamen & temperantem. Dicit igitur Syracides, nullam commutationem, nullam ponderationem æqualem & correspondentem posse inveniri animæ *talis moderatæ & temperantis uxoris*. *Chemnit*. part. 3. Exam. Concil. Trid. tract. de Cœlib. cap. 3. obj. 10. p. 466. *Gerhard*. tom. 7. LL. CC. loc. 28. de Conjug. §. 493. p. 762. seq. *Osiand*. in Enchir. controv. Pontif. c. 21. q. 2. obj. 11. p. 267.

Vers. 26. *Vir bellator deficiens per inopiam, & viri prudentes si stercorentur.*

*Metaphora* est: *Stercorari* enim est *flocci fieri*, ut *stercora*. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 1048.

Vers. 28. *Difficulter exuitur negotiator à deceptione, & non justificabitur caupo à peccato.*

I. *Anabaptistæ* contendunt, *opes per mercaturam non legitimè acquiri*, cum *difficulter exuatur negotiator à deceptione*.

℞. Syracides non dicit, *impossibile esse*, ut mercator sibi à deceptione cavere possit; sed *difficile*: quemadmodum Christus dicit, *difficile* quidem esse, divitem ingredi in regnum cœlorum; non autem dicit, esse *impossibile*, Matt. 19. v. 23. Itaque usus mercaturæ *per se* vacat culpâ, & inveniuntur inter mercatores, qui ementes non decipiunt: verùm ad *abusum mercaturæ* Syracides respicit, nimirum mercatores *ut plurimum* ad turpia lucra intentos esse, neglecta lege charitatis, ita ut dolosè aliis imponere tenient. *Balduin*. de Casib. Consc. lib. 4. cap. 3. cas. 7. p. 953. seq. *VVinckelm*. tom. 3. Giess. disp. 17. thes. 71. p. 534. *Osiand*. in Enchir. controv. Anabapt. c. 10. q. 4. obj. 1. p. 233. seq.

II. *Anabaptistæ* improbant *Cauponariam*, quòd *caupo à peccato non justificetur.*

℞. Adversarii committunt fallaciam *accidentis*, dum ex *abusu* Cauponariæ ad *rem ipsam*, quæ *per se bona* est, argumentantur. Neque enim Syracides Cauponariam *per se* rejicit, quia hoc vitæ genus ad societatis humanæ conservationem necessarium est; sed *ejus abusum*, qui est πλεονεξία & scurrilitas. Caupo vendat justô pretio esculenta & poculenta, & hospites suos à peccato placidè dehortetur, alioqui non immunis erit à peccato. *VVinckelm*. & *Osiand*. ibid.

CAP. XXVII. v. 2. *Ut fixus inter compages lapideas paxillus: ita peccatum urgetur inter venditionem & emptionem.*

*Anabaptistæ* instant, *mercaturam esse illicitam*, quia *inter venditionem & emptionem interveniat peccatum*, sicut *paxillus, inter lapidum compages compactus*.

℞. Iterum committitur fallacia *accidentis*: neque enim Syracides *legitimam rationem contrahendi, emendi ac vendendi* damnat, quippe quæ in V. Test. à Deo probabatur; sed *faciles occasiones fallendi fraudandiq; in hoc vitæ genere esse* ostendit. Homines enim suâ naturâ sunt ad rem suam attentiores, quorum cupiditas nisi timore Dei reprimatur, emptionibus ac venditionibus peccatum quasi clavum infert. Unde Syracides, v. 4. subjungit cautelam de *Mercatore, nisi maneat in timore Domini, domum ejus subversum iri*; clarissimè docens, posse aliquem *mercatorem agere*, simulque *Deum timere*. Itaque fraudes, tanquam vitiosum *accidens*, à mercatura, utpote re *suâ natura bona*, cum Apostolo, 1. *Thess*. 4. v. 6. sunt distinguendæ. *Hunn*. tom. 5. Op. Lat. p. 606. th. 336. *Vatabl* innot. ad h. l. *VVinckelm*. tom. 3. Giess. disp. 17. th. 70. seq. p. 533. *Gerb*. tom. 6. LL. CC. l. 27. de Magist. Polit. §. 258. p. 946. *Osiand*. in Ench. controv. Anabapt. c. 10. q. 4. obj. 2. p. 234.

Vers. 15. *Effusio sanguinis est pugna superborum, &c.*

*Metonymia* est *effecti pro causa*: nam *pugna superborum* dicitur *esse sanguinis effusio*, i. e. *sanguinis effusionem facere*, *Iun*. in Not. ad h. l. p. 1048.

Vers. 30. *Faciens mala in ipsum devolventur &c.*

*Hellenismus* est, quia constructio est Hebraica: Ὁ ποιῶν πονηρὰ εἰς αὐτὸν κυλισθήσεται, pro, εἰς τὸν ποιοῦντα πονηρὰ κυλισθήσεται, nempe πονηρά. *Friedlib*. in Annot. ad h. l. class. 1. p. 900.

CAP. XXVIII. v. 1. *Ulciscens à Domino inveniet ultionem, & peccata illius servans servabit.*

Syracides adhibet (1.) *Enallagen* participii, *ulciscens*, pro nomine, *ultor*. (2.) Epizeuxin: *Servans servabit*, h.e. *constanter servabit*. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 1049.

CAP. XXIX. v. 1. *Faciens misericordiam fœnerabitur proximo, & pro illo confirmans se manu sua, servat mandata.*

*Metonymia* est *causa pro effectu*: nam *manus* pro *facultate* ponitur. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 1049.

Vers. 28. *Vita mala est de domo in domum, & ubi peregrinabis, non aperies os.*

In versu hoc habetur (1.) *Ellipsis* participii: *De domo* migrantis *in domum*. (2.) *Hellenismus*: Non *aperies os*, i.e. non *audes aperire os*. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 1050.

CAP. XXX. v. 9. *Lacta filium, & exterrebit te; collude cum ipso, & contristabit te.*

Syracides utitur (1.) Ironiâ: *Lacta & collude*, scilicet! Sarcastica concessio, nisi sentias, *imperativum* positum esse pro *subjunctivo*, cum conjunctione SI: *Lacta & collude*, hoc est, *si lactaveris*, & *si colluseris*. (2.) *Metaphorâ*: nam τιθηνεῖν propriè dicuntur *nutrices, quæ infantes lactant*: accipit verò pro *blandiùs educare & fovere*. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 101. *Iun*. in Not. ad eund. l. p. 1050. *Glass*. lib. 3. Philol. Sac. tract. 3. can. 43. m. 2. p. 359.

Vers. 14. *Melior est pauper sanus & fortis habitu, quam dives flagellatus in corpus suum.*

*Metaphora* est: *Flagellatus*, id est, *plagis & infirmitatibus corporis affectus*, ut plærumque *ægri* appellantur in N. T. & sequentia interpretantur. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 1050. Confer *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 404.

Vers.

Verſ.18. *Quaſi appoſitiones epularum circumpoſita ſepulchro.*

*Pazmannus* in Hodeg. autumat', *eleemoſynas pro defunctis utiles eſſe*, quoniam hunc in finem *appoſitiones epularum ſepulchro fuerint circumpoſita*, ut iisdem defuncti juventur.

℞. Syracides nihil aliud hic docet, quam quæ fuerit *Veterum pietas* in curandis funeribus piè defunctorum. Nam epulas ſuper illis inſtituebant, non propter *Purgatorium*, ſed propter *vivorum conſolationem*, qui in luctu erant. Quæ ratio manifeſtè exprimitur, *Jerem.*16.v.7.& *Prov* 31.v.6. ex quo poſtremo loco *Hieronymus* in comm. ſup. Jerem. probat, *lugentibus ferro cibos morem fuiſſe, & praparare convivium*, quod Græci περίδειπνα vocant. *Balduin.* in Phosph. Cath.l.14.c.5.p.1219.

CAP.XXXI.v.7. *Lignum offendiculi* (aurum) *eſt ſacrificantibus ei &c.*

Reperitur hoc loco (1.) Helleniſmus: *Idolum* enim Helleniſtis vocatur *lignum offendiculi*, ab *effectu*, quod offendiculum ſit homini. (2.) *Metaphora*, quâ *ſacrificare* ſignificat *aliquid velut numen colere*. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1050. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. p. 900. claſſ. 1.

Verſ.10. *Qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus, & facere mala, & non fecit.*

*Bellarminus* l.5. de Grat. & lib. arbit. cap.23. loc.3. exinde *liberum hominis arbitrium* probare conatur, quòd *is potuerit transgredi, & non ſit transgreſſus, facere malum, & non fecerit.*

℞. (1.) Non conſentit Editio *Latina* cum *Græca*; hæc enim *interrogationem* habet in hunc modum: *Quis potuit transgredi, & non transgreſſus eſt, & facere malitiam, & non fecit?* Quid hæc autem pro Papiſtis faciunt? Nam videntur potiùs ſignificare, *nullum eſſe, qui non transgrediatur, cum poteſt.* Et eſt veriſſimum: niſi per Spiritum Dei proclivitas illa in peccatum, de qua etiam Syracides conqueritur, c. 17.v.16. cohibeatur. (2.) Quid ſi ne *Latina* quidem Editio Papiſtas juvat? Neque enim plus exinde poteſt inferri, quam *hominem potuiſſe, etiam non transgredi*: quod verò *ex ſeipſo poſſit*, non ſequitur, idque nec Syracides docet. (3.) Non agitur hîc de *ſalutari ad Deum converſione*, vel de *facultate applicandi ſe ad bonum & malum*; ſed de *externo divitiarum uſu*, quæ ſuppeditant potentiam & vires peccandi, fatente *Janſenio* in Comm. h. l. Itaque non eſt *in utrumq; liberum arbitrium indifferens*, etiamſi verè is laudandus dicatur, *qui cum poſſet divitiis peccare, & non peccavit.* (4.) Si vel maximè ſumatur de *ſpiritualibus*, nil tamen prodeſſet Adverſariis. *Coſterus* enim in Enchir. c.5. p.226. locum hunc diſertè exponit de *homine juſto*: at ab *homine juſto* (cujus arbitrium per Spiritum Sanctum liberatum eſt) ad *hominem inconverſum*, non procedit argumentum.

*Baiſius* in Catech. contro v. tract.4. q.3. conqueritur, *punctum interrogativum ab hæreticis eſſe additum, ut loci illius ſenſum obſcurarent.*

℞. Mera hæc eſt calumnia: nam punctum interrogativum additur in omnibus codicibus *Græcis*, ne *Hiſpanicis* quidem & *Antverpienſibus Regiis* exceptis. En hanc in partem, magnum exemplarium conſenſum. Et eodem modo legunt *Vatablus* ac *Janſenius*. *Gerhard* tom.2. LL.CC. loc.14. de Lib. Arb. §.78. obj.3. p.989. & in Confeſſ. Cathol. lib.2. ſpec. part.3. p.573. arg.8. *Oſiand.* in Enchir. controv. Pontif. c.9. q.1. obj.9. p.76. *Cham.* tom.3. Panſtr. l.3. c.15. §.3.4.5. p.35.

Verſ.25. *Vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.*

*Becanus* de Juſtif. Calviniſt. c.1. vult, *in juſtificatione hominis peccatoris coram Deo peccatum prorſus auferri ac radicitus evelli*: *Sicut enim*, ajens, *qui retinet vomitum, morbo & infirmitati fit obnoxius; qui rejicit, refrigeratur: ſic etiam, qui peccatum apud ſe retinet, ægrum & nauſeantem animum habeat, neceſſe eſt; qui projicit, ſanitatem recuperat. At ſi projicit, quomodo manet in homine?*

℞. (1.) N.C. quia *vomitus* non eſt *juſtificatio*: *ille* enim fit à nobis, *hæc* verò à Deo. (2.) Non dicitur, *per vomitum reſtitui omnimodam ſanitatem*: nam & hoc manifeſtè falſum; ſed, quod verè potuit dici, *refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Qua ratione etiam verum eſt, magno eum pondere levari, qui renunciat peccato, neque ſibi damnationem acquirere: ſed quomodo, qui vomit, non propterea *integrè perfectéq;* ſanatur; ſic neque qui peccato renunciat, nihil retinet infirmitatis. (3.) Non tantùm verum eſt, qui peccatum retinet, ægrum & nauſeantem habere animum, quod *Becanus* ponit; ſed etiam, quod nos addimus, nullum fidelem, quamdiu hîc vivit, non habere ægrum & nauſeantem animum. Alioquin unde illud: *Quod volo bonum, non facio; quod nolo malum, hoc ago*, Rom.7.v.19. ſi nulla nauſea eſt, nulla ægritudo? *Cham.* tom.3. Panſtr. l.21. c.16. §.22. ſeq. p.444.

Verſ.33. *Amaritudo animæ eſt vinum potatum multum &c.*

Occurrit (1.) *Metaphora*: nam *amaritudo* pro *ira, animiq; crudelitate* accipitur. (2.) *Metonymia effecti* pro *cauſa*: quia *vinum multum potatum* dicitur *eſſe amaritudo animæ*, h.e. *amaram animam facere*. *Jun.* in Not. ad h.l. p.1051. Confer *Glaſſ.* lib.5. Philol. Sacr. tract.1. cap.12. p.361.

CAP.XXXII.v.21. *Vir conſilii non deſpiciet intelligentiam; alienus vero &c.*

Videre hîc eſt (1.) Helleniſmum: *Vir conſilii*, h.e. *conſultus* (2.) *Ellipſin* nominis ſubſtantivi, ex membro præcedente repetendi: *Alienus*, ſcil. *a conſilio*. *Jun.* in Not. ad h.l. p.1051.

CAP.XXXIII.v.1. *Timenti Dominum non occurret malum &c.*

Ἐναντιοφανὲς oritur: nam *timenti Dominum non occurret malum*; at *pius & Dominum timens multa pati cogitur*, Pſal.34.v.20.

℞. *Premuntur* quidem pii, ſed non *opprimuntur*. Et licet non in *hac vita*, tamen certè *poſt hanc vitam* plenaria liberatio continget. At impiorum tormenta tum demum incipient, & nunquam deſinent. *Friedlib.* in Annot. ad h.l. claſſ.2. p.902. n.6.

Verſ.5. *Rota plauſtri ſunt viſcera ſtulti, & quaſi axis verſatilis meditatio ejus.*

Syracides uſurpat (1.) *Ellipſin particulæ comparativæ*, ex membro ſequenti iterandæ: Ὡς τροχὸς, *quaſi rota*, i.e. *planè inſtabilis volubiliſq;*. (2.) *Metonymiam ſubjecti* pro *adjuncto*: nam *viſcera* pro *intimis cogitationibus* ſunt. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.117. *Jun.* in Not. ad eund. l. p.1051.

Verſ.10. *Ex illis alios exaltavit & ſanctificavit, alios ex illis poſuit in numerum dierum.*

*Ellipſis* eſt *nominis* contrarii: *In numerum dierum*, puta *profeſtorum*. *Jun.* in Not. ad h.l. p.1051.

Verſ.16. *Contra malum, bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum juſtum peccator: & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo duo, & unum contra unum.*

I. Offert ſe (1.) *Synecdoche generis* pro *ſpecie*: nam *peccator* pro *impio* κατ᾽ ἐξοχὴν, utpote *viro juſto* oppoſitus, uſurpatur. (2.) *Helleniſmus*: Δύο δύο, *duo duo*, i.e. *bina*, quæ numeralia geminata, *Hebræorũ* more,

diſtri-

*distributionem* iodicant. (3.) Ellipsis: *Bona, scil. sunt omnia. Iun.* in Not. ad h. l. p. 1052. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 5. m. 3. p. 20.

II. *Manichæi* delirarunt, *esse aliquod summum boni principium, summo mali principio contrarium*; q ioniam *unum sit contra unum, bonum contra malū.*

℞. Committitur ἄγνοιαν ἐλέγχου, sive de *prima creatione*, sive de *cursu & conditione vitæ, & actionum humanarum communi* locum illum accipias. *Priore* enim modo senlus emergit iste, Deum creaturas suas ita fecisse & ordinâsse, ut una alteri quodammodo sit ôpposita, & quælibet ulum habeat ab altera distinctum, imò alteri contrarium; id quod tum in creaturis *rationalibus*, ut Angelis & hominibus, tum in *brutis*, imò in plantis, elementis, & creaturis quibuscunque aliis videre est. Cæterum ne ad *duo contraria principia* instituatur collectio, prohibet ipse Syracides, statim subjiciens: *Hæc autem omnia sunt opera Altissimi.* Posteriore modo sensus non alius emergit, quam in omnibus rebus & actionibus semper inveniri duo contra duo, ita ut duo bona semper sibi habeant contraria duo mala, & unum bonum alteri malò sit contrarium. *Hutter.* in LL. Theol. loc. 5. de Caus. peccat. cap. 2. part. 2. obj. 1. p. 251.

Vers. 25. *Cibaria, & virga & onus asino: panis, & disciplina, & opus servo.*

*Drexelius* in Nicet. lib. 2. cap. 4. p. 355. ex hoc loco probat *flagellationes*, quæ debeantur carni, ceu *animæ servo & asino*: illi enim deberi vulgarem cibum, *castigationem* & opus.

℞. (1.) Glossa *Ordinaria, Lyranus* & *Cornelius à Lapide* io h. l. agnoscunt, in sensu *literali* hic agi de *servi coercitione*: cur ergo trahitur ad *propriæ carnis flagellationem*? (2.) Etsi *mysticè* animæ servus & asinus notaret corpus, cui deberetur castigatio; inde tamen non sequeretur *proprii corporis flagellatio*. Preterquam enim, quod ex sensu *mystico* non ducantur firma argumenta, nisi ipsa Scriptura explicationem monstret; notandum, quod *castigatio illa* modis aliis fieri possit, imò etiam debeat, quàm *cruenta flagellatione*. *Gerhard.* io Confess. Cathol. lib. 2. special. part. 3. p. 126. arg 4.

CAP. XXXIV. v. 4. *Ab immundo quid mundabitur? &c.*

*Donatistæ* olim contenderunt, *Sacramenta, à malo Ecclesiæ ministro dispensata, esse inefficacia*; eò quòd *ab immundo nemo possit mundari.*

℞. Minister Sacramenti non mundat alios *sua propria virtute*, sed *virtute ipsius Christi*, qui per Ministrum operatur. Unde Paulus *Ephes.* 5. v. 25. scribit, *ipsum Christum mundare Ecclesiam suam lavacrò aquæ in verbo.* At verò ipse *Christus* non est immundus, licet *ejus minister* ratione *suæ personæ* sit immundus. *Becan.* in Theol. Schol. part. 3. tract. 2. c. 5. q. 5. n. 6. p. 65.

Vers. 24. *Panis indigentium vita pauperum; defraudans ipsum, homo sanguinum.*

*Metonymia* est tum *effecti* pro *causa*, quia *panis indigentium* dicitur *esse vita pauperum*, h. e. *conservat vitam pauperum*; tum *subjecti* pro *adjuncto*, quoniam *sanguines* pro *sanguinariis* ponuntur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1052. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 3. m. 4. p. 48.

Vers. 30. *Qui baptizatur à mortuo, quid prodest lavatio illius?*

*Donatistæ* ulteriùs urserunt, *impiorum Ministrorum baptismum nihil prodesse, quia ipsi coram Deo sint mortui; mortuorum autem lavationem & baptizationem nihil prodesse.*

℞. (1.) Syracides non loquitur de *Baptismo N. T*, sed *in genere* utitur eo verbo, quod significat *tingere, mergere & abluere*. Et *propriè* agit de *more illo Iudæorum*, qui fuit, ut cum à cadavere mortui alicujus hominis domum redirent, se abluerent, atque ita se expurgarent, juxta legem Mosis, si quid immundi contrectâssent. Ideò Sapiens non dicit, ὑπὸ νεκροῦ, sed ἀπὸ νεκροῦ. (2.) Ablui ἀπὸ νεκροῦ, non denotat *personam*, per quam baptizamur; sed significat *pollutionem & immunditiem*, in quam incurrebant, qui mortuos tangebant sub lege Mosis, & ab ea emundari, ut sensus sit: *Qui mundatur à sordibus, & iterum tangit sordes, quid prodest illi ablutio?* Nimirum similitudine illa *ablutionis* ostendit eorum levitatem & amentiam, qui à pœnitentia ad pristina peccata relabuntur, v. 31. & 2. *Pet.* 2. v. 22 *Chemnit.* part. 3. LL. Theol. p. 150. seq. *Becan.* in Theol. Schol. part. 3. tract. 2. cap. 5. q. 5. num 6. p. 65.

CAP. XXXV. v. 2. *Sacrificat salutarem, qui attendit mandatis.*

*Ellipsis* est nominis conjugati: breviter enim dictum, θυσιάζων σωτηρίου, *sacrificans salutarem*, pro, θυσιάζων θυσίαν σωτηρίου, *sacrificans hostiam salutarem*, puta *hostiam pacificam*. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 1052. *Friedlib.* in Annot. ad eundem locum p. 900. class. 1.

Vers. 11. *Da Altissimo secundum donum ejus, & in bono oculo secundum adinventum manûs.*

Syracides utitur (1.) *Metaphora*, quâ *bonum oculum* pro *mente benevola & benefica* accipit. ut v. 9. (2) Hellenismô: *Secundùm adinventum manûs*, h. e. *prout adest manui tuæ*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1053. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 339.

Vers. 16. *Nequaquam despiciet supplicationem pupilli & viduam, cum effuderit elocutionem.*

*Syllepsis* est Hebræorum: *Elocutionem*, h. e. *lacrymas elocutione conjunctas*, ut sequens versus ostendit. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1053.

Vers. 22. *Donec reddet homini secundùm actus ejus, & opera hominum secundum cogitationes ejus.*

*Hellenismus* est, Hebræos imitatus: *Opera hominum*, h. e. *mercedes* hominum. *Iun.* in Not. ad h. loc. p. 1053.

CAP. XXXVI. v. 17. *Domine, suscita prophetias in nomine tuo.*

*Hellenismus* est: nam ἐγείρειν προφητείας, *suscitare prophetias*, est *implere prædicta*, quo sensu verbum hoc habet, 1. *Samuel.* 3. v. 12. Ariæmontanus & Vatablus habent προφήτας, *prophetas*, quos Junius sequitur. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. pag. 900. class. 1.

Vers. 18. *Da mercedem expectantibus te, & prophetæ tui fideles fiant.*

*Hellenismus* iteratur: *Fideles fiant*, h. e. *fideles demonstrentur*. Arias, *fidem habeant*. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1053.

Vers. 23. *Quemlibet marem accipit mulier: sed puella una elegantior est altera.*

*Ellipsis* est membri *contrarii*, quod desideratur, ut ex versu sequenti patet: *Una elegantior est altera*, supple, *& magis accepta viro*. *Iun.* in Not. ad h. loc. p. 1053.

CAP. XXXVII. v. 18. *Anima viri nunciare interdum solet, quàm septem speculatores sedentes in sublimi specula.*

In versu hoc habetur (1.) Hellenismus: *Anima viri*, hoc est, *suus cujusque animus*: ad Hebræorum morem. (2.) *Ellipsis* nominis: *Interdum solet*, scil. *melius* (3.) *Synecdoche speciei* pro genere: *Septem* speculatores, i. e. *multi*; ubi numer⁹ *finitus* pro *infinito* est. *Vatabl.*

*Vatabl.* in Bibl. ad h. l. p. 124. *Jun.* in Not. ad eund. l. p. 1054.

CAP. XXXVIII. v. 17. *Exacerba fletum* (super mortuum) *& calefac planctum.*

I. *Metaphora* est, quâ *fletum exacerbare*, est, *vehementer flere*, & *planctum calefacere* notat *intentè plangere*. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1054. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 361.

II. Species quædam *ἀντιλογίας* oritur: Syracides enim jubet *mortuos deflere*, quod Paulus prohibet, 1. *Thess.* 4. v. 13.

℞. Nulla est *ἀντιλογία*. Nam Syracides loquitur de *luctu moderato*, ut ex v. 18. constat: Paulus verò de *immoderato*: addit enim, *sicut gentes, quæ spem resurrectionis non habent*. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. m. 7. p. 902.

Vers. 18. *Fac luctum secundùm meritum ejus uno die, &c.*

Argumentum *Papistarum*, pro *meritis operum*, vide solutum in Vindic. *Syrac.* 10. v. 31.

Vers. 24. *In requie mortui fac requiescere memoriam ejus, &c.*

*Pontificii* opinantur, *mortuos juvare suffragiis viventium*: siquidem *in mortuorum requie viventes tenentur facere, ut eorum memoria requiescat*.

℞. N. C. nam totus contextus tantùm loquitur de *honesto illo desiderio sui*, quod defuncti amici nostri nobis post se relinquunt. Quid verò hoc ad *suffragia vivorum in juvandis mortuis?* Contrarium potiùs inde sequitur. Quandoquidem enim *mortuus jam est in quiete*, vult Syracides, ut sinamus eum quiescere, neque plorando ejus memoriam cum dolore refricare. Atqui si est *in quiete*, non opus habet nostrô auxiliô. *Osiand.* in Enchir. controv. Pontif. c. 19. q. 2. obj. 5. p. 232.

CAP. XXXIX. v. 13. *Recedet memoria ejus, & nomen ejus vivet in generationes generationum.*

Reperitur hoc loco (1.) *Ellipsis* adverbii negandi, οὐκ, *non*, ex v. 12. repetendi: Οὐκ ἀποστήσεται, *non recedet*. (2.) *Metaphora*: nam *vivere* idem est ac *vigere*. (3.) *Hellenismus*: In *generationes generationum*, h. e. in *omnes generationes*. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1035. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sac. tract. 3. can. 14. p. 265. & lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. 352.

Vers. 17. *Exaudite me Sanctè, & germinate quasi rosa plantata super fluxum humidum.*

*Papistæ* docent, *Sanctos defunctos religiosè esse invocandos*, quoniam *ab iis Syracides petierit sui exauditionem*.

℞. (1.) Ipsi *Papistæ* fatentur, in V. T. *Sanctorum defunctorum invocationem non fuisse usitatam*: quâ igitur ratione *eam* ex Scriptura V. T. probare queunt? (2.) In c. 44 & seqq. Syracides *ex professo* de memoria & honore *defunctorum Sanctorum* disserit: sed *religiosæ invocationis* ne verbo quidem meminit. (3.) Editio *Vulgata*, à qua ullo prætextu discedere *Pontificiè*, ob *Concilii Tridentini* decretum, religio est, sic reddidit: *In voce dicit, obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate*. Ubi nihil de *religiosa Sanctorum defunctorum invocatione* auditur. (4.) Syracides non alloquitur Sanctos *defunctos*, sed *viventes* admonet, ut divinorum operum magnitudinem considerent, ac secum in Dei laudes descendant; neque hanc admonitionem susque deque habeant, sed eidem sese *obsequentes* præbeant. Quòd si ergo ad *Sanctos defunctos* hunc locum accommodare velimus, consequens fuerit, *illos nobis obedientes esse, nosque imperium in eos exercere posse*; cum contrarium potiùs *Pontificii* statuant, videlicet *Sanctos defunctos esse rerum nostrarum præsides ac gubernatores*. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 468. p. 899. 900. seq.

Vers. 22. *In verbo ejus stetit aqua, sicut congeries, &c.*

Nonnulli ex *Veteribus* censuerunt, *mare esse altius terra*, quod *illud stet, sicut congeries*.

℞. (1.) Sapiens non loquitur de congregatione aquarum, *quæ tertio creationis die facta est*; sed de congregatione *maris rubri* in transitu filiorum Israel, aut *Jordanis* in transitu arcæ fœderalis: unde nihil contra nos colligitur. (2.) Et licet locus iste intelligeretur de *prima illa aquarum congregatione in unum locum*, pro nobis faceret; statim enim additur: *Sicut exceptoria aquarum*, id est, *cavitates* exstiterunt, in quibus aquæ congregatæ sunt. Itaque congeries illa aquarum tertio creationis die facta est *in terra cavitatibus*, non *supra terram*. *Ruv.* in Com. l. 3. Arist. de Cœl. & Mund. c. 8. q. 3. obj. 1. p. 263 & 266 *Becan.* in Theol. Schol. par. 1. tract. 4. c. 3. p. 357.

Vers. 33. *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt flagella sua, &c.*

Quidam affirmant, *Diabolos futuros esse damnatorum tortores*, cum *sint spiritus ad vindictam creati*.

℞. Per τὰ πνεύματα non necessariò intelliguntur *Diaboli*, sed *procellæ ac turbines ventorum*, quibus in hac vita homines puniuntur. Additur enim v. 34. *Ignis, & mare, & fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt*. *Gerhard.* tom. 9. LL. CC. loc. 33. de Infern. §. 73. p. 668.

CAP. XL. v. 3. *A sedente in throno gloriæ, & usque ad abjectum, &c.*

*Hellenismus* est Hebræorum morem sectatus: *A sedente &c.* hoc est, *æquè sedenti in throno gloriæ, atque humiliter abjecto, &c.* *Jun.* in Not. ad h. loc. p. 1056.

Vers. 7. *Conturbatus in visione cordis sui, tanquam qui evasit à facie belli, tempore salutis suæ: exurrexit & admirans ad nullum timorem, &c.*

Offert se (1.) *Pleonasmus*: *A facie belli*, h. e. *à bello*. (2.) *Hellenismus*, quo θαυμάζειν, *admirari*, sumitur pro *expavescere*, quia res sunt affines, & utraque Hebræis per verbum תמה significatur. *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 1056. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. p. 901. class. 1.

Vers. 8. *Peccatores septupla ad hæc.*

Occurrit (1.) *Synecdoche speciei pro genere*: nam *septupla* pro *ingenti numero indefinitè* accipiuntur. (2) Ellipsis: *Ad hæc*, scil. *invadunt mala*. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1056. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 4. p 450.

Vers. 16. *Spuma super omnem aquam & labium fluminis, &c.*

Est hîc (1.) *Ellipsis* particulæ comparativæ: *Velut* spuma sunt, &c. (2.) *Metaphora*, quâ *labium* pro *ripa* ponitur. *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 1056. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 310.

Vers. 27. *Non est in reverentia Domini diminutio, &c.*

*Hypallage* est: *In reverentia Domini*, hoc est, *in reverente Dominum*. *Jun.* in Not. ad h. loc. p. 1056.

CAP. XLI. v. 1. *O mors, quàm amara tui memoria homini pacem habenti in substantiis suis!*

Syracides utitur (1.) *Metaphora*, quâ *mortis memoria* dicitur *amara homini*, h. e. *tristitia eum afficere*, sicut ingrata sunt *gustui amara*. (2.) *Helle-*

nismo

*nismò*: nam Græcum *εἰρηνεύοντι*, *pacem habenti*, more Hebræo significat, *feliciter viventi*. *Friedlib*.in Annot.ad h.l.class.1.p.901. Confer *Glass*.lib.5.Philol.Sacr.tract.1.cap.12.p.361.

Vers.24 *A veritate Dei & fœderis, & ab impactione cubitis in panibus, & ab obfuscatione acceptionis & dationis.*

Recurrit (1.) *Synecdoche speciei pro genere*: nam *panes* pro *cibis* sunt. (2.) *Hellenismus*: Ab obfuscatione *acceptionis & dationis*, h. e. ab exagitatione *nundinationis*, quam Hebræorum more Scriptor dixit λήψεως καὶ δόσεως. *Iun*.in Not.ad h.l.p.1057. *Friedlib*.in Annot. ad eund.loc.p.901.class.1.

CAP.XLII.v.10. *Filia patri occulta vigilia ejus est & solicitudo &c.*

*Metonymia* est *effecti pro causa*: filia enim dicitur esse *patri occulta vigilia & solicitudo*, h.e. *efficere* seu *afferre occultam vigiliam atq; solicitudinem*. *Iun*. in Not.ad h.l.p.1057.

Vers. 11. *Et cum viro existens, ne fortè transgrediatur; & cum cohabitaverit, ne fortè sterilis efficiatur.*

Verba hæc exhibent (1.) *Ellipsin* nominis: *Ne fortè transgrediatur*, scil. *legem fidemq; conjugii*, adulterando. (2.) *Hellenismum*: Μήποτε στειρωθῇ, *ne fortè sterilis efficiatur*, h.e. *sterilis appareat*. Nam verba *Hiphil*, ad quam formam est hoc στειρωθῇ, sæpe nihil aliud, quam ejus, quod est, *manifestationem* significant. *Vatabl*.in Annot.ad h.l.p.136. *Friedlib*.in eund. loc.class.1.p.901.

Vers.15. *Melior est improbitas viri, quam mulier benefica, &c.*

I. *Scurra* quidam, patrum memoria, *omnes mulieres in universum damnatas voluit*, cui Syracides favere videtur, præferens quippe *viri improbitatem mulieri beneficæ*.

℞. Syracidæ verba non sunt καθόλου dicta de *omni muliere*, cum alibi *mulieres pudicas* laudet: sed ἐν μέρει, de *muliere improba*, velut immediatè sequentia, ceu superiorum exegetica ostendunt: vocatur enim γυνὴ καταισχύνουσα εἰς ὀνειδισμὸν, *mulier pudore afficiens ad probrum*. *Jun*.in Not. ad h.loc. p.1057.

II. *Genebrardus* in Chronol. A.M.3983. ex eo probare conatur, librum hunc *Ecclesiastici esse Canonicum*, quia *Iosephus* lib.2.cont. Appion. ubi commemorat legea Mosis, *hæc ipsa Ecclesiastici verba alleget*.

℞.(1.) *Iosephus* lib.1.cont. Appion. disertis verbis duntaxat 22. libros Canonicos agnoscit, prætermisso *Ecclesiastici* libro (2.) Idem *Iosephus* d.l. ex *Platone* citat hanc sententiam: *Quod quis non deposuit, ne attollito*. Num verò propterea *is liber Platonis* erit Canonicus? (3.) Scopus *Iosephi* est, *legibus Mosaicis summam & præstantissimam antiquitatem conciliare*. At quomodo hoc per testimonium, ex libro *Ecclesiastici* desumptum, obtinere potuisset? (4.) *Iosephus* de muliere loquitur *in genere*, Ecclesiasticus de muliere *improba* in specie: quomodo ergo Ecclesiasticus à Josepho citari dicendus? *Gerhard*.in Exeg. loc.1.de Script.S.§.221.p.231.

Vers.24. *Etiam usq; ad scintillam facilè est spectare.*

*Parœmia* est: *Scintilla* enim, proverbiali loquutione, *rem quamlibet minimam* notat. *Iun*.in Not.ad h.l.p.1057.

Vers.25. *Omnia duplicia, unum contra unum, &c.*

*Manichæi* delirârunt, *esse duo summa principia contraria*, quòd *omnia sint duplicia, & unum contra unum*.

℞. Committitur fallacia *consequentis*: etsi enim contrarii effectus causas habent *particulares* contrarias, tamen inde vitiosissimè colligitur ad causas *primas* atque *universales* contrarias; aliàs daretur processus in infinitum, quod absurdum. Causæ *particulares* ita sunt comparatæ, ut una sit contraria alteri, & omnia sint duplicia: est enim Angelus & corpus, est verum & falsum, sursum & deorsum, dextrum & sinistrum, virtus & vitium, calidum & frigidum, humidum & siccum, &c. quorum omnium semper unum est contra unum. *Hutter*.in LL. Th. loc.5.de Caus.pecc.c.2.part.2.obj.1.p.251.

CAP.XLIII.v.3. *In meridie ejus arefacit regionem, & in conspectu æstûs illius quis subsistet? in caminum sufflet, &c.*

Syracides adhibet (1.) Hellenismum: *In meridie ejus*, h.e. *quum in meridiano est*; Hebræorum more dictum. (2.) *Ellipsin* particulæ comparativæ: *Quasi* in caminum &c. *Iun*. in Not. ad h.l.p.1057.

Vers.4. *Tripliciter Sol exurit montes &c.*

*Synecdoche* est *speciei pro genere*: *Tripliciter*, i.e. *quam plurimùm*; nam *ternarius* numerus intendit significationem. *Iun*. in Not. ad h.l. p.1057.

Vers.25. *In sermone ejus siluit ventus, & cogitatione sua placavit abyssum, & plantavit illum Dominus Iesus.*

Quidam volunt, nomen JESU etiam in V.T. fuisse *Messiæ attributum*, ut hoc loco à *Syracide*, qui asserat, *Dominum Iesum plantâsse abyssum*.

℞. (1.) Vitium hîc est in *Vulgata Versione*, in *Græco* enim exemplari, *Aria* & *Vatablo* testibus, ita legitur: Ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νήσους, hoc est, *Plantavit in ea insulas*. (2.) Et quamvis in *quibusdam exemplaribus* legatur: Ἐφύτευσεν αὐτὴν Ἰησοῦς, i.e. *Plantavit illam Iesus*; tamen contextus ostendit, errore librarii pro νήσους scriptum esse Ἰησοῦς. (3.) Cui persuaderi poterit, *Syracidem* tot annos ante Christi nativitatem scivisse nomen JESU, cùm nemo *Prophetarum* hoc nomine Christum ante adventum suum appellârit, ac cœlitus per Angelum illud nomen sit delatum. *Matth*.1.v.21.& *Luc*.1.v.31. *Gerhard*.in Exeg.loc.1.de Script.S.§.219.p.230. & loc. 4.§.10.p.1119.

Vers.35. *Quis vidit Deum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, sicuti est?*

*Ruffius* in Colloq.Franckenth.act.5.q.10.p.109. indignum judicat *scrutari, quid sit Deus*; cùm *nemo magnificare queat Deum, sicuti est*.

℞. N. C. neque enim Syracides *vetat Deum agnosci ex verbo suo revelato*, cum hæc piorum sit *gloria*, nôsse Deum, *Ierem*.9.v.24.& *vita æterna*, Joh. 17.v.3. sed duntaxat docet, neminem posse *Dei magnitudinem* (in virtutibus) *æquare laudibus*, qua de re non est quæstio. *Dathen*. in Colloq. Franckenth. act.6.q.1.p.110.seq.

CAP.XLIV.v.14. *Corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem.*

In versu hoc habetur (1.) *Græcismus*: quia neutrum plurale, σώματα, gaudet verbo singulari, ἐτάφη. (2.) *Metaphora*: nam *vivere* significat *vigere*. (3.) *Hebraismus*: In *generationem & generationem*, h.e. in *generationem quamque*. *Jun*.in Not.ad h.l. pag.1058. Conferatur *Glass*.lib.3.Philol.Sacr. tract.1.can.5.m.3.pag.20.& lib.5.tract.1.cap.12. pag.352.

Vers.15. *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia.*

*Bellarminus* l.1.de Sanctor.beatit. c.7.arg.2. autumat, *nisi esse Sanctos defunctos canonizari*, quia *tenemur eos laudare*.

℞ (1.)

℞. (1.) Non sequitur: *Sancti sunt laudandi*, ergo *canonizandi*. *Illud* enim Scriptura jubet, *hoc* non item. (2.) Tenemur Sanctos laudare, *sanctâ memoriâ*; non *cultu religioso*, qui canonizationi Pontificiæ includitur, de quo etiam Syracides nil novit. *Cham.* tom. 5. Panstr. l. 5. c. 8. §. 3. & 4. p. 204.

Vers. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.*

I *Bellarminus* l. 1. de Sanct. beatit. c. 7. arg. 1. instat, *Syracidem canonizâsse Henochum, Noachum & plurimos Sanctos*, quorum *gloriosam vitam & mortem in particulari annotârit*: igitur credibile esse, eodem modo Deum velle, ut *deinceps* fiat.

℞. (1.) Syracides non *canonizavit* Henochum, Noachum, & cæteros Sanctos V. T. tum quia non fuit *summus Pontifex*, ad quem pertinet *canonizatio*, ipso docente *Bellarmino* ibid. c. 8. tum quia Sancti illi *nondum fuerunt in cœlo*, sed *in limbo*, eodem *Bellarmino* dicente l. 4. de Christ. c. 11. (2.) Syracides *enumerat* magnalia, quæ Deus per Sanctos edidit, & proponit exempla ipsorum nobis imitanda quoad fidē & quoad bona opera. Pontificii verò publicis precibus Sanctos defunctos volunt invocari, iisdem templa dedicari & sacrificia offerri, teste *Bellarmino* l. 1. de Sanctor. beatit. cap. 7. Itaque *διὰ πασῶν* differt *recensio vitæ & mortis Sanctorum* apud Ecclesiasticum à *canonizatione Papisticâ*. (3.) In V. & N. T. fit etiam mentio *gloriosæ vitæ mortisq́; multorum impiorum*: non tamen datur *eorum canonizatio* in Ecclesia. Ergo à *recensione* non sequitur *canonizatio*. Franz. par. 2. disp. 11. in Aug. Conf. thes. 40. 41. seq. *Cham.* ibid.

II. *Bellarminus* libr. de Grat. prim. homin. c. 12. arg. postrem. negat, *Paradisum è quo expulsus est Adam, in Mesopotamia fuisse*; quòd *in ipsum translatus fuerit Enochus*: nemini autem unquam venisse in mentem, ut diceret, *Enochum translatum fuisse in Mesopotamiam*.

III. Ex eodem fundamento, *Bellarminus* libr. de Grat. prim. homin. c. 14. resp. ad 3. adstruere allaborat, *hortum Paradisi adhuc superesse*, cum *in eum Henoch fuerit translatus*.

℞. (1.) *Gregorius de Valentia* disp. general. 7. quæst. 6. punct. 2. col. 1484. ait, *incertum esse, quod Bellarminus de Enochi mansione in horto Paradisi asseruit*. Quid firmi ergo inde concludet? (2.) In *Græco* textu nulla planè *Paradisi* mentio fit, sed de suo hoc addidit Latinus Interpres. Ita enim Syracides Græcè dixit: Ἐνὼχ εὐηρέστησε κυρίῳ θεῷ, καὶ μετετέθη, h. e. *Ariâ* interprete, *Enoch bene placuit Domino Deo, & translatus est*. (3.) Si maximè concedatur, *Enochum esse in Paradiso*, ex eo tamen concludi non potest, eum esse in *Paradiso illo terrestri*, unde ejectus est Adam; verùm in *Paradiso cœlesti*, cujus fit mentio, *Luc.* 23. v. 43. & 2. Cor. 12. v. 4. siquidem de terra assumtus dicitur, *Syrac.* 49. v. 16 & sic non fuit translatus in Paradisum *terrenum*, aliàs non fuisset *assumtus de terra*. Itaque à *translatione Enochi in Paradisum* non potest firmum argumentum peti, quo probetur, *Paradisum terrenum adhuc existere*, fatente *Pererio* in Comment. Genes. lib. 3. disp. de Paradis. quæst. 5. p. 102. *Eckhard.* par. 2. Pand. controv. Pontif. c. 18. q. un. obj. 2. p. 25. *Gerhard.* in Cōf. Cath. lib. 2. spec. par. 3. p. 376. seq *Brochm.* tô. 1. Syst. Theol. art. de Homin. prim. c. 3. q. 1. obj. 4. p. 322.

IV *Sancti* V. T. *ante Christi mortem pervenerunt in cœlum: Enoch* enim (uti Vulgata habet) *in Paradisum fuit translatus*, id est, *in cœlum*.

*Becanus* l. de Invocat. Sanctor. p. 20. §. 7. q. 1. excipit, *Paradisi* nomine, in quem traslatus sit Enoch, intelligi posse vel *Paradisum terrestrem*, in quo Adā fuit, vel *aliquid aliud*: se enim nihil posse definire.

℞. Jesuita de tota re *dubius* est; cùm contrà *Bellarminus* audacter affirmet, Enochum in *Paradisum terrestrem* fuisse translatum. At verò Enochum non *in Paradisum terrestrē*, sed *cœlestem* assumptum esse, ex *Syrac.* 49. v. 16. patet. Paradisus autem cœlestis (terrestri destructo) alius non est, quàm *cœlum*, i. e. locus *æternæ lætitiæ & beatitudinis*, ut ex ipsa significatione vocabuli, & utriusque collatione patet. *Garth.* in Disp. de Invoc. Sanctor. contr. Becan. pag. 13. 15. 16.

V. *Bellarminus* l. 3. de Rom. Pontif. c. 6. contendit, *Henochum tempore Antichristi esse rediturum, & cū ipso pugnaturum*; quoniam *translatus sit, ut det gentibus pœnitentiam*.

℞. (1.) In *Græco* non dicitur, *ut det pœnitentiam*, sed, ὑπόδειγμα μετανοίας, *exemplū pœnitentiæ*. Nam quid significat, *dare pœnitentiam*? aut quis ita locutus unquam Autor sacer? Sed *exemplum pœnitentiæ* facile intellectu, nimirum ut ex ejus translatione omnes intelligerent, Deo curæ esse pœnitentiam agentes, ad quam & permoverētur, *Iansenio* in Cōm. h. l. & *Alcasare* in Apoc. 11. interpretibus. Atqui hoc ad *Antichristum* cur pertinet magis, quàm ad *omnē humanæ vitæ cursum*? (2.) Vox, γενεαῖς, malè reddita est, *gentibus*: nam *generationes* significantur, & *hæ* significant *humani generis longam seriem*. At si venturus est Enoch contra *Antichristum*, tùm non poterit esse exemplum pœnitentiæ *generationibus*, sed tantùm *uni generationi*. (3.) Si vel maximè ex *Græco* legendum esset: *Ut det gentibus pœnitentiam*; de *exemplo* certè, & non *redivivo illius facto*, verba illa intelligenda sunt, non diffitente *Pererio* in Cōm. Gen. 5. l. 7. n. 137 *Gravver.* in Anticost. p. 732 seq. *Gerhard.* in Confess. Cathol. lib. 2. spec. par. 1. pag. 771. seq. *Thumm.* in Contin. demonstr. de Pap. Antichrist. p. 82. *Cham.* tom. 2 Panstr. l. 17. c. 5. §. 1. 3. 4. p. 367. seq.

Vers. 17. *Noah inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

Controversias, fortè hic motas, vide in Vindic. *Gen.* 6. v. 9. diremtas.

Cap. XLV. *v.* 11. *Et memoriale esset filiis populi sui.*

*Hellenismus* est: *Filiis populi sui*, h. e. *popularibus suis*; Hebræorum more. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1059. Confer *Glass.* lib. 3. Phil. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 4. p. 135.

Vers. 18. *Complevit Moses manus ejus, & unxit illum oleo sancto.*

Rationem Papistarum, pro *superioritate Mosis in Sacerdotio præ Aarone*, vide confutatam in Vindic. *Exod.* 29. v. 7.

Vers. 22. *Et Congregatio Core in animo & ira.*

*Hellenismus* iteratur: Ἐν θυμῷ καὶ ὀργῇ, *in animo & ira*, h. e. *irato animo*. Jun. in Not. ad h. l. pag. 1059.

Vers. 27. *Pars non est illi in gente: ipse enim Deus est pars ejus & hæreditas.*

Argumentum *Bellarmini*, pro nomine *Cleri*, solis *personis Ecclesiasticis* competente, vide solutum in Vindic. *Deut.* 18. v. 2.

Vers. 30. *Ut sit illi & semini ejus Sacerdotii dignitas in æternum.*

Probationem *Papistarum*, *successionem scil. Episcoporum esse Ecclesiæ veræ notam*, vide protritam in Vindic. *Exod.* 29. v. 9.

Cap. XLVI. vers. 15. *Ossa eorum pullulent de loco suo, &c.*

*Papistæ* volunt, *ossa Sanctorum religioso cultu esse veneranda*, quòd *pullulent de loco suo*.

℞. Negatur id sequi: siquidem *memoriam Sanctorum* Syracides ibidem reverenter celebrat, nequaquam verò addit, *ossa eorum esse è sepulchris eruenda, ad cultum in sublimi locanda, & religiosè adoranda*: sed relinquit ea in sepulchris, ac propter spem beatæ resurrectionis de illis dicit, quòd *pullulent seu revirescant de loco suo*. Quæ phrasis desumpta est ex *Esa*. 66. v. 14. *Ossa vestra tanquam germen germinabunt*. Invertimus igitur argumentum: *Ossa Sanctorum pullulabunt de loco suo*, ergo *in sepulchris usq; ad diem gloriosæ resurrectionis sunt relinquenda, nec cultus religioso publicè prostituenda*. Gerhard. tõ. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 116. obj. 3. p. 204.

Vers. 17. *In lege Domini judicavit congregationem, & visitavit Dominus Iacobum.*

Conspicitur hoc loco (1.) *Hellenismus*: nam verbum *judicare* in lingua Hebraica accipitur pro *regere ac gubernare*, propterea quòd *jurisdictione* consistit optima pars gubernationis. (2.) Ἀνθρωποπάθεια, quá *visitare*, DEO tributum, sumitur pro, *aliquos afflictos misericorditer respicere, eosque liberare*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 144.

Vers. 19. *In oblatione viri lactentis.*

Κατάχρησις est, cum *agnum lactentem*, 1. Sam. 7. v. 8. Syracides vocat ἄῤῥενα, *virum*, q. d. *marem*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1060.

Vers. 22. *Pecunias & usque ad calceamenta ab omni carne non cepi.*

Recurrit (1.) *Hellenismus*: Et *usque ad calceamenta*, h. e. *ac ne calceamenta quidem*. (2.) *Synecdoche partis pro toto*: nam *caro* pro *homine* est. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 2060. Confer *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. c. 17. m. 1. p. 460.

Vers. 23. *Post hæc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem ejus de terra in prophetia, delere impietatẽ gentis.*

*Bellarminus* l. 2. de Purgat. c. 6. rat. 2. probare annititur, *eum verè fuisse Samuelem*, qui 1. Sã. 28. v. 14. Sauli apparuit, eique futura annunciavit: quia *ponatur in laudibus Samuelis, quod mortuus prophetaverit, & annunciaverit Regi, quæ ventura erant*. At quænam laus est, quòd *Diabolus alicujus speciem assumat, & decipiat*?

℞. (1.) Syracides non ἐξηγητικῶς, sed ἱστορικῶς ea, quæ dicta & visa sunt, referre voluit, secutus *historiæ narrationem*. Proinde sicut illa loquitur de *imaginario & phantastico* Samuele, tanquam de *vero*, qualem, suó meritò decepti Pythonissa & Saul, esse crediderunt, ita & *iste*. (2.) Quæ hæc fuisset laus, illi prophetare & responsum dare, cui Deus omne responsum denegaverat? Quanquam hoc ad *laudem Samuelis* facit, quòd in illius & bonitatem & veritatem Saul, in summa consistens desperatione, confisus sit, quodque propter illum Deus veritatem per malignum spiritum ab Angelo edoctum prænunciari & prophetari permiserit, ut ob id quasi Samuel ipse futurorum eventum prædixerit, *Iansenio* in Comm. h. l. docente. *Gerhard*. tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 175. obj 2 p. 306. *Eckhard*. pat. 1. Pand. controv. Pontif. c. 14. q. 1. obj. 2. p. 608. *Thumm*. in Ἀποδείξ. Theol. de Sanct. honor. p. 26. *Cham*. tom. 3. Panstr. l. 25. c. 8. §. 6 p. 550.

Cap. XLVII. v. 5. *Quum attolleret manum [?] ide funda dejecturus gloriationem Goliathi.*

*Hypallage* est: *Gloriationem Goliathi*, h. e. *gloriabundum Goliathum*. Jun. in Not. ad h. l. pag. 1060.

Vers. 11. *Stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos.*

Rationem *Tanneri*, pro *novis cultibus, extra scriptum Dei verbum licitè instituendis*, vide refutatam in Vindic. 1. *Paral*. 15. v. 16.

Vers. 29. *Et Ieroboam filius Nebat, qui peccare fecit Israelem, & dedit Ephraimo viam peccati, &c.*

Syracides usurpat. (1.) *Hellenismum*: verbum enim ἐξήμαρτε, habet sonum *activum simplicem*, at *significationem actûs duplicis*, qui apud Hebræos exprimitur per formam *Hiphil*, q. d. non tantùm ipse *peccavit*, sed & *peccare fecit*. (2.) *Metaphoram*, quá *viam* pro *ratione* accipit. *Friedlib*. in Annot ad h. l. clas. 1. p. 901. Confer *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 12. p. 376.

Cap. XLIIX. v. 10. *Qui inscriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.*

*Bellarminus* l. 3. de Rõ. Pontif. c. 6. demonstrare allaborat, *Eliam Thesbiten tempore Antichristi esse rediturum, electos in fide Christi conservaturum, & tandem Iudæos conversurum*: siquidem *inscriptus sit in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, &c.*

℞. (1.) Textus *Græcus* non concordat cum *Latino*: cur enim καταγραφεὶς ἐλεγμοῖς reddatur, *inscriptus in judiciis*? Quodnam id ferre potest idioma? Oedipus divinet. (2.) *Lenire iracundiam Domini*, quomodo ad tempora pertinet *Antichristi*, paulò ante finem mundi venturi? Nam ex *Græco* textu constat, Syracidem de *præteritis Eliæ Thesbitæ factis*, non de *futuro ejusdem reditu* loqui, h. e. non de tempore *post translationem in cælum*, (hæc enim demum v. 13. ibi sequitur) sed de tempore *prophetiæ suæ in terris* sermocinari. (3.) *Iansenius* in Comm. h. l. expressè fatetur, non convinci ex hoc loco, *Heliam venturum*: dici enim posse, Ecclesiasticum id scripsisse *secundùm receptam suo tempore opinionem*, quâ creditum fuit ex verbis Malachiæ, Heliam verè in *sua persona* venturum ante Messiam, cum id non esset implendum in *propria ejus persona*, sed in eo, *qui venturus erat in virtute & spiritu Eliæ*. Gerhard par. 2. dispp. Theol. pag. 672. seq. & in Exeg. loc. 1. de Script Sacr §. 216. p. 228. *Thumm*. in Contin. demonstr. Pap Antichrist. p. 83. *Cham*. tom. 2. Panstr. l. 17. c. 5. §. 1. & 5. p 567. seq.

Vers. 23. *Sanctus è cælo exaudivit eos, & liberavit eos per manum Iesaiæ.*

*Pleonasmus* est, Hebræis usitatus: Per *manum Iesaiæ*, h. e. per *Iesaiam*, voce *manus* abundante. *Iun*. in Not. ad h. l. p. 1061. Confer *Glass*. lib. [?]. Philol. Sacr. tract. 1. can 38. p. 148.

Vers. 26. *In diebus ejus retrogressus est Sol, & addidit vitam Regi.*

Occurrit (1.) *Synecdoche partis* pro *toto*: In *diebus*, pro, *temporibus*. (2.) Hellenismus: *Soli* enim tribuitur, quod *Deus* operabatur, quia *signũ prædictionis divinæ*, de Regis Ezechiæ reconvalescentia, in *Sole retrogrediente* constitutum fuerat, *Esa*. 38. v. 7. seq. nisi *Ellipsin* statuas: *Et addidit*, scil. *Deus*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1061. *Glass*. lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 21. m. 6. p. 297.

Cap. XLIX v. 7. *Et dedit cornu illorum aliis, & gloriam eorum genti alienæ.*

*Metaphora* est, quâ *cornu* pro *robore* sumitur, ut in Scripturis passim. *Iun*. in Not. ad h. l. pag. 1061. Confer *Glass*. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 307.

Vers. 8.

Vers. 8. *Combusserunt electam civitatem sanctificationis, & desolavit vias illius in manu Ieremiæ.*

*Metaphora* iteratur: *In manu Ieremiæ*, h.e. *ad prophetiam Ieremiæ*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 148. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 12. p. 343.

Vers. 11. *Meminit inimicorum ejus in imbre, & direxit, &c.*

*Metaphora* continuatur: *In imbre*, i.e. *obrutos eos calamitatibus à Domino*, tanquam *imbre vehementissimo*, aut *diluvio* quodam. *Iu.* in Not. ad h. l. p. 1061. Confer *Glass.* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 10. p. 252.

Vers. 12. *Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo.*

Argumentum Papistarum, pro *religioso ossium Sanctorum cultu*, vide solutum in Vindic. *Syrac.* 46. v. 15.

Vers. 15. *Nehemias erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.*

Nonnulli volunt, *Hierosolymam anno Darii secundo nondum fuisse readificatam*, quia *tempore Artaxerxis Iunioris Nehemias muros Hierosolymæ demum refecerit.*

Respondet *Dölingius* de Antichrist. interit l. 4. c. 20. p. 695. id de *consummatione urbis*, seu *restauratione murorum*, per *Samaritas* aliosve hostes dirutorum, rectè explicari.

Vers. 16. *Nemo creatus est talis in terra, qualis Henoch, &c.*

*Metaphora* est, quâ κτίζεσθαι, *creari*, idem est ac *ordinari*. Friedlib. in Annot. ad h. l. class. 1. pag. 901. Confer *Glass.* l. 5. Phil. Sacr. tract. 1. c. 10. p. 217. seq.

Vers. 18. *Ossa Iosephi visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.*

*Pontificii* exinde εἰδωλολατρείαν suam stabilire desudant, quasi *Israelitæ ad ossa Iosephi, instituta peregrinatione, tanquam ad oraculum, concurrerint, eaque religiosè coluerint*: eos enim ossa *post mortem prophetantia visitâsse.*

℞. (1.) Illud, *ossa Iosephi post mortem prophetâsse*, totum est suppositium, neque in *Græco* textu invenitur; sed ex *Syrac.* 48. v. 14. quod ibi de *Elisæ ossibus* dicitur, librarii contra fidem textûs transtulerunt ad *ossa Iosephi*. (2.) Alterum, de *visitatione ossium Iosephi*, non est accipiendum de *visitatione hominum, ad reliquias illas concurrentium*; sed de *visitatione Domini*. Disertè enim additur: ἐπεσκέφθη ὑπὸ κυρίου, ut habent *Aria & Vatabli* exemplaria, *visitata sunt à Domino*; à verbo ἐπισκέπτομαι, quod *inspicere* aut *visitare* significat, ac habetur respectus ad prædictionem Josephi, *Gen.* 50. v. 25. Dominus enim eorum curam habuit, quum filios Israel eduxit è terra Ægypti, *Exod.* 13. v. 19. (3.) Quædam exemplaria legunt, ἐπεσκιάσθησαν, ut significetur, Israelitas ossa Josephi *diligenter asservâsse*, ac si operimento aliquo munita fuissent: sed de *religiosa veneratione illis exhibita*, nihil quicquam additur. *Chemnit.* in Exam. Concil. Trid. par. 4. p. 664. *Rung.* in comm. Exod. p. 481. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Morte, §. 108. p. 193. seq.

Cap. L. v. 5. *Fortificans urbem & obsidens, glorificatus es in conversatione populi, in exitu domus veli.*

Syracides adhibet (1.) *Metaphoram*: πολιορκεῖν enim propriè est, *urbem obsidere*; at quia obsessores castra sua vallo circundant, etiam qui *urbem vallo ambiunt*, dicuntur πολιορκεῖν. (2.) Periphrasin *Sanctuarii*, quod vocat *domum veli*, quia *velo obtentum* erat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 149. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 1061. Friedlib. ibid. class. 1. p. 901.

Cap. LI. v. 25. *Decertavit anima mea de illa, & in effectione famis accuratè incubui.*

*Metaphora* elegans est: *In effectione famis*, h.e. *quum eâ degustatâ, ampliùs esurirem & sitirem illam.* Jun. in Not. ad h. l. p. 1062.

Vers. 38. *Lætetur anima vestra de misericordia ejus, &c.*

*Enallage* est *pronominis* relativi, *ejus*, pro antecedente, *Dei*, ut Græcæ vocis, αὐτοῦ, apertè, distinguit genus. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 1063.

# VINDICIÆ
# LIBRI BARUCH,

una cum animadversionibus.

Cap. I. v. 1. *Hæc sunt verba libri, quæ scripsit Baruch in Babylonia, &c.*

*Liber iste Baruch non est indubitatæ fidei*: nam *eum Baruch scripsisse dicitur in Babylonia*, qui tamen abductus esset unà cum *Hieremia* in Ægyptum post cædem *Godoliæ*, Jerem. 43. v. 6. & 7.

Respondet *Lyranus*, post Hieremiæ mortem Baruch abiisse in Babyloniam, ad consolandos captivos Judæos.

℞. Hæc mera conjectura est, nec satis firma ad hanc ἀντιλογίας notam delendam, maximè cum Hieremiam *mortuum* supponat Lyranus, cum Baruch venerit in Babyloniam: quomodo igitur ibi ex *ore Hieremiæ* librum hunc conscribere potuit? *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 5. §. 6. p. 55.

Vers. 3. *Legit Baruch verba libri hujus ad aures Iechoniæ, filii Ioacim Regis Iudæ, &c.*

Altera hæc ratio est, *cur liber hic non sit indubitatæ fidei*: dicitur enim *lectus in auribus Regis Iechoniæ*, v. 3. *& totius populi*, vers. 4. at Jechoniam fuisse tùm in *carcere*, certum est ex 2. *Reg.* 25. v. 27.

Regerit *Lyranus*, non fuisse clausum *continuè*, saltem ut non posset ad eum Baruch accedere.

℞. Hæc rursus tenuis conjectura est, eò infirmior, quia discerpit partes contextûs, qui ad aures non solùm *Iechoniæ* librum fuisse lectum exponit, sed etiam *totius populi*, adeò ut oportuerit *totum populum* convenire ad *Regem*; quod non fit verisimile. *Cham.* ibid. §. 7. p. 55.

Vers. 4. *Et in auribus omnis populi venientium ad librum, & in auribus potentum & filiorum Regum, & in auribus seniorum, & in auribus omnis populi à parvo usque ad magnum, &c.*

Baruch utitur. (1.) Hellenismo: *In auribus populi*, h. e. *audiente populo*; & *à parvo usque ad magnum*, i.e. *æquè parvi ac magni*. (2.) *Enallage numeri*, quia nomini collectivo singulari, *populi*, respondet participium plurale, *venientium*. (3.) *Ellipsi nominis* substantivi: *Ad librum*, pro, *ad lectionem libri*. (4.) *Synecdoche speciei* pro *genere*: nomine enim *Regum Principes* quoque *regiæ stirpis* appellat. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 935.

Vers. 5. *Et orabant orationes coram Domino.*

*Hellenismus* est: *Orabant orationes*. Locutio enim est ἐν συνηθείᾳ ad modum *Hebræorum*. Sic & apud Latinos, *currere cursum*, *vivere*

*vitam, gaudere gaudium,&c. Vatabl.* in Annot. ad h.l.p.394. *Friedlib.* in Annot. ad eund.loc.class.1.p. 911.

Vers. 6. *Et cogebant argentum, prout uniuscujusque poterat manus.*

*Metonymia* est *causa* tum *materialis*, quia *argentum* pro *pecunia* est; tum *instrumentalis*, quia *manus* significat *facultatem*. quoniam *manus* administra est pecuniæ erogandæ aut conferendæ. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 394. *Iun.* in Not ad eund loc. p. 933. Confer *Glass.* lib.5.Philol. Sacr.tract.1. cap.1. m.2.p.10.& m.ult.p.20.

Vers. 10. *Offerte pro peccato ad aram Domini DEI nostri.*

Tertia isthæc est probatio, *librum Baruch non esse indubitatæ fidei*: dicitur enim Rex & populus rogâsse Sacerdotes Hierosolymæ, ut *offerrent sacrificia ad aram Domini Dei sui*; at nullum erat *templum*, nullum *altare*, quia à Babyloniis omnia excisa & concremata.

Respondet *Lyranus*, verisimile esse, Judæos extruxisse *aram parvam* ad sacrificandum, prout poterant bono modo.

℟. Conjectura hæc est eorum, qui vixerunt *annis bismille* circiter post rem gestam: sed destruitur ex verbis libri, qui non tantùm dicit rogatos Sacerdotes, ut *offerrent*, sed ut *offerrent ad aram Domini*, quo nomine non est verisimile designari *fortuitam aliquam aram*, sed eam potiùs, cui id nomen erat familiare. *Cham.* l.c.§.8.p 55.

Vers. 11. *Orate pro vita Nabuchodonosoris, Regis Babylonis, & pro vita Balthasaris filii ejus, ut sint dies eorum, sicut dies super terram.*

Recurrit (1.) *Synecdoche species* pro genere: *Filii*, h. e. *nepotis*. Nam Evilmerodach fuit Nabuchodonosoris filius, & hujus pater, 2.Reg.25.v.27.(2.) *Hellenismus*: Ut *sint dies eorum, sicut dies cæli super terram*, i.e. ut *vitam longævam ducant*. Vatabl. in Annot. ad h.l.p.395.*Iun.* in Not. ad eund. loc.p. 934.

Vers. 12. *Et dabit Dominus fortitudinem nobis, & illuminabit oculos nostros, & vivemus sub umbra Nabuchodonosoris Regis Babylonis, & sub umbra Balthasaris, filii ejus, & serviemus eis diebus multis, & inveniemus gratiam in conspectu illorum.*

Verba hæc continent (1.) *Metaphoram*: Illuminans *oculos*, videl. *mentis*, h. e. dans *rerum agendarum prudentiam*. Et sub *umbra* Nabochodonosoris, i.e. sub *ejus præsidio ac defensione* contra omnis generis adversa, sicut *umbra* tuetur contra Solis æstum diurnum. (2.) Hellenismum; *Inveniemus gratiam*, &c. pro, *obtinebimus* vel *consequemur gratiam* coram eis. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 395. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 934. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. pag. 230 seq.

Cap. II. v. 1. *Et statuit Dominus verbum suum, quod loquutus est contra nos, & contra judices nostros, qui judicaverunt, &c.*

Baruch usurpat (1.) Hellenismum: *Statuit Dominus verbum suum*, i. e. *ratas fecit minas, ipsoque eventu confirmavit.* (2.) *Synecdochen*: nam *judices* pro *rectoribus populi*, & *judicare* pro *gubernare ac regere* accipit. *Vatabl.* in Annot. ad h.l.p.396.

Vers. 15. *Ut sciat omnis terra, quòd tu es Dominus Deus noster; quia nomen tuum invocatum est super Israel, &c.*

In versu hoc habetur, (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: Omnis *terra*, i. e. omnis *homo*, terræ incola. (2.) Hellenismus: *Nomen tuum invocatum est super Israelem*, h. e. *de nomine tuo vocatur Israel.* Jun. in Not. ad h.l p. 934.

Vers. 17. *Non mortui in inferno dabunt gloriam, &c.*

Controversias hujus loci vide definitas in Vindic. *Psal.* 115.v.17.

Vers. 28. *Sicut locutus es per manum servi tui Mosis in die, quo præcepisti ei, ut scriberet legem tuam coram filiis Israelis.*

Repetitur hoc loco (1.) *Pleonasmus*: Per *manum servi tui Mosis*, h.e. per *servum tuum Mosen*. nisi *manum* metaphoricè accipias pro *ministerio*, quo significatur *vis prophetica ejus*, qui ex verbo Domini loquutus est, v. 20. & 24. (2.) *Hellenismus*: Coram *filiis Israelis*, h. e. coram *Israelitis*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p.398. *Iun.* in Not. ad eund.loc. p.935.

Vers. 29. *Si non audieritis vocem meam, examen illud magnum, &c.*

*Metaphora* est ab *apibus* sumta, quâ *turba* dicitur *βόμβησις, examen*, à *βομβεῖν*, sonitu, qui editur ab apibus. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 398. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 935.

Vers. 31. *Et revertentur ad cor suum in terra transportationis, &c.*

*Synecdoche est partis* pro *toto*: Ad *cor suum*, i. e. ad *seipsos*, Jun. in Not. ad h.l. p.935.

Vers. 33. *Et recedent ab humero suo duro, & a malitiis actionum suarum: quia recordabor viæ patrum suorum, &c.*

Offert se (1.) *Ellipsis* nominis substantivi. *Recedent ab* aversione *humeri sui duri*. (2.) *Metaphora*, quâ *humerus durus* notionem *inobedientiæ* habet, & *via* vitæ *actiones & instituta* designat. *Iun.* in Not. ad h.l. pag. 935. Confer *Glass.* lib. 5.Philol. Sacr. tract.1.c.12.p.342.& 361.

Cap. III. v. 4. *Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, &c.*

*Salmeron* disp. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15.pag.464. suadet, *Sanctos mortuos esse invocandos*, quòd *eorum preces pro viventibus à Deo exaudiri petat Baruch.*

℟. (1.) Nomen *mortuorum* hîc non accipitur *propriè*, pro Patribus vitâ defunctis, quasi Baruch velit, ut Deus ipsorum preces, jam post mortem fusas, exaudiat; verùm *metaphoricè*, pro iis, *qui in fascibus mortis versari videntur*, in qua significatione verbum *moriendi* accipitur, 1.*Cor.*15.v.31. & 2. *Cor.* 11. v. 23. Præcedit enim, v. 3. *Quia tu sedes in æternum, & nos perimus in seculum.* Ac sequitur v. 11. *Coinquinatos cum mortuis, reputatos cum iis, qui in sepulchrum descendunt.* (2.) Quòd si maximè concederemus, per *mortuos* intelligi *Patriarchas & Prophetas, jam dum vitâ defunctos*; hoc tamen non juvat Pontificios. Neq; enim Baruch petit Sanctorum illorum orationem, *post mortem institutam*, à Deo exaudiri, alioquin *pro suis intercessoribus intercessisset apud Deum*, quod nimis absonum: verùm *Lyra* interprete, hoc tantùm vult indicare, *ut Deus nunc exaudiat mortuorum Israel preces, quas fuderant illi adhuc in vivis existentes, pro felici statu posteritatis.* Ideoque non *simpliciter* dicit: *Audi orationem mortuorum Israel*; sed notanter ait: *Nunc audi*, quasi voluerit Deo in mentem revocare illas preces, quas Sancti Patriarchæ *adhuc in vivis* pro suis posteris recitaverant. Patriarchæ enim diligenter pro posteris suis orârunt, quemadmodum etiam hodie fideles Christiani pro suis posteris orare solent. *Chemnit.* in Exam. Concil. Trid. par. 3. de

Sanctor

Sanctor. invoc. obj. 23. p. 624. *Gravver.* par. 7. Prælect. in August. Confess. pag. 183. 205. 207. *Gerhard.* tom 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 467. p. 898. seq.

Vers. 30. *Quis trajecit ultra mare, & invenit eam, & afferet eam auro electo?*

*Ellipsis* est, quâ subaudienda est præpositio PRÆ, vim habens Hebraicæ מן, quæ *comparationi* inservit: *Afferet eam* præ *auro electo.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 401.

Vers. 38. *Posthac in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

*Proclus*, Archepiscopus Constantinopolitanus, in Serm. de fide ad Armen. p. 27. & cum eo *Bellarminus* l. 1. de Christ. c. 5. loc. 6. p. 292. exinde probāt, *Christum esse unum illum Deum Israelis*: ipse enim homo tandem factus, *in terris visus, & cum hominibus conversatus est*; Baruch autem de *uno illo Deo Israelis* loquitur.

*Socinus* in Refut. arg. Bellarm. & Wieck. p. 184. excipit, Baruchum non loqui de *Deo incarnato*, sed de *scientia*, quæ *Dei lege* continetur; atq; *hanc*, postquam Jacobo data fuit, *visam*, hoc est, *cognitam fuisse in terris, & familiarem hominibus factam*

℟. Baruch hic non asserit, quòd *ipse liber præceptorum Dei sit sapientia illa, quæ visa sit post datam legem in terra, & inter homines fuerit conversata*; siquidem *sapientia illa propriè videri, & cum hominibus conversari nequit*; verùm, ut ex v. 36. patet, loquitur de *vero & uno Deo*, qui *invenit, deditque viam scientiæ Iacobo filio suo, & Israeli dilecto suo.* v. 37. quique *postea visus est in terris, &c. Tarnov.* de SS. Trinit. p. 291.-295.

Cap. IV. v. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & & lex, quæ est in æternum.*

I. *Socinus* l. jam c. instat, Barucho c. 3. v. 38. sermonem esse de *scientia illa Iacobo data*, quam ipse statim declarans, quid sit, dicat, *esse Dei legem*: itaque non loqui de *Deo incarnato.*

℟. Adversarius petit principium, dicendo, quòd *initium quarti capitis sit explicatio finis in tertio*, cum ibi potius *exordium novi tractatus* habeatur; id quod obscurare velle videntur, qui verterunt *Græcū* textum: *Is est liber præceptorum Dei*; cum in fonte ita sit: Αὕτη ἡ βίβλος τῶν προςαγμάτων τοῦ θεοῦ. *Hic liber præceptorum Dei, &c. Tarnov.* ibid. pag. 294.

II. *Cerinthus*, teste *Epiphanio* hæres. 28. olim docuit, *legem veterem perpetuo servandam esse*, cui favere videtur *Baruch*, asserens, *legem Dei esse in æternum.*

℟. *Lex vetus* duobus modis dici potest *æterna.* (1.) quoad præcepta *moralia*, quæ adhuc durant: (2.) quoad *ceremonialia*, quæ quidem abrogata sunt, quoad *significationem*; tamen adhuc durant, quoad *rem significatam.* Thom. Aquin. in 1. 2. q. 103. art. 3. ad 1. pag. 192. *Becan.* in Theol. Schol. part. 2. tom. 1 tract. 3. c. 4. q. 8 n. 4. p. 240.

Vers. 9. *Audite finitima Zionis, induxit mihi Deus luctum magnum.*

Occurrit (1.) *Ellipsis* nominis substantivi: Αἱ πάροικοι, *finitima*, scil. πόλεις, *urbes.* (2.) *Prosopopœia*, quia *Ecclesia Ierosolymitana*, de sua orbitate conquerens, introducitur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 936. *Vatabl.* ibid. p. 402. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 912.

Cap. V. v. 5. *Surge Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice, &c.*

*Ellipsis* redit nominis substantivi: In *excelso*, subint. *loco.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 404.

Cap. VI. v. 1. *Exemplar Epistolæ, quam misit Ieremias ad abducendos captivos in Babyloniam, &c.*

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 8. arbitratur, *librum Baruch esse Canonicum*, quòd *Hilarius* præfat. comment. in Psalm. nominatim ponat in canone *Epistolam Hieremiæ.*

℟. (1.) Hæc Jeremiæ Epistola rectè inter *Apocrypha* recēsetur, quia *stylus* prorsus à genere dicendi, quod Jeremias usurpavit, alienus est. (2.) Etsi Epistola hæc ante id tempus à Jeremia dictata existimetur, de *prioribus* tamen quinque capitibus aliter erit judicandum: ea siquidem non esse à Jeremia, Barucho dictata, ex suprà dictis patet. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 704. b. *Thumm.* in Disquis. de V. D. par. 1. p. 148. seq.

Vers. 3. *Ingressi in Babylonem eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis usque ad generationes septem.*

Epistola hæc non est *Prophetæ Ieremiæ*: hic enim c. 25. v. 11. & c. 29. v. 10. captivitatis Babylonicæ duntaxat *annos septuaginta* numerabat, non *septem generationes.*

Respondet 1. *Lyranus*, generationes esse *annorum decadas*, ideoq; *septē generationes* cōficere 70. *annos.*

℟. Hæc non est solutio: quis enim *generationē* unquam hoc sensu vidit usurpatam? *Generatio* enim, teste *Abbene Zra* in c. 1. Joel. v. 3. *non est numerus certus*, h. e. nunquam *certum aliquem annorum numerum* significat: quâ igitur veritatis specie dici potest, *generationes esse annorum decadas?*

2. *Carthusianus* in Comm. h. l. vel hanc Baruchi ætatem describi annis 14. atque ita *generationes* 5. fieri annos 70. primam autem & septimam non pertinere ad captivitatem: vel *septem ætates* non esse *numerum certum*, sed significare *perfectionem*, ideoq; intelligi *perfectam vitæ humanæ periodum*, id est, 70. *annos.*

℟. Neutra *Carthusiani* ratio potest consistere. Non *prior*, tum quia sic *quinq; duntaxat generationes essent*; at in Barucho & simpliciter *generationes septem* legim⁹, & *designatum tempus*, quo erat duratura captivitas, nullis nominatis antecedentibus, sequentibusve circumstantiis: tum quia nunquam ullū hujusmodi comperitur supputationis exemplū apud ullum autorem, sive sacrum sive profanū. Non *posterior*, tum quia nunquam auditum *septies unam eandemque rem numerari, ut tamen ejus unica perfectio significetur*; ideoq; *septem generationes* non possunt unam generationē intelligi: tum quia nunquā factum, *omnibus sigillatim generationibus æqualem annorum numerum tribui*; tum quia anni 70. non describunt *perfectam vitæ humanæ periodum*, neq; omnibus hominibus idem est ætatis terminos.

3. *Pererius* lib. 10. in Daniel. vel *septem* poni pro numero *indefinito*, ut sit post *multas generationes*; vel *generationem* esse ætatem 15. annorum, quæ *quinquies*, dabit annos 75. & quia hic numerus non exactè congruit primo ex septem generationibus, *extremas* intelligendas, non *plenas.*

℟. Neutrum verum. Nō *prius*, quia disertè Baruch, *annis plurimis, temporibus longis, ad septem generationes*: jam verò si *septem ætates* idem sunt ac *multæ*, ter idem dicitur. Est autem hic sensus adeò insolens, ut quanquam omnibus notum sit, *septem* aliquando dici pro, *multis*; nemo tamen has *septem generationes* pro *multis* sit interpretatus. Non *posterius*: nam *generationem esse 15. annorum*, nullo exemplo Chronographico potest probari. Deinde quid tum? Nam ne sic quidem numerus procedit. Etenim 70. anni præcisè definiti sunt, non autem 75. & undénam probabitur, *extremas* intelligendas

generationes; non *plenas*? Certè Baruch *septem dixit generationes*, quarum una si ætas est 15. annorum, non tedit numerus 70. annorum, ut decet, sed 105. id quod est contra Jeremiam. *Cham* tom. 1 Panstr. l. 5. c. 5. §. 9. seqq. p. 55. & 56.

Vers. 13. *Et sceptrum habet tanquam homo judex regionis, &c.*

*Judex* apud Hebræos accipitur pro *rectore ac gubernatore* συνεκδοχικῶς, ut *pars præcipua gubernandi* pro *tota gubernatione* accipiatur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 405.

Vers. 19. *Corda eorum elingi dicunt, qui de terra serpentibus, &c.*

*Metaphora* est, Hebræis usitata, quâ *corda* pro *partibus interioribus* accipiuntur. *Jun.* in Not. ad h. l. pag. 937. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 11. p. 312.

Vers. 26. *Sed sicut mortuis palmas ipsis apponunt.*

*Synecdoche* est: *Palmas*, i. e. *manus*, ad erigenda nim. idola collapsa. Hanc enim propriam esse significationem *θέναρ*, fatentur Græci, & Plinius ac Vitruvius testantur. Jun. in Not. ad h. l. p. 937.



# VINDICIÆ

## LIBRI I.

# MACCHABÆORUM,

### unà cum animadversionibus.

Cap. I. v. 1. *Alexander Philippi Macedo cecidit Darium, Regem Persarum & Medorum, & regnavit pro eo, prius in Græcia.*

Autor libri hujus utitur (1.) *Ellipsi* tum nominis, *Philippi*, scil. *filius*; tum verbi, ea membro præcedente repetendi: *Cum prius in Græcia*, subint. *regnâsset*. (2.) *Hellenismo*: Ἐπάταξε, *cecidit*, h. e. *prælio commisso superavit ac confecit*. Nam apud *Hebræos* eandem vim habet verbum *percutere*, quam apud Latinos *cædere*. Ariæm. par. ult. Bibl. p. 78 *Jun.* in Bibl. h. l. p. 983. Vatabl. in Annot. ad eund. loc. p. 1.

Vers. 7. *Et vocavit pueros suos nobiles, educatos simul cum eo a pueritia, & divisit eis regnum suum, adhuc vivente eo.*

Verba hæc continent (1.) *Hellenismum*: siquidem παῖς Græcis, ut נער Hebræis, & *puer* Latinis, pro *servo* seu *administro* accipitur. (2.) *Metonymiam subjecti* pro *adjuncto*: Divisit eis *regnum*, i. e, *administrationem regni*. Nam alioquin Alexander Magnus duos habebat filios hæredes. *Alexandrum & Herculem* ex Roxana & Arsine uxoribus. *Vatabl.* in Annot. ad cap. 1. vers. 9. pag. 1. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 983.

Vers. 8. *Et regnavit Alexander annos duodecim, & mortuus est.*

*Synecdoche* est *partis* pro *toto*: Alexander enim regnâsse dicitur *annos duodecim*, rotundatô numerô; siquidem regnavit præterea *mensibus octo*, Jun. in Not. ad h. l. p. 983. Confer *Glass.* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 17. m. 3. p. 465.

Vers. 12. *Ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos mala multa.*

*Prosopopœia* est, *Hebræis* frequentata: *Invenerunt nos mala multa*, h. e. *obvenerunt nobis*, seu *incidimus in multa mala*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 2. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 983. Confer. *Glass.* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 9. p. 213.

Vers. 29. *Tota domus Jacobi induerunt pudorem.*

Recurrit (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *domus Jacobi* accipitur pro *populo*, *ex Jacobi familia orto*. (2.) *Ellipsis nominis* substantivi: *Induerunt pudorem*, h. e. *pudoris vestimenta*, quibus pudorem suum testabantur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 3. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 984. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. pag. 37.

Vers. 30. *Post duos annos dierum misit Rex principem, &c.*

*Hellenismus* est: *Post duos annos dierum*, h. e. *integros*, phrasi *Hebraica*, Jun. in Not. ad h. l. pag. 984.

Vers. 46. *Misit Rex libellos per manum nunciorum in Jerusalem, & urbes Jehuda, ad eundum post leges alienas terræ.*

Offert se (1.) *Pleonasmus*: Per *manum nunciorum*, h. e. per *nuncios*. (2.) *Hellenismus*: nam *ire post leges*, phrasi Hebraica est, *eas sequi & observare*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 4. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 984.

Vers. 54. *Præcepit urbibus Jehuda, ut sacrificarent per urbem & urbem.*

Iteratur. (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: Præcepit *urbibus*, h. e. *incolis urbium*. (2.) *Hellenismus*: Per *urbem & urbem*, i. e. in *urbe quaque*; una voce, *oppidatim*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 4. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 984. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 5. m. 3. p. 20. & lib. 5. tract. 1. c. 3. m. 2. p. 41.

Vers. 57. *Ædificavit rex Antiochus abominationem desolationis super altare Dei.*

I. *Liber iste non est indubitatæ fidei*: nam vaticinium *Danielis*, c. 9. v. 27. de *abominatione desolationis stante in loco sancto*, docet impletum esse, quando *Antiochus Epiphanes idolum in templo Hierosolymitano collocavit*; at *Christus*, Matth. 24. v. 15. illud implendum fuisse in *ultima obsidione & destructione Hierosolymæ & templi*.

Respondet 1. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad obj. 7. hoc loco *nullam fieri mentionem vaticinii Danielis*, sed solùm *idolum Antiochi vocari abominandum idolum desolationis*, ut revera erat.

R. (1.) Etsi Autor Danielem non *nominet*, tamen *ad vaticinium Danielis illum respexisse*, verba ipsa, quæ apud Danielem extant, & cum hoc v. 57. conferuntur, perspicuè ostendunt. (2.) Quanquam non *idolum Antiochi* quod erat statua Jovis Olympii, ut interpretatur Bellarminus; sed *aram abominandam*, quâ cultus Dei jacebat desolatus, Author historiæ intellexit, ut ex v. 62. patet. & aram Antiochi impositam fuisse altari Dei, *Josephus* l. 12. Antiq. Judaic. c. 7. docet.

2. *Vasquez*, citari quidem vaticinium Danielis ab Autore nostro, sed *per accommodationem*.

R. *Vasquez* contradicit *Salmeroni*, qui proleg 8. in Evangel. id ab eodem Autore citare ait *secundum literam*: Itaque Autor procul dubio erravit. At si illa *Vasquez* excusatio admittatur, accusari erroris non potest. *Thumm.* in disquis. de V. D. par. 1. pag. 210. & 221. n. 20. *Cham.* tom. 1. Panst. l. 15. c. 3. §. 20. & 25. p. 264. seq.

II. Rationem *Salmeronis* pro *pluribus unius ejusdemque loci sensibus*, vide refutatam in Vindic. *Daniel.* 9. v. 27.

Vers. 59. *Libros legis Dei combusserunt igni, &c.*

Non-

Nonnulli de *autoritate Codicis Biblici* V. T. dubitarunt, quòd mandatò Regis Antiochi *omnes libri sacri, apud quoscunque etiam reperiebantur, combusti fuerint.*

℞. N. C. Licèt enim ex mandato Regis Antiochi *multa exemplaria librorum* V. T. fuerint combusta, certum tamen est, quòd *non omnia* perierint. Nam c. 3. v. 48. legimus, quòd *Iudæi expanderint libros legis.* & c. 12. v. 9. Jonathas in Epistola, ad Spartianos scriptâ, inquit: *Nos cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Insuper si *omnia* exemplaria ab Antiocho fuissent combusta, unde extitissent libri, qui erant tempore *Christi & Apostolorum*, ad quos illi multoties provocabant? Quarè extra omne dubium est *plurima* apud Judæos fuisse exemplaria, tum apud *Sacerdotes*, tum apud alios. *Gravver.* in Expos. Mich. p. 12

Vers. 61. *Faciebant ita Israeli, inventis in omni mense & mense in urbibus.*

In versu hoc habetur (1.) *Metonymia causæ pro effectu*: nam *Israel* pro *Israelitis* ponitur, ut ex participio plurali *inventis*, constat. (2.) *Hellenismus*: h: *mense & mense*, h. e. per *singulos menses*, seu in *unoquoque mense.* Vatabl. in Annot. ad v. 54. pag. 4. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 984.

Cap. II. v. 8. *Sanctuarium in manu alienorum, factum est templum ejus, ut vir inglorius.*

Autor noster adhibet (1.) *Metaphoram*, quâ *manum* pro *facultate* ponit. (2.) *Ellipsin verbi* substantivi: *In manu alienorum*, scil. *est.* (3.) *Metonymiam*: Factum est *templum ejus.* h. e. factus est *Deus in templo ejus habitans.* Jun. in Not. ad h. l. p. 985.

Vers. 24. *Mathathiæ furor accensus est secundùm judicium legis, & insiliens trucidavit Iudæum sacrificaturum idolis super aram.*

*Beza* volum. 1. fol. 158. opinatur, *hæreticos capitali supplicio esse puniendos*, cum *Mathathias quendam Iudæum idolis sacrificantem, interfecerit.*

℞. Exemplum h. e. alienum. Nam (1.) Mathathias innixus fuit *mandato Dei*, de interficiendis Judæis fratribus idololatris, *Deut.* 13. v. 9 id verò in N. T. est abrogatū. (2.) Mathathias fuit *Sacerdos*, 1. *Maccab.* 2. v. 1. at *Sacerdotibus* hodie non licet hæreticos interficere. *Baldun.* tom. 2. Witteb. disp. 6. thes. 100. p. 453. *Franz.* par. 3. disp. 7. in Aug. Conf. thes. 199. seq. *Gerhard.* tom. 6. LL. CC. loc. 27. de Magist. Polit. §. 349. p. 1098.

Vers. 25. *Virum quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, &c.*

*Iesuitæ* persuasi sunt, *Magistratum hæreticum licitè posse è medio tolli, quòd Mathathias Præfectum Regis, ad sacrificia Ethnica cogentem interfecerit.*

℞. Negatur id sequi: Mathathias enim Præfectum illum, tanquam *hostem bellicum* occidit; id quod licitum esse, perspicuò verbo, *Deut.* 20. v 13. constat. *Franz.* ibid.

Vers. 41. *Cogitaverunt in die illa, dicentes: Omnis homo quicunque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum, &c.*

I. *Ocham* olim statuit, *licitè posse ab homine dispensari in lege morali, quia in tertio Decalogi præcepto de sabbato sanctificando dispensatum sit cum Maccabæis*, contra hostes die Sabbati pugnantibus.

℞. Hæc non fuit *dispensatio*, sed *præcepti interpretatio.* Interpretabantur enim Maccabæi, se non violare sabbatum, præstando opus, *quod ad vitæ conservationem erat necessarium*, nempe civium defensionem, lege morali præceptam & quidem servabant *finem legis.* Non enim hoc agebant, ut hoc exemplo *abolerent sabbatum*, sed multò magis ut *sabbatum & doctrinam propugnarent ac defenderent.* Quam etiam interpretationem probat Christus, *Matth.* 12. v. 12. *Marc.* 3. v. 4. & *Luc.* 6. v. 9. *Thom. Aquin.* in 1. 2. q. 100. art. 8. ad 4. p. 177. seq. & in 3. sent. dist. 37. art. 4. ad 4. fol. 267. b. *Pezel.* par. 3. Arg. & Resp. Theol. tract. de Observ. Sabbat. arg. 2. pag. 171. seq. *Becan.* in Theol. Schol. par. 2. tom. 1. tract. 3. cap. 3. q. 4. n. 6. & 8. p. 224. seq.

II. *Hardingus* contr. Ivell. nugatur, *communionem plebis sub specie vini in S. Eucharistia sine peccato posse omitti*, quoniam *sabbati sanctificatio sine peccato à Maccabæis fuerit omissa, dum arma sabbato sumpserunt contra Antiochum.*

℞. Est dispar *utrinsque* ratio. Nam (1.) factum Maccabæorum non fuit *instituti* aut consuetudinis, quemadmodum *communio sub una specie* apud Papistas. Nunquā enim olim sancitum propter Maccabæos, ne quis posthac sabbatum sanctificaret: quomodo Constantiæ, Basileæ, Tridenti, propter maleferiatam quorundam consuetudinem statutū, ne quis è populo calicem auderet contingere. (2.) Intermissio sabbati *extra ordinem* fiebat à Maccabæis: at ex omissione calicis in S. Eucharistia à Papistis *lex facta est ordinaria.* (3.) Omissioni sabbati prætexitur *magna gravisque causa* à Maccabæis, videlicet *exterminium populi Iudaici*, v. 41. ast neque *magnam gravemque causam* Papistæ notare possunt omissi calicis in S. Cæna. *Cham.* tom. 4. Panstr. l. 8. c. 2. §. 15. 16. 18. p. 199. seq.

Vers. 47. *Et persequuti sunt filios superbiæ, & prosperatum est opus in manu eorum.*

Reperitur hoc loco (1.) Hellenismus: *Filios superbiæ*, h. e. *homines superbissimos.* (2.) *Metonymia causæ pro effectu*: In *manu* eorum, i. e. *operâ* eorum. *Vatabl.* in An. not. ad h. l. p. 8. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 986.

Vers. 48. *Et non dederunt cornu peccatori.*

Ecce (1) Hellenismum: *dare* enim Hebræis est *concedere.* (2.) *Metaphoram*, quâ *cornu* pro *viribus* sumitur (3.) *Synecdochen generis pro specie*: nam per *peccatorem* κατ' ἐξοχὴν intelligitur *Antiochus Epiphanes*, de quo cap. 1. v. 11. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 986.

Vers. 55. *Iesus in adimplendo sermonem factus est judex in Israel.*

*Synecdoche* est *partis pro toto*: *Iudex*, i. e. *rector* ac *moderator*; *judicare* enim accipitur pro *administrare & gubernare.* Vatabl. in Annot. ad h. l p. 8.

Vers. 61. *Et sic cogitate per generationem & generationem, &c.*

*Hellenismus* est: Per *generationem & generationem*, h. e. in *generationem quamque*, seu per *singulas ætates.* Forma Hebræa est, ut superiores, per *diem & diem*, per *annum & annum.* Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 8. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 986.

Vers. 68. *Retribuite retributionem gentibus, &c.*

Species quædam ἀντιλογίας apparet: Judas enim Maccabæus à patre Mathathia jubetur *retribuere retributionem gentibus*; id quod Paulus prohibet, *Rom.* 12. v. 17.

℞. Nulla est ἀντιλογία. Mathathias enim loquitur de *vindicta publica*, quam Judas Maccabæus, ut *legitimus Magistratus*, licitè sumsit de subditorum suorum hostibus: Paulus verò de *vindicta privata*, quâ quis, seposita Magistratus Politici autoritate, seipsum defendit & ulciscitur; hæc autem prohibita est. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. n. 1. p. 918.

Vers. 69. *Et collectus est ad patres suos, &c.*

*Hellenismus* est: hac enim phrasi Hebraica, *colligi ad patres*, significatur *status mortis*, q. d. reliquis ante ipsum mortuis adjunctus est. *Vatabl.* in Annot.

not. ad h. l. p. 9. Confer *Iun.* In Not. ad Gen. c. 25. v. 8. n. 11. p. 34.

Cap. III. v. 3. *Iudas prœlia constituit, protegens castra in gladio.*

*Hellenismus* est. Hellenistæ enim παρεμβολὴν sæpe vocant *exercitum* ipsum, ut 1. *Sam.* 14. v. 16. videre est. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 916.

Vers. 6. *Et prosperata est salus per manum ejus.*

*Metaphora* est, quâ *manus* pro *ministerio* sive *administratione* est. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 986. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 343.

Vers. 15. *Et addidit & ascendit cum eo exercitus impiorum, &c.*

*Hellenismus* est: *Addidit & ascendit*, more Hebraico dictum, pro, *posthac ascendit*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 10.

Vers. 18. *Non est difficile coram cælo salvare in multis vel in paucis.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: quia *cælum* accipitur pro *Deo*, in cælo habitante; siquidem Scriptura præcipuam ibi sedem majestatis divinæ esse significat, ut infrà v. 60. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 10. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 986. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 3. m. 2. p. 42.

Cap. IV. v. 2. *Et filii promontorii erant ipsi duces itineris.*

*Hellenismus* est: Οἱ υἱοὶ τῆς ἄκρας, *filii promontorii*, h. e. *incolæ montis*, seu homines, qui arcem præsidio tenebant. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 13. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 988. Vid. *Glass.* l. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 36. m. 4. p. 135.

Vers. 10. *Et nunc clamemus in cælum, si miserebitur, &c.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: In *cælum*, i. e. ad *Deum cæli*, seu qui est in cælo. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 13. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 988.

Vers. 17. *Ne concupiscatis spolia: nam bellum ex adverso nostri.*

*Metonymia* est: nam *bellum* pro *hostibus* ponitur. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 988.

Vers. 30. *Contrivisti impetum potentis per manum servi tui Davidis, & tradidisti exercitum alienigenarum in manus Ionathæ, &c.*

In textu hoc habetur (1.) *Synecdoche generis* pro *specie*: nomine enim τοῦ δυνάστου, *potentis*, κατ' ἐξοχὴν intelligitur *Goliath*, 1. Sam. 17. v. 50. (2.) *Pleonasmus*: Per *manum servi tui Davidis*, h. e. per *servum tuum Davidem*. (3.) *Metaphora*: In *manus* Jonathæ, i. e. in *potestatem* Jonathæ. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 14. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 988.

Vers. 32. *Da eis metum, & liquefac audaciam roboris illorum, &c.*

Est hic (1.) *Metaphora*, quâ *liquefieri* consternationem & *anxietatem* notat. (2.) *Enallage* nominis substantivi pro adjectivo: *Audaciam roboris*, h. e. *audax robur*. Jun. in Not. ad h. l. p. 988. Confer *Glass.* l. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 10. p. 264.

Vers. 59. *Statuit Iudas, & fratres ejus, & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum, &c.*

*Pazmannus* in Hodeg. autumat, *Ecclesiam Christianam posse aliquem cultum in honorē Dei instituere, de quo ipsi præceptum nō est datum*; ut quòd *Maccabæi in memoriam beneficiorum divinorum solennitatem festi vani instituerunt extra præceptum Dei.*

℞. Exemplum hoc pertinet quidem ad *cultum Dei*, sed non quoad *speciem facti*, verùm quoad *genus*, qua ratione à Deo præceptum est illud Maccabæorum institutum. Nam liberatio, Judæis eo tempore divinitus præstita, postulabat *gratitudinē*, sive ea festi institutione, sive alia quadam ratione fieret. *Balduin.* in Phosph. Cathol. contr. Pazman. l. 6. c. 9. p. 638. seq.

Cap. V. v. 28. *Iudas cepit urbem Bozram, & occidit omnem masculum ore gladii, &c.*

*Metaphora* est, quâ *os gladii* pro *ejus acie* ponitur, quia mordet quasi, lædit, sciditque. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 990. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 11. p. 308. seq.

Vers. 37. *Post hæc autem verba congregavit Timotheus castra, &c.*

*Hellenismus* est: *Post hæc verba*, i. e. *postquam hæc gesta sunt*. *Verba* enim Hebræi accipiunt pro *rebus factis* ac *gestis*, aut *verbum* simpliciter pro *re*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 19. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 990.

Vers. 40. *Potens poterit adversum nos.*

*Epizeuxis* est, Hebræis frequentata: *Potens poterit*, h. e. *omnino potentior erit*, q. d. prævalebit nobis, aut viribus superior erit. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 19. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 990.

Vers. 45. *Et congregavit Iudas omnem Israelem, qui in Gilhade, a parvo usque ad magnum, & mulieres eorum, & filios eorum, & sarcinas, exercitum magnum valde, &c.*

Occurrit (1.) *Metonymia causæ* pro *effectu*: nam *Israel* pro *Israelitis* est. (2.) Hellenismus: A *parvo usque ad magnum*, h. e. *tam parvum quam magnum*, q. d. omnis ætatis homines. Item: *Exercitum magnum valde*, i. e. *maximam hominum multitudinem*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 19. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 990.

Vers. 53. *Et erat Iudas colligens extremos & adhortans populum per totam viam, donec veniit in terram Iuda.*

*Hellenismus* iteratur: (1.) *Colligens extremos*, i. e. *agens extremam aciem*, ut *Num.* 10. v. 15. (2.) *Donec venit*. Forma loquendi Hebraica, quâ ἕως, *donec*, significat *finem exitumque*. Vatabl. in Annot. ad v. 54. p. 20. *Iun.* in Not. ad h. l. p. 990.

Vers. 65. *Et percussit Iudas Chebronem, & filias ejus.*

*Prosopopœia* est, quâ *villæ* Chebronis dicuntur *filiæ* ejus, quia Chebroni metropoli *filiarum* instar subjiciuntur. *Iun.* in Not. ad h. l. pag. 990. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 9. pag. 206.

Cap. VI v. 3. *Et venit Rex Antiochus, & quærebat capere urbem, & deprædari eam, &c.*

Autor libri I. Maccabæorum contradicere videtur Autori libri II. Maccabæorum: *ille* enim hic narrat, *Antiochum quæsivisse capere urbem Persepolim*; hic verò 2. *Maccab.* 9. v. 2. dicit, *ipsum Antiochum ingressum esse urbem Persepolim*.

℞. Nulla est contradictio: fieri enim potest, ut Princeps aliquis *sit in civitate*, nec tamen *illâ potiatur*. Friedlib. in Annot. ad h. l. class. 2. n. 3. pag. 918.

Vers. 5. *Reversus est in Babyloniam: & venit, qui nunciaret ei in Perside.*

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 3. obj. putat, Autorem 2. *Maccab.* 1. v. 19. *Persidem* vocare *alias finitimas Persidi regiones*: siquidem *nuncius*, *qui venit in Babylonem ad Antiochum*, dicatur *venisse ad eum in Persidem*.

℞. Exemplum hoc falsum est: Erat quidem animus Antiocho revertendi Babylonem, sed in *montanis Persidis* mortuus est, 1. Maccab. 6. v. 16. 2. Maccab. 1. v. 13. & cap. 9. v. 28. Nuncium ergo istum in

*Persi-*

*Persidem* oportuit pervenisse, quum ab Elimaide profugeret. Textus enim *Babylonem* nominatim distinguit à *Perside*, neque dicit, *nuncium venisse Babylonem*, sed *Antiochum fugisse, & profectum esse illinc cum tristitia magna, ut reverteretur in Babylonem*, v. 4. *& venisse nunciantem quendam ei in Persidem*, v. 5. Sensus est, Antiochum pulsum ab Elimaide, ingressum esse iter, ut rediret Babylonem: sed antequam exiret è Perside, hunc nuncium ad eum pervenisse. *Thumm.* in Disquis. de V.D. par. 1. p. 216. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 8. §. 8. seq. p. 62.

Vers. 16. *Mortuus est illic Antiochus Rex, &c.*

Rationem Nostratium, contra *Canonicam & indubitatam librorum Maccabaeorum veritatem*, vide ab exceptionibus Papisticis vindicatam in Vindic. 2. *Maccab.* 1. v. 13. & 16.

Vers. 28. *Et congregavit Rex omnes amicos suos, principes exercitûs sui, & eos, qui super habenas.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: Qui super *habenas*, h. e. qui super *equos* erant, q. d. *magistros equitum*. Ἡνία enim significat *frenum* & *habenas*, sed *figuratè* accipitur, pro *equis*, qui frænô reguntur. Hinc ἡνίοχος *auriga* & moderator curruum atque equorum. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 23. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 991.

Vers. 37. *Et Indus bestia.*

*Ellipsis* est nominis substantivi: *Et Indus* magister *bestiæ* (ut Hieronymus vertit) Nam ex India deligebatur rector ac moderator Elephantis, propter scientiam tractandi & regendi ejusmodi beluam. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 24. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 991.

Vers. 46. *Eleazar occidit Elephantem, & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illuc.*

*Donatistæ* delirârunt, *posse quemvis seipsum licitè occidere*, cùm & *Eleazar cum laude seipsum interfecerit*.

℞. N.C. nam (1.) Eleazar occidit se *per accidens*: *per se* enim quærebat mortem *Antiochi*, hostis sui infensissimi, v. 43. (2.) Eleazar vitam suam objiciebat periculo, *pro populo suo liberando*, v. 44. quem finem Donatistæ non habebant. (3.) Factum illud tinctum erat aliqua *ambitione*, quòd *immortale nomen sibi parare cupiebat*, cum tamen *ambitio* Deo displiceat. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 731.

Cap. VII. v. 16. *Secundùm sermones, quos scripsit.*

*Ellipsis* est nominis substantivi: *Quos scripsit*, scil. *Psaltes*. Alluditur enim ad *Psal.* 79. vers. 2. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 26. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 992.

Vers. 46. *Et exierunt ex omnibus vicis Iudaea in circuitu, & cornupetebant eos, &c.*

Offert se (1.) *Ellipsis* nominis: *Et exierunt*, scil. *incola*. (2.) Metaphora: *Cornupetere* enim significat, *potentiam adversus hostes pugnando exercere*, seu *præliari*, translatione sumta à *cornupetis animantibus*. Nam ὑπερκερᾶν est, *cornua extendendo claudere à tergo hostem*. Vatabl. in Annot. ad h. l. pag. 29. *Iun.* in Not. ad eund. loc. pag. 993. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 308.

Cap. IIX. v. 2. *Narraverant ei prælia illorum, quòd duxerunt ipsos sub tributum.*

Autor hic utitur, (1.) *Enallage* verbi activi pro passivo: *Narraverant*, h. e. *narratum fuerat* ei de præliis, &c. (2.) Hellenismô: *Duxerunt ipsos sub tributum*, i. e. *effecerunt sibi tributarios*, in quo erat signum *subjectionis*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 29. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 993.

Vers. 3. *Ad obtinendum metalla auri & argenti &c.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: nam *metalla* pro *fodinis metallicis* ponuntur. *Iun.* in Not. ad h. l. p 993.

Vers. 16. *Romani committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, & omnes obediunt uni, &c.*

*Liber hic non est indubitatæ fidei*: asserit enim, *Romanos imperium suum uni homini annuum committere*, qui universæ ipsorum terræ dominetur, cui omnes dicto sint audientes; cum tamen hoc falsum sit. Nam Romani non *uni*, sed *duobus Consulibus* imperium committebant.

*Bellarminus* l. 1. de V.D. c. 15. resp. ad 5 object. respondet, apud Romanos in more positum fuisse, ut Consules *alternis diebus* imperarent, idque constare exemplô *Terentii, Varronis*, & *Pauli Æmylii* in pugna *Cannensi*.

℞. Nugatoria hæc sunt: *Varro* enim non ex *prisca consuetudine*, sed *per vim* alternis diebus imperabat, teste *Plutarcho*, in vita *Fabii* sic ajente: *Varro cum extorsisset ei, alternis ut imperaret, castra castris conjungit ad vicum Cannas. Minutius & Fabius, cum in eodem bello simul Imperatores facti essent, non alternis imperabant, sed copias inter se partiebantur.* Thumm. in Disquis. de V. D. part. 1. pag. 210. & 218. n. 14.

Vers. 19. *Intraverunt in curiam, responderunt & dixerunt, &c.*

*Hellenismus* est: *Responderunt & dixerunt*, pro, *ita cœperunt dicere*, vel *ita exorsi loquuti sunt*; siquidem *respondere* ab Hæbræis tribuitur etiam illi, qui sermonem aliquem inchoat. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. pag. 31. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 917.

Vers. 26. *Et custodient custodias eorum nihil accipientes.*

*Hellenismus* redit: *Custodient custodias*, h. e. *stabunt pactis*. φυλάγματα, *custodias* vocat Autor noster *certas societatis conservandæ conditiones*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 31. *Friedlib.* l. c.

Cap. IX. v. 1. *Et audivit Demetrius, quòd fecit Nicanor & potentia ejus bellum, & addidit Bacchidem & Alcimum secundò mittere in terram Iuda, & dextrum cornu cum eis.*

Autor hic adhibet (1.) Noema: *Fecit* Nicanor, i.e. *non ampliùs facit*, sublatus morte; cujusmodi noema est apud Latinos, *vixit*, pro eo, quod est, *decessit de vita, non vivit ampliùs* (2.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam δύναμις, *potentia*, pro *copiis militaribus* ponit. (3.) Hellenismum: *Addidit secundò mittere*, h. e. *deinceps secundò misit*. Forma loquendi est Hebraica. (4.) Metaphoram: *Dextrum cornu*, i. e. eos *milites*, qui in superiore prælio Regi ministraverant, c. 7. v. 33. seqq. (5.) *Ellipsin* verbi activi, ex membro præcedente repetendi: *Cum eis*, subaudi *misit*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 32. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 994. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 36. p. 347. lib. 5. tract. 1. cap. 4. m. 1. p. 54. & c. 11. p. 308.

Vers. 31. *Et surrexit Ionathan pro Iuda fratre suo.*

*Hellenismus* est: *Surrexit pro Iuda*, h. e. *loco ejus Princeps populi constitutus est*. Nam Hebræis *surgere excitarique* dicuntur, *qui ad officium aliquod vocantur*, & ex privata vitæ ratione ad publicam potestatem evehuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 34.

Vers. 44.

Vers. 44. *Pugnemus pro animabus nostris: non enim est hodie, ut heri & nudiustertius.*

Offert se (1.) *Synecdoche partis* pro *toto*: Pro *animabus nostris*, h.e. pro *nobis ipsis*; nisi *animam* metonymicè accipias pro *vita*. (2.) Hellenismus: *Heri & nudiustertius*, i.e. *antehac*. Vatabl. in Annot. ad h.l. pag. 35. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 995. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 5. can. 5. m. 1. p. 437. & lib. 5. tract. 1. cap. 17. m. 1. p. 459.

Vers. 46. *Nunc ergo clamate in cælum, ut liberemini a manu hostium.*

Conspicitur hoc loco (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *cælum* pro *Deo*, qui in cælo residet, ponitur. (2.) *Metaphora*, quâ *manus* pro *machinatione* est. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 35. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 3. m. 2. pag. 41. seq. & c. 12. p. 343.

Vers. 47. *Et extendit Ionathan manum suam ad percutiendum, &c.*

*Metonymia* est *adjuncti* pro *subjecto*: nam *extensio manus* significat *minacem in hostes aggressionem*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 35.

Vers. 72. *Et reddidit ei captivitatem, quam captivaverat prius e terra Iuda, & reversus abiit in terram suam, & non addidit amplius venire ad terminos eorum.*

Recurrit (1.) *Metonymia adjuncti* pro *subjecto*: nam *captivitas* pro *turba captivorum* est. (2.) *Hellenismus*: Non *addidit amplius venire*, h.e. *posthac* non amplius venit, scil. *hostiliter* seu infesto exercitu. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 36. *Jun.* in Not. ad v. 70. p. 996.

Vers. 73. *Et cessavit gladius ex Israele, & cœpit Ionathan judicare, &c.*

Verba hæc exhibent (1.) *Metonymiam causæ* pro *effecto*: instrumentum enim, *gladius*, pro *bello* in quo usus ejus est, accipitur. (2.) *Synecdochen partis* pro *toto*: nam *judicare* pro *gubernare* ponitur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 36. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 996. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. c. 1. m. 2. p. 10.

Cap. X. v. 4. *Dixit enim: Præveniamus pacem ponere, &c.*

*Hellenismus* est: *Dixit*, h.e. *apud se cogitavit*. Nam *dicere* Hebræis sæpe pro *cogitare* accipitur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 37.

Vers. 7. *Et venit Ionathan in Ierusalem, & legit literas in aures totius populi, &c.*

*Hellenismus* iteratur: *Legit literas in aures totius populi*, pro, *universo populo audiente literas recitavit*. Rursum phrasis est Hebræorum. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 37.

Vers. 20. *Et misit ei purpuram & coronam auream, ut & sentias &c.*

*Ellipsis* est participii: *Dicens*, ut & sentias &c. Frequens enim in Scripturis est, ut *Gen.* 4. v. 25. c. 20. v. 11. & alibi passim. *Jun.* in Not. ad h.l. p. 996.

Vers. 33. *Et omnem animam Iudæorum captivatam, &c.*

*Synecdoche* est *partis* pro *toto*: nam *anima* Hebræis accipitur pro *ipsis personis*, nim. pro *Iudæis*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 39.

Vers. 60. *Et invenit Ionathan gratiam coram eis.*

*Hellenismus* est: quia *gratiam invenire coram aliquo*, Hebræis est, *ipsi gratum & acceptum esse*, seu *gratiam alicujus sibi conciliare*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 41.

Vers. 88. *Alexander Rex addidit glorificare Ionathanem.*

*Hellenismus* redit: *Addidit glorificare*, h.e. *ampliore gloria affecit*, ad pristinos, honores adjunxit alios, novis honoribus muneribusque cumulavit. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 43. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 998.

Cap. XI. v. 1. *Et Rex Ægypti congregavit potentias multas, sicut arena, quæ circa labium maris, &c.*

Autor noster usurpat (1.) *Metonymiam adjuncti* pro *subjecto*: nam δυνάμεις, *potentias* pro *exercitibus* ponit. (2.) Hyperbolen: *Sicut arena maris*, h.e. *maximam omnino multitudinem*, ab *innumerabilitate arenæ marinæ* declararam. (3. *Metaphoram*, quâ *labium* pro *litore* accipit. *Jun.* in Not. ad h.l. p. 998. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 4. m. 1. pag. 54. cap. 11. pag. 310. cap. 19. p. 473.

Vers. 56. *Et accepit Tryphon bestias, & obtinuit Antiochiam.*

*Synecdoche* est *generis* pro *specie*: Bestias, i.e. *elephantes* Demetrii, qui κατ' ἐξοχὴν appellantur *bestiæ*. Jun. in Not. ad h.l. p. 999.

Cap. XII. v. 1. *Elegit Ionathan viros, quos misit ad Romam, &c.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: Ad *Romam*, i.e. ad *Romanos*. Jun. in Not. ad h.l. pag. 1000.

Vers. 17. *Reddere vobis nostras epistolas de innovatione & fraternitate nostra.*

*Hendiadys* est: De *innovatione & fraternitate*, h.e. de *innovanda fraternitate*. Vatabl. in Annot ad h.l. p. 49. *Friedlib.* 10 eund. loc. p. 917. class. 1. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 6. pag. 24. seq.

Cap. XIII. v. 3. *Ipsi scitis, quanta ego & fratres mei, & domus patris mei fecimus pro legibus, & sanctis, & prælia & angustias, quas vidimus.*

Scriptor hic utitur (1.) *Metonymia subjecti* pro *adjuncto*: nam *domus* pro *familia* est. (2.) *Enallage numeri* pluralis, *sanctis*, pro singulari, *sanctuario*. (3.) *Metaphorá*, quâ *videre* accipit p o *experiri*. Jun. in Not ad h.l. p. 1001. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 52.

Vers. 7. *Et redaccensus est spiritus populi, simul ut audivit sermones hos, &c.*

Iteratur (1.) Metaphora: *Redaccensus est*, i.e. *refectus ac confirmatus*, translatione sumta ab *igne*, qui sepultus ac propè extinctus, quum alitur atque fovetur, exardescit. (2.) *Metonymiam*: nam *spiritus* pro *effectu animæ* accipitur. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 52. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1001.

Cap. XIV. v. 12. *Et sedit unusquisq; sub vite sua & ficu sua*, &c.

Phrasis hæc, *sedere sub vite & ficu sua*, ex 1. Reg. 4. v. 25. desumpta, partim *metonymica* est, est enim hoc *pacis & tranquillitatis publicæ* signum, partim *synecdochica*, unâ enim quæcuoque arborum species, adeoque omnis hortorum, vinearum, agrorum cura intelligitur. *Vatabl.* in Annot ad h.l. pag. 56. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 11. p. 296.

Vers. 36. *Et in diebus ejus prosperatum est in manibus ejus, &c.*

*Metaphora* est, quâ *manus* pro *administratione* sumuntur. Jun. in Not. ad h.l. pag. 1003. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 343.

Vers. 47. *Suscepit Simon, & placuit ei, ut summo Sacerdotio fungeretur, & esse Dux & Princeps Iudæorum, &c.*

I. Bel-

I. *Bellarminus* l. 5. de Rom. Pontif. c. 9. arg. 1. probare vult, quòd non repugnet, *Pontificem esse simul Principem spiritualem & temporalem alicujus provinciæ*: *Simonem* enim Maccabæum simul *Pontificem & Ducem politicum* fuisse.

℟. (1.) Exemplô *Simonis*, Sacerdotis illius veteris, efficaciùs multò probatur, *conjugium sine nulla repugnantia Ecclesiasticis convenire personis*: ipse enim in conjugio vixit, & filios genuit, 1. *Maccab.* 16. v. 2. quod tamen Pontificii negant. (2.) Constitutio illa fuit *facti*, non *juris*: Judæi enim munus Ecclesiasticum & politicum *uni homini* tribuebant contra ordinationem Domini, qui munera illa etiam tribubus distinxerat; siquidem in populo suo munus *Ecclesiasticum* commisit tribui *Leviticæ*, Levit. 8. v. 9. seq. tribui verò *Judæ* sceptrum *politicum*, Gen. 49. v. 10. A *facto* igitur ad *jus* non semper valet illatio. (3.) Simon velut in communi incendio vocatus fuit quasi *extra ordinem* ad Rempublicam Judaicam *sublevandam*, non ad eam *constanter gubernandam*. Quare hoc exemplum malè in consequentiam ad *ordinarios ministros Ecclesiæ* N. T. trahitur; cum quæstio sit, quid *jam sub Evangelio* facere fas sit. *Hutter.* in LL. Theol. loc. 32. de Magistr. Polit. cap. 1. p. 10001. *Baldvin.* de Casib. Conscient. lib. 4. cap. 4 cas. 2. p. 972. *Reinecc.* tom. 4. Panopl. c. 9. p. 92. *Cham.* tom. 5. Panstr. l 4. c. 18. §. 12. & 16. p. 184 seq. *Ames.* tom. 5. Bellarm enerv. l. 3. c. 9. thes. 10. p. 249.

II. *Judæi* negant *perpetuam dominii Davidici ante Jesum Nazarenum continuationem*, idque evincere conantur ex historia *Maccabæorum Leviticorum*, qui non tantùm *Sacerdotio*, sed & *politica gubernatione* apud Judæos diu præfuerint.

℟. Non minùs ad *Davidis familiam* ij pertinent, qui genus ex eo ducunt juxta lineam *maternam*, quàm ij, qui juxta *paternam*. Constat autem, *Maccabæos*, tametsi ratione lineæ *paternæ* genus suum ex tribu *Levitica* ducebant, tamen ratione lineæ *materna* omnino descendissent ex *prosapia Davidis*, nempe ex *Josabea*, filia *Regis Joram*, quæ nupserat summo Sacerdoti *Jojadæ*, 2. *Paral.* 22. v. 11. qua ratione *ipsa* facta est *avia totius insecutæ familiæ Pontificalis*. Sic ergo dum *Maccabæi*, ex *Josabea* oriundi, rerum gubernacula tenuerunt, negari non potest, *Davidis posteros* ea tenuisse. *Gibel.* in Expos. Jerem. 33. v. 16. p. 261. seq.

Cap. XV. v. 23. *Et Arsacæ, atque in omnes regiones, & Lampsaco, &c.*

*Synecdoche* est *partis* pro *toto*: ponitur enim metropolis, *Lampsacum*, pro *incolis Hellesponti*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1004.


Cap. XVI. v. 16. *Et cum inebriatus esset Simon & filii ejus, &c.*

*Hellenismus* est: nam phrasis Hebraica, *inebriari*, significat, *affatim bibere*; ut in conviviis, in quibus major hilaritas & potus copia conceditur, quàm in quotidianis atque ordinariis cœnis & epulis. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 63. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1005.

Vers. 24. *Hæc scripta sunt in libro dierum Sacerdotii Johannis, ex quo factus est Princeps Sacerdotum post patrem suum*

*Becanus* lib. de Judic. controv. relig. Christ. p. 61. §. 36. existimat, inter alia *Scripturam facere obscuram*, quòd citetur *liber dierum Sacerdotii Johannis Hyrcani*, qui non extet.

℟. N. C. nam *liber dierum Sacerdotii Johannis* Scripturæ verè Canonicæ nullam parit obscuritatem, cum nec liber iste Maccabæorum sit *Canonicus*, nec liber ille dierum Sacerdotii Johannis Hyrcani. *Garth.* l. de Judic. controv. relig. Christ. p. 110. & 114.



## VINDICIÆ
## LIBRI II.
# MACCHABÆORUM,
### unà cum animadversionibus.

Cap. I. v. 7. *Regnante Demetrio, anno centesimo sexagesimo nono, nos Judæi scripsimus vobis in tribulatione & impetu, &c.*

In Græco est *Hendiadys* ἐν τῇ θλίψει καὶ ἐν τῇ ἀκμῇ, *in tribulatione & impetu*, pro, ἐν τῇ ἀκμῇ τῆς θλίψεως, *in summis calamitatibus*, Friedlib in Annot. ad h. l. class. 1. p. 922.

Vers. 8. *Et effuderunt sanguinem innocentem: & oravimus Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificia & similaginem, &c.*

*Synecdoche* est *partis* pro toto: *Obtulimus sacrificia*, h. e. *ordinarium Dei cultum instituimus*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1006.

Vers. 10. *Anno centesimo octogesimo octavo populus, qui est Jerosolymis & in Judæa, Senatusque & Judas Aristobulo Magistro Ptolomæi Regis salutem & sanitatem.*

*Hic liber non est indubitatæ fidei*: Judam enim anno 188. Seleuci scripsisse dicit epistolam ad confratres suos: cum tamen Judas anno 152. Seleuci occubuisse feratur, 1. *Maccab.* 9. v. 3. & 18. hoc est, annis ante eam epistolam scriptam 36.

Respondet 1. *Rupertus* l. 10. de Victor. verb. c. 15. non esse *Judam Maccabæum*, sed *aliquem alium*, qui eam Epistolam scripsit.

℟. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 6. obj. refellit hanc conjecturam: quia anno 188. non *Judas*, sed *Johannes Hyrcanus* dux Judæorum fuerit; neque ullus fuerit ex ducibus Judæorum, qui vocaretur *Judas*, præter unum *Maccabæum*; nec sit verisimile, cum Senatu & populo in titulo literarum *alium* nominari, quàm *Principem*.

2. *Lyranus* in h. l. *hunc Judam* esse quidem *Maccabæum*, sed annos, qui initiô literarum ponuntur, supputari, non more *Græcorum à Seleuco*, sed more *Hebræorum ab anno duodecimo Assueri*, quo liberati fuerunt omnes Judæi à nece, operâ Estheræ reginæ.

℟. *Bellarminus* ibid. hoc refutat geminô argumento: uno, quòd toto libro annorum supputatio instituatur à *Seleuci primo*; non sit autem verisimile, unico tantùm in loco aliam iniri rationem: altero, quòd, etiam numerando ab *anno duodecimo Assueri*, non possit incidere annus 188. in tempora *Judæ Maccabæi*, idque etiam probat.

3. *Bellarminus* l. c. illa verba (*anno* 188.) non esse *principium Epistolæ sequentis*, quam Judas scripsit; sed *finem præcedentis*, quæ scripta est à toto populo Judæorum, duce *Johanne Hyrcano*, idque apertè indicare *Græcos Codices*, qui post illa verba (*anno* 188.) distinctionem constituant.

℣. (1.) Hac ratione incurrit Bellarminus anathema

thema *Concilii Tridentini*, quod *vulgatam versionem* pronunciavit avthenticam, ut nullo omnino prætextu ab ea discedere sit integrum. Latini autem codices omnes mirè consentiunt, etiam qui post *Concilium Tridentinum* prodierunt, nec novissima *Sixti* V. editio in diversum abit. (2.) Quos illos *Græcos codices* intelligat Adversarius, ille viderit. Certè *Arias* & *Vatablus* nil habent ejusmodi. Quod si tamen verum esset, tum *Latini* libri ex *Græcis* emendandi forent; quod tamen Papistæ negant. (3.) Sed nec Bellarminus hac conjecturâ suâ quicquam promovet. Nam si posterior Epistola est Judæ mortui anno quinquagesimo secundo vel sexto, scripta tamen sexagesimo nono; tum eadem sequetur absurditas, ut Iudas scripserit annô post obitum suum decimô septimô vel tertiô. (4.) Cum templum purgatum sit anno 148. ut constat ex 1. Maccab. 4. v. 52. quis credat, anno demum 169. hoc est, post annos 21. primùm ejus purificationis Iudæos Hierosolymitanos, fratres suos admonuisse? *Gerbard.* in Exeg loc. 1. de Scrip. Sacr. §. 133. p. 240 & in Cõf. Cathol. lib. 2. spec par. 1. p. 70. *Thumm.* in Disquis. de V.D. par. 1 p. 210. 220. seq. num. 18. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 8 §. 2.-8. p. 62.

Vers. 12. *Ipse enim ebullire fecit dimicantes contra sanctam civitatem.*

Autor hic adhibet (1.) Metaphoram: *Ebullire fecit*, h. e. *vi extrusit & emisit*, ut *aqua* fervore ebulliens forâs erumpit. (2.) *Synecdochen generis pro specie*: nam per *civitatem sanctam κατ' ἐξοχὴν* intelligit *Ierusalem*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 66. Jun in Not. ad eund. loc. pag. 1006. Confer Glass. lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 10. pag. 266.

Vers. 13. *Cum in Perside esset dux ipse, & cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Nanneæ, &c.*

*Hic liber, quia manifestò sibi contradicit, non est indubitata fides*: hîc enim significat, *Antiochum occisum in templo Nannea*; at c. 9. v. 28. *eum peregrè inter montes miserrimo mortis genere vitam finivisse*, nec paulò aliter, 1. *Maccab.* 6. v. 16. ubi *in Persia in lecto suo mortuus fertur.*

Regerit 1. *Lyranus*, non esse *eundem Antiochum*: primum enim librum loqui de Antiocho *Epiphane*, secundum verò de Antiocho *Magno*.

℞. (1.) *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 6. object. fatetur, *omnes ferè convenire, eundem esse Antiochum*, videlicet *Epiphanem*, cujus mors in allegatis locis describitur. Nam *ipsa templi spoliandi historia in Perside* exprimitur, tum l. 1. *Maccab.* 6. v. 1.-5. tum 2. *Maccab.* 1. v. 13.-17. tum c. 9. v. 1. seq. Quòd si *eadem historia* narratur, cur non *eadem persona* nominentur, nisi fortè utrumque Antiochum dicamus *eandem expeditionem* suscepisse. (2.) Sed ut demus, *utrumque Antiochum voluisse idem templum spoliare*, tamen non congruunt *tempora*. Nam tempore *Antiochi Epiphanis* Judas jamdum in magna erat autoritate, ut ex titulo Epistolæ patet: tempore autem *Antiochi Magni* authoritatem ille nullam habebat. Ad hæc *Antiochus Epiphanes* hostis erat acerrimus Judæorum, 2. *Maccab.* 1. v. 12. at *Antiochus ille Magnus* Judæis non fuit hostis, sed *amicus* potius, ut ex *Eusebii* Chronico palam est.

2. *Rupertus* l. 10. de Victor. verb. divin. c. 6. illum *Antiochum*, cujus mors hîc describitur, esse Antiochum, *Demetrii majoris filium*; alterum verò, 1. *Maccab.* 6. v. 16. *Antiochum Epiphanem.*

℞. *Bellarminus* ibid. disertè fatetur, hoc non posse esse verum. Nam (1.) tempore illius *Antiochi Tryphonis* non *Iudas*, sed *Iohannes Hyrcanus* dux Judæorum fuerit, & tamen *Iudas* Epistolam scripserit. (2.) Tempore *Antiochi Epiphanis* vixerit *Iudas*, qui Epistolam scripsit, & etiam *Aristobulus*, Ptolomæi Philometoris magister, ad quem scripta est: ut constet ex *Eusebii* Chronico, *Ptolomæum Philometorem* fuisse tempore *Iudæ*, id est, diu ante tempora *Antiochi Tryphonis.*

3. *Bellarminus* l. c. non significari, Antiochum *occisum* in templo Nanneæ, sed tantùm *fugatum*: ipsum enim dici *cecidisse*, quoniam exercitus ejus fusus fugatusque sit, & ipse turpi fuga elapsus, fortè etiam vulneratus, in ipso itinere de curru *ceciderit*, & paulo pòst mortuus fuerit.

℞. (1.) *Cadendi* verbum est tantùm ex Editione *Latina*, quam quis neget esse judicandam ex *Græco* contextu? Nam teste *Hieronymo* hic liber *Græcè* primùm est scriptus, indeque in *Latinum* versus. In *Græco* autem textu est verbum, *κατεκόψαντο*, *obtruncàrunt*, quod necessariò *mortuum* infert Antiochũ. Unde v. 16. dicitur ille *lapidatus, membratim divisus, & capite truncatus*, idquod de *Antiochi vulneratione*, vel *exercitûs fuga* exponi non potest. (2.) Falsum est, *non occidi omnes, qui cadant in prælio*: neq; enim uspiam in Scripturis dicitur *in bello quempiam cecidisse*, qui non fuerit *mortuus*, atque is quidem perpetuus Scripturæ mos est.

4. *Gretserus* in Apolog. pro Bellarm. Antiochum verè esse *mortuum Babylone in lecto*, & *lethali morbo correptum in montibus*, ex quo quia decessit, ideo *mortuum dici in montibus.*

℞. Hanc sophisticen verba non patiuntur. Nam 1. *Maccab.* 6. v. 16. *Et mortuus est illic*, Babylone. Et 2. *Maccab.* 9. v. 28. *Peregrè in montibus miserabili obitu vitâ functus est.* Certè tam diserta sunt *posteriora* verba, quàm *priora*, ut non minùs verisimiliter potuerit Gretserus interpretari, Antiochũ *correptum morbo Babylone*, & *mortuum in montibus*, quàm contrà. Sed si non *mortuus in montibus*, quorsum *translatio corporis*, 2. Maccab. 9. v. 29. *Gerbard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 233. p. 239. seq. & in Conf. Cathol lib. 2. spec. par. 1. art. 1. c. 2. thes. 8. pag. 69. *Thumm.* in Disquis. de V.D. par. 1. p. 210. & 219. n. 17. *Cham.* tom. 1. Panstrat l. 5 c. 8. §. 15.- 23 p. 63.

Vers. 15. *Cum proposuissent pecunias Sacerdotes Nanneæ, & ipse Antiochus cum paucis ingressus esset intra ambitum phani, clauserunt templum.*

*Antiochus non potuit è templo Dianæ elabi*: cum paucis enim *ambitum phani ingressus*, *quo ingresso clausum fuisse templum dicitur*; qui ergo modus fuit *elabendi*?

*Canus* lib. 2. I. L. Theol. c. 11. ad 4 difficult. respondet, intelligendum id, non templum clausum *post ingressum Ducis*, sed *cum milites essent intra fani ambitum*, ut si E. G. dicamus, *in atriis*, sacerdotes clausisse templum.

℞. Quid hoc sibi vult? An tùm clausum esse templum, *cum adhuc Antiochus foris esset*? Nam quidnam id sit, non video. At *Græcus* textus disertè contradicit: *συγκλείσαντες τὸ ἱερὸν, ὡς εἰσῆλθεν Ἀντίοχος*. h. e. *Claudentes templum, postquam intravit Antiochus.* Quod ipsum *pecuniarũ repræsentatarum* circumstantia evincit: quis credat enim, a Sacerdotibus *elatas extra templum*? Cham. ibid. §. 17. & 18.

Vers. 16. *Mittentes lapides percusserunt Ducem, & eos, qui cum eo erant, et diviserunt membratim, & capitibus amputatis foras projecerunt.*

*Antio-*

*Antiochum in templo Dianæ fuit interfectus*, vi hujus textûs, qui asserit, *ipsum ducem*, id est, *Antiochum, fuisse lapidibus percussum*, æquè ac socios ejus, & *laceratis membris capita abscissa, atque foras projecta*. Quæ si *mortem Antiochi* negantur describere, quid jam in loquendo perspicuum aut etiam disertum esse potest?

*Sixtus Senensis* l. 8. Biblioth. Sanct. hæres. 11. replicat, ex istis verbis noo elici, *Antiochum fuisse occisum*, sed *lapidibus solummodo ictum*; cætera autem verba ad *socios ejus* referri, in quorum cædem cum Sacerdotes nimium insisterent, Antiochum interim elapsum esse.

Resp. Glossa hæc repugnat textui: nam Græcè habetur, *συνεκεραύνωσαν τὸν ἡγεμόνα*; quæ verba noo tantùm *projectos lapides* significant *fulguris* in morem, sed non *temere* aut in turbam projectos, quin potiùs *certò concilio in ipsum Ducem*, quem sibi omnes pro scopo proponerent, neglectis ferè aliis, Multò igitur rectiùs aliquis diceret, Sacerdotibus intentis in *unam cædem Antiochi*, socios ejus elapsos esse. *Cham.* l. c. §. 17. seq.

Vers. 19. *Cum in Persidem ducerentur patres nostri, &c.*

*Liber iste non est indubitatæ fidei*: dicit enim, *Judæos in Persidem captivos fuisse abductos*, cum tamen non in *Persidem*, sed in *Babyloniam* fuerint abducti.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 3. object. obvertit, Autorem hujus libri *Persidem* vocare non solùm eam regionem, quæ *propriè* dicitur *Persis*; sed etiam *alias finitimas*.

Resp. Hoc ipsum fingit Jesuita, contra manifestam rei veritatem: *Persis* enim non est *Babylonia*, nec Babyloniam complectitur. Unde nec Autor ille, quisquis est, absolvitur: oportuit enim hominem actum à Spiritu Dei *uti Spiritûs vocibus*, non suis morosè excogitatis ad posterorum ingenia excrucianda. Nunquam autem per *Scriptores Canonicos* Spiritus Sanctus dicit, abductos esse Judæos in *Persidem*, sed in *Babyloniam*, quæ ad *Persas* tùm temporis nihil attinebat. *Cyrus* enim primus fuit *Persarum* Rex, qoi *Babylonia* imperavit, post eam deportationem annis 70. *Thumm.* in Disquit. de V. D. par. 1. p. 211. & 216. n. 21. *Cham.* l. c. §. 8. seq. p. 62.

Vers. 33. *Ex qua qui circum Nehemiam purificassent res ad sacrificium pertinentes.*

*Græcismus* est: *οἱ περὶ τὸν Νεεμίαν, qui circum Nehemiam*, h. e. *Nehemias*. Quomodo & forma loquendi Græca est, *οἱ περὶ τὸν Σωκράτην, qui circum Socratem*, i. e. *Socrates*. Quamquam hîc potest comprehendere *reliquos ejus sacrificii administros, & Nehemiæ adjutores*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 68. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1007.

CAP. II. v. 1. *Invenitur in descriptionibus Jeremiæ Prophetæ, quòd jussit eos ignem accipere, qui transmigrabantur, &c.*

*Becanus* l. de Judic. controv. relig. Christ. p. 61. §. 36. *Scripturam accusat obscuritatis*, quòd citentur *descriptiones Jeremiæ Prophetæ*, quæ non existant; sed si existerent, multum lucis adferrent lectori.

Resp. Editio *Latina* hîc vitiosa est: *Græcè* enim descriptiones non dicuntur esse *Jeremiæ Prophetæ*, sed fertur *inveniri in descriptionibus Hieremias Propheta*, Aria & Vatablo interpretibus. Illud verò scriptum de rebus gestis *Jeremiæ*, non citatur *Canonicum*, sed *privatus duntaxat commentarius*, nunquam relatus in Canonē, teste *Sixto Senensi* l. 8. Bibl. Sanct. hæres. 11. ideoq; Scripturæ *Canonicæ* nullā parit obscuritatē. *Garth.* l. de Judic. controv. contr. Becan. p. 110. & 115. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 8. §. 11. p. 62.

Vers. 2. *Ne exerrarent in mentibus videntes simulachra aurea, & argentea, & ornamenta eorum.*

*Papistæ* quidam statuunt *librum Baruch esse Canonicum*, quoniam ex *eo aliquid hîc citatur*.

Resp. N. C. tum quia ipse liber *Maccabaicus* est Apocryphus; alterius ergo libri *Apocryphi* autoritatem suô testimoniô confirmare nequit: tum quia ne quidem *citatio in libro Canonico* est sufficiens argumentum ad evicendam *Canonicam autoritatem libri*, ex quo aliquid citatur, nisi quis & *Poetas*, quos Paulus citat, pro *Canonicis* habere velit. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V. D. p. 149.

Vers. 4. *Erat in ipsa Scriptura, quomodo tabernaculum & arcam jussit Propheta divinô responsô ad se comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem.*

*Jeremias non potuit abscondere tabernaculum & arcam in monte Nebuntis*: neq; *ante urbis capturam*, quia fuit in carcere usque ad urbis excidium, Jerem. 37. v. 18. & c. 38. v. 28. oeque *post urbis capturam*, quia templum incensum fuit, sacris direptis.

Respondet 1. *Sixtus Senensis* l. 8. Biblioth. Sanct. hæres. 11. nil prohibere, hæc *ante*, vel *in ipso urbis excidio*, hortatu Jeremiæ, in carere existentis, à *piis viris* potuisse occultari, sicut ipsa historiæ verba innuere videntur, cum dicuot, cum *jussisse* illa fieri.

Resp. Adversarius repugnat textui, quo significatur, Jeremiam ita *jussisse*, assumi tabernaculum & arcam, non ut *implerentur ejus absentis mandata*, sed ut *ipse rebus gerendis interesset*; alioqui quomodo *cum arca diceretur esse comitata*, v. 4. aut quomodo *ipse venisse in ipsum speluncæ locum*, v. 5. Neque enim è Scriptura, aut aliunde etiam exemplum adferri potest, ubi dicatur *aliquis venisse*, *qui tamen alias duntaxat proficisci jusserit*.

2. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 4. object. potuisse tabernaculum cum arca abscondi à Jeremia, cum *ante urbis spoliationem*, tempore *Joachimi*, apud quem magnæ erat autoritatis; tum *post urbis spoliationem*, quia maximi fiebat à Nabuchodooosore, Babyloniorum Rege.

Resp. (1.) Certum est, Jeremiam tempore *Joachim* illa non abscondidisse; tum quia annis sex post deportationem Joachim, *arca adhuc in templo Hierosolymitano fuit*, ut patet ex *Ezech.* 9. v. 3. tum quia cultus divinus viguit in templo Hierosolymitano usq; ad tempora *Sedechiæ*, annis à *Joachim* undecim. Quis igitur credat, tantô spaciô Judæos fuisse absq; *tabernaculo, arca & altari*? tum quia arca cum tabernaculo erat io potestate *Sacerdotum*, infensissimorū Jeremiæ hostium, qui noo passuri fuissent, ut illa omnia asportaret Jeremias, etiamsi assensisset *Rex*, cū oec crederent, eventuras illas calamitates, à Jeremia prædictas, nec fas putarent, aliter aut alibi, quàm coram *arca*, id est, tanquam in conspectu Jehovæ, victimas offerre. (2.) Nec *post spoliationem urbis & templi* absconsio illa fieri potuit: nam *arca testamenti fuit direpta*, ut habetur 4. *Esdr.* 10. v. 22. tùm unà cum templo, & *omnis desiderabilis ejus supellectile* incensa, 2. *Paral.* 36. v. 19. Quomodo igitur post expugnationem & incensionem templi *arca* superstes esse potuit? (3.) Et licet ipsa *salva* mansisset, eam tamen Jeremias à *Nabuchodonesore* expetere nequivit: siquidem ne ipse quidem Jeremias dixit, *se in conspectum Regis venisse*, ut ab eo quicquam posset aut postulare, aut obtinere. Nec *Rex ipse* venit Hierusalem, quin ad eum Sedechias adductus est in Rablata, *Jerem.* 39. v. 5. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 234. p. 241. seq. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V. D.

V.D.p.216.ſeq. *Cham.*tom.1.Panſtr.l.5.c.8.§.8.11.12.13.p.62.ſeq.

Verſ. 7. *Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc Dominus oſtendet hæc, &c.*

I. *Liber iſte non eſt indubitatæ fidei:* promittit enim, *arcam & tabernaculum & altare ſuffitûs, ita à Jeremia abſcondita, tandem manifeſtanda*, cum congregandi eſſent Judæi; id quod nunquam factum.

*Bellarminus* l.1.de V.D.c.15.reſp.ad 4.obj.regerit, non loqui Hieremiam de illa congregatione, *quæ fuit tempore Cyri*; ſed *myſticè* de *Chriſto*, in carne venturo, in nova populi congregatione.

Reſp. Explicatio non congruit verbis *perſonati illius Jeremiæ*, qui pollicetur, *hæc ipſa* (nota δεικτικὸν, *hæc*) in congregatione populi tandē manifeſtanda: quod ſi ergo *Chriſti incarnationem* intelligas, quorſum pollicetur *illa ipſa* manifeſtanda? aut *quando* fuerunt, vel *cui* manifeſtata? *Myſtica* autem interpretatione defendi etiam poteſt fabula illa de *Henoch & Leviathan*, 4.Eſdr.6.v.49.-53. Pontificii enim omnes in ſuis allegoriis per *Leviathan*. Job.40. v.20. *Diabolum* intelligi volunt. *Gerhard.* in Exeg. loc.1. de Script. Sacr. § 234.p.242.& 243. *Cham.* tom.1.Panſtr.l.5.c.8 §.14.p.63. *Ameſ.* tom. 1. Bellarm. Enerv.l.1.c.2.theſ.22. p.16.ſeq.

II. *Schoppius* in Syntagm. de Antichriſt.p.52.fingit, *tempore perſecutionis Antichriſtianæ arcam fæderis in monte Nebo aut Sina à religioſis Judæis eſſe inveniendam*; quia *in congregatione populi noviſſima eandem Dominus in monte, in quo Moſes aſcendit, & vidit Dei hæreditatem, ſit oſtenſurus.*

Reſp.(1.) En hujus *Apoſtatæ* ſive *ruditatem*, quòd *Nebo & Sinam* vel unum eundemq, montem, vel unius territorii montes fuiſſe putat; ſive *ſpiritum vertiginis*, quòd adhuc dubius eſt, utrum in *Judæo*, in monte *Sina*, vel in terra *Moabitarum*, in monte *Nebo*, arca fæderis ſit appariturâ: cum tamen *mons*, in quo Moſes adſcendit, & vidit Dei hæreditatem, diſertè nominetur *Nebo*, Deut.34.v.1. (2.) Quis juſſit Apoſtatam iſthæc extendere ad *tempus noviſſimum, quod proximè diem judicii præcedet*; cujus rei ne quidem per conjecturam aliquam ea tota narratio meminit? Certè interpretatio illa infert, Judæos congregandos eſſe ante diem judicii ad cultum illum *ceremonialem*, qui pendebat ex tabernaculo, arca, & altari ſuffitûs, quod eſt alienum à fide Chriſtiana. Quorſum enim aliàs, aut cui uſui *tabernaculum, arca, altare ſuffitûs* in die judicii, ſi non iterum ſacrificeent Judæi? Quia verò in N. T. ſacrificia *Judaica* ſunt ſublata, nullus ampliùs erit uſus *tabernaculi, arcæ & altaris* in N. T. *Balduin.* tom. 2. Witteb. diſp.2.cap.6.theſ.126.-135.p.220.& 223. *Gerhard. Cham. Ameſ.* ll. cc.

Verſ. 18. *Speramus in Deo, quòd citò noſtri miſerebitur, & congregabit de ſub cælo in ſanctum locum.*

*Ellipſis* eſt: *Congregabit* de terra, *quæ eſt ſub cælo.* Forma loquendi *Hebræis* uſitata, quâ *univerſum terrarū orbem* ſignificant. *Vatabl.* in Annot. ad. h.l.p.69.

Verſ. 24. *Quæ à Jaſone Cyrenæo quinq, libris comprehenſa, tentavimus nos uno volumine breviare.*

*Autor hujus libri non fuit Propheta:* breviavit enim *librum prophanum*. Abſurdum autem eſt, *Prophetam inſpiratum à Deo ſcribenda diſcere ab homine prophano:* tùm enim verbum id eſſet *hominis*, non *DEI.*

*Gretſerus* in Apolog. pro Bellarm. de V. D. excipit 1. id non eſſe abſurdum, quia plurimis ſint in Scriptura *ſermones impiorum in epitomen redacti*, unde ſequi, poſſe Spiritum Sanctum, ſi velit, pia *minimè piorum* ſcripta breviare, & nobis tradere.

R. (1.) Fatemur, nos invenire *impiorum ſermones* in ſacris ſcriptis, ſed *hiſtoricè tantùm relatos*, & ad exprimendas hiſtoriæ circumſtantias: at *integram hiſtoriam*, ab ullo impio acceptam, nego in corpore Canonis aut eſſe, aut etiam eſſe debere. Ratio, quia non eſſet θεόπνευστος. (2.) Poſſe Spiritum Sanctum, *quicquid velit*, facere nullus dubitat; neque Papiſtæ negare debent, poſſe, quicquid velit, *omittere*. Quarè hoc momentum eſto quæſtionis, utrum voluerit *facere*, an potiùs voluerit *omittere*?

2. Veritati, etiam à *prophano* prolatæ, divinum teſtimonium dari poſſe, ideoque Prophetam ab homine *prophano* aliquid habere poſſe.

Reſp. Dari poſſe teſtimonium divinum veritati, à *prophano* prolatæ, imò ſortaſſe datum eſſe, non negem: ſed de *authoritate Canonica* nunc nobis quæſtio eſt, non *ſimpliciter* de *veritatis teſtimonio*. quod commune eſſe poteſt non tantùm *prophanis hiſtoricis*, ſed etiam *poetis*, ex quibus obſervatur Paulus nonnihil deſcripſiſſe, nulla tamen illis delata *autoritate Canonica.*

3. Per *gentiles Sibyllas* Dominum loquutum eſſe, cur non etiam per *Jaſonem*?

Reſp. Loquutus eſt Dominus per *Sibyllam*, fateor: ſed hîc contrà potiùs *Jaſon* loqueretur per *Spiritum Sanctum.*

4. *Græcos* quoſdam Judæorum res in Græcam linguam vertiſſe, neque à veritate multùm aberrâſſe, teſte *Joſepho* in præfat captivit. At *iſtum Autorem*, ſi quid aberâſſet, Senatus Hieroſolymitanus, à quo mittebatur, correxiſſet.

Reſp. Nemo negat, *prophanos hiſtoricos ſæpe à veritate non deflexiſſe:* ſed nemo tamen dicit, *prophanos eſſe Canonicos.*

5. Eſſe *Evangelicum*, quicquid Chriſtum docet, ſive à *Juda*, ſive ab *Anna, Pilato, Herode* fiat, teſte *Luthero* in Epiſt. Jacob. Itaque potuiſſe hanc hiſtoriam ab Eccleſia Hieroſolylitana examinari, & tanquam veram commendari.

Reſp. Eſſe *Evangelicum*, quicquid Chriſtum docet, *Lutherus* rectè docet: ſed eſſe *Evangelium*, Lutherus non dicit.

6. Hunc *Jaſonem* non *prophanum*, ſed potiùs *bonum & ſanctum* videri Judæum, cujuſmodi multi fuerint in *Cyrene*, ut ex *Joſepho* pateat.

Reſp. (1.) *Jaſonem fuiſſe bonum & ſanctum*, cui quæſò videtur? Da vel unum teſtem fide dignum? Nam quòd multos bonos & ſanctos in *Cyrene* Judæos fuiſſe dicat Joſephus, non probat, etiam *Jaſonem* fuiſſe talem. (2.) Quid tum? Nam & mihi quidem, multis etiam aliis *Auguſtinus* bonus & ſanctus Chriſtianus; nec tamen ejus *Retractationes*, puto, Canonicæ. *Cham.* tom.1.Panſtr.l.5.c.2.§.1.-5. p.53.

Verſ. 27. *Et nobis quidem ipſis, qui hoc opus breviandi causâ ſuſcepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum & ſudoris aſſumpſimus.*

*Autor libri hujus non fuit Propheta:* ſiquidem & *laboravit & ſudavit in ſcribendo.* Nullus verò eſt ex omnibus *Prophetis*, qui ſe ſimiliter teſtetur *laborâſſe in ſcribendo:* Prophetas enim docet Spiritus, *quid ſit ſcribendum, & movet in ſcribendo.*

Reſpondet 1. *Bellarminus* l.1.de V. D. c.15. reſp. ad 2.obj. aliter Deum adfuiſſe ſolitum *Prophetis*, quibus revelaverit futura, & ſimul adſtiterit, ne aliquid falſi admiſcerent in ſcribendo; aliter verò *Hiſtoricis*, quibus non ſemper revelaverit ea, quæ ſcripturi erant, ſed excitaverit duntaxat, ut ſcriberent ea, quæ

vel

vel viderant, vel audierant, quorum recordabantur, & simul adstiterit, ne quid falsi scriberent, quæ assistentia non excluserit laborem.

Resp. (1.) Unde habet Bellarminus distinctionem de *Prophetis* & *Historicis*? aut qui potuit sperare sibi fidem habendam sine testibus, cum de rebus *longè ante sua tempora gestis* loquatur? (2.) *Prophetarum* nomen etsi κατ' ἐξοχὴν iis tribuatur, *qui futura prædicebant*; tamen revera commune est *omnibus à Deo inspiratis*, sive ad *loquendum*, sive ad *scribendum*. Omnes enim *Prophetæ* aut futura prædicunt, aut antiqua narrant ex afflatu divino, aut paulò antè præterita ex propria experientia. Iste verò *Autor* nihil horũ fecit. Non enim *futura scribit*, quæ à S. Sancto discere fuerit necesse: non etiam *sui temporis negotia*, quorum ipse αὐτόπτης testis esse potuerit: deniq; cum *scribat præterita*, tamen ipse testatur, se *humanitus didicisse*, non ex *afflatu divino*, sed eodem modo, quo ego possum res *Romanorum* mutuari èx *Tito Livio*. Quia ergo non videt, non esse inter *Prophetas*? (3.) Quamvis verò respectu *revelationis* aliqua constitui possit differentia inter *Prophetas*, & *Historicos*; tamen respectu *scriptionis* est omnimoda convenientia: *utriq;* enim fuerunt *S. Sancti amanuenses*, quo dictante libros suos scripserunt. Ut S. Sanctus *Prophetis* scribenda revelavit, ita *Historicis* scribenda suggessit, & in memoriam revocavit, Joh. 14. v. 26. Utque ἀποκάλυψις in *Prophetis*, ita ὑπόμνησις in *Historicis* omnem omnino molestiã excludit, unde nuspiam de *molestia laboris* conquesti leguntur.

*Gretserus* in Apol. pro Bellarm. libr. de V. D. adeò difficile esse, *Epitomas scitè apteq; conficere*, ut pleriq; malint *novos libros componere*, quàm ab aliis compositos in compendium redigere.

Resp. *Epitomen conficere scitè apteq; difficile* est, sed *iis, qui propriis ingenii viribus* nituntur, non autem *inspiratione divina*. Nam quis nescit, etiam *novos libros scribere*, non esse nullius laboris? & tamen aut *Mosen* & *Paulum* sudâsse in suis componendis, neq; usquam legitur, neq; est verisimile. Quemadmodum iste *Autor* noster ostentat abbreviationis suæ κακοπάθειαν καὶ τοσούτων ἱδρώτων πρᾶγμα τὸ οὐ ῥᾴδιον. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 232. p. 239. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V. D. p. 214. seqq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 2. §. 5.-11. p. 53.

Vers. 28. *Propter multorum gratiarum actionem libenter laborem sustinebimus.*

*Metonymia* est: Διὰ τὴν πολλῶν εὐχαριστίαν, *propter multorum gratiarum actionem*, pro, διὰ τὴν πολλῶν χάριν, *propter multorum gratiam*, i. e. *ut de multis bene mereamur*; quam speciem loquendi observat Paulus, 2. Cor. 9. v. 12. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 70. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1008. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 922.

CAP. III. v. 19. *Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam.*

*Baronius* in Apparat. Annal. c. 11. n. 53. asserit, *fuisse in templo Hierosolymitano virgines Deo peculiariter dicatas, & seorsim à communi vita habitantes*; quòd *virgines in templo reclusæ, ad Oniam Pontificem procurrisse dicantur*. Ex quo ulteriùs probat *votum B. Mariæ Virginis, ejusq; in templo educationem.*

Resp. Locus hic non probat intentum *Baronii*. Nam (1.) *Bellarminus* lib. de Matrimon. c. 17. resp. ad 14. obj. docet, *perpetuum cælibatum non fuisse in veteri lege usitatum*: quomodo igitur ex V. T. *ille ipse* probari potest? (2.) Nulla ibi fit mentio *templi*, sed tantùm virgines dicuntur *reclusæ*. (3. Nec dicentur reclusæ *ob votum aliquod virginitatis*, sed ratione *pudicitiæ virginalis*, quia tunc virgines arctiùs custodiebantur in domibus parentum, *Lirano, Glossâ Ordinariâ, & Thomâ de Aquino* interpretibus. Unde 3. *Maccab.* 1. v. 25. dicuntur virgines κατάκλειστοι ἐν θαλάμοις, h. e. *inclusæ thalamis* sive *privatis cubiculis*, nimirum ex *Judaica disciplina*. Nam apud Judæos *virgo* dicitur עַלְמָה, ab עָלַם, *recondendo*, quia *clausa domi latebant*, teste *Tirino* in Comm. 2. *Maccab.* 3. (4.) Non feruntur procurrisse ad *Oniam*, sed concurrisse ad *januas, murosq;* (5.) Pudor virginalis prætendi non potuit iis, *quæ in templo habitarent*, si quæ habitarent, vel ipsis *Papistis* testibus, qui agnoscunt, non *decuisse virginem*, quam inclusam templo fingunt, inter Sacerdotes versari. Cur autem indecens, si ea ratio fuisset conservandi pudoris? *Gerhard.* in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 2. pag. 332. arg. 2. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 20. c. 14. §. 39. 44.-49. p. 389.

Vers. 24. *Ut omnes in dissolutionem & formidinem converterentur.*

*Hendiadys* est: εἰς ἔκλυσιν καὶ δειλίαν, *in dissolutionem & formidinem*, q. d. *in corporis debilitatem ex formidine*. Friedlib. in Annot. ad h. l. class. 1. p. 922.

Vers. 26. *Flagellabant Heliodorum sine intermissione multis plagis verberantes, &c.*

Nonnulli suspicantur, *Deum in* V. T. *capitalem furibus statuisse pœnam*, quoniam *Heliodorum sacrilegum multis plagis usque ad mortem flagellari curaverit.*

Resp. N. C. Heliodorus enim *extraordinariè* divinitus fuit punitus, adeoque exemplum hoc est *singulare*, quod *regulam divinitus datam* non tollit, Exod. 22. v. 1. Quarè cùm pœna illa fuerit *miraculosa*, ut lectio unumquemvis convincit; ex *illa* furum *pœna Mosaica* non est æstimanda. *Franz.* tract. de Script. interpr. orac. 58. p. 761. seq.

Vers. 32. *Onias obtulit pro salute viri hostiam salutarem.*

*Bellarminus* l. 2. de Miss. c. 6. censet, *licitè posse Missam fieri pro homine infideli*, quia *Onias pro Heliodoro gentili hostiam obtulerit.*

Resp. (1.) Verba hæc non debent intelligi de *sacrificio propriè sic dicto*, alioquin Onias peccâsset in legem divinam de non *addendo novo cultu*, Deut. 12. v. 32. in toto autem Pentatevcho *sacrificii pro infidelibus* nulla omnino fit mentio: verùm de *sacrificio impropriè dicto*, putà de *oratione*, pro *salute Heliodori facta*, teste *Vatablo* in marg. h. l. idq; etiam ex v. 33. patet, ubi Vulgata *oblationem hostiæ* exponit de *factione precum*. (2.) Etiamsi *Onias pro Heliodoro propriè sacrificâsset*, id tamen Bellarminum non juvaret: tum quia esset res *facti*, non *juris*; tum quia à *sacrificiis* V. T. ad *Missam Pontificiam* non valet collectio. *Gerlach.* tom. 2. disp. 24. thes. 76. seq. p. 2018.

CAP. IV. v. 2. *Et Oniam benefactorem civitatis, &c.*

*Hellenismus* est: Τὸν εὐεργέτην τῆς πόλεως, *benefactorem civitatis*, h. e. *virum de civitate benè meritum*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1009. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. p. 922.

Vers. 10. *Statim ad Græcum ritum contribules transtulit.*

*Synecdoche* est: At *Græcum* ritum, i. e. *apud Gentes receptum*, ut v. 13. & 15. quâ loquendi formâ plurimùm Paulus utitur. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1009.

Vers. 47. *At miseris & innocentibus his mortem adjudicavit.*

*Hypallage* est: *His mortem adjudicavit*, pro, *hos adjudicavit morti*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1010.

Vers. 50. *Menelaus verò propter potentium avaritias, &c.*

*Hellenismus* redit: Propter *potentium avaritias*,

h. e. *animam potentium avaritiam*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1010.

CAP. VI. v. 20. *Idq; se inflectens palam, quemadmodum oportet, &c.*

*Metaphora* est: Πϱοσλύσας, *inflectens se ad palam*, h. e. *ita contendens toto corpore ad tormenti locum*, ut *solent nautæ*, qui remulum agunt; quod significat verbum πλύειν, à quo hic aoristus, non autem à πλύω deducitur. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1012.

Vers. 25. *Et abominationem & maculam senectuti comparem.*

*Hendiadys* est: *Abominationem & maculam*, h. e. *abominandam maculam*. Jun. in Not. ad hoc loco, p. 1012. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 1. can. 6. pag. 24.

CAP. VII. v. 2. *Parati sumus mori magis, quàm patrias Dei leges prævaricari, &c.*

*Bellarminus* l. 4. de Rom. Pontif. c. 16. contendit, *ceremonias, ab Ecclesia institutas, licet in se sint indifferentes, evadere absolute necessarias*; siquidem *esus carnis suillæ*, qui licet naturâ actus indifferens sit, tamen *divinô mandatô evaserit necessarius*, adeò ut *Maccabæi maluerint crudeli morte occumbere, quàm carne suilla vesci.*

Resp. Probatio hæc planè ἀπροσδιόνυσ☉ est: nam nobis sermo est, non de ceremoniis, a *Deo* præceptis; sed de ritibus, quos *homines* instituerunt, & in Ecclesiam introduxerunt. Damus facilè, quòd *isti ritus* omnimodò præcisè servandi sint, quos DEUS præscripsit servandos; ille enim est νομοθέτης, δυνάμεν☉ σῶσαι καὶ ἀπολέσαι, *Jacob.* 4. v. 12. at aliter judicandum de *edictis humanis*, de quibus dixit DEI Spiritus, Matth. 15. v. 9. *Frustra colunt me homines, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.* Brochm. tom. 2. Syst. Theol. art. de Libert. Christ. c. 2. q. 4. obj. 1. p. 4070.

Vers. 14. *Tibi enim resurrectio non erit.*

Ἄθε☉ negat, *omnes homines mortuos aliquando esse resurrecturos*, quoniam *Antiocho non sit futura resurrectio.*

Resp. Pius ille martyr non *absolutè* negat Antiocho resurrectionem aliquando futuram, sed *determinatè*, nempe *resurrectionem gloriosam*: statim enim addit limitationem, εἰς ζωὴν, *ad vitam*. Gerhard. tom. 8. LL. CC. loc. 30. de Resurrect. mortuor. §. 102. ob. 6. p. 1197.

Vers. 22. *Neq; ergo spiritum & animam donavi vobis, & vitam, &c.*

*Papistæ* nolunt concedere, *animam rationalem a parentibus in liberos propagari*, eò quòd *pia illa mater neget, se filiis suis donasse animam.*

Resp. Mater illa non *simpliciter* negat, se animam filiis suis communicâsse, sed saltem negat, *modum se scire propagationis*, teste *Vatablo* in h. l. Itaque tenet potiùs τὸ ἐπέχειν, *sibi non liquere* ipsorum ortum. *Thumm.* in Controv. de Ort. anim. rational. p. 79.

Vers. 37. *Ego & corpus & animam trado pro patriis legibus, &c.*

*Metonymia* est *causæ* pro *effectu*: nam *anima* pro *vita* accipitur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 88.

CAP. VIII. v. 3. *Et clamantem ad se sanguinem exaudiret.*

*Prosopopæia* est: *sanguini* enim occisorum tribuitur *clamor*, quo *vindicta a Deo* quasi exposcitur, Apoc. 6. v. 10. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1013. Confer *Glass.* lib. . Philol. Sacr. tract. . cap. 9. p. 194.

Vers. 11. *Promittens nonaginta corpora talento traditurum. &c.*

*Synecdoche* est *partis* pro *toto*: nam *corpora* Hebræi usurpant pro *hominibus ipsis*, & (ut vulgò dicunt) pro *personis*, speciatim verò pro *mancipiis*. Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 89. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1014. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 17. m. 1. p. 460.

Vers. 24. *Interfecerunt ex hostibus supra novem millia, &c.*

Ἀντιλογία quædam apparet; hîc enim dicuntur *novem millia* hominum in prælio perempta; at 1. *Maccab.* 4. v. 15. saltem *tria millia* ponuntur.

Resp. Utrumq; verum est: in conflictu cæsa sunt novem millia, tria autem millia ex iis, qui aufugerunt. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. n. 1. p. 923.

Vers. 28. *De spoliis residua ipsi & pueri partiti sunt.*

*Hellenismus* est: *Pueri*, h. e. *milites*, qui imperio ipsius paruerant. Τὸ παιδίον enim hîc idem valet, quod Hebræis נער, Gen. 14. v. 24. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1014. *Friedlib.* in Annot. ad eund. loc. class. 1. pag. 922.

Vers. 30. *Et eos, qui circa Timotheum & Bacchidem, obnixi, &c.*

*Metaphora* est: Συνηρεισάμενοι, *conjunctis viribus obnixi*, translatione sumta ab *ædibus*, quarum structura statuminatur *anteridibus*, ut Vitruvius nominat. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 1014.

Vers. 34. *Ille autem ter sceleſtus Nicanor, &c.*

*Hellenismus* redit: *Ter sceleſtus*, i. e. *sceleſtissimus*, homo funestissimus ac perniciosissimus, quem unquam Sol aspexit. *Jun.* in Not ad h. l. p. 1014. *Vatabl.* in Annot. ad eund. loc. p. 92.

CAP. IX v. 7. *Ille adhuc superbiâ implebatur, ignem spirans animis in Judæos, & præcipiens acui iter, &c.*

Autor iste usurpat (1.) *Metaphoram*: tum quia *superbiâ impleri*, est, *insolentiùs se efferre*; tum quia *acui* significat *accelerari*. (2.) Hyperbolen: *Ignem spirans animis*, h. e. *vindictam furiosam minitans*. Osiand. in Paraphr. Bibl. tom. 2. p. 772. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 93. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 1015.

Vers. 13. *Orabat hic sceleſtus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.*

*Novatiani* olim docuerunt, *hominibus in peccata mortalia prolapsis, pœnitentiam licet agentibus, non patere aditum ad gratiam & misericordiam Dei*; idque ex *Antiochi* exemplo constare, qui *oraverit Dominum, a quo tamen non fuerit misericordiam consecutus.*

Resp. Antiochus non petebat à Deo *gratiam*, aut *remissionem peccatorum*, sed *liberationem a cruciatu corporis*, quo vexabatur. Hanc ideo non impetravit, quia non *dolebat verè de peccatis* & ideo cùm *vera* non fuerit ejus pœnitentia atque conversio, mirum esse non debet, si misericordiam etiam a Domino non consecutus fuerit. *Bellarmin.* l. 2. Pœnitent. c. 16. resp. ad 3. obj. p. 1585. *Becan.* in Theol. Schol. par. 1. tract. 1. cap. 15. quæst. 7. num. 5. & 7. p. 154. seq.

Vers. 20. *In cælo spem habent, vestrum honorem &c.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncti*: *In cælo*, i. e. in *Deo cæli*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1015. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 2. p. 41. seq.

Vers. 24. *Ut si quid inopinatum accideret, vel aliquid grave pronunciaretur &c.*

*Euphemismus* est, apud bonos auctores frequens, q. d. si aut *clades* aut *mors* eveniret &c. Jun. in Not. ad h. l. p. 1015.

CAP. X. v. 3. *Incendentes lapides, & ignem ex his accipientes, obtulerunt sacrificium post biennium.*

I. Nonnulli sentiunt, *ignem sacrificialem cælitus*

*post captivitatem Babylonicam non fuisse prolapsum*, quia Judæi tempore *Judæ Maccabæi* ex *incensis lapidibus ignem acceperint, eoq; sacrificium obtulerint*.

Resp. *Franzius* in Schol. Sacrif. Patriarch. disp. 5. thes. 49. & 50. hunc librum esse scriptum *merè humanum*, ideoq; non esse *Canonicum*: ex *Levit.* 10. v. 10. v. 11. autem constare, *igne alieno sacrificia non fuisse comburenda*; unde consequi, Judæos post captivitatem Babylonicam *alium novum habuisse*.

II. *Liber iste non est indubitatæ fidei*: narrat enim, Judam purgâsse templum *biennio post mortem Antiochi*; at 1. *Maccab.* 6. v. 36. Autor refert, Judam purgâsse templum *ante mortem Antiochi* post fugatum Lysiam.

Excipit 1. *Sixtus Senensis* lib. 8. Biblioth. Sanct. hæres. 12. *bis factam fuisse templi repurgationem*, semel *ante*, & semel *post* Antiochi mortem.

Resp. Non est verum: (1.) quia omnia, quæ *primo* libro facta dicuntur, *secundo* iterum referuntur de hac templi purgatione, teste *Bellarmino* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 6. object. (2.) Quia nulla *secundæ purgationis* causa occurrit, cum post *primam* purgationem templum non fuerit contaminatum.

2. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 6. obj. in hoc ipso l. 2. *Maccab.* 10. narrari quidem templi purgationem *post mortem Antiochi*, nequaquam verò asseri, quòd *post mortem Antiochi sit facta*: voluisse enim Autorem absolvere, quæ de *Antiocho* dicenda erant, & tum demum redire ad *Judam*, & templi repurgationem.

Resp. Totus contextus ostendit, recenseri repurgationem templi, tanquam *post mortem Antiochi factam*, & quidem *biennio*. Nam in fine præcedentis capitis *mors Antiochi* describitur, & in hoc ipso capite historiæ de *repurgatione templi* subjiciuntur hæc verba, v. 9. *Et Antiochi quidem, qui appellatus est nobilis, excessus vitæ ita se habuit.*

3. *Bellarminus* ibid. *biennium* illud non esse intelligendum *post mortem Antiochi*, sed *post templi profanationem*, quæ contigerit 145. annô, 1. *Maccab.* 1. v. 57. & repurgatio 148. annô, 1. *Maccab.* 4. v. 52. idq; etiam testari *Josephum* l. 10. Antiq. Judaic. c. 11. & *Eusebium* in Chronico, qui scribant, templum repurgatum *tertiô annô à profanatione*, id est, *post biennium jam exactum*.

Resp. (1.) Editio *Græca Complutensis* dissentit à *Vulgata Latina*: *hæc* enim dicit, istam expiationem *post biennium* factum esse; *illa* vero *post biennium & sex menses*, teste *Vatablo* in h. l. (2.) Bellarminum fefellerunt calculi: nam à 15. mensis *Caslev*, 145. anni, ad eandem diem ejusdem mensis anni 148. sunt exacti *tres anni*, 2. *Maccab.* 10. v. 5. (3.) Jesuita falsò citavit *Josephum & Eusebium*: uterque enim scripsit, *post triennium*, h. e. *tribus exactis annis*. Gerhard. in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 233. arg. 3. p. 241. & in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 1. p. 70. seq. *Thumm.* in Disquis. de V. D. par. 1. p. 210. n. 16. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 8. §. 25. 26. 27. p. 64.

CAP. XI. v. 12. *Plures eorum vulnerati, nudi evaserunt, &c.*

*Synecdoche* est *totius* pro *parte*; quâ *nuditas* pro *partiali nuditate* accipitur: *Nudi*, h. e. *disarmati*, seu *armis suis denudati*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1017. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 15. m. 2. p. 456.

Vers. 21. *Valete, anno centesimo quadragesimo octavo, Jovis Corinthii vicesima quarta.*

*Εναντιοφανὲς* oritur: hîc enim Lysiæ epistola data scribitur anno 148. at lib. 1. Maccab. 6. v. 16. ponitur anno 149.

Resp. *Græcorum anni* aliter à *Judæis*, aliter à *Syris* sunt numerati. Et *illi* quidem annos inchoârunt à mense *Nisan*, qui respondet nostro Martio: *hi* verò à mense *Tisehri*, qui respondet Septembri. *Igitur primus* liber *Judaicam* supputationem sequitur, *secundus* verò *Syriacam*. Friedlib. in Annot. ad h. l. class. 2. n. 2. p. 23.

Vers. 31. *Vt utantur Judæi suis sumptibus & legibus, &c.*

*Metonymia* est: nomen enim *δαπανήματα*, *sumtibus*, pro *cibis* sumitur. Jun. in Not. ad hoc loco p. 1017. *Friedlib.* in Annot. ad eund. class. 1. p. 922.

Vers. 37. *Festinate & mittite aliquos, &c.*

*Hellenismus* est: *Festinate & mittite*, h. e. *festinanter mittite*, q. d. operam date, ut quamprimum aliquos mittatis. *Vatabl.* in Annot. ad hoc loco pag. 102. Confer *Glass.* lib. 3. Philol. Sacr. tract. 3. can. 35. p. 346.

CAP. XII. v. 7. *Judas recessit quasi iterum venturus, & universam Joppitarum eradicaturus Rempublicam.*

*Metaphora* est, quâ *eradicare* significat *omnino subvertere*, translatione à *stirpibus* ductâ, quæ radicitus interdum evelluntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 103.

Vers. 25. *Et cum fidem dedisset ipse per plura definitionem, &c.*

*Hellenismus* est: nam *ὁρισμὸς*, *definitio*, respondet Hebræo, אִסָּר, quod *obligationem* significat, *Num.* 30. v. 4. seqq. In Daniele *edictum Regium* denotat. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 922.

Vers. 40. *Invenerunt sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, à quibus lex prohibuit Judæos.*

Exemplum *Judæ Maccabæi*, v. 43. *sacrificari jubentis pro Judæis illis mortuis*, non est accommodatum ad stabiliendum *Purgatorium Pontificiorum*: illi enim Judæi in peccato *mortali*, videlicet in *sacrilegio*, decesserunt; jam verò negant Pontificii, pro iis, qui in peccato *mortali* decesserunt, sacrificium esse efferendum.

*Bellarminus* l. 1. de Purgat. c. 3. loc. 1. resp. ad 5. excepit 1. peccatum illorum fuisse *veniale*, quia fortè *ignorârint legis prohibitionem*, & non acceperint ex donariis illis in *honorem idolorum*, sed solùm *ditescendi cupiditate*, quæ venialis esse possit.

Resp. (1.) Peccatum illorum interfectorum non fuit *veniale*. Nam *Bellarminus* l. 1. de Amiss. grat. c. 3. *peccatum veniale* ipse definit, quòd *fiat vel subreptione, vel parvitate materiæ*. Jam verò hîc non fuit *subreptio*, quia actus fuit cum *perseverantia*, retinendi scil. ea, quæ milites ii abstulerant; neque *parvitas materiæ*, quoniam dicuntur habuisse *ἱερώματα ἀπὸ ἱαμνείας εἰδώλων*, quo significari testatur *Fronto Ducæus ex Lyranô*, *res pretiosas in templo idolorum dedicatas*, ne quis existimet, furtum fuisse *unius oboli*. (2.) Judæi non poterant ignorare *legis prohibitionem*: siquidem *publicum* jus erat, jamdiu *publicatum*, & severissimè sancitum, Deut. 7. v. 25. & 26. c. 13. v. 17. Et licet *jus illud ignorâssent*, non tamen ei prætexi poterat *excusatio*, ut non esset *dolus crassus*, lata culpa. Talis enim *ignorantia non excusat peccantem, ut in inferno non ardeat, sed fortè ut minùs ardeat*, inquit *Altenstaig* in Lex Theol. (3.) Quantum peccatum sit coram Dei judicio, *de anathemate aliquid usurpare*, Achanis supplicium ostendit, Josu. 7. v. 25. & cap. 22. v. 20. qui itidem non in *honorem idolorum*, sed ex *ditescendi cupiditate* spolia quædam occultaverat. Atqui agitur, non

de *cupiditate ditescendi*, sed de *hoc sacrilegio*, qui actus est cupiditatis.

2. Si illorum peccatum fuerit *mortale*, in mortis articulo milites illos doluisse de peccato, & quoad *culpam* illis remissum fuisse.

Resp. (1.) Hæc mera est *conjectura*, omni *probatione* destituta: unde enim probabitur, *culpam esse condonatam, & milites in articulo mortis de peccato doluisse?* (2.) *Panitentes* quis unquam dixit, *qui in sacrilegio perseverârunt, usq; dum subita & non expectata mors eos abripuit*, quæ sanè pænitentiæ tempus præoccupavit? *Gerhard.* tom.8. LL.CC. loc.29. de Mort. §.228. p.424. seq. *Cham.* tom.3. Panstr. l.26. c.16. §.16.-23. p.591.

Vers. 41. *Omnes itaque benedicentes justi Domini, &c.*

*Ellipsis* est nominis substantivi: Εὐλογήσαντες τὰ, subaud. ἔργα, *benedicentes* opera *justi Domini, &c.* *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p.106.

Vers. 43. *Facta collatione duodecim mille drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, &c.*

I. *Petrus*, Abbas Cluniacensis, teste *Historia Magdaburgensi*, Centur. 12. cap. 5. p.840. arg. 4. ursit *suffragia pro defunctis*, atque hinc audacior factus *Bellarminus* l.1. de Purgat. c.3. loc.1. statuit, *Purgatorium esse in altera vita*, quòd *Judas Maccabaus sanctè curârit fieri sacrificium pro peccatis mortuorum.*

Resp. Factum *Maccabai* huc non pertinet. Nam (1.) contigit in V. T. teste *Bellarmino* ibidem; cum tamen in V.T. *Purgatorium* fuisse, ipsimet *Pontificii* negent: cur ergo ex V. T. *Purgatorium* stabilire conantur? (2.) Nulla in textu fit mentio *Purgatorii*: neque enim interfecti illi in *Purgatorio* fuisse dicuntur, nec ut è *Purgatorio* liberarentur, sacrificium pro illis oblatum esse fertur. (3.) Judas sacrificium offerri curavit, non pro *mortuis*, quorum in Græco textu nulla omnino mentio est; sed pro *vivis*, ut iis hoc ipsum peccatum ne imputaretur, quod erat commissum ab iis, qui in eo prælio ceciderant, v.42. (4.) Hi omnes milites, pro quibus Jason suspicatus est oblatum sacrificium, in *flagranti crimine* sunt mortui: tùm enim cæsi, cum *polluti donariis idolorum*, v.40. Jam verò ne ipsi quidem *Pontificii* sacrificium Missæ pro illis offerrent, *quos in flagranti crimine mortuos* viderent. (5.) Ex *sacrificio pro defunctis* non potest statim *Purgatorium* inferri: nam pro *Martyribus* quoque olim anniversaria sacrificia oblata fuisse, testis est *Cyprianus*; quos tamen non in *Purgatorio* fuisse, sed à morte statim ad cælos subvectos, fatetur *Bellarminus* l.2. de Indulg. c.2. (6.) Si vel maximè pro *mortuis* Judas sacrificium obtulisset, non tamen in imitationem esset id trahendum. Exemplum enim *facti*, non *juris* est: fecit namque contra legem Domini, qui nullum pro defunctis sacrificium instituit. Unde *Jason* manifestè indicat, non ex *legis divina prascripto*, sed ex *humana rationis dialogismo*, à Juda illud esse factum.

Regerit 1. *Bellarminus* ibid. resp. ad 4. non esse necesse, fieri mentionem *expressam Purgatorii*, cum satis apertè colligatur ex iis, quæ hîc habentur; non enim de *nomine*, sed de *re ipsa* contendi, quæ habeatur in textu: nam cum Judas formidaret, ne animæ *interfectorum militum suorum*, propter peccatum aliquod, in alio seculo punirentur, jussisse enim orari & sacrificari pro eis.

R. (1.) Nec *Purgatorii nomen*, nec *ullum ejus in texta est vestigium*, ideoq; nec *res ipsa*, de qua contenditur, ibi habetur. (2.) Ex universa hac historia constat, Judam magis sollicitum fuisse de *exercitu adhuc superstite*, ne & ille in furore Domini exscinderetur, quàm de *militibus interfectis*. Curavit ergo sacrificium offerri, non pro *mortuorum*, sed pro *viventium adhuc salute*; id quod factum suum habet fundamentum in lege Mosis, Deut.21. v.6.7.8.

2. Id. resp. ad 5. *statum illorum mortuorum saltem fuisse incertum*, & propterea *licuisse pro eis orare & sacrificare*, etiamsi *damnati* fuissent.

R. (1.) Imò *status non fuit incertus*: siquidē mortui fuerunt in *flagranti crimine, & absq; panitentia*; itaq; non licuit pro *eis* orare. Alioquin *nemo esset mortuorum, pro quo non posset orari*: vix enim ullus est, cui nō possit similibus conjecturis adulari humana præsumptio. (2.) Quòd si verò *status fuit incertus*, ergo hinc *Purgatorium* non fabricabitur.

3. Id. resp. ad 7. argumentum non sumi ab exemplo *unius hominis*, sed ab *antiquo & solenni ritu Ecclesia* V.T. *singulis* enim conferentibus aliquid, collectam esse multā pecuniam, & missam à Juda, nomine *omnium* in Hierusalem, ad sacrificia pro mortuis.

R. (1.) *Legibus Dei, non hominum exemplis*, in Ecclesia standū est, Deut.12. v.32. ideoq; *Juda ac sociorū exemplum* veritati nil præjudicat, cum constet, illo tempore multum è *Paganismo* inoleviste. (2.) Quòd *Ecclesia* V.T. *pro mortuis sacrificaverit*, id nullo idoneo exemplo probatur: neq; *militū* manipulus *totam Ecclesiam* constituit, neq; *unus aliquis actus* solennē & perpetuum Ecclesiæ ritum introducit. Frustra igitur Bellarminus gloriatur, ab *antiquo & solenni Ecclesia ritu* argumentum suum esse petitum. (3.) *Ritus*, quem sua contributione milites approbârunt non tangit *mortuos*, sed *vivos*; cujus tres assignantur causæ: una erat *ira divina aversio a superstite exercitu*. v.42. altera, *populi à simili peccato praservatio*, v. eod. & tertia, *solennis de resurrectione mortuorum testificatio*, v. 43.

4. *Schoppius* in Apolog. pro Bellarm. de Indulg. contr. Hunn. c.56. pag.79. etsi non *expressis verbis* Deus nullum pro defunctis sacrificium instituerit; tamen sine dubio *Sacerdotes ita explicâsse*.

R. Atquis *Dictatori huic* credat, *Sacerdotes sine dubio ita explicâsse?* Sacerdotes enim debebant pronunciare *secundùm legem*, Deut.17. v.11. Qumodo igitur in hac causa *juxta legem* jus dicere poterant, de qua nihil in universa lege vel *expressè* vel *tacitè* definitum erat?

5. Id. ibid. sacrificium pro *Sanctis* offerri, ut adjuvent eorum *honorem*, non salutem.

R. Et quis hoc negat, *Schoppi?* Omnino fines diversos habuerunt *Judas* & *Cyprianus*, à *Pontificiorū* figmento alienos: interim nobis jam sufficit, ex *sacrificio pro defunctis* non posse statim *Purgatorium* inferri. *Hunn.* tom.1. oper. Lat. p.1538. seq. *Chemnit.* in Exam. Concil. Trident. par.3. tract. de histor. Purgat. c.2. p.527.-530. *Balduin.* in Exam. Apolog. Schopp. p.485.-491. *Gerhard.* tom.8. LL.CC. loc. 29. de Mort. §.224.231. p.415.428. & in Conf. Cath. l.2. spec. par.2. p.488. arg.25. *Hutter.* in LL. Theol. loc.31. c.1. q.7. obj.1. p.985. *Eckhard.* in Analys. 1. Jon. disp.15. thes.19. & 21. p.353. seq. *Osiand.* in Enchir. contr. Pont. c.19. q.1. obj.12. p.228. *Thā.* de Purg. p.51.-56. *Cham.* tom.3. Panstr. l.26. c.16. tot. p.590. seq.

II. *Parmannus* in Hodeg. existimat, *non omnes traditiones extra Scripturam ab Ecclesia sancitas, esse repudiandas*; cum Judæi ex *traditione* soliti fuerint *sacrificare pro defunctis*.

R. Exemplum hoc non est ad rem: (1.) enim *sacrificium pro defunctis ex superstitione* potiùs, & *κακοζηλία gentilium* ortum suum habuit, quàm ex *traditione* aut *consuetudine Ecclesia Judaica*. Nullū namq; simile

simile exemplum legitur in historia *Patriarcharum*, aut *sanctorum Regum*: Gentilium autem mors erat, pro defunctorum animabus sacrificare, *Arnobio* teste lib. 2. advers. Gent. num. 11. (2.) Factum illud non fuit *totius Ecclesiæ Judaicæ*, sed *Judæ cum exercitu: at militum turba* Ecclesiam *Catholicam* non constituit. *Balduin.* in Phosph. Cathol. cootr. Parman. l. 6. c. 6. p. 618. seq.

Vers. 44. *Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos sperâsset, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis.*

*Salmeron* tom. 14. disp. 25. p. 219. arbitratur, *milites illos Judæ interfectos in alio seculo potuisse a peccatis absolvi*, quòd *eos Maccabæus crediderit resurrecturos à peccatis.*

Resp. Resurrectio illa *prima*, sive *liberatio à peccatis per pœnitentiam*, non habet ampliùs locum *post hanc vitam*. verum duntaxat *liberatio a peccatorum pœnis*, ut ipsi volunt *Pontificii*: unde *Bellarminus* & alii *Romanensis* pro resurrectione *secunda* sive *corporum* accipi debere fatentur. At à resurrectione *secunda* ad *primam* N.V.C. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 229. p. 426. seq.

Vers. 45. *Quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.*

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 1. obj. censet, *Judam piè existimâsse, eos milites interfectos in articulo mortis dolorem de peccato suo coram Deo concepisse, & misericordiam apud Dominum invenisse*: quia *consideraverit, quòd hi cum pietate dormitionem acceperint, optimamq; habuerint repositam gratiam.*

Resp. (1.) Judas oon existimavit, *eos, qui cum anathemate perierant, in articulo mortis de peccato suo doluisse, & misericordiam à Deo consequutos fuisse*; neque Autor historiæ *id Judam existimâsse* dicit: sed tantùm judiciunn suum pro more interponit de *facto Judæ*. ita ut significet, eos gratos esse, qui mortuis hominibus, de patria optimè meritis, eam memoriam & benevoleotiam præstent, qui de illis ita piè cogitent, eorum corpora aliquaodo resurrectura, non io perpetuum interitura, *Vatablo* interprete in h. l. (2.) Licet Judas id existimâsset, tamen *opinio* duntaxat fuisset in gratiam militum, quorũ operâ indigebat; non autẽ *certa scientia*, ex declaratione resipiscentiæ mortuorũ illorũ concepta, cũ nihil de *resipiscentia* narretur. (3.) *Mortuos cum pietate*, qui poterat *Autor* dicere, *in flagranti crimine deprehensos*; & quidem èo crimine, *quod esset in maximus?* Eadẽ ratione poterat Moses laudare eũ, *quem Phinees in ipso scortationis actu interfecit*, Num. 25. v. 8. Erat enim *Israelita, & profitebatur veram religionem*: itaq; potuisse eũ in mortis articulo resipiscere. Sed loogè aliud judiciũ est *pietatis*. (4.) Demus verò, *milites illos cũ pietate mortuos, ac optimã ipsis gratiam fuisse repositã*; certè in *Purgatoriũ* nõ migrarunt. Nam quibus post mortẽ optima reposita est gratia, illi nõ torquentur flammis *Purgatorii*, sed ad *cælestẽ felicitatẽ & gloriam* perveniunt. Quæ enim hæc foret *gratia*, quod *vepræmiũ*, torqueri in *Purgatorii* flammis eodẽ igni, quo damnati in inferno cruciantur, à beatifica Dei visione esse remotũ, & à Dæmonibus horribiliter excarnificari? *Gerhard.* in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 2. p. 489. *Thumm.* io Disquis. de V. D. par. 1. p. 213. seq. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 26. c. 16. §. 17. p. 591.

Vers. 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur.*

I. *Bellarminus* l. 1. de Purgat. c. 3. loc. 1. resp. ad 7. arguit, *orationem pro peccatis mortuorum esse religiosam*, quòd *eam*, tanquam *sanctam & salubrem*, Scriptura sacra laudet.

R. (1.) *Orare pro peccatis mortuorum remittendis*, non est sanctũ & religiosum: neq; enim *præcepto divino*, neq; *ullo probato exemplo Scripturæ certò divinæ* nititur. (2.) Verba illa, ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια, videntur *adjectitia*: tum quia *Pagninus* testatur, *se ea non reperisse in autographo*; tum quia *à contextu possunt sejungi, ut sententia nihil omninò decedat*; tum quia *sententiam reddunt confragosam*, quibus demtis, tota oratio rectè cohæreret, ut ex *Antverpiensibus Aria Bibliis* patet: tum deniq; quia non videtur *Historico* convenire, quippe cujus est, *historiam narrare*, non autem de *suo* ἐπίκρισιν adjungere. (3.) Textus *Latinus* conjungit, quæ *Græcus* distinguit. Nam verba illa, *Sancta & salubris cogitatio*, Græcus refert ad *præcedentia*, hoc sensu, quòd sancta & salubris cogitatio sit statuere, his, qui cum pietate obdormierunt, optimã repositã gratiã. *Latinus* verò Interpres ea ad *sequentia* retulit, ut ex *Juda* exemplo *orationẽ pro mortuis* laudaret. (4.) Sed nec *ejus laudes* debẽt nos movere; nam hominis *Apocryphi* judicium quanti sit in Ecclesia, pridem est præjudicatum ab *Hieronymo* in Prolog. Galeat. viror. illustr. *Ruffino* in Explic. Symbol. *Petro Cluniacensi* l. 1. Epist. 2. *Wilhelmo Occamo* par. 3. Dial. tract. 1. l. 3. c. 16. *Nicolao de Lyra* in cap. 1. Esdr. &c. Sed & hujus experimentô constitit esse *perversum*, qui c. 14. v. 42. Ραζίαν αὐτοχειρίαν laudat. Notatu digna sunt verba *Vatabli* in Annot. ad 2. Maccab. 14. v. 41. p. 113. *Quædam ab hoc scriptore authoreq; commemorantur & approbantur, quæ apud pios non magnam authoritatem habere debent, quo in genere est illud, quod antea de oratione atq; expiatione, pro mortuis facta, dictum est: itaq; legenda sunt hæc cum spiritûs judicio, &c.* *Bellarminus* ibid. resp. ad 1. & 3. replicati. libros Maccabæorum esse *Apocryphos* apud *Judæos*, sed non apud *Christianos*, quippe qui eos pro *Canonicis* habeant, teste *August.* l. 18. de C. D. c. 36.

R. (1.) *Bellarminus* l. 3. de Eccles. c. 16. §. *Ad tertiam*, &c. disputat, *Ecclesiam Judæorum ante Christi adventum non errâsse.* Ergo testimooium ejus de *libris Canonicis* repudiari oon debet. Quòd si enim libros quosdam ὄντως & *verè Canonicos* non recepisset, utiq; gravissimè errâsset. (2.) Pii *Veteres* nõ solùm ex Canone *Judæorum*, sed etiam ex Canone *Christianorũ* libros *Maccabæorũ* excludunt, ut ex *Concilio Laodiceno* videre est. (3.) Augustious nomine *Canonici libri* utitur in significatione *latiori*, pro libro, *qui in Ecclesia legitur ad morum ædificationem*; ita tamen, ut cum libris reliquis *propriè dictis Canonicis* non habeat parem autoritatem, qua de re confer *Augustinũ* ipsum l. 17. de C. D. c. 20. ubi dicit, *minùs firma esse, quæ non sunt scripta in Canone Judæorum*: & l. 2. de mirabil. Script. ubi libros Maccabæorum à *divino Canone* distinguit.

2. In textu *Græco* oon haberi particulam, ERGO; unde sensum textus *Græci* cum *Latino* omnino esse eundem.

R. (1.) Non licet *Bellarmino* ad *fontem Græcum* provocare, oe incurrat anathema Concilii Tridentini: *Latina* verò editio expressè habet particulam, ERGO. (2.) *Græcus* textus à versione *Latina* discrepat, ut ipsa collatio manifestè ostendit. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 224. 225. 226. seq. p. 418.-423. *Thumm.* in Disquis. de V. D. par. 1. p. 213. *Cham.* tom. 3. Panstr. l. 26. c. 16. §. 7. & 8. p. 590.

II. *Salmeron* tom. 14. disp. 25. p. 219. exinde coocludit, *esse aliquos in Purgatorio, quia in peccato mortui sint, ita ut hoc illis remitti possit, quando pro iis orationes fiunt, ut à peccato solvantur.*

R. (1.) Verba illa, *ut a peccato solverentur*, non ad *mortuos*, sed ad *vivos* referenda sunt, hoc sensu, quòd Judas propitiationem fecerit pro mortuis, hoc est,

pius

*pius precibus & sacrificiis Deum placare voluerit, ne peccatum mortuorum populo superstiti imputaretur*; cum non posset esse nescius, quomodo Dominus olim temporibus *Josue* propter simile peccatum *Achanis* totum exercitum punivit, *Josu*. 7. v. 11. & 12. (2.) Si omnino *Judas* sensisset, *milites in altero seculo à peccatis per preces & sacrificia solvi posse*; hoc tamen non juvaret Pontificios, quippe qui non concedunt, *posse aliquem per preces aut sacrificia post mortem à peccatis solvi*. Balduin. in Exam. Apolog. Schopp. p. 489. seq. & in Phosph. Cathol. contr. Parman. l. 14. c. 5. p. 1218. *Gerhard*. ibid. §. 229. p. 425. & 427. *Scharp*. tom. 2. Curs. Theol. art. de Purgat. q. 2. obj. 1. p. 2006.

CAP. XIII. v. 9. *At cogitationibus Rex efferatus, capit, pessima eorum, sub patre suo factorum, ostensurus Judais*.

*Hellenismus* est, quo *ostendere* notat *facere & exhibere*, ut 2. Tim. 4. v. 14. *Vatabl*. in Annot. ad h. l. p. 107.

CAP. XIV. v. 19. *Ut darent & acciperent dexteras*.

*Synecdoche* est: *Dexteras*, h. e. *fidem*, cujus signum inter homines usitatum & solenne est in *dextera data & accepta*. Jun. in Not. ad h. l. pag. 1020. *Vatabl*. in Annot. ad eund. loc. p. 111.

Vers. 38. *Razias multis temporibus continentia propositum tenuit in Judaismo, corpusq; & animam tradere contentus pro perseverantia*.

I. *Lyranus* in Comment. h. l. autumat, *unumquemq; licitè posse promittere continentiam ab uxore perpetuam*, quòd *Razias multis temporibus continentia propositum tenuerit in Judaismo; corpusq; & animam tradere contentus fuerit pro perseverantia*.

Resp. (1.) *Votum perpetua continentia* in V. T. non fuit, sed ex hypothesi *Pontificiorum*, pertinet ad *consilia Evangelica*, demum in N. T. promulgata: qua igitur veritatis specie ex *Scriptura* V. T. *id* probari potest? (2.) In *Graco* textu non fit mentio *voti perpetui calibatûs*, sed ἀμιξίας, per quam, *Tirino* in h. l. interprete, *separatio à gentilibus, ac sinceritatis propositum in religione Israëlitica persistendi* intelligitur. (3.) Si vel maximè *Razias continentia votum fecisset*, non tamen statim id *probandum* vel *imitandū* foret: tum quia de *eo non habetur expressum Dei verbum*; tum quia idem *Razias exemplo minime probando seipsum interfecit*, v. 42. *Chemnit*. in Exam. Concil. Trid. par. 3. tract. de Cælibat. c. 9. p. 484. obj. 6. *Gerhard*. tom. 7. LL. CC. loc. 28. de Conj. §. 508. p. 808. & in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 2. p. 333. arg. 3.

II. *Serrarius* in Comm. 2. Maccab. 14. p. 740. arbitratur, *Raziam seipsum necantem non fuisse reum homicidii*: quomodo enim *ita subitò à Deo desereretur, in tantumq; prolabi facinus permitteretur, qui pro sancto patrioq; Dei cultu corpus & animam tradere paratus semper fuerat, & etiamnum erat*.

Resp. (1.) Deus neminem deserit, nisi priùs per *peccata mortalia* deseratur. *Razia* autem peccatum *mortale* fuisse, monstrat triplicatus ille *homicidii* actus, dum 1. *gladium sibi subjicit*, v. 41. 2. *Per temporis interstitium in murum incurrens, seipsum pracipitem dedit*, v. 44. 3. *Sua intestina ambabus manibus in turbas conjecit*, v. 46. qui tot per temporis intervalla iterati actus *induratum seipsum interficiendi animum* evidenter arguunt. Expressa verò *Scriptura* litera est, 1. Joh. 3. v. 14. quòd *omnis homicida non habeat vitam aternam in se manentem*. (2.) In decretorio suo judicio Deus non *ingressum* aut *progressum*, sed vitæ *egressum* respicit, in quo cum justus se avertit à sua justitia, æternum moritur, *Ezech*. 18. v. 24. Quod cum fecit Razias, *suâ culpâ* periit, *Ose*. 13. v. 9. *Thummi*. in Explic. Decal. p. 398. seq.

Vers. 40. *Putabat Nicanor, si illum cepisset, sese cladem Judais maximam illaturum*.

*Franciscus Victoria* Relect. de homicid. vult, Raziam *boni publici* causa se interfecisse, quia *si à Nicanore vivus caperetur, non tam ipsius, quàm populi totius negotium agi videretur*.

Resp. Quid inde? Quasi verò ob negotium *totius populi* aliquid contra *legem Dei, naturæ, conscientiam & æternam salutem* esset suscipiendum: *non enim sunt facienda mala, ut inde eveniant bona*, Rom. 3. v. 9. *Thumm*. in Explic. Decal. p. 398.

Vers. 41. *Cum jam comprehenderetur, gladio se petiit*.

*Donatista*, apud *Augustinum* tom. 1. Epist. 61. ad Dulcit. col. 310. pro αὐτοχειρίας *licentia*, arripuerint exemplum *Razia*, seipsum occidentis.

Resp. Negatur id sequi: Razias enim factus est αὐτόχειρ, ex κακοζηλίᾳ *Ethnica*, non ex *vera pietate*, cum non nixus fuerit mandato aut exemplo *Canonica* Scripturæ. Itaque ab *homicidii* reatu absolvi non potest: quia terminum vitæ suæ à Deo definitum expectare debuisset cum patientia, Job. 14. v. 5. quem cum ipse abripuit Razias, Dei judicium incurrit. *Selnecc*. in Exam. Ordinand. par. 3. p. 175. seq. *Chemnit*. par. 2. LL. Theol. p. 76. b. *Thumm*. in Explic. Decal. p. 394.

Vers. 42. *Eligens nobiliter potiùs mori, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis injuriis agi*.

*Autor hujus libri non est Scriptor Canonicus*: Raziam enim, *seipsum interficientem*, encomiastica vanitate laudat; id quod nunquam *vir quisquam pius* fecit, nunquam etiam facere potuit, cum tam rigidè prohibitum sit *homicidium*.

Respondet 1. *Sixtus Senensis* l. 8. Biblioth. hæres. 12. factum istud Raziæ *narrari*, non *laudari*.

Resp. Imò verò Autor noster exemplum *Razia* non solùm *recenset*, sed etiam *commendat*: de *suo enim judicio nobilitatis & fortitudinis laudem illi tribuit*, faciens cum *Hebræis*, qui hoc modo sibi ipsis necem consciscere non putârunt illaudabile esse, teste *Lyrano* in h. l. id quod à *Spiritu Sancto* improbatur, 1. Paral. 11. v. 13.

2. *Bellarminus* l. 15. de V. D. c. 15. resp. ad postr. obj. mortem Raziæ non ita laudari, quasi *piè & sanctè* fecerit, quod fecit, quamvis *audacter & viriliter*, & hominum judiciò *fortiter* eum fecisse, negari non possit, *Augustino* teste lib. 2. contr. Epist. Gaudent. c. 25.

R. (1.) *Augustinus* deceptus est Latinis vocibus, *nobiliter* & *contra natales suos*, pro Græcis, εὐγενῶς & τῆς ἰδίας εὐγενείας ἀναξίως, quæ debuerunt reddi potiùs, *generosè, & contra propriam generositatem*. Nam etsi verùm, τὴν εὐγένειαν, *& generositatem* denotare, quæ virtus est, & *generis nobilitatem*; tamen hoc loco *illam* potiùs oportuit cogitatā: neq; enim Razias laudatus usquam apparet ex *generis nobilitate*, sed ex *propriis dotibus animi*, v. 38. Itaq; non dubito, in isto laudatā *animi virtutē*: vereor enim, ut *nobilitas generis* possit dici ἰδία εὐγένεια. (2.) Autor noster mortē Raziæ partim à *generositate* comendat, v. 42. partim à *pietate*, v. 46. Quam enim *verbis* tantùm laudavit ut *fortē*, eam *reipsa* retulit ut *piam*. Habemus ergo *conjuncta*, quæ Bellarminus volebat *discernere*, cum diceret, non *pietatē*, sed *fortitudinem* in Razia laudari.

3. *Hayus* l. 1. Dispp. advers. Ministr. Anonym. c. 19. *Razia* mortem Maccabæorum historiæ derogâsse autoritatem, si *fictam fabulā* jussisset nos credere.

R. *Fabulosum* vel maximè videtur, quòd homo iste

post

post tantum vulnus, tantumq; casum non surgeret modò, sed & cursu præteriret turbas, in quas mediâs de muro præcipitâsset se, & nescio quomodo super quadam prærupta petra constitutus, & *jam prorsus exanguis*, in subjectam plebem viscera spargeret, *propriis avulsa manibus*. Quæ vix credibile est, eum facere voluisse aut valuisse, inquit *Augustinus* l. 2. contr. Gaudent. c. 23.

4. *Serrarius* in Comm. c. 2. Mac. 14. p. 740. Raziam id fecisse, ut olim *Samsonem*, peculiari *impulsu Spiritus Sancti*.

Resp. (1.) Ipse *Serrarius* monet, ad *instinctum Dei* non debere quenquã prosilire, nisi *certò & apertè cognoscat specialem hanc Dei voluntatem & jussionē*: sed monstret mihi unicũ jota in Sacris *divinæ hujus jussionis*. (2. Jesuita principium manifestè petit, cũ non ad *peculiarem S. Sancti inspirationem*, sed ad *gloriæ cupiditatem, & servitutis fugam*, causa hujus propositi in textu referatur, v. 43. (3.) Neq; valet exemplum in re mirum in modum dissimili: tum quia Razias *per se* cogitavit sibi necem inferre, at Samson se occidit *per accidens*, cum *per se* quærebat cædem hostium: tum quia Razias moriturus *nemini utilis erat*; ast Samson *Reipublicæ proderat*: tum denique quia Scriptor *Canonicus* Samsonem beatum prædicat, Heb. 11. v. 32. at Raziam Scriptor *Apocryphus*. (4.) Solet quidem S. Sanctus *animi generositatem* inspirare viris fortibus, sed *temeritatem se occidendi* nunquam: quia peccata nunquam inspirat.

5. *Gretserus* in Apolog. pro Bellarm. l. 1. de V. D. c. 15. mirum esse, quòd *Augustinus* hoc perfugio apud *Dulcitium* in Epist. 61. & lib. 2. contr. Gaudent. c. 23. nunquam usus fuerit, ut diceret, *Scriptorem libri hujus esse Apocryphum*.

Resp. (1.) Imò *Augustinus* hac ipsa exceptione usus est, quando lib. 2. contr. Gaudent. c. 23. monet, *Maccabæorum libros sobriè legendos esse*; id quod fit, si, ut ipse exponit in Epist. 61. ad Dulcit. *ea, quæ ibi leguntur, cũ Scripturis sacris conferantur, ut quæ recta sunt, probentur; quæ secus, repudientur*. (2.) Quamvis *Augustinus* hanc rationem omisisset, nihil in hac consideratione posset esse virium: tum quia argumentum est *negativum*, tum quia Augustini *privata* sententia non habet vim *legis*. Gerhard. tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 227. p. 423. & in Exeg. loc. 1. de Scriptur. Sacr. §. 235. p. 243. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V. D. p. 210. 221. seq. n. 19. *Brochm.* tom. 2. Syst. Theol. art. de Leg. c. 11. sect. 4. q. 1. obj. 2. p. 131. seq. *Cham.* tom. 1. Panstrat. l. 5. c. 4. §. 7. seq. & tom. 3. l. 26. c. 16. §. 9. 10. 11. p. 591.

Vers. 43. *Recurrens audacter ad murum, præcipitavit semetipsum viriliter in turbas.*

I. *Serrarius* in Comm. 2. Maccab. 14. p. 740. opinatur, *Raziam ex instinctu Dei seipsum interfecisse*, quòd adverbia, *audacter & viriliter*, quæ *laudationis* aliquid habeant, interferantur.

Resp. (1.) *Serrarius* contradicit *Bellarmino*: hic enim l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad postr. object. disertè dicit, mortem hujus hominis *narrari* in Scriptura, non *laudari*. (2.) Adverbia illa, quibus *Autor* facinus hoc laudat, *ambitionem & inanem nominis gloriam* arguunt, *fidem in Messiam* non probant. (3.) Liber ille *Apocryphus* est, uti suprà luculenter probavi, & infrà quoq; probabitur: illius ergo encomio non est standum. *Thumm.* in Explic. Decal. p. 399.

II. Argumentum nostrum, contra *Canonicam libri hujus autoritatem*, vide ab exceptionibus *Papisticis* vindicatum in Vindic. 2. *Maccab.* 14. v. 42.

Vers. 46. *Invocans dominatorē vitæ ac spiritûs, ut hæc illi iterum redderet, atq; ita vita defunctus est.*

*Franciscus Victoria* in Relect. de homicid. instat, *Raziam à Deo impulsum, & ad mortem istam commotum fuisse*; quia *ipse jamjam moriturus Deum piè admodũ oraverit, summoq; ipsi spiritum commendaverit*.

Resp. (1.) *Franciscus* repugnat *Bellarmino*, qui l. 1. de Purgat. c. 3. loc. 1. resp. ad 7. expressè *negat, laudari Raziam*, quòd *piè & sanctè egerit*: qua ergo veritatis specie *Franciscus* dicere potuit, *ipsum jamjam moriturum piè admodũ Deũ orasse?* (2.) Preces, *secundum voluntatem Dei* institutas, exaudit Deus; *contra Decalogum* autem, *conscientiam, & æternam salutem* susceptas, Deum non exaudire, testatur David. Ps. 66. v. 18. *Thumm.* in Explic. Decal. p. 398. obj. 3.

CAP. XV. v. 12. *Onias vir bellus & bonus manus protendens, orat pro omni populo Judæorum.*

I. *Hellenismus* est: *Vir bellus & bonus*, h. e. *optimus*. Jun. in Not. ad h. l. p. 1021.

II. *Bellarminus* l. 1. de Sanctor. beatit. c. 18. propos. 3. loc. 2. probat, *Sanctos defunctos pro nobis orare*, quòd Judas in visione quadam viderit *Oniam Pontificem, qui jam obierat, orantem pro omni populo Judæorum.*

Resp. (1.) Judas *intercessionem Oniæ Pontificis pro populo Judaico* commemorat, non ut *rem verè gestam*, sed ut *somnium*, ad excitandos militum animos. Jam verò cũ, quæ sunt in Apocryphis *seriò dicta*, per se momentum habeant nullũ, quantò minus *somnia*? (2.) Vulgò notum est, *somnia* etiam θεόπνευστα nunquam esse *absq; involucris*, id est, nunquã *rem ipsam nudè describere*; itaq; opus habere solerti cautaque interpretatione. Quarè vel *somnium* hoc longè à somniorum natura absçederet, vel si cujusquam esset momenti, aliquid aliud significaret, quàm *Oniam oràsse tùm temporis pro Judæis*. (3.) Etiamsi Judas *rem verè gestam* narraret, non tamen nobis officeret. Neque enim exprimit, Oniam *singulas circumstantias, & speciales populi Judaici calamitates* novisse; verum Oniam *in genere* oràsse pro Ecclesia Judaica, id quod non negamus. *Chemnit.* in Exam. Concil. Trid. par. 3. p. 624. *Gerhard.* tom. 8. LL. CC. loc. 29. de Mort. §. 443. p. 849. seq. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 8. c. 3. § 9. p. 143. *Gerh.* de Invocat. Sanct. pag. 130.

III. *Bellarminus* l. 2. de Miss. c. 8. propos. 2. arg. 2. autumat, *non repugnare institutioni Cœnæ Dominicæ, ut in ea invocentur Sancti defuncti*, tanquam *intercessores*, cum *Onias defunctus oràrit pro populo.*

Resp. Locus iste ad stabiliendam *Sanctorum invocationem* non quadrat: neque enim asserit, vel Maccabæum vel exercitum *invocàsse Oniam*; sed *solum Dominatorem cælorum*, v. 22. *Hutter.* in Refut. Bellarm. de Miss. p. 534. seq.

Vers. 14. *Hic est, qui multùm orat pro populo & universa sancta civitate, &c.*

Rationem *Parmanni*, pro *speciali Sanctorum defunctorum intercessione*, vide confutatam in Vindic. 2. *Maccab.* 15. v. 12.

Vers. 16. *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.*

*Parmannus* in Hodeg. asserit, *Sanctos defunctos res mundanas habere cognitas & perspectas*, quoniam Propheta *Jeremias*, jamdum defunctus, *Judæ Maccabæo apparuerit, ipsiq; gladium porrexerit, & ad militandum animaverit.*

Resp. (1.) Recenset Judas *Jeremiæ apparitionem, gladiique porrectionem*, non κατὰ πρᾶγμα, sed κατ' ὄναρ gestam; aliàs inferri posset, *Sanctos defunctos esse gladiis accinctos*. (2.) Juxta Pontificios, *anima Jeremiæ tum temporis in Limbo erat*; ideoque in *Deo*, tanquam in speculo, res Judaicas videre non potuit: nisi statuere velint, *Jeremiam ex Limbo attulisse gladium aureum.*

(3.) Glossa

(3.) Glossa Bibliorum, in Ecclesia *Romana* recepta, hanc visionem ad Christum refert: *Per Hieremiam Prophetam*, inquiens, *significatur Dominus noster Jesus Christus, qui* Luc. 7. v. 16. *dicitur Propheta magnus, & ipse dat Judæ gladium aureum, h. e. Prælato vel Doctori Sacram Scripturam, quæ secundùm Apostolum, Ephes. 6. v. 17. dicitur gladius, &c.* Ita verò nil faceret pro Pontificiis. *Balduin.* in Phosph. Cathol. l. 13. c. 3. p. 1173. *Gerhard* in Conf. Cath. lib. 2. spec. par. 2. p. 610. seq. resp. ad arg. 18. *Scharp.* tom. 2. Cursus Theol. p. 2040. seqq.

Vers. 29. *Ita exclamatione & turba facta, benedixerunt Deo, &c.*

*Hendiadys* est: Κραυγῆς καὶ ταραχῆς, *exclamatione & turba*, id est, *exclamatione turbulenta.* Jun. in Not. ad h. l. p. 1021.

Vers. 36. *Omnes communi consilio decreverunt, nullo modo absq; celebritate diem istum præterire, &c.*

Argumentum *Papisticum*, pro *licentia novorum cultuum ab Ecclesia instituendorum*, vide solutum in Vindic. 1. *Maccab.* 4. v. 59.

Vers. 39. *Si quidem benè, & ut historia competit, hoc & ipse velim: sin autem minùs dignè, concedendum est mihi.*

*Autor libri hujus non est Propheta:* petit enim *veniam à lectoribus, quasi non certus, se, ut oportebat, scripsisse*; id quod nullus facit *Propheta*, alioquin obnoxius redderetur Spiritus Sanctus judicio *humano*, & *censura* subjiceretur.

Respondet 1. *Hayus* l. 1. Dispp. advers. Ministr. Anonym. c. 19. *nos modestiam vero Christianam in hoc Autore reprehendere*, quâ verba illa præ se ferant.

Resp. Falsum est, *nos hujus Autoris modestiam reprehendere*; nec eo nomine accusamus, quòd aut *excusarit se*, aut *veniam postulaverit*, quod & nos, si sapimus, quotidie facimus: sed negamus, *dignum esse Spiritu Sancto*; & negamus, *esse ex afflatu ejus*.

2. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 15. resp. ad 2. object. istum Auctorem non petere veniam *erratorum*, quippe qui nulla esse sciebat, sed *orationis minùs politæ*, quam *styli inelegantiam*, Schoppius in Apolog. pro Bellarm. contr. Hunn. c. 56. p. 79. dicit, non obstare, quò minùs liber sit à *Spiritu Sancto* profectus.

Resp. (1.) Nullo loco ab hoc Autore nominatur *oratio sive polita, sive impolita*; sed *decentia conscriptionis*: hæc enim verba, ἐνδίκως τῇ συντάξει, *ut historia competit*, non *politiem* significant, sed *narrationis dignitatem*. Cum verò *Autor* ille petat sibi veniam dari, si non, *ut historiæ competit*, scripserit; certè dubitavit, an omnia à se scripta *historicæ veritati sint congrua*: quam etiam ob causam v. 40. librum totum *vino diluto* comparat. (2.) Si *Autor* ille nihil peccare se sciebat, cur *veniam petit?* Nam si sola esset *impolities*, non debuit: neque enim Spiritus Sanctus quærit *delectare aures prurientes*, sed *animum famelicum pascere*. Unde nullus omnino Scriptor *Canonicus* veniam petit, *si quid minùs dignè vel dextrè scriptum sit*: sciunt enim, omnia sua scripta à *S. Sancto* profecta, cujus in hoc opere fuerunt amanuenses; ideo nec in *rebus*, nec in *verbis* veniam sibi petere necesse habent. *Balduin.* in Exam. Apolog. Schopp. p. 487. & in Phosph. Cathol. contr. Parman. l. 14. c. 5. p. 1218. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 232. p. 238. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 2. §. 11. seq p. 53.

## VINDICIÆ LIBRI III. MACCABÆORUM.

CAP. I. v. 17. *Alibi & alibi relinquentes irrevocabiliter concursatione, &c.*

§. 1. *Alibi & alibi*, h. e. *hic illic.* §. 2. *Irrevocabiliter* pro *irrevocabili*. Jun. in Not. ad h. l. p. 976.

CAP. II. v. 8. *Tu, o Rex, qui creaveras infinitam illam & immensam terram, &c.*

*Hyperbole* est, quâ *terra dicitur infinita & immensa*, nempe *si cum Jehudaea comparabitur*. Jun. in Not. ad h. l. p. 977.

Vers. 11. *Ecce nunc domittimur in imbecillitatibus.*

*Hellenismus* est: *In imbecillitatibus*, i. e. in *summa imbecillitate*. Jun. in Not. ad h. l. p. 977.

Vers. 13. *Nam habitatio quidem tua cælum cæli, &c.*

*Hellenismus* redit: *Cælum cæli*, h. e. *cælum summum*. Jun. in Not. ad h. l. p. 977.

Vers. 14. *Ne ulciscaris de nobis immunditiâ istorum, neq; punias nos prophanatione, ut non glorientur iniqui cum animo suo, neq; exultent superbiâ linguâ sua. &c.*

*Hypallage* est: *Immunditiâ istorum & prophanatione, & superbiâ linguâ sua*, pro, *per immundos istos, & per prophanos, & superba linguâ suâ*. Jun. in Not. ad h. l. p. 977.

CAP. III. v. 6. *Non enim ab eo, qui nihil ignorat, talem &c.*

*Periphrasis* est DEI, ut qui nihil ignorat. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 978.

Vers. 10. *Non vi hasta, sed æquitate &c.*

*Synecdoche* est *species* pro *genere*: nam *hasta* pro *armis* ponitur. *Jun.* in Not ad h. l. p. 978.

Vers. 20. *Quisquis autem Jehudæorum aliquem à sene usq; ad infantem, atq; ad eum, qui mammæ subjiciatur, &c.*

*Hellenismus* est ex Hebræorum usu: *A sene usq; ad infantem, usque ad eum, qui mammæ subjicitur*: hoc est, *sive senem, sive puerum, sive lactantem etiam*. Jun. in Not. ad h. l. p. 979.

CAP. IV. v. 4. *Deplorarent ter infelicem eorum dejectionem.*

*Hellenismus* est: *Ter infelicem*, id est, *infelicissimam*. Jun. in Not. ad h. l. p. 979.

Vers. 12. *Fiebat horum descriptio amarô studio, &c.*

*Metaphora* est: *Amaro studio*, id est, *vehemente*. Jun. in Not. ad h. l. p. 979.

CAP. V. v. 6. *Verùm partem somni, quæ rei creata inde à seculo temporis bona est de nocte, &c.*

Autor hic usurpat (1.) *Ellipsin nominis substantivi*: Verùm *Deus* partem &c. (2.) *Hypallagen*: *A seculo temporis*, pro, *à tempore seculi*. Jun. in Not. ad h. l. p. 980.

## VINDICIÆ ORATIONIS MANASSIS.

Vers. 7. *Tu Domine Deus justorum, non posuisti pœnitentiam justis, Abraham, & Isaac, & Jacob, usq;, qui tibi non peccaverunt.*

I. *Bellarminum* l. 1. de Pœnitent. c. 19. propos. 4. disputat, *pœnitentiam non esse omnium hominum, sed tantùm peccatorum: justis enim Deum non posuisse pœnitentiam.*

Resp. Hæc Manassis verba non sunt accipienda *absolute*, quasi sancti Patriarchæ pœnitentiâ *prorsus* non indiguerint; siquidem hoc pugnaret cum effato *Christi*, Luc. 24. v. 47. & *Pauli*, Actor. 17. v. 30. verùm *comparate*, quoad pœnitentiam de *enormi-*

*at*

*ac atrocibus delictis*, quibus Manasse immersus erat. De iis *justi stantes* non agunt quidem pœnitentiam; interim quotidie indigent *remissionis peccatorum petitione*, Psal. 32. v. 6. *Osiand.* tom. 2. Paraphr. Bibl. p. 797. *Gerhard.* tom. 3. LL. CC. loc. 18. de Pœnitent. §. 137. seq. p. 960. & 962.

II. *Socinianus* ille Autor Problem. Theol. part. 4. autumat, *renatos posse esse sine ullo peccato*, quia *Abrahamus, Isaacus, & Jacobus non peccârint contra Deum.*

Resp. Non innuit Manasses, Abrahamum, Isaacum & Jacobum *caruisse omni nævo peccati*; (quis enim potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato, Prov. 20. v. 9. & si dixerimus, nos peccatum non habere, ipsi seducimus nos & veritas non est in nobis, 1. Joh. 1. v. 8.) sed absolvit eos duntaxat à *gravioribus illis peccatis*, quibus, ut diximus ipse pollutus erat, nempe *idololatriâ, homicidiis, persecutione justorum*, & aliis. *Hunn.* tom. 3. Oper. Lat. p. 1531. *Thumm.* in Impiet. Photin. p. 344. seq. obj. 2.

*VINDICIÆ*
SUPPLEMENTORUM ESTHER.
unàcum animadversionibus.

CAP. X. v. 4. Καὶ εἶπε μαρδοχαῖος, *& dixit Mardochæus, &c.*

*Illa septem capita postrema libri Esther sunt apocrypha:* saltem enim *Græco* sermone sunt scripta; cum tamen omnes libri *Canonici* V. T. idiomate *Hebræo* sint exarata.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 7. resp. ad 1. obj. respondet 1. probabile esse, aliquando *ista etiam capita in textu Hebræo fuisse*, deinde *casu aliquo excidisse*: nam & *Josephum* l. 11. Antiq. Judaic. c. 6. *duas Epistolas Assveri, & orationem Mardochæi* non prætermittere, cum tamen ipse testetur, *se transtulisse libros Hebraicos.*

Resp. (1.) Hæc Bellarmini conjectura facilè corruit: non esse enim *unius ejusdemq́; autores* librum Hebraicum & Supplementa Græca, luculenter evincunt tum *styli diversitas*, tum *antinomiæ*, quas infrà enarrabimus. (2.) Bellarminus ipse ibidem resp. ad 2. object. vult, *septem illa capita postrema libri Esther partim ad initium, partim ad medium, partim ad finē pertinere.* At qui probabile esse potest, excidisse quædam ab *initio*, ex *medio*, & *fine*, non intercidentibus simul cæteris intermediis? Et sanè si quis in volumine *Hebraico* appareret *hiatus*, probabile videretur Bellarmini somnium. Jam verò *cohærent omnia ordine rectissime*, & ipsarummet gestarum rerū tam undiquaque concinna & apta est cohærentia, ut ne vestigium quidem appareat, *è medio volumine quicquam intercidisse.* Imò tùm demū turbatur illa capitū omniū & singulorum junctura atq; connexio, si fragmentū illud hinc inde assuas & inseras. Tam enim otiosa protinus emergit *repetitio insidiarum structarum Regi ab Eunuchis*, ut ipsa res clamet, hoc additamentum posteriorum capitum ad *Hebraicum* volumen non pertinere. (3.) Etsi Josephus testetur, se *metaphrastis* partes suscepisse, id tamen non juvat Bellarminum: tum quia Josephus multa habet, quæ non sunt ex *Canonicis Hebræorum libris*, ut l. 1. Antiq. c. 4. illud de *duabus columnis erectis ante diluvium*, & l. 11. c. 7. usq; ad finem l. 20. pertexuit historiam, quæ quidem in *Hebraicis*, non tamen *Canonicis* libris est: tum quia *Lyranus* in fin. Comment. sup. lib. Esth. & *Sixtus Senensis* l. 1. Biblioth. sect. 2. cap. *Esther*. fol. 24. fatentur, è *Josepho* desumptum esse horum additamentorum partem.

2. *Primum libri ejus autorem*, qui *Hebraicè* historiam Esther scribendam suscepit, *summam tantùm historiæ scripsisse*, deinde *alio tempore* scriptam fuisse historiam eandem ab *aliquo alio* copiosiùs, & translatam in linguam *Græcam.*

Resp. (1.) Jesuita petit principium, dum *summam historiæ, Hebraicè conscriptam, post ab aliquo copiosiùs deductam esse* scribit. Quid enim potest suo Marte asserere de rebus gestis *tot antè seculis*, & quidem sine *testibus*? (2.) *Decem priora capita*, quæ *Hebraicè* extant, potiùs seriem historiæ explicant, quam *hæc septem capita*, quæ *Græcè* extant. Unde *Hieronymus, Lyra, & Sixtus Senensis* nullam *historiæ seriem* in iis agnoscunt, sed testantur, *ea esse laceras quasdam appendices, & pannosa additamenta, temere apposita, & utcunq́; insuta.* (3.) Bellarminus sibi contradicit. Suprà enim capita postrema septem fecit *partes libri Esther Hebraicè conscripti*: nunc verò ea innuit esse *librum alium, ab illo diversum, & ab alio etiam autore exoratum.* (4.) Licet his *septem* capitibus *historia* copiosiùs descripta esset iis *decem* capitibus, non tamen sequeretur, *esse Canonica*: alias *Josephus* esset Canonicus, ut qui historiam *creationis* diductiùs, quàm *Moses* explanat. *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin. p. 64. seq. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 199. p. 203. seq. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V. D. p. 131 seq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 3. §. 5. 6. 7. p. 54.

Vers. 5. *Neq; enim præteriit ab eis verbum.*

*Hellenismus* est: nam λόγος est *res vel minima*, sicut דָּבָר apud Hebræos. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 906.

CAP. XI. v. 1. *Quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum, Ptolomæi filium in Jerusalem.*

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 7. resp. ad 1. obj. instat, *historiam Esther, septem posterioribus capitibus comprehensam*, primùm *Hebraicè fuisse scriptam*: liquidem *eam in linguam Græcam transtulerit Lysimachus*, regnante in Ægypto *Ptolomæo Epiphane & Cleopatra.*

Resp. (1.) Jesuita committit crimen *falsi*: neque enim *totius operis* interpretatio Lysimacho tribuitur, sed duntaxat *epistola Phurim*, quâ continetur narratio somnii Mardochæi. (2.) Hoc etiam vel maximè ridiculum est: quia constat hoc argumento non esse hanc, quam habemus, *versionem*, sed *ipsam primam compilationem*: quis enim credat, *in textu Autorem Hebraicum suum nomināsse interpretem?* Cham. tom. 1. Panstr. l. 5. c. 3. §. 5. & 8. p. 54.

Vers. 2. *Annô secundô, regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium, &c.*

Narratio hæc pugnat cum *Canonico Esther libro*: hic enim cap. 2. v. 16. insidias Eunuchorum ait per Mardochæum detectas annô *septimò* Assveri; Autor verò Supplementi libri Esther hîc eas refert in annum *secundùm.*

Respondet *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 7. resp. ad 2. object. illa verba v. 2. non debere extendi usque ad *narrationem insidiarum*, c. 12. sed solùm ad *somnium*, quod viderit Mardochæus, antequam Esther Assvero conjungeretur.

Resp. Ex v. 12. constat, inter *somnium Mardochæi*, & *insidias Eunuchorum* saltem fuisse intervallum *unius diei*. Mardochæus enim dicit, se, cum è somno surgeret, cogitabundum fuisse *usq́; ad vesperam*, ac tùm cognovisse Eunuchorum insidias; si qua fides supplemento illi habenda. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 201. p. 205. & 206. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 6. §. 5. p. 56.

Vers. 4. *Erat de numero captivorum, quot transtulerat Nabuchodonosor, Rex Babylonis, de Jerusalem, cum Jechonia, Rege Juda.*

*Autor supplementi hujus sibi non constat*: non satis

enim

enim congruè Mardochæus, anno *secundo* Artaxerxis ita *vegetus, ut etiam excubiis sufficeret*, v. 5. dicitur fuisse *translatus unà cum Jechonia*; cum tamen à *Jechonia* ad *Artaxerxem Longimanum* anni numerentur 155. quibus majorem fuisse *Mardochæum* necesse fuerit. *Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 7. resp. ad 3. obj. excipit 1. non esse incredibile, *Mardochæum cum Rege Jechonia translatum fuisse in Babylonem, & usq; ad tempus Artaxerxis Longimani supervixisse annum* 165. cum *Paulus Eremita* vixerit 115. annos, & ipse viderit *senem* 105. annorum, ita *robustum & vegetum*, ut multos adhuc annos supervicturus esse videretur.

Resp. (1.) Annis illis 165. translationi in captivitatem, & temporibus *Artaxerxis Longimani* interjecti *aliquot anni* adhuc erunt addendi. Nam 2. Reg. 24. v. 16. Nabuchodonosor dicitur deportâsse *viros robustos, fortes & bellatores*, nulla factâ *puerorum* mentione. Ergo Mardochæus tum fuisset annorum 30. illis adde annos 165. inter translationem in captivitatem & tempora Artaxerxis interjectos, ac prodibunt anni 195. Quod si ergo temporibus Artaxerxis Mardochæus *tot annos* fuisset natus, non potuisset *aulica negocia*, & comprimis *excubias*, obire: neque enim *aulica negocia*, imò verò *excubiæ*, pro nihilo sunt habendæ. (2.) Probatio de viris 115. aut 105. annorum nulla est. Quasi verò ex *uno aut altero exemplo* rectè concludatur: & quasi nullum sit discrimen inter 105. aut 115. annos & inter 195.

2. *Translatum fuisse Mardochæum cum Jechonia*, non in *se*, sed in *parentibus* aut *majoribus suis*, antequam nasceretur.

Resp. (1.) Bellarminus sibi contradicit: disertè enim ibidem asseverat, Mardochæum, cum in Babylonem translatus esset, *aliquot annos habuisse*. Et rectè quidem, quomodo enim aliàs *Estheram adoptâsset in filiam*, ut habetur, *Esther*. 2. v. 7. Si autem tùm, quando abductus est, *aliquot annos habuit*, quomodo *in lumbis parentum aut majorum suorum abduci potuit*? (2.) Negamus interpretationem Bellarmini: tum quia ejus nullum usquam reperitur exemplum, tum quia perpulchrè sophismate hoc eludi poterunt historiæ ad unam omnes, tum quia hac ratione *Bellarminus* quoque dici poterit interfuisse *coronationi Papæ Alexandri* VI. vel etiam *Concilio Basileensi*, in suis scil. majoribus. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 66. seq. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 202. p. 207. seq. *Thummi.* par. 1. Disquis. de V. D. p. 137. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 6. §. 2. & 3. p. 56.

Vers. 5. *Ecce vox tumultûs &c.*

*Enallage* est genitivi, θορύβου, *tumultûs*, pro adjectivo, *tumultuosa* vel *tumultuans* & turbulenta. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 35. b. *Friedlib.* in eund. loc. p. 906. class. 1.

Vers. 12. *Et cum surrexisset Mardochæus, qui viderat somnium hoc, & quid Deus deliberat facere, habuit in somnium hoc in corde, & in omni verbo voluit cognoscere hoc usq; ad noctem, &c.*

Insidiæ ab Eunuchis structæ sunt Artaxerxi eo tempore, *quo Mardochæus cogitavit de somno non intellecto*: cum enim de eo *usque ad noctem* cogitâsset, tum ille quiescens in aula cum duobus Eunuchis illis conjurationem eorum adversus Regem fertur intellexisse, c. 12. v. 1. & 2.

*Gretserus* in Apolog. pro Bellarm. replicat, illud ἕως τῆς νυκτὸς indicare, non *insidias structas eo tempore*, sed *Mardochæum usque ad noctem sedulò & cum cura de somnii intelligentia cogitâsse*.

Resp. Illud, ἕως τῆς νυκτὸς, ita considerari oportet, ut meminerimus, etiam legi statim, *quievisse Mardochæum in aula*. Nam si non continuantur partes historiæ, quo sensu illud additum, ἕως τῆς νυκτὸς? Quasi verisimile sit, Mardochæum *non tantum unius diei curriculo*, cogitâsse de somno non intellecto; vel illud, ἕως τῆς νυκτὸς, posset *multorum annorum spacium* continere. *Cham.* ibid. §. 5.

CAP. XII. v. 2. *Cum intellexisset cogitationes eorum; quod conarentur in Regem Artaxerxem manus mittere, & nunciavit super eo Regi.*

*Autor horum supplementorum non est fide dignus*: insidiarum enim historiam constituit *ante abdicationem Vasthi, & nuptias Esthera*; quod in scripto *Esthera* canonico contra est.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 7. resp. ad 2. obj. obvertit, *narrationem insidiarum*, quæ habetur c. 12. in Latinis Bibliis, ad *initium libri* pertinere, atque ibi narrari insidias *per anticipationem*, easque rursum narrari postea suo loco, c. 2. v. 21. factas enim annò *septimo*, non *secundo*.

Resp. (1) Jesuita sibi contradicit: antea enim dixerat, *esse duos diversos libros*, & *utrumq; eandem rem narrare*; sed alterum *copiosius*, alterum *brevius*. Nunc verò *unum esse dicit librum*, & in *Græco* non narrari idem, quod in *Hebræo*. (2.) Ex quo fundamento putatur referenda ea narratio ad *libri initium*, reclamante serie historiæ? quandoquidem ordo rerum gestarum urget, *initio libri* narrari ea, quæ *nuptias Asveri cum Esthera præcesserunt*, quod etiam facit authenticum volumen Hebræum. Jam verò *insidiæ Eunuchorum* acciderunt *post nuptias Regis*, cum Esthera celebratas: eam enim molitionem Eunuchorum, *Esthera*, jam in Regio connubio constitutæ, nunciari curavit Mardochæus, *hæc* porrò *Regi*. (3.) Inepta est illa πρόληψις & anticipatio: tum quia illius nulla potest ostendi *ratio* aut *occasio*, tum quia ejusmodi nullum *simile exemplum* dari potest, tum quia verba v. 1. sunt in contrarium, quippe quæ significant, somnium Mardochæi accidisse *eodem tempore, quo insidiæ sunt deprehensæ*. Quis verò unquam ita loquutus est, ut somnium *unius noctis* eodem tempore accidisse dicat cum iis, quæ evenerunt *annis quinq;*, post eam noctem? Quarè *unius tantum diei*, non *quinq; annorum* significatur intervallum. *Hunn.* tom. 2. Oper. Lat. p. 65. seq. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 201. pag. 205. seqq. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V. D. 132. seq. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 6. §. 5. p. 56.

Vers. 4. *Et scripsit Rex sermones hoc in commentario, &c.*

*Hellenismus* est: (1.) *Scripsit*, h. e. *jussit scribi*. (2.) λόγος, *sermones* Hebræis pro *rebus* ipsis accipiuntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 35. a.

Vers. 5. *Præcepit ei Rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.*

*Scriptor hujus libri non est Canonicus*: tradit enim, Mardochæum post Eunuchos supplició affectos, *pro delatione donaria accepisse*; cum tamen historia *Canonica* testetur, Mardochæum *nihil omnino mercedis accepisse*, Esther. 6. v. 3.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 7. resp. ad 2. obj. recurrit ad πρόληψιν, & ait, quòd etsi non habuerit Mardochæus mercedem pro delatione, *quando Rex jussit relegi sibi annales*, Esther. 6. v. 3. tamen *postea habuerit amplissimam mercedem*, quæ ibidem v. 10. & 11. describitur, & *ea significatur in hoc c. 12. v. 5.*

Resp. (1.) *Munera illa* non possunt intelligi de honoribus, quibus *Rex post inspectos annales Mardochæum affecit*. Nam Haman, *Esther*. 12. v. 6. Mardochæo perniciem struebat, *postquam Mardochæus*

*ita à Rege exaltatus esset.* At ex *Esther.* 6. & 7. constat, *Hamanem fuisse suspensum eodem die, quo Mardochæus evehebatur* (2.) Jesuita sibi contradicit. Nam. 11. & 12. caput pertinere dixit ad *initium* libri. At ipsa detectio facta est, *c. 2. v. 22.* Ergo si c. 12. juxta historiæ seriem ante *primum* collocari debet, Bellarminus ostendat, quomodo Mardochæus *ante delationem pro delatione* præmiis affectus fuerit. Nulla igitur hîc causa *anticipandi*. Gerhard in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 201 p. 206. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V. D. p. 134. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 6. § 6. p. 56.

Vers. 6. *Aman voluit nocere Mardochæo, & populo ejus pro duobus Eunuchis Regis, qui fuerant interfecti.*

*Fides hujus Auctoris est suspecta*: nam odii in Mardochæum causam Amani fuisse dicit *Eunuchorum supplicium*; at *Canonicus* Scriptor, *Esther.* 3. v. 5. odii illius causam refert ad *denegatam Amani à Mardochæo adorationem.*

*Gretserus* in Defens. Bellarm. respondet, hæc non pugnare, cum *utrumque* causa illius odii esse possit; nec insolens esse, quòd homines ingratissimi sint erga de se benemeritos.

℞. (1.) Hæc quidem *absolutè* non pugnant: interim quia Canonicus liber Estheræ *unam duntaxat causam*, & quidem *diversam* ab ea, quam Supplementum habet, exprimit; ideo hoc ipsum *Supplementi* fidem suspectam reddit. (2.) Concedo, arrogantes in bene de se meritos solere esse ingratos, sed nihil ad rem: agat ille, ut volet, cum iis, qui negant, *potuisse Amanem conspirare cum Eunuchis*: nam ego in medio relinquo. *Gerhard.* ibid. Cham. l. c. §. 7. p. 56. seq.

CAP. XIII. v. 6. *Omnes cum mulieribus & filiis perdi radicitus inimicorum gladiis sine omni misericordia & parcitate, quarta decima duodecimi mensis Adar præsentis anni &c.*

I. *Metaphora* est: *Perdi radicitus*, i. e. *plane deleri*, sicut *stirpes atq; plantæ* radicitus èvelluntur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 35. b.

II. Scriptor iste sibi contradicere videtur: hîc enim narrat, Judæos omnes *decima quarta* die mensis Adar fuisse occidendos; at *decima tertia* fieri hoc debuisse, est infrà c. 16. v. 20.

℞. Utrumq; verum esse potest, ut laniena illa *inciperet* decima tertia die, & decimâ quartâ *perficeretur*, datâ morâ ad tantum facinus. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 2. p. 907. n. 2.

Vers. 15. *Respiciunt nos in perditionem*, &c.

*Metonymia* est, quâ *respicere in perditionem*, notat *studium cupiditatemq; nocendi ac perdendi*, Vatabl. in Annot. ad h. l. fol. 35. b.

Vers. 19. *Et omnis Israël clamaverunt ex robore suo, quoniam mors coram oculis ipsorum.*

Offert se (1.) *Metonymia causa* pro *effecto*: nam *Israël* pro *Israëlitis* ponitur (2.) *Hellenismus*: Clamaverunt *ex robore suo*, i. e. *summô animi studio atq; contentione*; quo ipso significatur *maximus ardor orationis* (3.) *Ellipsis* verbi: *Mors eorum*, subint. *obversabatur* &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 35. b. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 974.

CAP. XIV. v. 2. *Omnia loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit.*

*Anonymus* quidam Papista in Epist. Encycl. p. 3. seq. probare conatur, *Deo placere sui ipsius verberationem*, quòd commendetur exemplum *Esthera*, crines evellentis, iisq; omnia loca, in quibus antea lætari consueverat, complentis.

℞. (1.) *Crinium evulsio* non commendatur hîc à Scriptore *Canonico*, sed *Apocrypho*: unde *per se* Anonymi intentum non probat. (2.) Eadem crinium evulsio non fuit *peculiaris cultus Dei*, sed *externum duntaxat interna vera humiliationis testimonium.* (3.) Ritus ille fuit ritus fœminæ *Hebrææ* in V. T. Christiani autem in N. T. ad tales *Hebræorum* ritus non sunt alligati. (4.) Usus ille non fuit cum *sanguinis effusione* conjunctus: unde nil commune habet cum *cruenta proprii corporis flagellatione*. Osiand. tom. 2. comm. Bibl. p. 786. *Zeamann.* in Carnif. Esavit. p. 454. seq.

Vers. 4. *Periculum meum in manu mea.*

*Ellipsis* est verbi: *Periculum meũ* versatur *in manu mea*, q. d. propinquum & paratũ est; sicut ea, quæ in manibus versantur. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 36.

Vers. 6. *Columus enim Deos eorum.*

*Synecdoche* est, quâ *posteri*, Mardochæus, Esthera &c. sibi tribuunt culturam Deorum Ethnicorum, quam *majores* ipsorum fecerant. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 906.

Vers. 8. *Posuerunt manus suas super manus idolorum suorum.*

*Synecdoche* redit, *fœdus & consociationem* significans, à *signo*, ut *Ierem.* 50. v. 15. q. d. datis manibus *fidẽ dederunt*, & quasi pacto condixerunt. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. fol. 36. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 974. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. class. 1. p. 906.

Vers. 17. *Non comedit ancilla tua mensâ Amanis*, &c.

I. *Metonymia* est, quâ *mensa* pro *cibis*, in mensa appositis sumitur, *Iun.* in Not. ad h. l. p. 974.

II. Objectionem *Papistarum* pro *delectu ciborum, in jejuniis Quadragesimalibus observando*, vide refutatam in Vindic. *Dan.* 1. 12.

CAP. XV. v. 7. *Cum Rex elevâsset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicâsset, regina corruit*, &c.

*Liber iste non est indubitata fidei*: hîc enim dicit, Regem *sævè* adspexisse reginam, cum tamen in Canonico libro *Esther.* 5. v. 2. Rex feratur *benignè* intuitus reginam.

*Gretserus* regerit, *initiò* quidem Regem irâ inflammatum fuisse, ob *insolitum reginæ* accessum; *postea* mente ad lenitatem flexa, ob *reginæ periculum*, gratissimis oculis eam respexisse.

℞. Idipsum historia *Canonica* negat, quæ memorat, in *primo statim ingressu* Regem *benignè* intuitum fuisse reginam, antequam etiam regina causam insoliti ingressus exponeret, ideoque nihil in Rege fuisse non pacatum. *Gerhard.* in Exeges. loc. 1. de Script. Sacr. §. 201. p. 207. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 6. §. 7. p. 56. seq.

Vers. 8. *Et convertit Deus spiritum Regis in mansuetudinem, & consolabatur Reginam verbis pacificis.*

In textu hoc reperitur (1.) *Metonymia causa* pro *effectu*: nam *spiritus* pro *affectu* seu *motu animæ*, eoque *malo*, accipitur (2.) *Hellenismus*: Παρεκάλει αὐτὴν λόγοις εἰρηνικοῖς, i. e. *his verbis blandiebatur e*; id quod respondet Hebræo, ut *Ierem.* 9. v. 8. *Mich.* 7. v. 3. &c. *Friedlib.* in Annot. ad h. l. p. 906. class. 1. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 8.

Vers. 12. *Mirabilis es Domine, & vultus tuus gratiarum plenus.*

*Hellenismus* iteratur: χαρίτων μεστὸς, *gratiarum plenus*, h. e. *omni gratia plenus.* Jun. in Not. ad h. l. p. 975.

CAP. XVI. v. 7. *Non tantùm ex veteribus, ut tradidimus, historiis* &c.

*Enallage* est verbi activi, παρεδώκαμεν, *tradidimus*,

pro passivo, *παρεδόθημεν*, *traditi sumus*, vel *tradita sunt*. Jun. in Not. ad h. l. p. 975.

Vers. 10. *Haman, filius Amadathi, & animo & gente Macedo*, &c.

*Author hujus scripti contradicit Scriptori Canonico*: Hamanem enim dicit fuisse *Macedonem*; at *Canonicus* libri Esther. 8. v. 3. eum dicat *Agagaeum*, id est, de *genere Agag, Regis Amalecitarum*.

*Gretserus* respondet, *Hamanem* potuisse & *Amalecitā* esse, & *Macedonem*: nempe ejus *proavos*, in excidione gentis suæ â Saulo, fugisse in *Tyrum*, atque inde in *Macedoniam*.

℞. Jesuitica hæc est *ἀδολεσχία*: nam si Haman fuit *Amalecita*, tùm sanè tam potuit *Macedo* dici, quàm Bellarminus *Italus*, oriundus ex *America*; ac proinde mendacium est. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 6. §. 8. p. 57.

Vers. 14. *Regnum Persarum transferret in Macedonas.*

Assertio hæc pugnat cum *veritate historica*: dicit enim, *Hamanem cogitâsse de transferendo Persarum regno in Macedonas*; cum tamen *eo tempore exiguum fuerit regnum Macedonicum, ut nullum periculum creare posset regno Persarum, aut cum eo de orbis imperio contendere.* Nec enim timere potuit Assuerus, ne *regnum Persarum ad Macedonas transferretur*, nisi esset jam illud regnū *alicujus nominis*.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 7. resp. ad object. 3. obvertit, non ideo dici, *Hamanem voluisse transferre regnum Persarum ad Macedonas*, quòd *jam tùm regnum Macedonicum ita floreret, ut cum Persis de orbis imperio contenderet*, sed contrà potiùs, quia cum ipse gente *Macedo* esset, voluisse gentem suam, *per ea tempora obscuram*, illustrissimam reddere, *translato ad se & suos nobilissimo imperio.*

℞. Durissima hæc est interpretatio: nam *transferri regnum in aliquam gentem* tùm dicitur, quum *gens illa imperium, ablatum ab altera, in se transfert*, Syrac. 10. v. 8. & simili analogia dicitur transferri â *persona* in *personam*, vel â *familia* in *familiam*. Novò autem modô vult Jesuita, *regnum Persarum transferri ad Macedonas*, sic tamen, ut neq; *Macedones fruantur imperio*, neque *eo Persæ spolientur*. Nimirum sic â *Romanis* ad *Hispanos* imperiū transferri potuit, cum *Theodosius* factus est Imperator. Sed id nullus hactenus inventus est, qui diceret. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 202. p. 207. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 6. §. 8. 9. 10. p. 57.

# VINDICIÆ
# FRAGMENTORUM DANIELIS,

unà cum *animadversionibus*.

CAP. III. v. 28. *Et judicia veritatis fecisti: quia in veritate & judicio* &c.

Verba hæc continent (1) *Hellenismum*; siquidem *καὶ* vim habet particulæ *rationalis*, ut sæpe ו apud Hebræos: *Καὶ κρίματα, & judicia*, pro, *judicia enim* &c. (2.) *Enallagen nominis* substantivi in genitivo, *veritatis*, pro adjectivo, *vera*. (3.) *Hendiadyn*: In *veritate & judicio*, i. e. *verissimô judiciô*, Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 530. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 939.

Vers. 34. *Ne tradas nos in finem, propter nomen tuum*, &c.

*Hellenismus* est: *Ne tradas nos in finem*. h. e. *in perpetuum*, q. d. ne planè nos abjicias. Phrasis est Hebraica. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 531. *Friedlib.* in eund. loc. class. 1. p. 909.

Vers. 35. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israël sanctum tuum.*

*Bellarminus* l. 1. de Sanctor. beatit. c. 19. arg. 1. contendit, *socios Danielis orâsse Deum per merita Sanctorum defunctorum*, quia *invocaverint Deum propter Abraham, Isaac & Israël.*

℞. Negatur sequi: loquuntur enim de *fœdere*, ùt ex verbis statim & immediatè subsequentibus manifestum: non autem de *merito*. Describunt namq; duntaxat Abraham, *dilectum Dei*; Isaacum, *servum Dei*: & Israëlem, *sanctum Dei*: ad id *meritorum* nullam significationem habet. *Scharp.* tom. 2. Curs. Theol. art. de Eccles. triumph. controv. 1. quæst. 5. obj 6. p. 1519. seq. *Cham.* tom. 2. Panstr. l. 20. c. 3. §. 6. & 7. p. 404.

Vers. 36. *Multiplicari semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenam maris, quæ juxta labium maris.*

Occurrit (1.) *Synecdoche*, quâ *semen* pro *tota posteritate* sumitur. (2). *Hyperbole*, quia *multitudo seminis Abrahamitici* confertur *multitudini stellarum calicarum & arenæ marinæ*. (3.) Metaphora: *labiū* enim pro *littore* ponitur. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 939. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. ult. p. 21. cap. 11. p 310. cap. 19. p. 473.

Vers. 39. *In anima contrita, & spiritu humilitatis suscipiamur.*

Redit (1.) *Metonymia*, quâ *anima* pro *animo*, & *spiritus* pro *affectu animæ* sumitur. (2.) *Hellenismum* Spiritu *humilitatis*, h. e. *humilimo* seu *abjectissimo*. Jun. in Not. ad h. l. p. 939. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 1. m. 1. p. 8.

Vers. 44. *Confundantur omnes ostendentes servis tuis mala* &c.

*Hellenismus* est: *Οἱ ἐνδεικνύμενοι, ostendentes*, i. e. qui *reipsa exhibent*. Exprimit Hebræum הראית quod est *Psal.* 60. v. 5. &c. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 531. *Friedlib.* ibid. class. 1. 909.

Vers. 46. *Et non cessabant, qui miserant eos, ministri Regis succendere fornacem naphtha*, &c.

*Melchior Canus* lib. 2. Locor. Theol. c. 13. nugatur, *Hebraicam V. T. editionem non esse authenticam, neq; ad eam esse recurrendum*; eò quòd *quædam particula Scripturæ*, quæ in *fontibus Hebraicis* hoc tempore non legitur, nobis subtraheretur, ut *historia trium puerorum*, apud Danielem.

℞. Negatur consequentia, hac maximè ratione, quòd *implicet contradictionem*: nam quia *soli fontes sunt authentici*, certè nulla est *Scripturæ pars*, quæ in iis non inveniatur; & quæ non invenitur, profectò non est *Scripturæ pars legitima*, sed *supposititius quidam partus*, ùt *Canticum trium puerorum*, quod quia non est *Canonicum*, ideô *Canus* suspicatus est, *totam unà historiam de iis rejici*, quod non est ita. Nam *hanc in fontibus esse*, nôrunt omnes, qui *Hebraicè* nôrunt, quod nondum *Canus* erat adeptus. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 11. c. 7. §. 1.-5. p. 213. seq.

Vers. 49. *Angelus Domini condescendit cum iis, qui circum Azariam, in fornacem.*

*Græcismus* est: *Ἅμα τοῖς περὶ τὸν Ἀζαρίαν, cum iis qui circum Azariam*, h. e. cum *Azaria*; aut, quod magis loco huic convenit, *cum iis, qui una cum Azaria in fornace erant*, Vatabl. in Annot. ad h. l. p. 532. *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 939.

Verſ. 88. *Liberavit nos ex inferno, & ſervavit nos à manu mortis* &c.

*Pleonaſmus* eſt, *Hebrais* frequentatus: A *manu mortis*, h.e. *à morte*, voce *manûs* abundante. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 940.

CAP. XIII. v. 2. *Ioacim accepit uxorem, nomine Suſannam, filiam Helciæ*, &c.

*Canus* l.c. inſtat, *Hiſtoriam Suſannæ apud Danielem non eſſe in fontibus Hebraicis*, & tamen eſſe *partem prophetiæ Danielis*, licèt *ſubtractam*.

℞. (1.) *Hiſtoriam Suſannæ* evincemus eſſe *apocrypham*, idcoq; rejiciendam ex *Canone*. (2.) Bellarminus l. 1. de V. D. c. 9. reſp. ad 3. object. p. 36. cenſet probabile, *non eundem fuiſſe Danielem*, qui Suſannam liberavit, cum eo, qui in capitibus 12. ſuperioribus deſcribitur. Cur ergo *Canus* hiſtoriam Suſannæ facit *partem prophetiæ Danielis*? Cham. ibid.

Verſ. 15. *Intravit Suſanna, ſicut heri & nudius tertius* &c.

*Hellenismus* eſt: Sicut *heri & nudius tertius*, i.e. *antea*, ut *Gen.* 31. v. 5. *Iun.* in Not. ad h.l. p. 940.

Verſ. 23. *Eligibilius mihi eſt, non facientem incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.*

*Coſterus* in Enchir. c. 5. p. 196. probat, *hominem habere liberum arbitrium*, quia *Suſanna, ad peccatum minus ſollicitata, cum in utramq; partem ratiocinata eſſet, tandem elegerit, in manus hominum incidere potiùs quàm peccare in conſpectu Domini.*

℞. Jeſuita *ignorat elenchum*: quæſtio enim inter nos & Pontificios non eſt de *actibus moralibus*, an in[ ]dem homo *renatus* habeat quandam liberta[tem], id quod probat hiſtoria apocrypha Suſannæ: [ ] quæſtio eſt de homine *non renato*, an ille quid [p]oſſit in *actu converſionis*. Meyfart. in Anticoſt. d[ ] p. 5, theſ. 9. & 15. p. 205. 208. ſeq.

Ve[rſ]. 42. *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui nôſti omnia, antequam fiunt.*

*Deus omnium rerum, antequam fiunt, prænotionem habet*: idipſum enim diſertè teſtatur *Suſanna*, quæ *Deum dicit abſconditorum cognitorem, qui novit omnia, antequam fiunt.*

*Socinus* in Prælect. Theol. c. 9. p. 28. reſpondet, ex iſtis verbis non intelligendum eſſe, *Deum omnia nôſſe, antequam ulla ratione ſint*; ſed *antequam, licèt jam aliquo modo ſint, oriantur quodammodo & exiſtant*, etiam *cum adhuc lateant in corde*: id quod probat ex *Græco* fonte, ubi ſcriptum eſt, πρὶν γενέσεως αὐτῶν.

℞. Suſannæ *theſis* eſt generalis, *hypotheſis* tantùm ſpecialis. *Noſti omnia*, inquit, *antequam fiunt*; hactenus theſis. *Tu ſcis, quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me*: eſt quidem hypotheſis ſpecialis de *ſcientia præteritorum*, ſed nihil ad *latentiam abſconditorum in corde facit*, prout eam Adverſarius ſibi imaginatur. *Stegm.* diſp. 13. Antiphotin. q. 4. arg. 1. p. 150. & 152.

Verſ. 45. *Suſcitavit Dominus ſpiritum pueri junioris, cujus nomen Daniel*, &c.

*Scriptor hujus fragmenti non eſt indubitatæ fidei*: nam *Danielis* ætatem deſcribit tanquam *pueri*, & quidem *incogniti ac privati*: cum tamen *Daniel*, c. 6. v. 2. dicitur fuiſſe unus ex *primis ſatrapis regni Darii Medi*, cujus gener erat *Cyrus*.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c. 9. reſp. ad 2. object. [ ]it, hiſtoriam Suſannæ longè *ante illa tempora*

ὅ[ ]αννης παρὰ τῆς τοῦ Δανιὴλ ἀρχῆς ἀφωρισμένη, διὰ τὸ μὴ εἶναι αὐτὴν, ὥσπερ τὸ τοῦ Δράκοντος καὶ τοῦ Βὴλ διήγημα, ἐν τοῖς βιβλίοις τῶν Ἑβραίων. Ex quibus verbis colligitur, hanc hiſtoriam non pertinere ad *principium libri Danielis*, ſed prorſus eſſe à *libro Danielis ſeparatam*. (2.) Bellarminus fatetur, non eſſe *eundem Danielem*, qui ſcripſit hiſtoriam Suſannæ, cum illo *vero Daniele*: cur ergo hiſtoriã Suſannæ *initio libri veri Danielis* infarcit? (3.) Daniel. 13. v. 65. fit mentio *Cyri*: unde colligitur, tempore *Cyri* hiſtoriam Suſannæ contigiſſe: cum tamen, *Daniel.* 1. v. 2. *Daniel* cum *Ioachim* â Nabuchodonoſore Babylonem captivus deductus ſit; â qua captivitate ad *Cyrum* ſunt 70. anni, *Ierem.* 29. v. 10.

*Greiſerus* in Apol. pro Bellarm. regerit, *partẽ illã rectè poni in Daniele*, etiamſi *ab alio quodam Daniele cõpoſita eſſet*, quia tum propter *argumentũ*, tum propter *nominis ſimilitudinem* nuſpiã rectiùs collocantur, quàm in *libro Danielis*; ſicut multi *Pſalmi* rectiſſimè in *Pſalterio* locum tenent, licèt non â *Davide*, ſed ab *aliis* conſcripti, Deoque decantati fuerint.

℞. (1.) Eſt ratio maximè diſpar: tum quia de *Pſalmis* nulla eſt dubitatio, quòd pertineant ad *Canonem*; ſed de *additamento illo Danielis* dubitatur vel maximè: tum quia in *Hebræo* non â *Davide* Pſalterium *Davidis* nuncupatur, ſed *generali* appellatione, ספר תהלים, i.e. *liber laudum*. Ergo nihil quicquam obſtat, quò minùs Pſalmi etiam *aliorum autorum* illi inſerti fuerint: *Danielis* autem liber, cui ſupplementum illud inſertum eſt, nomen certum *Danielis Prophetæ illius* præ ſe fert, injuſtè igitur *alterius ac diverſi cujuſdam Danielis* hiſtoria ei conjungitur. (2.) Nequaquam apparet, quæ ſit illa *argumenti ſimilitudo*: unde eam ſubjungere debuiſſet Adverſarius. (3.) Propter *nominis ſimilitudinem* debuiſſet potius hoc additamentum â *Danielis prophetia* ſeparari, ad vitandã confuſionem. *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin. p. 73. *Gerhard.* in [E]xeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 225. p. 235. ſeq. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V. D. p. 155. *Cham.* tom. 1. Panſtr. l. 5. c. 6. §. 12. p. 57.

Verſ. 52. *O inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ faciebas priùs.*

Conſpicitur hoc loco (1.) *Hellenismus*: O *inveterate dierum malorum*, i.e. *qui omne vitæ in tempus in maleficiis conſumſiſti*. (2.) *Metonymia cauſæ pro effectu*: Venerunt *peccata tua*, h.e. *ſupplicia peccatorum tuorum*. Vatabl. in Annot. ad h.l. p. 562. *Iun.* in Not. ad eund. loc. p. 941.

Verſ. 55. *Qui ait: ſub ſchino. Dixit autem Daniel: Rectè mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei, accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium.*

I. Daniel utitur (1.) *Synecdoche partis pro toto*: *In caput tuum*, i.e. in *teipſum*. (2.) *Paronomaſia*, quia verbo σχίσει, *ſcindet*, alludit ad nomen arboris cujuſdam, σχῖνος, *lentiſcus*. Lutherus in verſione Germanica utcunq; etiam paronomaſiam expreſſit: Linden/ finden. *Glaſſ.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 2. cap. 2. p. 523. Confer tract. 1. cap. 17. m. 1. p. 461.

II. *Hiſtoria Suſannæ eſt apocrypha*: ſiquidem *paronomaſia* illa, ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσει, manifeſtò arguit, illam ipſam *Suſannæ* hiſtoriam eſſe ſcriptam ſermone non *Hebræo*, ſed *Græco*: quo argumento contra *Canonicam illius hiſtoriæ autoritatem* utitur *Hieronymus* præfat. in Daniel.

*Bellarminus* l. 1. de V. D. c[ ] [ ]ad 4. object. re-

utebatur, aliquod verbum *scindendi* responderet: porrò Interpretem *Græcum* non vertisse ad *verbum*, sed ad *sensum*, ut *servaret allusionem*, & accepisse *alias similes arbores*, quibus in Græco responderet allusio ad verbum *scindendi*.

R. (1.) Hæc tota conjectura tenuis est: neque enim certò affirmari potest, exemplar hujus supplementi *Hebraicum* unquam in rerum natura extitisse: neq; ex lingua Hebræa aut Chaldaica proferri nomẽ aliquod *arboris* valet, quod cum verbo *scindendi* paranomasian habeat. (2.) Si textus ille *Hebræus*, quem imaginatur Jesuita, unam *arborem* nominaret, & Interpres *aliam* redderet, *allusionis servandæ* ergò; certè *Interpres falsum scripsisset*, non *eam arborem* nominando, de qua ageret historia, sed *aliam similem*: at verò Spiritus Sanctus in libris verè *Canonicis* historicam veritatem tuetur, nec propter suaves *paranomasias* eandem mutat. Itaq; satius fuisset & Interpreti honestius, si allusionem, in *Hebraico* vel *Chaldaico* factam (si modò facta est) protulisset περιφραστικῶς, quemadmodum LXX. Interpp. vocabulum, *Schiboleth*, Judic. 12. v. 6. quàm quòd *aliam arborem*, ab ea, quæ in *Hebræo* vel *Chaldæo* textu fuerit nominata, *diversam* nominaret. *Hunn.* tom. 2. Oper. Latin. p. 74. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 224. p. 234. seq. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V.D. p. 158. *Cham.* tom. 1. Panstr. l. 5. c. 3. §. 9. seq. p. 54.

Vers. 59. *Qui ait: Sub prino. Dixit autem ei Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium*, &c.

Argumentum nostrum contra *Canonicam fragmenti hujus autoritatem*, unà cum notis Philologicis, vide ab exceptione *Bellarminiana* vindicatum in Vindic. *v. præced.* 55.

Vers. 62. *Et servatus est sanguis innocens in die illa.*

*Synecdoche* est *partis* pro *toto*: Servatus est *sanguis innocens*, h.e. *homo*, Confer. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 17. m. 1. p. 460.

Vers. 65. *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus.*

*Historia Susannæ non potest referri ad initium libri Prophetæ Danielis*: hîc enim fit mentio *Cyri*, cujus tempore historiam illam contigisse oportuerit. *Bellarminus* l. 1. de V.D. c. 9. resp. ad 2. object. respondet, *versum hunc* à c. 13. rescindendum esse, & addendum ad *initium* c. 14. atque ita non historiam *Susannæ*, sed historiam *Beli* destructi & *Draconis* interfecti referendam ad ætatem *Cyri*.

R. Unde verò hoc probat *Bellarminus*? Certè exemplar *Toletanum* hæc, quæ hîc dicuntur de *Astyage mortuo, ejusq; successore Cyro*, conjungit cum *extrema parte historiæ, de Susanna suprà institutæ*, teste *Vatablo* in h.l. Ut taceam, *Vulgatam Latinam* verba illa subjungere historiæ de *Susanna*, tanquam *partem* c. 13. *Thumm.* par. 1. Disquis. de V.D. p. 155. seq.

CAP. XIV. v. 4. *Daniel dixit: Non colo idola manu facta, sed viventem Deum, qui creavit cælum & terram, & habentem omnis carnis potestatem.*

Daniel adhibet (1.) *Metonymiam causæ* pro *effectu*: nam *manũ* pro *arte ac operâ artificis* sumit. (2.) *Synecdochen partis* pro *toto*: nomine enim *carnis* intelligit *animalia*, quibus Deus, quum vult, spiritum & impertit, ut vivant: & adimit, ut expirent ac deficiant, Psal. 104. v. 29. seq. *Vatabl.* in Annot. ad h.l. p. 565.

Vers. 11. *Aut Daniel, qui mentitus est adversum nos.*

*Ellipsis* est phraseus, ex præcedente membro repetendæ: *Aut* si inveneris, *Daniel* moriatur. *Jun.* in Bibl. h.l. p. 941.

Vers. 26. *Tum dixit: Ecce numina vestra.*

*Metonymia* est *subjecti* pro *adjuncto*: Ecce *numina vestra*, h.e. *culturas, venerationes & religiones vestras*. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 565 *Jun.* in Not. ad eund. loc. p. 942. Confer *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 3. m. 4. p. 46.

Vers. 30. *Miserunt Danielem in lacum leonum & erat ibi diebus sex.*

*Autor Supplementi hujus non est indubitatæ fidei*: refert enim, Danielem à *Cyro* in lacum leonum f is le conjectum, in quo fuerit *sex diebus*; cum tamen ipse Daniel dicat, se à *Dario* in lacum esse missum, ibique fuisse *unica nocte*, c. 6. v. 1.

*Bellarminus* l. 1. de V.D. c. 9. resp. ad 3. object. obvertit 1. *bis Danielem missum esse in lacum leonum*, semel à *Dario Medo*, quoniam precatus erat Deum contra præceptum Regis, & tunc fuisse tantùm *una nocte* in eo, & hoc narrari, c. 6. iterum autẽ missum esse à *Cyro*, propter interfectum Draconem, & tunc in eo fuisse *sex diebus*, idque dici, c. 14.

R. (1.) *Bis fuisse Danielem in lacu leonum*, non est verisimile, cùm *prima vice* tam malè cesserit illa machinatio suis autoribus, & edictum etiam promulgatum fuit à Dario de reverendo Deo, qui liberaverat Danielem à leonibus, *Daniel.* 6. v. 26. ideoque non est ullo modo probabile, vel *inimicos Danielis rursus hoc tentaturos*, vel *Regem ipsum permissurum* (2.) Fabulæ non convenit persona *Cyri*: hic enim *Babylonia* non mansit, sed ex prædicatione *Ieremiæ* profectus aliò, expeditionem instituit in *Massagetas*, scribentibus *Herodoto* & *Xenophonte* at *Darius Medus* regno Babyloniæ præfectus est, *Daniel.* 5. v. 31. (3.) Mirum etiam est, quòd cum *Darius* proximo manè & *summâ aurorâ* quæsivit Danielem. *Dan.* 6. v. 19. *Cyrus* non nisi *post sex* [illegible], quid *Danieli* factum esset, quærebat, aut ab aliis intelligebat.

2. *Non eundem esse Danielem*, qui à *Dario*, & qui à *Cyro* in lacum leonum fuerit conjectus: cum [illegible] fuerit de tribu *Juda*, *hic* verò de tribu *Levi*.

R. (1.) Si *Daniel* iste, de quo agitur in *Adjectionibus*, alius fuit à *Daniele Propheta*, tum *adjectiones ipsæ sunt alius etiam liber à Canonico libro Danielis Prophetæ*. Unde ergo probari poterit, Daniel[illegible] *posteriorem* fuisse Prophetam, & librum ejus e[illegible] *Propheticum*, si non fuit idem cum *priore*, cui *Christus* in N. T testimonium perhibet, *Matth.* 24. v. 15.? (2.) Fieri non potuit, ut *novus iste Daniel* viveret tempore *Cyri*, & prandium acciperet a Propheta *Habacuc*, ut c. 14. v. 36. narratur: *Habacuc* enim *longè ante captivitatem Babylonicam* prophetavit. *Habac.* 1. v. 6. annos circiter 100. cum men[illegible] *tot annos* nullus prophetâsse legatur. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 225. p. 235 [illegible] *Thumm.* par. 1. Disquis. de V.D. p. 156. seq. *Ames.* tom. 1. Bellarm. Enerv. l. 1. c 2. thes. 13. p. 13.

Vers. 35. *Posuit illum in Babylonem super lacum*, &c.

*Synthesis* est: *Posuit*, h. e. *apportatum deposuit* sive constituit; ubi duæ significationes in uno verbo sunt. *Vatabl.* in Annot. ad h. l. p. 565. *Friedlib.* in Annot. ad eand. loc. class. 1. p. 909.

## VINDICIÆ

# LIBRI III. ESDRÆ.

CAP. I. v. 52. *Deus præcepit in majores nostros ascendere Reges Chaldæorum.*

*Synecdoche* est: nam per *Reges Chaldæorum* Esdras non solum *Regem Regum Nebucadnezarem*, sed etiam *Principes regni Babylonici*, ministrantes ei, intelligit, Jun. in Not. ad h. l. p. 944.

CAP. II. v. 27. *Etiam Reges potentissimi & duri* &c.

*Metaphora* est: *durities* enim pro *sævitia atq; molestia* accipitur, Jun. in Not. ad h. l. p. 945. qua de re vide *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 12. p. 361.

CAP. III. v. 9. *Dabunt ei scripta nostra, & huic dabitur victoria.*

Esdras utitur (1.) *Enallage verbi activi, dabunt*, pro passivo, *dabuntur*. (2.) *Metonymia*, quâ *victoriam* pro *victoriæ præmio* accipit, uti *Josephus* exponit. *Jun.* in Not. ad h. l. p. 945.

CAP. IV. v. 21. *Et cum muliere animam recreant &c.*

*Synecdoche* est *partis* pro toto: *Animam*, h. e. *seipsum*, Jun. in Not. ad h. l. p. 946. Conf. *Glass.* lib. 5. Philol. Sacr. tract. 1. cap. 17. n. 1. p. 459.

CAP. IIX. v. 60. *Vigilate & servate, donec expendatis &c.*

*Hellenismus* est: *Vigilate & servate*, i. e. *vigilanter servate*, q. d. *sedulo custodite*, Jun. in Not. ad h. l. p. 951.

## VINDICIÆ.

# LIBRI IV. ESDRÆ.

CAP. IV. v. 23. *Propter quid lex patrum nostrorum in interitum deducta est, & dispositiones scriptæ nusquam sunt.*

Quidam ex *Pontificiis* statuunt, *omnes libros Propheticos in conflagratione urbis Hierosolymæ fuisse consumptos*, quod *lex Judæorum vetustiorum in interitum deducta sit, & dispositiones scriptæ nusquam extiterint, tempore Esdræ.*

℞. (1.) Esdras non loquitur *absolutè*, de *omnibus in universum libris Propheticis*, sed *indefinitè* de *libris Propheticis*, quorum *aliquos* interiisse in illa Judææ κατακλυσμῷ, per Babylonios illatâ, nullum est dubium, *aliquibus* interim superstitibus, *Dan.* 9. v. 2. & 1. *Maccab.* 12. v. 9. (2.) Etiamsi Esdras diceret, *omnes in universum libros Propheticos incendio periisse*, id tamen nobis non obesset. Hic enim liber Esdræ non est *Canonicus*, teste *Bellarmino* l. 2. de V. D. c. 1. unde testimonium ex eo desumptum *per se* non probat intentum Adversariorum. *Hutter.* in LL. Theol. p. 35. seq. *Brochm.* Syst. Theol. art. de S. Script. c. 2. q. 6. p. 22.

Vers. 35. *Nonne de his quando interrogaverunt animæ justorum in cellis suis &c.*

*Synecdoche* est *partis* pro toto: *Animæ justorum*, i. e. *justi*, Jun. in Not. ad h. l. p. 958.

CAP. XI. v. 46. *Ut refrigeretur tota terra &c.*

*Metaphora* recurrit: Ut *refrigeretur*: sumpta translatione ab *anhelis & ex labore fessis*, in Not. ad h. l. p. 966.

CAP. XIII. v. 4. *Sicut ardet terra, quando sentit ignem, &c.*

*Metonymia* est, quâ *terra* pro *rebus terrestribus* ponitur, *Jun.* in Not. ad h. l. p. 968.

CAP. XIV. v. 21. *Lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quæ à te facta sunt, vel quæ incipient opera.*

Instant vero I. Esdram loqui de *omnibus in universum libris Propheticis*, ob quorum incensionem *nemo sciat, quæ à Deo facta sunt, vel quæ adhuc futura.*

℞. (1.) Esdras notanter loquitur de *lege*, in templi Hierosolymitani incendio combusta; ex eo autem nondum sequitur, *omnes in universum libros Propheticos* incensos fuisse. (2.) Si per *legem Dei* omnino intelligeret *omnes in universum libros Propheticos*, sanè contradiceret veritati historicæ, *Nehem.* 8. v. 1. 1. *Maccab.* 3. v. 48. *Gravver.* in Expos. Mich. c. 1. par. 1. q. 1. p. 12.

Vers. 22. *Scribam omne, quod factum est in seculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta, &c.*

Instant II. Esdram à Deo petere, ut sibi det Spiritum Sanctum, cujus suggestione *scribat omnia sacra volumina, igne deperdita*: itaque loqui ipsum de *omnibus in universum libris Propheticis.*

℞. (1.) Esdras hic non agit de *restitutione divinorum voluminum*, sed de *aliorum librorum scriptione*, quibus nimirum *mystica quædam & abditior librorum Mosis interpretatio* contineretur, quam *Cabalam* vocant. (2.) Concedimus verò, Esdram *divinos libros instaurâsse*, non *omnes scribendo*, sed *in unum corpus redigendo*: ipsum enim *omnes de novo scripsisse*, ex libris *Canonicis* nihil tale colligitur, teste *Bellarmino* l. 2. de V. D. c. 1. *Gerhard.* in Exeg. loc. 1. de Script. Sacr. §. 113. p. 127.

Vers. 42. *Altissimus dedit intellectum quinq; viris, & scripserunt, quæ dicebantur excessiones noctis, quas non sciebant.*

Nonnulli *Papistæ* negant, *editionem Hebræam* V. T. *esse authenticam*, quoniam *ab Esdra fuerit reparata, Spiritu Sancto suggerente, & dictante omnia, sicut fuerant ante combustionem.*

℞. (1.) Non est conforme veritati, Esdram *de novo universam Scripturam* V. T. *incensam restituisse*: nam v. 44. subjungitur, Esdram spaciô 40. dierum conscripsisse *libros* 204. quos sanè ambitu suo non complecti *universam* V. T. *Scripturam*, longè certissimum est. Unde non immeritò sententia illa *à Mariano Victorio* in Schol. ad prolog. Galeat. Hieronymi, *Pererio* in præfat. comment. in Genes. & *Bellarmino* l. 1. de V. D. c. 2. impugnatur. (2.) Etsi sententia illa concederetur, tamen non sequeretur, *editionem Hebræam* V. T. *non esse authenticam*: tum quia conceditur restituta, auctore *Spiritu Sancto*, à quo pendet, quicquid Scriptura authoritatis habet; quemadmodum ea, quæ sunt ab i-

# CHRISTIANE LECTOR.

ERat nobis in animo, Indices cum colligeremus, singulis partibus præmittere Auctorum Indicem, in singulis partibus allegatorum, ast cum successu temporis & operis animadverteremus, maximam partem Autorum in toto Opere citatorum, primæ partis Indici primo insertam esse, ne actum itaque ageremus & sumptus minueremus, Indicem generalem Autorum in universum omnium præmisimus primæ parti, quo etiam te remittimus.

## Index Secundus Partis Tertiæ.

### *Locorum communium, rerum & verborum.*



Chri-

Jehovah.

Preces

FINIS.

